


CAROLO
1532









Capillus veneris 207.

~~Pilonus~~


Ghivanes Batista Pilonus Jo: Bellunensis
1637

Erbba Deimonis Con.ª Mal:

Rutta
Sanbuco,
Mandragora
Imperatoria.

De omnibus agriculturæ partibus, & de Plantarum animaliumq; natura & utilitate lib. XII. non minus Philosophiæ & medicinæ, quàm œconomiæ, agricolationis, pastionumq́ studiosis utiles. Per longo rerum usu exercitatum optimum agricolam & Philosophum PETRUM CRESCENTIENSEM principem Reipub. Bononiensis, probata fide & doctrina conscripti ad Carolum Siciliæ regem, ante An. CCXXX. Ad autoris tempore scripta exemplaria denuò collati & emendati.

Custod: a carte 386. Pall: Diacon: a c: 352.



BASILEÆ

PER HENRICHUM PETRI.

Serenissimo & Potentissi
mo principi D. CAROLO, gratia Dei Hierusalem & Siciliæ regi, PET. Crescentiensis, ciuis Bononiensis, S. D.

CVum considerarem, studiorum amorem, ætatẽ, uarias occupationes, excellentissime rex, tuæ maiestatis, uisum est, librum componere, qui afferat relaxationem & delectationem animo tuo occupato regnorũ negotijs. Et tuis subditis, alijsq́ utilitatem, quam solam respexi semper dum scripsi. Nec ignoro maculas inter nitentias, spinasq́ inter rosas mixtas esse. Tuæ autem maiestati ad iudicandum trado, ita ut uiuat aut intereat tuæ maiestatis tuorumq́ sapientum & in his rebus & in alijs peritissimorum iudicio. Est autem approbatus ab uniuersitatis nostræ Bononiensis omnibus uiris doctissimis in naturalium rerum scientia, & præcipue medicis, quibus magna est cura & diligentia in rebus in rure crescentibus, ex quibus omnis eorum materia est. Rogo igitur ut serena fronte accipiat tua regia maiestas, quod ad nutum & uoluntatem eius scripsi, impeditus quidem multis & arduis reipublicæ Bononiensis negotijs, temporibus illis difficilimis. Tamen non potui tuæ maiestati tã bene de me meritæ negare, onus suscipere multo uiribus meis grauius. Igitur me ad ruris habitationẽ transtuli iam plusquàm septuaginta annos natus, ut morem gererem tibi regi Illustrissimo, cœlestis regis auxilio qui solus regnat & gubernat omnia. Valeat tua maiestas, & me humilem seruulum gratia & dilectione & fauore pergat fouere, paratum semper ad nutum & mandata obedire. Bononiæ ex rusculo nostro suburbano.

Index eorum omnium

quæ libro insunt.

arborum

equi

nebulis

stabula

FINIS.

PETRI CRESCENTIENSIS, DE AGRICULTURA, OMNIBUSQ; PLANTARUM, & ANIMALIUM GENERIBUS, Lib. I.

PRAEFATIO.



VM ex uirtute prudentiæ, quæ inter bonum & malum caute discernit, humanus informetur animus, ad utilis et delectabilis cognitionem: & in terrenis rebus pacificus & tranquillus status imprimis utilis, dulcis & delectabilis reperiatur: merito hic totis uiribus quærendus est, & inuẽtus tanquam thesaurus inextimabilis cum multa humilitate & patientia conseruandus: per eum nanque facile benigna dei dilectio prouocatur, uita hominis illęsa tute seruatur, & rerum abundans copia utiliter procuratur. Hunc tamen impij uiri non quærunt, & inuentum superbia seu alio detestabili uitio cœcati lacerant: quare licet eorum fortuna prospera sæpe uideatur ad tempus, perit tandem, nec dimidiat dies suos. Viri autẽ pacifici & humiles, licet quandoq; læsi fuerint, tamen uiuunt, & apud deum & homines gratiam inuenientes tandem impiorum hæreditant terram. Ego itaq; Petrus ex Crescentia natus ciuis Bononiensis, qui tempus adolescentiæ in logica, medicina, & scientia naturali totum consumpsi, & demum nobili legum scientiæ insudaui, pacifici status anxius post flendum schisma illius egregiæ urbis, quæ uero & sibi proprio nomine Bononia, id est, bona per omnia, in omnibus mundi finibus dicebatur, cognoui quod mutata unitate, ac statu pacifico, in dissensionẽ odium & liuorẽ, non erat iustũ ipsius peruersæ diuisionis immisceri negocijs. Ideoq; annis triginta diuersas per prouincias cum earum rectoribus circuiui, subiectis libenter iusticiam tribuens, rectoribus fidele cõsilium, & ciuitates in suo iure ac statu pacifice pro posse cõseruans, multosq; libros antiquorum & nouorum prudentum perlegi, & diuersas ac uarias operationes colentium rura uidi. Demum ciuitate diuina gratia quodammodo reformata, tædio latæ circuitionis & læse libertatis affectus ad propria redij, ac cernens, quod omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homini libero dignius: ut ait Tullius. Et cognoscens, quod in cultu ruris status facile inuenitur trãquillus, excitatur de ignauia, & proximorũ læsio euitatur, amplius, quod cultu ruris exquisitaq; doctrina perquam facilius & abundantius utilitas percipitur, & delectatio procuratur, quoniam si negligenter & sine certa industria singula consueto more colantur, uiris bonis (qui de suarum possessionum redditibus sine cuiuscunq; læsione iuste uiuere uelint) merito appetenda est, ad cultum ruris mentem animumq; conuerti. Et implorato dei omnipotentis auxilio, actus & commoda eius & cuiuslibet generis agrorum & plantarum atque animalium

doctrinam obscure & imperfecte ab antiquis traditam & modernis satis incognitam, de sola Christi liberalitate confisus, dilucide tam secundũ prudẽtum naturalis philosophię sententias ac rationes apertas, quã ex approbatis experientijs tradere in scriptis proposui. Opusculum hoc porrò duodecim continet libros. Primus qnidem est de locis habitabilibus elegẽdis, & de curijs, domibus, & his qui habitationi sunt necessaria faciendis. Secũdus de natura plantarum & rerum cõmunium cultui cuiuslibet generis agrorum. Tertius de campestribus agris. Quartus de uineis & uino. Quintus de arboribus. Sextus de hortis. Septimus de pratis & nemoribus. Octauus de uiridarijs & rebus delectabilibus ex arboribus, herbis, & fructu ipsarum artificiose agendis. Nonus dc omnibus animalibus quæ nutriuntur in uillis. Decimus de diuersis modis artibusq; capiendi animalia fera. Vndecimus de regulis operationum ruris. In duodecimo cõpendiosa fit cõmemoratio de his omnibus quę singulis mẽsibus in rure sunt agẽda.

De cognitione bonitatis loci habitabilis quidq; empturo agrum primo spectandum sit, Cap. I.

QVoniam cultus ruris, propter continuos eius labores, præcipue fortitudinem habitantium requirit, idcirco conueniens mihi uisum est in hoc primo libro doctrinam tradere de his quę ad cognitionem salutis locorum habitabilium spectant, & de quibusdam habitationi necessarijs. Nam corpora hominum quibuscunq; commodis pecuniarijs debent pręferri. Dicam itaq; in primis de cognitione bonitatis loci habitabilis in cõmuni, quę quidem attenditur circa quinq;, uidelicet penes aëris puritatem, uentorum impetuositatem, aquę salubritatem, situs qualitatẽ, & terrę fœcũditatem. quorum quatuor in hoc primo libro tractantur, quintum uero traditur in secundo, quę omnia diligenter consideranda sunt antequam in emptionem prędiorũ & fabricam domorum pecunia collata, uelox postmodum cum personarum detrimento aut rei familiaris damno, pœnitentia non sperata sequatur.

De aëre & cognitione bonitatis & malitiæ eius, Cap. II.



AEr medicis & philosophis testibus, est unum ex elementis generatorum, cuius naturalis locus est circundãs aquã, & ab elemẽto ignis circũdatus, & est eius natura calida & humida, si nulla extrinseca causa eã cõuerterit, cuius quidem esse in generatis iuuat, ut alleuientur & rarificentur & ad superiora eleuentur.

uentur. Circa cognitionem bonitatis aëris animaduertendum est, ne sit putrefactus, & nimis calidus, non distemperate humidus, nec etiam nimis siccus. Nam aër putrefactus putrefacit humores, & incipit humorem putrefacere qui cordi circundatus est, quoniã ad ipsum propinquius accedit, & aër fortiter calefactus iuncturas laxat, & humores resoluit, & in siti augmentum pręstat, & resoluit spiritum, & deijcit uirtutes, & prohibet digestionem, propterea quod calorem innatum resoluit, qui est instrumentum naturale, & colorem citrinum efficit, propter quod humores resoluit sanguineos colorem rubificantes, & quia facit choleram alios superare humores, et cor calefacit calore extraneo, et facit humores fluere, & ipsos putrefacit, & defert eos ad concauitates, & mẽbra debilia, & corporibus sanis non est bonus, confert tamen hydropicis & paraliticis, & spasmo humido. Aër uero frigidus calorem innatum ad interiora redire facit, & facit catarrhum, & debilitat neruos, & tracheam arteriam magno lędit impedimento, & digestionem efficit fortem, & omnes occultas operationes efficit fortiores, & exiccat appetitum, & ad ultimum, sanis conuenientior est quàm aër multæ caliditatis. Aër uero humidus plurium complexioni est bonus, & colorem efficit bonum & cutem, & reddit eam mollem, & poros dimittit apertos, sed ad putrefactionem pręparat. Et siccus quidem existit huic contrarius. Prędictis itaq; diligenter consideratis, constat aëris temperatam mediocritatem & claritatẽ quantum possibile est requirendam esse. Aër nanq; si bonus est temperatus & clarus, nec substantia extranea temperamento spiritus contraria ei admiscetur, est salutem efficiens habitantium, & cõseruans, & plantę (ut ait Albertus) ab eo proportionabiliter conualescunt, & fructificant. Si uero malus est, & ei misceantur uapores lacuum & stagnorũ quibus turbatur, contrarium operatur & tristificat animam & commiscet humores, & plantas corrũpit, & ideo uenti urentes, & pruinę mortificantes lędunt & destruunt plantas, & in summa secundum Auicen. Omnis aër qui cito infrigidatur, cum sol occidit, & cito calefit, cum ipse oritur, est subtilis: qui uero huic est cõtrarius, existit econtrario, deinde deterior est omnibus ille aër qui cor constringit, & aëris angustat attractionem, præter hæc uero dicit Palladius, quod aëris salubritatem declarant loca ab infimis uallibus libera, & nebularum noctibus absoluta, & habitantium corpora cõsiderata, si enim eis color sanus inest, capitis firma synceritas, inoffensum lumen oculorũ, purus auditus, si fauces liquidę uocis commeatum exercent: his signis benignitas aëris comprobatur, contraria uero noxium illius cœli spiritum confitentur.

De uentis & bonitatis & malitiæ ipsorum cognitione, Caput III.

SErmo de uentis, & de eo quod uentorum causa generatur, duobus existit modis, scilicet uniuersalis & absolutus, & sermo secundum illum qui unicuiq; ciuitati proprius existit. Vniuersalis uero sermo est, quod meridionalis secũdum situm plurium ciuitatum & locorũ calidus est & humidus, scilicet

calidus propterea quod à parte solis uenit, & humidus propter mare meridionale, quod pertranseunt: quare operatur in eo sol fortiter, & euaporant ex eo uapores qui uentis admiscentur. Et ideo uenti meridionales debilitant & laxant uires, & aperiunt poros, & turbant humores, & mouent eos ab interioribus ad exteriora, & in senibus efficiunt grauitatem, & exituras corrumpunt, & recidiuationes ęgritudinum efficiunt: febres putridas efficiunt & debilitant, & mouent epilepsiam, & afferunt somnum, sed non exasperant guttur. Septentrionales uero uenti sunt frigidi, eo quod transeunt super mõtes & terras frigidas multarum niuium: & sunt sicci, propter quod eis non multi associantur uapores, quoniam resolutio à parte septentrionis fit minus, & transeunt uapores secundum plurimum super aquas congelatas, aut super deserta, quare uentus iste corroborat & indurat, & quę manifeste fluunt prohibet, & claudit poros, & digestiuam uirtutem fortem efficit, & constringit uẽtrem & indurat, & prouocat urinam, & aërem putridum et pestilentialem sanat. Cum uero meridionalis septentrionalem pręcedit, et sequitur eũ septentrionalis, accidit à meridionali fluxus, & à septentrionali expressio, ideoq́ multiplicantur tunc fluxus materierum & capitis pectorisq́ ęgritudines. Et orientales quidem inter caliditatem & frigiditatem sunt temperati, sed sunt occidentalibus sicciores. Septentrionales quidem orientis minus habent maria quàm septentrionales occidentis. Venti orientales si in postremo noctis & in principio diei flauerint, uenient ab aëre qui iam temperatus est, propter solẽ & subtiliatus ab eo, & eius humiditas iam fuit imminuta: ideoq́ sunt sicciores & subtiliores, quod si in fine diei & principio noctis flauerint, erit res contraria. Orientales tamen occidentalibus uniuersaliter semper existunt meliores: occidẽtales uero parum plus sunt humidi quàm orientales, quoniam super maria transeunt: quod si flauerint in fine noctis & in principio diei, uenient ab aëre in quo sol operatus non fuit, spissiores igitur & grossiores erunt, quod si in fine diei, & principio noctis flauerint, erit res contraria. Pędictorum autem uentorum iudicia propter alias res quandoque mutantur, est enim in quibusdam ciuitatibus & locis conueniens, ut uenti meridionales sint frigidiores cum eisdem fuerint montes niuosi à parte meridiei, & cõuerterint se uenti meridionales ad frigiditatem, eo quod super eos transeant, & est cum septentrionales meridionalibus calidiores existunt, cum circa deserta fuerint adducta.

De aqua

De aqua, quæ animalibus conuenit, & cognitione bonitatis uel malitiæ eius, Caput IIII.



AQua est alterum ex elementis generatorum, et eius quidem locus naturalis est, ut sit circundans terram, & circundata ab aëre cum in suis sitibus naturalibus permanserit, quæ frigida est & humida, si nulla causa extrinseca ei cõtraria fuerit. Et ipsa quidem in generatis iuuamentum præstat ad figurandas formas, humidum enim licet ad formas figuratas cito amittat, cito tamen eas recipit, sicut siccum terrestre, licet difficulter eas recipiat, duriter tamen retinet eas. Cunque humidum aqueum & siccum terreum ad se inuicem temperauerint, adipiscetur siccum ab humido ut cito suscipiat & facile figuram: & humidum aqueum acquiret à sicco ut retineat fortiter, quod in eo accidit ex ratificatione & æquatione & figurationibus, & propter humidum prohibetur siccum à sua separatione, & propter siccum prohibetur humidum à sua fluxibilitate. Duplex est aquæ consideratio in hac scientia, alia enim aqua conuenit incolis, alia uero plantis. Et primo quidem de ea quę hominibus est salubris sermonem faciam utilem. Aquæ igitur, secundum medicos, quæ sunt alijs meliores, sunt aquæ fontium terræ liberæ, in quibus nulla dispositionum & qualitatum extranearum superat, aut aquæ quæ sunt petrosæ quæ sunt digniores, ne terrestri putrefactione putrescant, illa tamen aqua quæ est terræ liberæ melior est petrosa, dum tamen sit currens & soli & uentis discooperta: ex his enim nobilitatem acquirit, neque omnis discurrens, sed illa quæ super lutum liberum non fœtidum nec lacuosum incedit, nam hæc melior est ea quæ supra petras fluit, lutum enim mundat aquam ac extrahit & aufert ab ea res extraneas sibi admixtas, & colat ipsam: sed lapides non faciunt illud quod si hæc aqua fuerit multa & forti currerit motu, quæ propter sui multitudinem illud quod ei admiscetur in suam conuertit naturam, & quæ suo cursu ad orientem tendit, erit melior alijs aquis, & quanto magis à suo multum elongabitur principio, & post hanc quæ ad septentrionem uadit. Illa nanque quę ad occidentem tendit & meridiem est mala, & proprie cum meridionales sufflauerint uenti, & illa quidem quę à locis descẽdit altis cum alijs bonitatibus est melior, & talis est ferè semper dulcis, & est in pondere leuis & cito infrigidatur & cito calefit, propterea quod


est resoluta, frigida in hyeme & calida in æstate, in qua nullo modo sapor aliquis superat, nec ullus odor, & quod in ea coquitur, cito coquitur, & cito dissoluitur. Debes autem scire, quod pondus est ex experimentis adiuuantibus ad cognoscendum aquæ dispositionem: aqua enim quæ est leuior in plurimis dispositione est melior. Pondus autem per mensuram cognoscitur, cognoscitur etiam si in duabus aquis diuersis duo panni unius ponderis madefiunt, & postea uehementer siccentur, deinde ponderentur: nam aqua cuius pondus fuerit leuior, est melior. Sublimatio quidem & distillatio aquas rectificant malas, & similiter decoctio: aqua enim cocta (ut testantur sapientes) minoris est inflationis & uelocioris descensionis, nam decoctio substantiæ acquirit subtilitatē, & ideo clarificatur desuper, & grossum terrestre descendit ad imum, nam commixtiones terrestres leuiter à substantia subtili descendunt: sed à spisso & uiscoso non facile descendunt. Ex aquis quoq; laudabilibus sunt aquæ pluuiæ, & præcipue illæ quæ cum tonitruis in æstate descendunt, sed tamen aquæ pluuiali cito aduenit putrefactio, licet sit aqua melior: propterea quod est ualde subtilis, & fit eius putredo causa putrescendi humores, & impedit pectus & uocem, nam omnis subtilis substantia promptius recipit passionem. Si aqua pluuialis plus ebullierit eius putrefactionis receptio minuetur. Acetosa quoque cum comeduntur putrefactioni opponuntur, & ab impedimento eius securitatem faciunt. Aquæ uero puteorum & aquæ ductuum sunt malæ, comparatione aquarum fontium, sunt enim aquæ constrictæ terrestritates longo recipientes tempore. Ex eis tamen illæ deteriores sunt quibus ex plumbo uiæ factæ fuerint, quoniā ex eius uirtute aliquid adsumunt, unde frequenter ad dyssenteriam inducunt. Aqua autem paludis deterior est aqua putei, quia manatio aquæ putei acuitur, propter illud quod de ipsa extrahitur, unde perdurat eius motus & non multum moratur in constrictione, nec manet in locis unde manat longo tempore. Aqua uero paludis, propterea quod longo tempore moratur in foraminibus terræ putrefacientis, & eius motus in manando & egrediendo est tardus, & non est nisi in terra corrupta & putrida, mala est. Aquæ uero lacuales, stantes, præcipue discoopertæ malæ sunt & graues, quia in hyeme non infrigidantur nisi per niues: ideoq; generant phlegma. Et quia calefiunt in æstate propter solem, & putrefactionem generant choleram. Et propter spissitudinem quidem ipsarum & commixtionem terrestrium cum eis, & propter resolutionem subtilis earum, generātur in eis qui eas bibunt splenis mali affectus, & interiora ipsorum ingrossantur, & eorum extrema macrescunt, & humeri & collū, et comedendi desideriū in eis superat sitis, & constringuntur eorum uentres, & difficile uomere possunt, & quandoque perueniunt ad hydropisim, propterea quod aquositas in eis retinetur, & quandoq; ad apostemata pulmonis & splenis & ad dissenteriam, & ipsorum epar debile reddit, & in eis multæ aliæ ægritudines generant, & mulieres raro impregnantur, & cum difficultate pariunt, & pariūt pueros apostemosos, & frequēter fit in

eis mola

eis mola & impregnatio mendosa, & eorum pueri sæpe patiuntur uarices & crurum insanabilia ulcera, & quartanis abundant, & multas alias ægritudines patiuntur, & in senibus febres fiunt adurentes, propter siccitatem naturarum ipsarum. Aquæ præterea quibus admiscetur metallica qualitas, aut eius simile, & aquæ sanguisugales omnes malæ sunt uniuersaliter, licet in quibusdam ægritudinibus afferant iuuamentum: aqua enim in qua superat uirtus ferri, iuuamentum præstat in hoc ut interioribus fortitudo tribuatur, & ut dissenteria prohibeatur, & ut uirtutes desideratiuæ omnes procedant. Aquæ niuosæ & glaciales sunt grossę: nix uero & aqua glacialis cum munda fuerit, non commixta alteri rei uirtutem habenti malam, siue soluatur & fiat ex ea aqua, siue mittatur ipsa in aquam erit bona, nocet tamen dolores habentibus neruorum: sed cum coquitur ad bonitatem redit. Quod si aqua glacialis ex aquis malis fuerit, aut nix uirtutem contrahens malam & extraneam à locis in quibus ceciderit, erit mala. Aqua prętere a temperate frigida sanis melior est aquis omnibus, licet neruos impediat, & apostemata in interioribus habentibus lędat: ipsa enim appetitum excitat, & stomachum fortem efficit. Aqua enim calida digestionem corrumpit, & facit natare cibum in stomacho, & ad hydropisim adducit & hecticam & consumit corpus. Aqua calefacta tepida efficit nauseam, & cum fuerit calidior quàm hæc, & in ieiunio bibita multotiens, stomachum lauabit, & uentrem soluet, eam tamen frequenter bibere est malum, quia stomachi uirtutem debilitat. Illa uero quæ multum est calida, colicam resoluit & splenis uentositates frangit. Aqua uero salsa macrescere facit & exiccat, & primo mouet uentrem propter uim radendi quę in ea existit, postea stringit eum in fine propter siccitatem naturę eius, & corrumpit sanguinem, ideoq; pruritum generat. Aqua uero turbida lapidem generat & opilationes, ideo post ipsam res comedenda est prouocatiua, licet solutum uentrem habenti plerunq; conferat ipsa, & omnes aquę grossæ & graues, propterea quod in uentre morantur nec cito descendunt. Eius uero theriacæ existunt res unctuosę & dulces. Aquæ uero alumniosæ mulierum superfluitatem currere non permittunt, neque spuere sanguinem, & prohibent illud quod de hęmorrhoidibus egreditur, sed corpora quę febribus sunt apta fortiter ad eas perducunt, & ferè quidem splenem resoluunt, & non coire ualentes adiuuant. Aëreę uero corruptioni complexionis utiles existunt. Emendatur autem aqua si uehementer coletur, & coquere quidem aquam eam, quandoq; colat, ut dictum est, & inter purę aquę substantiam & id quod ei admiscetur separationem facit, & maius hoc toto est ipsam sublimando stillare. Aquam uero cum uino bibere utile est, ex eo quod eius remouet maliciam, cum ipsius malicia fuerit ex genere paucę prnetrationis. Aqua etiam cum pauca fuerit & nō inuenitur temperata cum aceto erit bibenda, & proprie in ęstate, quoniam hoc à multo excusat potu. Aqua propterea salsa cum aceto bibenda est, & syrupo acetoso, in quam siliquæ & mirthi grana sunt proijcienda, & sorbę, & post aluminosam quidē

aquam & ponticam bibendum est totum id quod naturam soluit, uinum quoq; est ex eo quod post ipsam potatum confert. Super amaram quoq; exhibēda sunt dulcia & unctuosa. Ante aquam stantem & palustrem, in qua existit putrefactio, non sunt gustanda nutrientia calida, super quam stiptica sunt exhibenda ex fructibus frigidis, sicut citonia, & maciana, & cotula. Super aquas quoque grossas & turbidas utendum est allio, & ex eo etiam quod eas clarificat est alumen, & ex eis quoq; quę diuersarum aquarum remouent malitiam sunt cepę, quoniam sunt ut theriaca, & proprie cepę cum aceto & alleo, etiam & ex frigidis rebus sunt lactucę. Solet autem quandoq; (ut Palladius ait) occultiorem noxam tectior inferre aquarum natura, quę pręfatis rationibus discerni non potest. Ideoq; ipsas ex incolarum salubritate noscamus, si fauces bibentium puræ sint, si sanum caput, si in pulmonibus aut thorace, aut rara, aut nulla est causatio, si uenter, aut uiscera, aut latera siue renes nullo dolore, aut inflatione uexātur, si uitia nulla uesicę sint. Hæc & similia si apud incolas pro maiori parte constare uidebis, nec de aëre aliquid nec de fontibus suspiceris.

De situ loci habitabilis, & de cognitione bonitatis & malitiæ eius, Cap. V.



HAbitationum seu terrarum situs duplex cōsideratio est, una quidem ratione salutis habitatorum, altera ratione fœcunditatis agrorum, & primo de primi situs natura dicetur. Sciendum est itaque, ut ait Auicēna, quod locorum habitabilium dispositiones in corporibus diuersificantur causa altitudinum & profunditatum in ipsis, & causa dispositionis ipsius terrę, si est lutosa, aut humefacta, aut cretosa, aut si est in éa uirtus mineræ, & dispositio multitudinis aquarum, aut paucitatis earum, & dispositionis eorum quæ in eis uicinantur, sicut arborum, & uinearum, aut fouearum, aut cadauerum, aut horum similium, & ex montium & marium uicinitate. Loca habitabilia calida nigrificant capillos & incrispant, & cum in eis maxima fuerit resolutio, & minuet̃ humiditas adueniet́q; seniū cito sicut in terra nigrorū, illis nanq; qui ibi morantur aduenit senium in annis triginta & eorū corda sunt timida, ꝓpterea quod spiritus multum resoluitur. In locis habitabilibus frigidis sunt corda audacię maioris, & melius digerētes, quę si fuerint humida, erūt ibi morātes grossi et carnosi, & multa abundātes adipe: quorū uenę erūt ꝓfundę & occultę, et ipsi erūt teneri & albi. In locis habitabilibus humidis

midis morantes pulchrarum sunt facierum, quorum cutes sunt lenes, & cum ex ercitantur cito aduenit lassitudo, & eorum ęstas non multum calefit, nec hyems ualde infrigidat, & eis aduenient febres multę in ore & uentre, & sanguinis mul tus exitus ex menstruis & hæmorrhoidibus, & multiplicatur epilepsia. In locis habitabilibus siccis morantium exiccantur complexiones, & ipsorum obfuscantur cutes & exiccantur, & eorum cerebris cito aduenit siccitas, & eorum æstas est ualde calida, & hyems multum frigida. In locis habitabilibus altis morantes sunt sani & fortes, laboris multum patientes, & uiuunt diu. In locis habita bilibus profundis morantes, in uaporositate multa existunt & epatis debilitate, & aquis abundant non frigidis, & proprie si fuerint stantes, ut aquæ lacuum aut stagnorũ, & eorum aër est malus. De locis habitabilibus petrosis & discoopertis, horũ aëres in ęstate sunt ualde calidi, & in hyeme multum frigidi, & eorum corpora sunt dura, solida, & multorum capillorũ, fortia, & iuncturæ manifestæ, & uincit in eis siccitas, & sunt multum uigilantes, & sunt malorum morum, inobedientes, & est in eis bellorum fortitudo, & solertia in artibus & acuitas. In locis montuosis niuosis morantium, iudicium est sicut iudicium aliarum terrarum frigidarum, & eorum terræ uentosæ, & dum nix moratur generantur in eis boni uenti, sed cum nix resoluitur, si mõtes habeant qui uentos prohibeant, fiunt uaporosa. In locis habitabilibus marinis temperatur caliditas & frigiditas, propter suæ humiditatis ad passionem inobedientiam. Habitantium in locis septentrionalibus, iudicium est sicut iudicium ciuitatum & temporum frigidorum, in quibus multiplicantur constringendi & comprimendi ægritudines, & multiplicantur in eis humores in occulto corporis cõgregati, & solet in eis esse digestiuę bonitas, & uitæ longitudo. In corporibus propterea eorum ulcera sanantur, propter eorum fortitudinem, & sanguinis eorum bonitatem, & propterea quod exterius nõ est causa quę ea laxat, aut quę ea detegat, sed propter mul tam caliditatem cordium eorum, sunt in eis mores lupini. Habitantium in locis meridionalibus iudicia sunt iudicia terrarum & temporum calidorum, plurimum autem aquarum quæ sunt in eis est salsum & sulphureum, & capita morantium in ipsis sunt plena humidis materijs, quoniam meridies hoc operatur. Et eorum uentres sunt soluti, propter illud quod ab eorum capitibus ad stomachos descendit, membra quoque eorum sunt lassa & debilia, & sensus ipsorum graues, & desyderia etiam comedendi & bibendi debilia, & quolibet uino grauantur, & propterea quod capita eorum & stomachi debilia existũt, ulcera quoque eorum duriter sanantur & mollificantur, mulieribus quoque accidit multus sanguinis menstrui exitus, nec constringitur nisi cum magna difficultate, & frequenter abortiunt, propter multitudinem ægritudinum earum, uiris quoque accidit à uentre sanguinis exitus & hæmorrhoides, & ophtalmia humida, quę cito sanantur, senibus uero in prima senectute cum transeunt quinquaginta annos, accidit paralisis, ꝑpter eorũ catarrhos, & accidit frequenter eis, ꝑpterea

quod

quod sunt eorum capita plena, asma & epilepsia, & accidũt eis febres, in quibus caliditas & frigiditas coniunguntur, & febres longæ hyemales & nocturnæ. Acutę uero febres parum accidunt eis, propterea quod eorum uentres multum resoluũtur, & dissoluitur subtile quod est in ipsorum humoribus. De locis habitabilibus orientalibus, ciuitas quę est ab oriente aperta, & in oppositione posita, est sana & boni aëris, sol enim in principio diei super eam leuatur, & aërem eius clarificat, postea recedit ab ea, aëre iam clarificato, & exufflant super eam uenti subtiles quos permittit eis sol, deinde ipsemet eos sequitur, & conueniunt eorũ motus. De locis habitabilibus occidentalibus in ciuitate quæ ab occidente est discooperta, & est ab oriente cooperta non uenit ad eam sol nisi tarde, & illico cum uenit ad ipsam incipit elongari ab ea, quia non ei appropinquando incedit, nõ ergo eius subtiliat aërem nec exiccat, sed dimittit ipsum humidum, grossum, & si uentos ei mittit, mittit eos ab occidente & in nocte, iudicia ergo ipsarum sunt iudicia ciuitatum humidarum complexionum, caliditatem habentium temperatam, grossam, & nisi esset propter illud quod ex spissitudine prouenit aëris earum natura ueris naturæ similis existeret, sanitas uero in eis minus existit quã in terris orientalibus, cum diminutione multa. Quare qui loca eligit habitabilia cognoscere debet terram ciuitatis, uel loci alterius habitandi, & quomodo eius existit dispositio secundum altitudinem & profunditatem, & discoopertu-ram, aut coperturam & eius aquam & substantiam aquæ ipsius, & quomodo existit secundum sui propalationẽ eius & discoperturam, aut secundum sui occultationem & ipsius profunditatem, & si sit uentis exposita, aut in terra profunda, & debes cognoscere uentos ibi flantes, si sint sani frigidi, & quid ei sit uitium ex maribus, & pelagis, & montibus & mineris. Et debet scire qualis sit terra secundum sanitatem & ægritudinem, & quæ ægritudines illic commorãtibus euenire solent, & debet cognoscere illic commorantium fortitudines, & eorum desideria & digestiuam, & nutrimentorum eorum bonitatem. Et quomodo eius existit structura, & si sit ampla & spaciosa, aut sit introitus angustus, post hoc oportet ut fenestræ & portæ sint orientales & septentrionales, sitque illud unde magis solicitari debet, ut uenti orientales structuras ingredi ualeant, & ut sol ad unumquenque locum intrare queat qui ibi existit, quoniam ipse est qui aërem rectificat, uicinitas quoque aquarum dulcium nobilium currentium multarum mundarum, & quæ in hyeme calefiant & æstate infrigidantur & diuersæ ab eis quæ occultãtur, est res conueniens & adiutorium præbens. De situ uillæ, id est, domus, tam ratione habitatorum quàm fructuum scribit egregię Varro. Villã ædificandam potissimum intra septa uillę habeat aquam, si non quàm proxime, quæ ibi sit nata uel perennis influatur. Si uero aqua non est uiua, cisternæ faciendæ sub tectis, & lacus sub diuo ex altero loco, ut homines ex altero ut pecus uti possint. Dandã operam ut potissimũ sub radice mõtis syluestris uilla ponat̃, ubi pastiones sunt latę, aut ubi uẽti saluberrimi flabũt, quę posita est ad exortus ę qui

noctiales

noctiales apertissima, quod æstate habet umbram, hyeme solem. Si cogaris prope flumen ædificare, curãdum est ne aduersus eum ponas, hyeme enim fit uehementer frigida, & æstate non salubris. Animaduertendum est si iuxta erunt loca palustria, & propter easdem causas, & quia cum arescant crescunt animalia quę dam minuta, quę non possunt oculi cõsequi, & per aëra intus in corpus per os & nares perueniunt, & efficiunt difficiles morbos, item scropha, uitandum est, inquit, ne in eam partem spectet ulla ex qua uëtus grauior afflare solet, ne in conualle caua, sed potius in sublimi loco ędifices, eo quod cum perflatur, si quod est ibi aduersarium facilius discutitur. Propterea locus qui à sole tota die illustratur salubrior est, quia & bestiolæ si quæ prope nascuntur & inferuntur aut flatu aut aritudine cito pereunt. Nimbi repentini ac torrentis fluuij periculo sunt si illis qui in humilibus ac cauis locis ædificia habent. Ob hoc & propter prędonum manus superiora loca tutiora. In uilla facienda stabula bubula quę in hyeme possint esse calidiora. Itẽ cellas in loco plano ubi uasa uinaria & olearia esse possint. Item ubi condantur fructus aridi, ut granum & fœnum in tabulatis. Item ubi uersetur familia prouidendum, ut fessi opere aut frigore aut calore possint commodissime se in quietem recipere. Villici prope ianuam cellam esse oportet, eumq́ scire quis introeat aut exeat noctu, quidúe ferant, præsertim si hostiarius est nemo. Cato scribit, uillam urbanã pro copia ædificato in bono prędio: si bene ædificaueris, libẽtius & sæpius uenies, fundus melior erit & fructus plus capies, si te uicinitas libenter uidebit, opera facilius locabis, operarios facilius conduces.

De curijs siue tumbis in diuersis locis diuersimode faciendis, Cap. VI.

CVriæ siue tumbę faciendę in rure occasione habitationis domini & rusticorum & ad eam fructuum portandorum, & animalium nutriendorum, quadruplex est consideratio: aut enim locus ubi curiam facere cõstituimus situs est inter alios domos uillę, aut est ab eisdem remotus: iterum aut in plano aut in montibus, rursus aut est in loco tuto, aut periculoso positus, siquidem inter alias domos uillę situs est, curia non tanta eget fortitudine & munitione clausurę quia minus est furum insidijs expositus locus talis: & quia proximũ habet uicinorum auxilium, si fuerit necessitas quæpiam. Si uero est ab alijs domibus in loco solitario segregatus, conuenientibus foueis, ripis & sepibus undiq; cingendus est propter oppositas rationes. Quod si est in plano, si quidem nimis depresso per totam curiam terra cumulanda est aliunde, & pluuię in eam cadentes inde possint facile deriuari. Si uero in montibus fuerit, ubi mons foueis aquosis muniri non possit, eligatur locus cui nisi per ordinatum introitum sit asper accessus, ut quę fossarum circuitu muniri non potest, seueritate rupis & altitudine muniatur. Si autem locus est ab impietate inimicorum tutus, tunc sufficit si talibus solummodo ualletur munitionibus quibus à furibus, qui etiam plerunq; pacis insidiantur tempore, securus existat. Et cum in parte periculosa fuerit, si quidem ualde

dem ualde potẽtibus inimicis expositus, tutius erit locum desertum ad tempus relinquere, quã incaute se & sua morti ciuili aut naturali exponere, nisi forte patremfamilias ad fabricam inexpugnabilis castri uel arcis, diuitiarũ moneat multitudo. Si uero beronarij aut debiles inimici partes illas quandoq; intrent & spolient, curia muris aut cõgruo palangato cingatur. Ad quę si domini facultas non sufficit, in uno angulo curię fiat riparum ac foueæ munitio fortis, & super eam ędificetur turris, in qua cum rebus suis se paterfamilias cum colonis tẽpore oportuno recipere possit. Præmissis itaq; iam dictis, considerationibus eligendus est locus curiæ in magis idonea parte agrorum, cuius magnitudo talis esse debebit, quæ proportionabiliter colendarum terrarum mensuræ respondeat. Et in toto circuitu fossarum latitudine designata, tantum infra tumbam quantum est dimidię foueę latitudo undiq; notetur, ibiq; ordine tempore congruo, uidelicet octobris uel nouembris, februarij uel martij, salicum uel populorum, aut ulmorum plantæ quinq; pedibus, uel etiam minus subinuicem æquæ distantes ponantur, deinde foueas persequantur fossores ad interius tumbę terrã uniuersam ponentes, et terram solidam per unum pedem iuxta fossatam uacuam et discoopertam relinquentes, ubi postmodum aliquot ex dictis temporibus spinarum plantę iacentes ponantur, & superducta iterum dicta terra cum uangis & accaronibus, cum secundum formam riparum unum pedem sursum excreuerit, iterum spinarum plantis oppositis super eas terra iterum cumuletur, sicq; agendum est donec ad summitatem ripæ fuerit peruentum. Si uero timeatur de ruina riparum, loco spinarum uel inter ipsas plantas graminis uiridis ponantur radices, sint autem spinarum plantæ tales, quales sunt plantę spinarum. Inde si haberi possunt, ipsæ enim sunt mirabiles ad pungendũ, uel sint spinę albæ, aut pruni syluestres, aut plantę rosarum syluestrium, uel domesticarum albarum, rubus uero licet satis fortem faciat sepem, tamen omnes alias suffocat plantas, cum non magnę existunt, & ideo mihi non multum placet, si possint alię ex prædictis haberi. Plurimum autem cauendum est ne inter prædictas spinarum acies, arborum fructiferarum, aliquæ plantæ ponantur, quia desiderio fructuum homines sepes destruunt, & fossata, ita ut talis curia nunquam poterit clausa teneri. Plantę similiter infructuosæ arboris ibidem natę non procuretur augmetũ, quia eis crescentibus, spinarum dilecta custodia, ex ipsarum arborum umbris et radicibus, aut omnino periret, aut magnam lęsionem sentiret. Pręterea primo & secundo anno eadem spinarũ plantę singulis ęstatis mensibus herbis ibidem natis mundentur, ne ab ipsorum radicibus humore uiolenter attractę plantulę arescere defectu nutrimenti cogantur. Plantę uero salicum, populi uel ulmorum quibus prius dixi esse plantandas, sine dubio in summitate ripę prouenient, quę cum circa se terrę nouę multitudinem habeant, & per earum radices transeant aquæ curię defluentes ad foueas mirabiliter conualescent. Inter quas fieri poterit seps ficta, uel quod melius est statim cumulata ripa, inter eas multitudo spissa plantularum dictarum

ctarum arborum insiguratur. Hęc autem cum conualeant, & incisione atq; plicatura & spissatę fuerint fortem constituunt sepem, seu quasi palangatum quoddam, quod longissimo tempore perdurabit. Stipites uero dictarum arborum primitus palangatarum inter decem pedes in altum eleuare non patiaris, quia ultra modum priuaret curiam, quæ propter salutem habitantium aërem salubrem requirit, solis beneficio & uētorum. Eo excepto quod super quolibet tumbę angulo arborem unam quantum ascendere poterit permittas in altum extolli, quoniam hoc curiam plurimū decorabit, neç pręfatam propter earum paruum numerum inferre poterunt lęsionem. Præterea & duę similiter supra portas dimittantur augeri, ad quorum umbras quiescāt homines tempore magni æstus. His igitur diligēter obseruatis, sine magnis expensis curia fossatis spinarum sepibus & arborum forti munitione præcincta cum laudabili forma & commoda habitantium curia manebit in cacumine montis. Circa domos fiant sepes ex plantis malorum granatorum, hæc enim plantę loca aspera non formidabunt, quia hęc arbustula modico nutrimento contenta est, & sepem constituit spissam & fortem ex multa pullulatione radicum ipsius. Et uolentibus per eam ingredi pungentibus spinis eius uiriliter se opponit. Et nihilominus fructum utilem & decorē singulis annis possessoribus suis præstat. Magnę autem arbores in talibus non conualescunt locis, quia plurimo indigent nutrimento, quod ibi sufficienter haberi non potest ubi terra nimium est saxosa. Veruntamen in locis decliuis montium, ubi est lætum solum, possunt prędictę plantationes & maxime spinarum & ulmorum satis cōuenienter fieri, sed salix & populus in talibus locis non, nisi riuos & sabulum, & terram ualde solutam habeant, non conualescunt ad uotum. Si uero locus tantę frigiditatis existat quod in eo punica arbor uiuere non possit, ex eis claudatur arbustulis aut spinis quæ in regione illa & loco simili experientia indice melius defendantur. De clausura & munitione curiarum quę supra dicta sunt utiliter dixisse sufficiat, de nobilibus autem & mirabilibus munitionibus & tumbis circa curias ex arboribus artificiose faciendis ad librum reseruaui octauum.


De intrinseca dispositione curiæ, Cap. VII.

Curia prędicta intrinsecus disponatur hoc modo: In medio faciei anterioris fiat ingressus in eam, latitudinis in opposita parte decem pedum ad minus, & eiusdem latitudinis in opposita parte fiat egressus, per quē ad aream, uineam, uel agros posteriores eatur. Nam latitudo pręfata sufficit ad currus introitum fœno uel palleis inferēdis. In locis eisdem portę fiant nobiles uel ignobiles, secundum placitum domini, dum tamen ferreis uectibus & clauibus possint in nocte firmari, supra eis uero fiat coopertura uel domus, ut mundior & siccior seruetur introitus, & ne portę pluuijs & ratione temporis breui putrescant. Pars dimidiæ curię, quę est una parte portarum pro domino disponatur, hoc modo uidelicet, quod iuxta uiam quę curiam diuidit fiat domus, quę lōgam

faciem teneat, & ad posterius parum tendat: & quod domus non capit, suppleat sepis alta uel murus. Si autem domus magna uel parua, murata uel tegulis cooperta uel cannis, secundum domini uoluntatem. Et in ea parte iuxta ripas tumbæ pergularum & uuarum genera nobiliora plantentur, quæ tandem octo uel decem pedibus eleuare in altum poterunt, decorumq; facere pergularium super ripas, adhærens arboribus ante dictas, deinde quinq; uel sex pedibus infra curiam circunquaq; humiles plantentur arbustulæ, ueluti ficus & malagranata, si aëris illius qualitas patitur, & mizelæ, & ciconiorum plantę, per medium uero illius loci plantentur aliquæ plantæ, pirorum & malorum uiginti pedibus ad minus distantes, quæ procedente tempore diuersis pirorum & malorum generibus singulis æstatis & autumni mensibus maturandorum cum diligenti industria inserantur, horum enim uitium & arborum fructus domino specialiter reseruandi, propter fortes clausuras erunt à rusticorum uoraci improbitate securi. In eo etiam loco amœnum formabitur uiridarium, & dominicus hortulus, & apium dilecta societas illæsa seruabitur: & turtures, ericij & lepusculi secundum modos quos in locis suis dicam. In alia uero parte dimidia fiat domus & tuguria iuxta ripas circunquaq;, uel duas partes aut unam tantum occupantia, secūdum exigentiam familiæ colonorum & animalium nutriendorum, curia remanente in media expedita. Domus meliores in una parte deputentur habitationi coloni, & aliæ animalibus ea in parte nutriendis. Iuxta domos rusticorum sit puteus, si fons desit, in parte conuenientiori fiat secundum modos & formam consueto modo conseruatas, dum tamen puteus & fossata curiæ à palude letaminis quantum poterit elongetur, ne fossarum aut letaminis humor putridus per occultos terræ ingrediatur meatus. In alio uero curiæ capite iuxta tuguria bestiarum, palus formetur letaminis maturandi, dominica quantum poterit domo remota. Et si tanta sit domorum nobilitas & potentia, quod dedignetur in eadem curia cum suis habitare colonus, poterit cōmode in prædicto loco si dispositio patitur morari custos, qui uulgo castaldio nominatur, & seorsum in alia parte facere suum locum palacijs & turribus ac uiridarijs decoratum, secundum quod eorum nobilitati & potentiæ crediderit conuenire. Doctrinam autem areæ, hordeorum, & cellæ uinariæ ac columbariæ pallarij stabulorum & tuguriorum fœni seruandi suis locis tradenda reseruo.

De puteis

De puteis & fontibus faciendis, & quomodo aqua reperiatur & probetur, Cap. VIII.



Licet puteus optime moretur in curia, ut prædictũ est, tum quandoq; propter communem plurium aquę utilitatem, & aliquando propter commoditatem colonorum. Et quia plurimum aqua nõ inuenitur in curia uel in partibus & locis propinquis, aut inuenitur, sed letaminis liquore inficitur, in cãpis extra curias fieri optatur, quod cum acciderit, prouidendum est hoc modo, ubi aqua in superficie aut nõ multum profunde existit. Itaq; de mense augusti septembris aut octobris fodiendus est puteus, quia ubi aqua his non deerit mensibus, nullum alio tempore habebit defectum. Igitur secundum Palladium ante solis ortum his locis quibus aqua quęrendum est, equaliter pronus, mento ad solum depresso spectabis orientem, & in quo loco subtili nebula crispum aërem surgere uideris, & uelut rorem spergere, scias in siccis locis ibi aquam latere. Sed terrarum genus considerabis, ut possis de tenuitate & abundantia iudicare. Creta nanq; tenues nec optimi saporis uenas creabit. Sabulo solutus, exiles, insuaues, limosas & spacio altiori submersas. Nigra terra humores & stillicidia nõ magna ex imbribus & liquore collecta, sed saporis egregij. Glareæ mediocres & uenas incertas sed suauitate pręcipuas. Sabulo masculus arena & carbunculus certas & ubertate copiosas. In saxo rubeo bonę & abundãtes sunt. Sed prouidendũ est ne inter ruinas inuentæ refugiant. Sub radicibus montium & in silicibus uberes frigidę & salubres: locis campestribus, salsę, graues, tepidæ & insuaues plerunq;, quarum sapor si optimus fuerit, noueris eam sub terris exordium de monte sumpsisse. Sed in medijs campis montanorum fontium suauitatem frequenter æquat, si umbrãtibus tegatur arbustis. Sunt & hæc signa inuestigandæ aquæ, quibus tũc credimus si nec lacuna est, nec aliquis ibi humor ex consuetudine insidet, iuncus tenuis, salix syluatica, alnus, arundo, hædera, cęteraq; quæ humore multum aquosa gignuntur. Locis ergo ubi prędicta reperis signa, pedibus tribus latitudine, altitudine pedũ quinq; fodiatur, & proxime solis occasum uas purum æreum uel plumbeum, interius unctum ponatur, immersum solo fossionis ipsius, tũc super fossam crates facta de uirgulis & frontibus addita terra spacium omne operiatur, sequenti die aperto loco, si in eodem uase sudores inueniantur, aut stillę, aquam ibi esse non dubites. Item si uas figuli siccũ,

nec coctum eadem ratione ponatur, ac similiter operiatur, altero die si aquarum uena proxima fuerit, uas humore concepto soluetur. Item uellus lanę ęque positum & coopertum, si tantum colligit humoris, ut alia die sudet expressum, copiã ibi esse testabitur. Item lucerna oleo plena & incensa ibi similiter tecta ponat᷑, & si secundo die reperiatur extincta, aquas locus idem habebit. Item si in eo loco focum feceris, & terra uaporata humidũ fumum nebulosumq́ iactauerit, aquas ibi fore cognoscas. His ergo repertis, certa signorũ firmante noticia, puteũ fodias, & caput aquę requiras, uel si plura sunt, in unũ colligas, tamen sub radicibus mõtium in septentrionali parte quęrendę sunt aquę, quia in his locis magis abũdant utilioresq́ nascuntur. Sed in fodiendis puteis est cauendũ fossorum periculum, quoniam terra plerunq; allumen, sulphur, & bitumen adducit, quę spiritũ pestis exhalant, & occupatis statim naribus animas torquent, nisi sibi quis fugę uelocitate succurrat. Prius ergo quã descendatur ad infima, in eis locis lucernã ponas accensam, quę si extincta non fuerit, periculũ non timebis. Si uero extinguetur, locus mortifer est cauendus. Fodiendus est ergo puteus latitudinẽ pedũ octo uel septem quaq; uersum, ut binos pedes structura cõcludat, fieri etiam potest latior seu strictior, secundũ quod plures aut pauciores aquam ex eo haurire intendũt, & secundũ multitudinem & paruitatem uenarũ. Si aqua limosa sit, salis admixtione corrigitur, sed dum foditur puteus, si terra non stabit, uitio generis dissoluta, aut humore laxabitur, tabulas obijcies undiq; directas, & eas trãsuersis uectibus sustinebis, ne fodientes ruina concludat. Potest etiam in talibus locis melius sine fossorũ periculo fieri, uidelicet quod fiat ex assidibus rota duplex & fortis ad putei latitudinem, super aquã fiat murus altitudine unius puncti, antequã puteus fodiatur, deinde ipsius fossor cum instrumentis ferreis in medio existens sub muro fodiat, & ipsum usq; ad terre ęqualitatẽ faciat alias ascendere, & iterum tandem murat & fodiat terram & tãdem aquã extrahat, donec puteus sit perfectus. Sed qui in alto sunt putei, perforatis usq; ad infimam partem terris, ad loca inferiora possint uitia fontis exire, si uallis subiecte natura permittat. Aquam uero nouam putei sic probabis in æreo uase nitido sparges, & si maculam non fecerit, probabilis indicabitur. Item decocta æneo uasculo, si arenam uel limum non relinquit in fundo, utilis erit. Item, si legumina cito ualebit excoquere, uel si colore perlucido carens musto & omni labe pollutionis alienę.

De aquæ ductu faciendo, Cap. IX.

CVm uero ducẽda est aqua, ait Palladius, ducatur aut forma structili, aut plumbeis fistulis, aut cannalibus, aut fictilibus tubis. Si per formam structualem solidandus est cannalis, ne per rimas aqua possit elabi, cuius magnitudo pro aquę mensura facienda est. Si per planum ueniet, intra centenos uel sexagenos pedes sensim reclinetur structura sexquipede, ut uim possit habere currẽdi, si quis mons interiectus occurrerit, aut per latera eius aquam ducemus obliquã, aut ad aquę caput speluncas librabimus, per quas structura perueniat.

Sed

Sed si se uallis interserat, erectas pilas uel arcus usq; ad aquę iusta uestigia cōstru emus, aut plumbeis fistulis clausam deijci patiemur, & explicita ualle cōsurgere. Sed quod est salubrius & utilius, fictilibus cōducitur, ut duobus digitis grossi ex parte una reddatur acuti, ut palmi unius spatio in alterum possit intrare, quas iun cturas uiua calce oleo subacta debemus illinire. Sed antequā his cursus aquæ admittatur, fauilla mixta exiguo liquore decurrat, ut glutinare possit, siqua sunt uitia tabularū. Vltima ratio est plumbeis fistulis ducere quę noxias reddūt aquas. Nam cerussa plūbo creatur, quę plurimū corporibus nocet humanis. Diligēter pręterea debemus aquarū receptacula fabricari, ut copiā inops uena procuret.

De Cisternis faciendis, Cap. X.



CVm aqua deest, cisterna, secundum Palladiū, fiat, magnitudie qua dominus delectatur, & quæ sufficit ad aquā omnium conduci possit aqua tectorum, testaceum pauimentū superfusione leuiget. Hoc pauimentū omni cura terendū est ad nitorem, & lardo pingui cocto assidue perfricādum, ne deducto humore riuus in aqua parte fundatur, & ita post diuturnam siccitatē aquę præbeatur hospitiū, in eius medio formetur puteus, deinde circa eum omnis cōcauitas repleatur in fundo de grossis lapidibus fluminum, in medio & de minutis & de sabulo in supremo. ubi autē desunt fluminū lapides, loco eorum fornacis petrę ponantur. In quibusdā autem locis fit pauimentū de quadam creta, quę cum mediocriter est infusa, cōprimitur & calcatur, quod aquam in se positam uel puluerem optime recipit & conseruat. Anguillas sane piscesq; fluuiales in hanc mitti pasciq; cōuenit, ubi eorum natatu aqua stans agilitatē currētis mittet. Rimas & lacunas cisternarū, piscinas, uel puteos sarciemus hoc modo, picis siquidē liquidæ quantū uolueris & tantundē sumes laxungiæ uel sæui tūc in olla utrunq; miscebis & coques donec spumet, deinde remouebis ab igne, cum autē fuerit refrigerata cōmixtio, calcem superadijcies minutatim, & ad unum corpus omnia mixta reuocabis, cumq; uelut stigmentū feceris, inseres locis corruptis ac manantibus, & pressum summa densitate calcabis. In locis pręterea in quibus aquis fluminū utimur, fiant cisternulę, cum quibus clarificentur & limpidę fiant hoc modo, habeat urceus terrę magnus in loco frigido sub sabulo obrutus, supra quē sit uas ligneū uel terreum coopertū, latitudinem quandā habens quod foramen paruū cum canna in medio fundi habeat, per unum digitum in fundo eleuata, supra quā ponatur ciathus, deinde usq; ad mediū sabulo impleatur, in quo postea quotiens uolueris fluminis aqua ponatur, quę in sabulo distil

lata, per cannulam guttatim descendit inferius in urceo in quo utenda seruatur. Quod si maiorem cisternulam habere uolueris, poteris tam inferius qu'am superius receptaculum de marmoribus uel lapidibus, & cemento, aut testaceo pauimento facere secundum formam & magnitudinem tibi gratam.

De materijs domorum, Cap. XI.



CVm supra de domibus & ędificijs mẽtionem fecerim fabricandis, quæ ex materia murorũ & lignorum fiunt, dicamq́ ligna quæ competunt ædificijs, & quæ bona cementa, & quę cõsideratio in fundamentis habenda est. Fundamenta igitur (ut ait Palladius) stabilia et diu durabiliora latiora sint, ex utraque parte semipedis spacio qu'am parietis corpus excrescat. Si solida & constricta inuenietur argilla, quinta uel sexta pars altitudinis eius quę supra terram futura est fundamentis deputet. Quod si terra laxior fuerit, maioris altitudinis obruantur, donec munda sine ruderum suspicione occurrat argilla, quę si omnino desit, quartã mersisse sufficiat. Arena quæ cõprehensa manu ædit stridores erit utilis fabricanti. Item si panno uel linteo cãdido uestis inspersa & excussa nihil maculę relinquit, aut sordis egregia est. Sed si fossibilis arena non fuerit, de fluminibus aut glarea, aut littore colligatur. Marina arena tardius siccatur, & ideo non continue, sed intermissis temporibus construenda est, ne opus corrumpat, camerarũ quoq; tectoria salso humore dissoluit, nam fossiles tectorijs & cameris ex celeri siccitate utiles sunt, meliores'q; si statim cum effossæ fuerint misceantur: sed si necesse sit maris arena erit cõmoda si prius lacuna humoris dulcis immergatur, ut uitium salis aquis suauibus elata deponat. Calcem quoq; albeo saxo uel tiburtino, aut colũbino fluuiali coquemus, in duabus arenæ partibus calcis una miscẽda est, in fluuiali quoq; arena si tertia parte testæ cretæ adddideris operum soliditas mira præstabitur. Iterum si calx & arena ęquali mensura miscentur erit fortissimũ cementum, ex inde cõmixtum. Non est præterea murus faciendus tẽpore magni algoris, quia congelatus dissolueretur postmodum adueniente calore. Tempore mensis nouembris aut decembris fabricarũ materia est cędenda, cum luna decrescit, quia tunc humor corruptibilis corrumpens consumptus est, per præcedentem autumnũ & lunæ ætatẽ, & propter præsens frigus aëris fugit cum calore naturali arboris

ad radices

ad radices ad calidū uentrem terræ. Sed arbores quæ cęduntur usq; ad medullā securibus recisas stare aliquādiu patiaris, ut per eas partes humor siquis in uenis continetur excurrat. Vtiles autem hæc sunt, maxime abies uidelicet, est enim leuis rigida, & in operibus siccis perfecte durabilis. Salix uel latex secundū Palladium utilissima, ex qua si tabulas suffigas in fronte atq; extremitate tectorum, pręsidia contra incendia confert, nec enim flammas recipiunt, aut carbones creant, ut idem ait: Quercus durabilis, si terrenis operibus obruat̄. Rouer optima tam sub terris quàm etiam supra terras. Castanea mire solidata durat in agris tectis & operibus internis. Fagus in sicco utilis, humore corrumpitur. Populus alba & utraq; salix & tilia in sculpturis necessariæ. Alnus fabricis inutilis, sed necessaria si humidus locus fundamentis planandus est. Vlmus & fraxinus si siccentur, rigescunt ante curuabiles. Cipressus egregia. Pinus uel pirus nisi in siccitate non durat. Cedrus durabilis, nisi tāgatur humore. Quęcunq; autē ex parte meridiana cędunt̄ utiliores sunt, quę uero ex septētrione ꝓceriores, sed facile uitiantur.

De officio uillici, Cap. XII.

Villicus disciplina utatur, secundum Varronem, feriæ seruentur, ab alienis manus abstineat, sua diligentissime seruet, litibus familię supersedeat, siquis deliqueris bono modo uidelicet, familia ne sit mala, ne algeat, ne esuriat, opera exerceat, facilius à malo prohibebit, pro beneficio gratiam referat, ut alijs recte facere libeat. Villicus nō sit ambulator, sobrius sit semper. Ad cœnam ne quo eat, familiam exerceat, procuret ut quæ dominus imperat fiant. Ne plus censeat sapere se quàm dominum. Amicos domini habeat sibi amicos. Quod dominus crediderit, erigat, mutuum nemini det, ne quid insciente domino emat, ne quid dominū celauisse uelit, opus rusticum omne ut sciat facere curet, & id faciat sępe, dum ne lassus sit, si fecerit prouocabit familiam exemplo, & illi animo æquiore facient. Si hoc faciet minus libebit ambulare, & ualebit melius, & dormitabit libētius: primus mane surgat, postremus cubitū eat, prius uillam uideat, ut clausa sit, ut quisq; suo loco cubet, & ut iumenta pabulū habeant, boues maxima diligentia curatos habeat. Bubulcis imprimis beneuolus sit, quo libentius boues curent. Aratra uomeresq; faciat, ut boues habeant, pecori & bobus diligenter substernatur, ungulæ curentur, scabiem pecori & iumētis caueat, id ex fame & si impluit fieri solet, opera omnia mature conficiat. Nam res rustica sic est, si unam rem sero feceris, opera omnia sero facies, stramenta si desint frondem ligneam legat, eam substernat ouibus bobusq;. Sterquilinium magnum habere studeat, & per autumnum euehat, & circum oleas ablaqueat, ac fimum addat, frondem populneam, ulmeam, querneamq; per tempus cædat, eam condat, non peraridam pro pabulo ouium. Item fœnum aridum de prato recondat, post imbrem, & autumnalia opera pabulum lupinumq; ferat.

Qualiter paterfamilias debet agrum emere, ac uillici operam & rationem inquirere, Cap. XIII.

CAto scribit, prędium cum comparare cogitabis, sic in animo habeto, uti ne cupide emas, néue opera tua parcas, ne satis habeas semel circuire, quotiens ibis totiens magis placebit, quod bonum erit, uicini quo pacto niteant id animaduertito, & uti eum introëas, circunspicias uti inde exire possis, uti bonum cœlum habeat, ne calamitosum, & si solo bono sua uirtute ualeat. Si poteris sub radice montis, si & in meridiem spectet, in loco frigido, loco salubri, operariorum sit copia, si & bonum aquarium, opidum ualidum prope sit. In his agris qui non sæpe dominos mutant, qui in his agris prædia uendiderunt quos pigeat uēdidisse, uti bene ędificatū sit. Caueto ne alienam disciplinā temere contemnes, à domino bono colono bonóq; ædificatore melius emetur. Ad uillam cum uenies uideto uasa & torcularia, & dolia, si multa sint, ubi non erūt scito pro ratione fructuum esse instrumenta, multa uel pauca sint, uideto sumptuosúsq; ager ne sit. Paterfamilias cum ad uillam uenit fundum ea die si potest circumeat uel die sequenti, ut cognoscat quomodo fundus cultus sit operaq; facta infectáq; sint. Postea uillicum uocet ac interroget, quid operis factum sit, & quid restat, satis ne tempestiue opera sint confecta, possitq; quæ reliqua sint conficere, & quid factum uini sit, frumenti, aliarumq; omnium, ubi ea cognouerit rationem inire oportet operarum, dierum, si opus non appareat. Dicit uillicus se dolo caruisse, se non ualuisse, tempestates malas fuisse, seruos aufugisse, ubi eas multas causas dixit, ad rationem operum operarumq; uillicum reuoca. Cum tempestates & pluuiæ fuerint, quæ operæ per imbrem fieri potuerint, dolia lauari, picari, uillam purgari, frumentum transferri, stercus foras efferri, sterquilinium fieri, semen purgari, funes sarciri, nouas fieri, cētones, cuculiones familiā sibi potuisse fossas ueteres tergeri, uiam publicam muniri, uepres recidi, hortum fodi, pratum purgari, uirgas uinciri, spinas trūcari, cum serui ægrotauerint, cibaria tanta dari nō potuisse: quæ opera reliqua sint curent, ut perficiantur, si quid desit in annum, ut paretur, quæ supersint, ut ueneant, quæ opus sint locari, ut locentur, & quę opera fieri, & quę locari, ut imperet, & ea scripta relinquat, pecus omne consideret, oleum, uinum, frumentum & quicquid supersit uendat, boues, uitulos, armenta, oues, lanam, pelles, palustrum uetus, seruū senem & morbosum uendat, patrem enim familias uendacem non emacem esse oportet. Item quæ pertinent ad sationem suo quoq; tempore promenda, id est, manifestanda sunt, quæ uendenda uidendū, ea enim quæ seruari non possunt tunc uendat cum caritas est, antequam se commutent celeriter promat, & uendat, Sæpe etiam diutius seruata non modo usuram adijciunt, sed etiam fructum duplicant, si expectato congruo tempore promat.

LIBER SECVNDVS DE NATVRA PLATARVM, ET de rebus communibus cultui cuiuslibet generis agrorum.



VM in superiori libro de his quæ necessaria sunt saluti habitantium rura, quædam utilia scripserim, consequenter de ipsorum operationibus in uillis agendis dicendum est. Verum quia ruris exercitia uariantur secundum uarietatem plantarum, locorum & temporum, quorum diuersitas sine noticia naturæ plantarum partiumq́; ipsarum, eorum etiam quæ plantis necessaria sunt, perfecte cognosci non potest, de his in hoc loco secundo agendum est. Et quia quædam sunt communia cultui cuiuslibet generis agrorum, de his etiam in eodem libro dicetur: dicam itaq; de his in primis quæ omni plantę conueniunt secundum generationis principia.

De his quæ omni plantæ conueniunt secundum generationis principia, Cap. 1.



IN plantarū generatione sunt septem, sine quibus nulla omnino nascit̃ planta, calor uidelicet cœlestis circuli, qui est primum & uiuificum principiū plātarum, secundum est autem conueniens calor loci, quia si in loco nō sit uirtus frigoris mortificatiua, suscipiet uirtutem caloris cœlestis circuli. Similiter autem si locus sit uehementer adustus, erit heremus arenarum & eius quod uocatur mortuum sabulum, eo quod non est talis locus susceptiuus cœlestis uirtutis plantas uiuificātis. Tertium autem est calor, qui materiæ seminali, quæcunque illa sit, inhæret: quia sine illo aut non est receptiua caloris uiuifici, aut receptum euanesceret: & nunquam formaretur ex ipsa plantarum aliqua secundum euaporationem. Probant aūt hęc opera rustificationis, quoniā in quibusdā plantis cum primo formant̃ & sunt tenellæ, umbracula oportet fieri, ut calore solis non euanescāt, sicut quādo ex seminibus pullulāt cipressi uel ficus. Tria autem sunt ministrantia substantialem materiam, quorū primū est humor naturalis inhærēs ei quod formatur in plantę speciē, qui primū spirando

pullulat

pullulat sursum & erumpit ad terræ superficiem, qui cum pullulat emacuat ab inferiori materiam humoris, totam substantiam humoris formans instrumenta plantulæ, & inferius ad radicem in radicem: Destituta autem uirtus caloris subiecto, attrahit humorem locis, & iste est secundus humor ministrans conceptæ plantæ nutrimentum, sicut ministrat matrix sanguinē menstruum in cōceptione & formatione animalium. Tertius est autem humor pluuiarū & roris & niuium desuper uenientium, qui se habet ad plantas, sicut humidum nutrimentale ex cibis sumptum in animalibus: & ideo humidum hoc desideratur à plantis iam formatis, & ad speciem iam deductis sicut cibus desideratur ab anima natis animalibus. Septimum autē quod exigitur est aër conueniens extrinsecus, ille enim conseruat si bonus est, aut corrumpit, si malus est, plantas: & ideo uenti urentes, & pluuię mortificantes, lædunt & destruunt plantas, ab aëre autem tēperato proportionabiliter conualescunt & fructificāt. Amplius autem arbor in genere suo est calida & humida, & calor quidē aperit meatum & impellit humidum, humidum autē abundās sufficienter ministrat materiā ei, ideo statim exurgit in stipitē & auget illam & roborat, & emittit ramos multos & in ramos plurimas uirgas.

De diuersitate generis plantarum, Cap. II.

Considerandum est principaliter de diursitate generationis plantarum, ex diuersitate generationis eius fere scietur tota natura plātarum. Et de hac quidem diuersitate ab antiquis ferè nihil amplius inuenitur, quam quod dixit Aristoteles quod arborum scilicet & plantarum quædam generantur plantatæ, quædam ex semine, & quædam per seipsas, ex ipsorum elementorum commixtione & uirtute cœlesti, quæ tali commixtioni uitam influit uegetabilem, & ea quę plantatis aut à radice nata euellitur, aut à stipite aut à ramis aut à semine nata transfertur de loco ad locum, sed hoc proprie non est plantatio, sed transplantatio dicitur: & istę quę sic transplantantur quędam propter duriciem suæ substantiæ aliquantulum contunduntur & scinduntur inferius ubi infigūtur terræ, ut facilius & citius trahant nutrimentum. Atq; etiam quæ secundum partem aliquam plantantur in terra, sicut fit de uite salice, & buxo: freqnentius quædam plantantur in aliam arborem, & hęc plantatio uocatur insitio. Quod autem in generatione plantę ualde nobis occurrit, est quod plantarum quędam ex semine habent generationem, quæ nec producunt semen simile illi semini ex quo habent generationem: quædam faciunt semen melius, & quædam peius: aliquando enim quibusdam malis seminibus bonę arbores proueniunt, ut ab amygdalis amaris & acerbis aliquando fiunt dulcia, & aliquando contra, & similiter à malisgranatis siue punicis accidit, aliquando fiunt dulcia & aliquando è conuerso. Quarundam autem plantarum semen cum debile fuerit aut ex loco aut ex aëre, tempore inconuenienti deficit. Et illarum generatio in tali loco non est ex semine, sed ex aliqua alia planta, siue ramorum siue radicis, & hoc pręcipue est in pineis

pineis & palmis, ficubus & malisgranatis, & similiter in omni abietū natura, nulla enim illarum semen facit tantæ efficaciæ per quod pullulare faciat, nisi raro: nam ex semine palma quandoq; pullulat & cipressus, & maxime palma si plura semina simul cōiungantur, ex uno enim simplici semine raro pullulat, sed cipressus & maxime ficus pullulant ex uno grano seminato ad modum herbę primum conualescens paulatim. Non autem de facili fit quod ex semine malo proueniāt bona planta, nec è conuerso, licet aliquando hoc fiat: sed in animali hoc contingit multotiens, propter diuersitatem enim hatationum aëris, & uentorum, & nutrimenti, cum animal sit facilis alterationis frequenter fit quod semen malę complexionati animalis alteratur, & fit melius, & benę complexionati alteratur, & fit peius, & animal generatum fit secundum seminis ex quo generatur dispositionem, uel peius uel melius. cuius signum est quod omnia domestica animalia uidemus ualde differentia inter quantitatem & colorem, quod non accidit eis, nisi propter sui nutrimēti multam diuersitatem, & stabulorum, & aliorum locorum in quibus cōuersantur, propter quod etiam carnes earum in sapore diuersificantur à carnibus animalium syluestrium. Talis enim diuersitas in plantis non est, aut tanta non est, quia radicibus terrę affixę sunt, & neq; loca mutāt neq; nutrimēta.

De substantia & origine & generatione plantarum, Cap. III.

Locus in quo oritur planta est sicut matrix in animalibus, & succus siue humor in tali loco præparatus & attractus est sicut sanguis menstruus in matricibus animalium, uis autem cœlestis in eis est, sicut uirtus indistincta & non determinata ad speciem, quæ quantum ad plantæ naturam sufficienter determinatur & distinguitur, per qualitatem elementorum & modum commixtionis eorum in materia seminis plantæ. Opera autem plantæ, secundum quod planta est, sunt tria, scilicet uti alimento, & augere & generare. Vtuntur alimento siue trahunt ipsum tantum purum conueniens & simile sibi, & hoc totum est conuertibile in substantiam membrorum, & ideo non habent uentres, & uenas, sed tantum poros, & terra est eis pro uentre, & in qua dimittunt utranque impuritatem siccam uidelicet & humidam, & hæc est causa quod radices infigant ori suo similes in terram, ex qua sicut ex stomacho sugunt nutrimētum, & dirigunt radices deorsum maiores plantæ omnes ubi terrę calor melius commiscet & dirigit nutrimentum: & si aliquæ plantæ magnæ in superficie spargunt radices & non in profundum dirigunt, cito arescunt, quia nutrimētum quod est in superficie terræ euanescit ab eis in fumum per calorem solis: & non cogitur spirare in radicibus eorum per loci continentiam. Augere autem ipsarum plantarum, dicunt quidam esse in infinitum, asserentes plantā augeri quandiu radicitus terrę adhęret, quibus non est consentiendū, quia certū est, omniū natura cōstantiū esse quantitatē determinatā inter duos terminos maximi in suo genere & minimi.

minimi. Habent enim ſicut egregie dicit Ariſtoteles omnia rationem magnitudinis & augmenti: licet enim ex nutrimentali formentur & augeantur humido plantę, tamen pars cui facienda eſt additio tantum adduratur proceſſu temporis ut extendi non poſſit, & tunc conſtat augmentum in longum, & tandem ex eadem cauſa ſtabit etiam ad alios duos diametros, qui ſunt in latum & profundum. De operatione autem generationis plantarum hic ſolum dicitur, quod ſugēdo per poros habent nutrimētum, & de eo quod extrinſecus in gemmis eleuatur à ſpiritu egrediente formant omne quod gignunt.

De diuiſione plantarum per ſuas partes, Cap. IIII.

CONſequenter autem de partibus uegetabilibus plātarum determinandum eſt, & de his quę accidūt eis à natura, & non ex cultu, de fructibus enim & cultu dicetur poſterius. Oportet autem ſcire, quod ſicut in animalibus ita in plantis, quoddam eſt quod eſt potentia, & ea pars plantę uocatur ſuccus, & quoddam eſt quod eſt pars plantę actu, ſicut radix, ſtipes, ramus & huiuſmodi. Eſt autem ſuccus humor per poros radicis attractus, & ad nutriendam totam plantam quę per partes plantę à uirtute nutritiua diſtribuitur, neceſſe eſt igitur, quod ad plantę ſimilitudinem calore digeſtiuo, per digeſtionem ad ſimilitudinem complexionis eius membri uel partis quę nutritur alteratum eſt, ex his autem neceſſario relinquitur, quod humor cibalis plantę magis ſit inſipidus in radice, ſecundū quod magis & magis à radice procedit, ſic plus & plus accipit saporē plantę conuenientē, ſicut aūt accipit ſaporem, ita etiā accipit in ſpiſſationem, ſubtiliationem, & acumen. Ex actione enim caloris in ipſum neceſſe eſt hęc omnia euenire circa ipſum, niſi per accidēs impediatur, ut infra docebitur. Et in quibuſdam quidem plantis calore exhalante plurimum humidum remanet, terreſtre, uiſcoſum, lucidum, propter multam eius materiæ naturam in ipſo, & eſt odoriferum propter actionem caloris in ipſo, eo quidem quod conuenienter digeſtum eſt aromaticum eſt: quod autem corruptum eſt fœtidum & humidum. Quando calore aperiente parum ſtillat, frigiditate aëris exiccatur, & uocatur gummi: aliquando etiam diſtillat per uulnus factum ferro in plantam, & tunc etiam gummi uocatur, ſed non eſt tantæ uirtutis, ut prædictum. Partes autem quę actu ſunt partes plantæ diuiduntur in duo genera, quædam enim ſunt ad membra ſicut officialia in animalibus, quædam autem ſunt ſimilia, nodi enim & iuncturæ & uiæ per modum uenarum extenſę & radices ſunt, ſicut membra officialia, & nutrimentri officio deſeruientia, ſed lignum in habentibus lignum eſt caro cibalis: in non habentibus lignum eſt ſicut membrum ſimile in animalibus, cortex autem ſicut pellis in animalibus, & ad hunc modum eſt de cæteris partibus plantæ, ſed nodus ille qui uocatur malleolus eſt factus à natura, ut in ipſo ſtet ſuccus, & ampliorem accipiat digeſtionem: cuius ſignum eſt, quia ſi in ramo ſylueſtris arboris fiat inciſio ultra mediū, ita quod medulla ſit abſciſſa, & poſtea ligatus cō

ſolidetur,

solidetur, temperabitur malitia fructuum, & melior redditur sapor eorum. Causa autem est, quod ibidem retortũ porum inueniens nutrimentũ ascendens per truncum, stat & diutius digestũ in meliores digeritur, & transformatur fructus. Huiusmodi autem nodos habent præcipue in plantis eæ quæ raræ sunt substantiæ, & habent magnas medullas, aut in toto sunt concaue, & cum hoc sunt ualde longæ sicut est uitis & uiticella, & cucurbita, & arundo, & genera frugum, triticum & siligo, hordeum & auena, & alia huiusmodi. Radices tamen habent plantæ ori similes, quantum ad tractum nutrimenti, habent tamen quãtum ad alium modum similitudinem & effectum cordis radices plantarum, quoniam cor nutrimento attracto primum infundit calorem uiuificũ, per quem ad membra moueri incipit, & hoc facit radix in plantis, quoniam ex radice datur eis calor & forma uitæ potentialis, per quam ad omnes partes plantæ naturali motu mouetur. Sunt plantæ uoraces dictæ, & abstinentes dictæ, & propter suarum radicum dispositiones contrarias, raras enim & porosas, & calidas habentes radices multũ trahunt de nutrimento, plus autem quam conuerti possit & terminari à natura arboris, & tũc arbor generabit fructus uermiculosos, & putrescentes si non exudet, uel aliter emittat superfluum humidum. In iuuentute autem plantarum hoc maxime accidit propter calorem iuuentutis earum. Aliquando autem curantur ex hoc quod perforantur iuxta radicem, ibi enim exit superfluum humidum, sicut per phlebotomiam. Si autem plantæ calidæ & raræ radices sint in terra sicca in qua pluit raro, & in qua cadit cum impetu multa pluuia, sicut est terra climatis secundi & tertij, & forte quarti, pro aliqua sui parte trahitur radix plantę multis uicibus interpolatis ex abundantia pluuię multum nutrimentum, quod antequam alia pluuia superueniat trahitur ad partes superiores, & completa digestione perficitur, & ideo tales in talibus locis plantę sępius forte florent, & fructus emittunt. Et hæc est causa, quare in terra Maurorũ sæpe florent arbores in uno anno, fit autem hoc in nostris climatibus, licet non producant plantæ nostræ nisi paucos flores, quando post æstatem humidam sequitur autumnus ualde calidus & siccus. Sunt autem quædam plantæ humidę, aquosæ, molles, & quocunq; modo infigantur terræ de facili radices emittunt & conualescunt. Hoc autem faciunt & quædam duræ propter similitudinem ligni radicis plantæ corporis, sicut buxus, cuius ramus in terram infixus de facili conualescit, in quibus autem hoc non fit, causa est quod destituitur lignum nutrimento, antequam ex se formare possit radices, eo quod aut porosum non est, aut non habet calorem sufficienter trahentem, & ideo arescit antequam ex se emittere possit radices, & ideo quæcunq; calidæ sunt ramis infixis in terra conualescũt, sicut buxus, & sauina, & multę aliæ. Et iterum si molles sunt tactu, ab humore terrę nutriuntur, & implentur, & conualcesunt, sicus salix, & tilia, quęcunq; autem neutram habent dispositionem harum, frequenter arescunt, quando rami earum terre infigũtur. Vena autem in planta proprie loquendo non est, sed nec secundũ multam manifestam si-

militudinem habent, sed uiæ nutrimenti dicuntur uenæ eius, quę aliquando sunt directe ascendentes, & tunc crescit planta quasi per quasdam tunicas herbales uel ligneas, quarum una supponitur alteri: quæ aliquando sunt tortuosę, & tunc efficitur planta nodosa, aliquando autem diffundūtur articulatim in plantam, & per uias directas nutrimentum trahitur, & per transuersas detinetur, & reprimitur in partes plantæ nutrimentū: ueniunt autem uię istę aliquando à radice ascendentes, aliquando ex medulla ad exteriora plantę, sicut lineę multę productę ab eodem centro, talis est igitur dispositio uenarum in planta. Medullę autem plantarum uidētur esse sicut nucha in animalibus, & per medullam arboris decurrit, & pulsat plus de spiritu plantę quā per aliquam aliarum uiarum, & in ea est uigor spiritualis plantę, quia aliter partes stantes à radice non bęne uiuificarent̃ ad formam speciei plantę, & ideo plantę habent ortum & principiū ramorum qui oriuntur à corporibus plantarum à medulla, quasi ex uicario radicis, sed quādo ligna scinduntur per ariditatem profundatur frequenter scissura continue usq; ad medullam & ultra, & nō inuenitur profunditati scissura nisi raro. Plantę aūt quæ nutriuntur ex medulla per poros trāsuersales habent medullas maiores, & quæ nutriuntur per poros directe ascendentes habent medullas minores, quandoq; non uidentur medullas habere quando magnę efficiuntur: propter hoc quod ligneę tunicę arctatę per alias circum uestientes comprimūt & quasi insensibilem faciunt uiam medullarum. Et probabile est quod hoc sit una causa corruptionis magnarum plantarum interius, suffocatio uidelicet spiritus uitalis in medulla inclusi, per hoc quod constringit̃ per circumstans induratum & constrictū lignū. Ipsa autem substantia medullæ uidetur esse sicut purgamentum quoddam cholericum, quod proijcitur de naribus animalium, & hoc fit propter calorem spiritus & motum qui pulsat in medulla, cuius signum est quod ferè omnes medullæ plantarum perfectarum inueniuntur à principio iuuentutis plantę eorum albæ, humidę, & in processu ætatis declinant ad acuitatem & siccitatē. Sunt autē plantę quædam ferè totam substātiam habentes medullosam sicut sambucus, ebulus & huiusmodi, & omnes illę nodos habēt multos, & nutriunt̃ ex medulla, & ideo est multum de medulla in eis: & in hoc genere est uitis, sed minus est medullosa quā sambucus uel ebulus, Aliâs autem experimur plantas in toto cōcauas, sicut fistulas quasdam & calamos: & hoc fit ideo, quia illę multum indigent spiritu fumoso libero, qui eleuatur in concauo plantarum illo ex nutrimento quod ascendit per directos poros laterum plantæ, sicut arundo & calamorum genus & huiusmodi. Hęc igitur est dispositio medullarum. Cortices in plantis sunt sicut coria in animalibus, nisi quod adeò non cohęrent plantis quemadmodum coria in animalibus & sicut in animalibus pars corij cum est excoriata seu abscisa non recrescit sine magna animalis cicatrice, sed scisse per longū & latum pellis cito consolidatur, ita est in corticibus plantarum: propter quod exiccantur plantæ frequenter quando in stipitibus in circuitu cortices ab eis abradant̃ usq; ad carnem

plantæ

plantę ligneam uel herbalem: non est autem cortex ex cõtextione uenarũ, sicut cornu animalis, sed substantia corticis generatur ex terrestri plantę expulso ad superficiem ipsius. Est autem cortex duorum modorum, scilicet interior & exterior, interior mollior, exterior durior & asperior.

De diuersitate naturalium & simplicium partium plantæ & de causa augmenti eius.

SIcut autem in animalibus interreticulationes uenarum & neruorum sunt supplementa partium simplicium, quę sunt carnes, uel ea quę sunt in loco carnium non habentibus carnes, ita sunt in plantis ligneæ partes uel herbales, quæ simplices sunt & materiales, eo quod influunt per nutrimentum, & effluunt per exiccationem plãtarum ad modum lanæ longæ candide, & quibus auctis augeatur planta, & quibus desiccatis & diminutis planta uidetur exiccari & diminui. Et talia proprie dicuntur partes simplices in plantis, & naturales eo quod influunt per nutrimentum & effluunt per exiccationem plantarũ: aut materialia supplementa sicut materia in animalibus. Hoc autem quædam cõmuni & usitata anatomia cognoscit in urtica maiore, canapo & lino, & multis alijs quę uias uenales habent multum fortes & uiscosas & directas: & quando aqua cõputruit in eis & caro materialis & postea exiccatur & comminuitur & confricatur & recedit, & remanent uenæ illarum plãtarum ad modum longæ lanæ candide, & molles propter uiscosum substantiale quod est in eis, & fiunt ex eis panni. Et hic est modus quem habebant antiqui philosophi in corporibus hominũ & alirum animalium, quos ligabant contra ictum aquæ uehemẽtis, & tuc abluta carne naturali & molliori, remanet reticulum ex neruis & uenis, demonstratur modus diuisionis earum in corporibus animalium. Sicut autem est in urtica, canapo & lino, ita etiam est absq; dubio in alijs plantis, licet materiale nonn possit ita ab officialibus partibus separari in eis. Pars autem non simplex in planta dicitur esse quæ ex pluribus simplicibus est composita, sicut radix, ramus, & huiusmodi. Plãta dicitur, à Platone esse figura omnis uniuersi, radices enim habet subtus ori similes, sed dilatantur undiq;, ut nutrimentum accipiant, & ideo dilatatur planta inferius, superius uero dilatatur propter ramorum infusionem, qui multiplicantur ex duabus causis, quarum una est materialis, scilicet nutrimenti abundantia, altera autem efficiens quæ est calor solis undiq; exterius tangens arborem, & ebullire faciens succum & euocans ad exterius, & ideo erumpit in ramorum multitudinem, in superioribus ubi magis constringitur, & per digestionem amplius subtiliatur. Huiusmodi signum est, quod plantæ quæ circumseptæ sunt multis alijs plantis, sicut arbores in nemoribus spissis & umbrosis crescunt in altũ & non multiplicantur in eis rami nec non multum ingrossantur eorum stipites, & carentia quædam ramorum est, eo quod per calorem solis non potest in eis euocari & ebullire succus ad superficiem, sed potius frigus umbræ concludit calorem interius, qui intus multiplicatus ex fuga contrarij eleuat totum nutrimentum in al-

tum. Et cum motus frigoris sit ad centrum, quotiens motus solis à centro nutrimentum expellit ad circũferentiam ut impinguetur & dilatetur stipes, totiens reflectitur à frigore loci umbrosi in se nutrimentum, & impedit stipitis in grossationem fieri.

De generatione & natura foliorum, florum & fructus, Cap. V.

DIco ita quod folij in omnibus plantis materia est, humor aquosus, non bene à fece terrestritatis digestus & purgatus, aliquantulũ passus & cõmixtus. Finalis autem intentio foliorum est ad fructuum cooperimentum, eo quod natura purgatione indigeat à superfluitate humidi aquosi, & cum sit sagax & ingeniosa eodem purgamento utitur ad fructuum defensionem. Materia autem tam foliorum quàm fructuũ est, quoniam duo uapores sunt in genere, tam in uentre plantæ quã in alijs uaporibus omnibus, uapor scilicet humidus & aquosus, & uapor siccus & uentosus: uapor humidus est materia fructuũ, propter quod etiam fructus secundũ genus suum uentosi esse iudicãtur, licet autem folium per umbram temperatam restringat solis arsuram, tamen quia fructus indiget multa ui solis, producitur folium aliquantulum distans, ut non obstet digestioni quæ fit per solem. Florum autem substantia generaliter est facta ex humido subtiliori, quod calore primo ebullit, & propter abundantiam quæ est in ipso dilatatur ad modum folij, ideo tamen quia humidum habet magis digestum flos naturaliter est odoris boni, quod nullo modo esset nisi humidum optime digestũ & subtile haberet, sicut & terrestre, & quod in ipso est subtilissimum est & ualde commixtum cum humido. Cum enim ex uapore terrestri uentoso creatio sit fructuum, est in ipso uapore subtilius aliquid, & humidius, & minoris terrestritatis quod non de facili constat & inspissatur calido digestiuo, & hoc tamen fit magis uaporabile quàm residuum eiusdem quod est in substãtia plantæ in loco gemmę in quo erumpit fructus, primo calore statim erumpit & formatur in florem. Propter quod adhæret flori ros, qui mel producit & ceram, & hoc inuenimus in interioribus florum profundo, quia natura format subtile humidum, quod passum est à subtili & bene commixto sicco fluit ex ipso subtile & bene coctũ quoddam humidum, aut per modum quandoq; dulcis phlegmatis in creatione humorum in animalibus constat. Ergo quod florum substantia sit ex subtili aquoso terreoq; subtilitate sua potius formabile est in figuram florum quam in grossitiem fructuum: & ideo primo calore ueris flores erumpunt propter subtilitatem substantiæ suæ materialis, & facilius læduntur à frigore quàm folia & fructus propter eandem causam, & sunt multum redolentes propter subtile humidum quod à sicco conuenienter passum est, & quasi spiritualiter ita resoluitur in ipsorum substãtia. Et humidum foliorũ magis grossę aquę indigestę est, & humidum fructũ in principio sui magis est stipticũ & terrestre, indigens multa digestione, propter quod ultimo completur post folia & flores, amplius cum fructus cadũt & germinant

non tra-

non trahunt augmentum uel nutrimentum à carne illa, sed à terra, cuius signum est, quod cum aufertur tota caro circumposita melius germinant semina quàm quando eis remanet. Præterea nutrimentum fructuum putrescit facile, eò quod natura non excogitauit illud, nisi ut putrescat, completo semine, & cadens in loco seminis fimet, & infundat lutum, in quo semen facilius cōualescat, cuius signū est opus rusticorum, cum enim uites feraces uolunt facere, fimant eas ex pampinis & acinis, quæ colligūt ex ipsa eadē uinea cuius uites feraces esse cupiūt. Hec etiam considerantur in operibus naturæ, si enim caro fructus ad fœcūditatem seminis non confert, cum natura nonnūquam deficiat necessarijs, proculdubio separaret semina per cessuram & aperturam à carne fructuū cadentium: & huius contrarium uidemus in naturæ opere, oportet enim quod fimatio terræ quæ fit per putridam carnem fructus ad fœcunditatem seminis eiusdem operetur, contigit autem frequentius deperire fructum quàm florem ex aliqua trium causarū: aliquando enim magnæ sunt plantæ, & humidū ponunt ad nutrimentum ex quo formandus erat fructus, sed subtile quod transit in florem non est incorporabile plantæ, & tunc perit fructus & non flos, aliquando autem non ita cito potest moueri grossum & uinci, sicut subtile humidum, & tunc secundo, tertio, uel quarto anno fructificant, licet omni anno floreant, aliquando autem non potest ita tantum attrahere propter duritiem suarum radicum, & tunc forte non attrahunt sufficiens nutrimentū fructibus, nisi per duos annos, uel tres, & quando congregatum fuerit in planta sufficiens nutrimentum tunc fructificat & non in alijs annis. In oleis igitur pinguibus tale est iudicium, sicut diximus: sed oleæ sæpe priuantur fructu, eò quod ad fructū eius multus humor & pinguis exigitur, & multus calor digerens, & ideo ex dictis causis frequenter impeditur.

De unitione & diuisione plantarum, Cap. VI.

Est autem unus modus unitionis qui fit per insitionem, in qua plāta unitur plantæ, sicut stipes radici, & sicut ramus stipiti, & continuatur cum ipsa, ita quod per omnia efficiunt̄ eiusdem ligni & nutrimenti, cum tamen sint eiusdem speciei, aut forte eiusdem generis quando fit insitio. Et planta quæ inseritur tantum trahit nutrimentum ab ea cui inserta est, quod inferius cui fit insitio natura sua nihil producit nisi radices, superius autem neq; ramos emittit, neque surculos nisi raro, digeritur tamen succus ad naturam & modum insitæ, & non eius cui inseritur. Et ex hoc scimus in arbore duas esse digestiones, licet ad inuicem sint satis similes, quarum una est in radice, & altera in stipite & ramis, quia probabile est meliorem esse insitionē inferiorem quā superiorem, & quanto magis fiat inferius tanto magis fructū & saporē eius immutari & domesticari, quanto uero fiat altius tāto minus, quia maior est immutationis uirtus in toto quàm in parte, & maior in maiore parte corporis quàm in minori: & quod his mirabilius est, caro fructus est secundū naturā & uirtutē digestiōis stipitis, et sapor nuclei &

uigor est secundum naturam & uirtutem radicis: cuius causa est quod pulpa carnis fructuum est de proximo fluens, substantia autem nuclei non potest de proximo fluere, sed de ea parte quæ est loco cordis plantę, ex cuius uirtute tota arbor informatur, & hæc est radix. Similiter est autem in seminibus animalium, quę ex maxima parte abscinduntur de cerebris animalium & attrahuntur, ut distillantia per totum corpus uirtutem corporis totins accipiant: sicut enim & nuclei trahunt à primo membro arboris, ut accipiant uirtutem totius, & maxime radicis quæ est uirtutem tribuens toti corpori plantarum. Dubitatur quare in animalibus diuisa non conualescunt, diuisorum autem in plantis utrunq; conualescit solutio, quod uidelicet planta propter similitudinem suarum partium undiq; sicut per os quod fugit nutrimentū & in se quasi in uētre & uenis digeritur, ideo conualescere potest, sed in animalibus quamuis habeant in multis similia corpora, & ideo diuisa in utraq; parte retineant sensum & motū, tamen quædam organa diuisa à reliquo corpore habent formam sicut os, & ideo quæcunq; partes illis destituuntur cōualescere non possunt, eò quod nec nutrimentum possunt fugere, nec ad cōgruitatem sui corporis digerere sine illis. In diuisione autem ista magis laceratu conualescunt, nisi sint ualde rarę substantiæ, sicut uitis & salix. quia cum laceratur ad inferius ramusculis, retinet meatus apertos & uias integras uersus nutrimentum, & ideo statim ut uię illę ad nutrimentum attingunt incipiunt suggere, & cōualescit planta, cum autem secatur uel insciditur, tunc pori dirigunt, ut punctum unum ad nutrimentū & non per longitudinem aliam nutrimentū infigunt, & in ipsa sectione totum corpus plantę concutitur, & ipsi pori artant per collisionem & cōpressionem impetus secantis, & ideo frequenter arescūt incisi, pręter uitem & salicem quę sunt rarę substantię. Sed tamen magis cōualescit ex transuerso aliquantulū longo uulnere abscisus ramus, quā directe abscisus circulariter, & hoc contingit ut dixi, quia poros plures tunc apertos habebit uersus nutrimentū, quando ex transuerso secat, quàm quādo ex directo. Cuius signum est quod quando diuidūtur radices antiquorū arborum secundū longitudinem melius fructificant, eò quod per totam longitudinis diuisionem per poros fit attractus nutrimenti, si autem ex directo secetur in profundū nihil omnino cōfert, & potius nocebit, tantū quod arescunt arbores illæ. Atq; & huius alia ratio est, quod longitudo diuisa non impedit cursum nutrimenti, sed latitudo diuisa statim cursum & uiam nutrimēti intercipit & impedit, & ideo scissura in arboribus per longitudinem facta, nihil omnino in sapore, & figura uariat fructus, quando fuerit sanata. Si autem diuidantur ultra medullam quę in medio est ramusculorū & consolidentur, statim uariabuntur fructus & sapor eorum propter diuisionem quæ contingit propter impedimentum nutrimenti, quod fit in nodositate quæ nascitur ex hoc secundum latitudinem diuisa planta, & ideo diuisio secundum latitudinem est quidam nodus insitionis, & non diuisio in longū, sicut ostendemus in sequentibus. Prętereaplantis per abscisionem & restitutionem partium orga-

nicum

nicum redditur continue iuuentus, contigit autem aliquam partem amittere radicem & pullulabit ex stipite alia radix, & nutriet ramos, aut omnes, aut aliquos, & pullulabit ex radicibus stipitis & rami: & similiter contingit amittere & recuperare ramos, ut omnes, aut aliquos.

De transmutatione unius plantæ in aliam, Cap. VII.

VNus modus transmutationis est, quod raro potest præscidi sylua quercina completorũ lignorum & magnorũ, quod recrescat in eadem specie, nam pręscisis arboribus prędictis recrescũt arbores quę tremulę dicuntur, & arbores quę dicuntur miricę in partibus Germanię, quæ sunt maioris ignobilitatis quàm primę fuerint. Causa autem huius est quod radices uetustarũ arborum solidę & durę sunt, & clausorũ pororũ, nec ualẽt ultra pullulare, postquam stipites arborũ stantium super eas pręcisę fuerint: putrescunt igitur, & calor exhalans ex ipsis & secum trahens humidũ, efficitur maturus plantę alterius speciei: & quia destitutus est à uigore arboris anterioris, pullulabit in arborem ignobilẽ, & aliquando non pullulabit omnino, aliquãdo non generatur, inde nisi fungus uel gramen, uel aliqua alia herba. Est & alius modus ualde multiplex, sicut certissime probare poterit omnis qui experitur in talibus, ferè enim quotienscunq; una & eadem arbor fructifera in stipite absciditur, & relinquitur inferior pars in terra, sicut fit insitione, & ipsi eiusdem arboris fragum in eodem trũco inseritur, fiunt inde plantę quarum fructus nec in figura, nec in sapore cum pręcedentibus conueniunt. Cum autem inseruntur fraga prunorũ & cinorum, uel aliorum fructuũ ossa habentium in truncum salicis, efficiuntur fructus sine ossibus. Similiter autem si inseritur uitis in cerasum, uel pirum in malum, inueniũtur uuę maturę, quãdo cerasa sunt matura, uel pira uel mala. Et tales mutationes ualde mirabiles ostendunt se his qui diuersas studiose faciunt insitiones. Item exceptum est, quod cum inserũtur fraga persici in pruni & cini trũcum siue stipitem, quod mutantur ambarũ arborum naturę, & fiunt escula maiora & meliora quã sint alia escula. Et uidetur hoc fieri sicut in animalibus ex permixtione uicinorum seminum in complexione, sicut asini & equi, ex quibus generantur muli, uel burdones. Non enim longe est persicus à pruno uel cino, & ideo cum utraq; arbor rarę substantię sit, utraq; uirtutem suam communicat alteri: & sic ex permixtis uirtutibus in loco insitionis fit succus permixtarum uirtutum, & ideo tunc illud quod per locũ insitionis excolitur, permutatur paulatim in speciem aliam quæ est esculus arbor, quia per figuram foliorum agnoscitur, quod illa uicinitas aliquid habet ad cinum & prunum, & ossa quę sunt in esculis etiam hanc indicant uicinitatem. Est autem præter dictas mutationes illa qua de syluestri fit domestica: & domestica fit syluestris, cuius modum & causam oportet cognoscere, est enim de exploratis, quod omnis planta domestica subtractio cultu fit syluestris: & omnis syluestris domesticat, quando cultus adhibetur, syluestres aũt habent

plures fructus quàm domesticæ, sed habent eos minores & acriores, sed domesticæ habent dulciores & pauciores, uel minus acros, uel maiores fructus quàm syluestres. Modus autem quomodo domestica fit syluestris, est per subtractionem cultus, & loci indurationem & arefactionem, & præcipue si ad sabulositatem & arenositatem conuertatur: tunc enim duricies non permittit ad plantas distillare uel euaporare nutrimentum sufficiens. Arefactio autem priuabit nutrimentum, sed sabulositas & arenositas undique facit euaporare, & non constabit uapor circa radices plantarum, & tunc macræ & spinosæ & plurimorum fructuum efficiũtur. Multitudo autem fructus earum ex siccitate prouenit, quia siccitas est causa diuisionis in multa & parua. Vndiq; enim intercipitur nutrimentale humidum sicco, & ideo in multa parua diuiditur. Efficiuntur autem fructus acerbi uel amari, propter hoc quod tale nutrimentum non obedit digestioni, & plantæ, sicut facit humidum domesticationis. Modus autem quo syluestres conuertũtur in domesticas ualde est multiplex, & uersatur circa tria in genere, hoc est circa naturam plantarum, & circa umbras & soles ipsarum quoniam oportet fundum ipsum conuertere & impinguare & solidum & continuum facere, & tamen non depressetur, ita ut superius distillantes bonitates recipere non possit, & inferius ex terra uaporantes circa radices plantarum continere, & oportet congerere eum ex tali terra quæ cum stillicidijs in se fluentibus infundatur, & cum uaporatione moueatur aperte, & congrue contemperetur ad complexionem plantarum. Circa plantas autem est consideratio, putando eas per abscisionem spinarum superfluarum, & per insitionem, & aliquando per unguenta & emolitione eius, & per diuisionem corticis eius, ut ingrossari possit planta, & fit insitio si debeat syluestris domesticari. Oportet quod fragrum eiusdem inseratur stipite suo, aut fragrum alterius, quæ etiam est syluestris, aut fragra eiusdem in stipite suo manentia ultra medullam ex transuerso incidantur & religantur, quia talis modus incisionis uel insitione generatus ex soliditate sua magis retinet calorem naturalem, sicut lapis calefactus magis & maiorem diuturnũ habet calorem quã lignũ. Humor etiam diutius stat in tali nodo propter tortuositatem & etiam propter soliditatem ipsius, & ideo melius ibi digeritur, & fructus fiunt tunc dulciores & conuenientiores, & iste est præcipuus modus domesticationis. Considerationem autem diligentissimam oportet habere in umbris & solibus talium locorum: quoniam quædam non bene conualescunt, nisi in umbra, ut cucurbita: & quędam non nisi in sole calido uehementer, sicut uitis, & ita est de alijs multis, & ideo ista sunt ualde attendenda. Quod autẽ maiores & pauciores sunt fructus domesticarum quam syluestrium plantarum, causa est humidi nutrimenti abundantia, quod non est tot diuisionum, eo quod non in tantum habet in siccis & acutis partibus sicut nutrimentum syluestrium, & ideo cum sit abundans non facile diuisibilem in pauciora diuiditur, sed in ea in quæ diuiditur abundantius fluit, & ideo magis crescunt & ingrossantur fructus earum.

De altera-

De alterationis & diuersitate quæ fit in planta, Cap. VIII.

SEcundum autem generationis diuersitatē, notanda etiam occurrit alterationis diuersitas in plantis, eo quod ipsa frequēter causat generationis diuersitatē. Hoc traditū est ab antiquis, eo quod arbor ipsa loci frigiditate & antiquitate nimis induratur, & compactū habet corticem, qui cōcludit poros & radices, per quas nutrimentum trahere debes, & si scindatur radix eius, precipue in ramis maioribus, ipsius radicis & scissuræ illi lapis immittatur, ne iterato concludatur & consolidetur, incipit trahere nutrimentū per poros partiū scissuræ & iterato uegetari & fructificare, & sic de sterili arbore fit aliquando fertilis. Amplius, quædam arbores dicuntur masculi & quædam fœminæ, & discernuntur in hoc quia prius pullulat masculus propter calidū fortius mouens, quod folia plantæ strictiora & minora sunt propter siccitatem masculi, & hoc habet in plantis pluribus locum, sed maxime in palmis, in quibus rami uel puluis masculi positus super ramos fœminæ confert ad generationem & maturationem fructuum. Idem est si plantetur masculus iuxta fœminā, & odor masculi, beneficio uenti, deferatur ad fœminam. Similiter si arbores malorum punicorum plantentur iuxta oliuas, ut uapor paulatim ad oliuas feratur conferunt. Et per oppositū, quædam plantarum conlocatę ad alias impediunt generationem & fructificationem earum, sicut corilus impedit uitem, & nux impedit omnes alias plantas, propter pernotabilem amaritudinem quam habet. Et alteratione etiam aliquando contigit, quod tantum aliquando ex frigiditate, uel alia causa alterat planta, quod mutatur omnino in aliam speciem, aut secundū totum, aut secundū partem, & hoc modo dicitur calamentū mutari in mentā. Aliquando similiter triticū in siliginē mutatur, & ē cōuerso siligo in triticum aliquando mutatur. Causa autē maxima alterationum istarum est per cultum, nutrimentū, & locum. Amygdala enim & malagranata, & quædā aliæ plātæ à sua malicia mutant per culturā. Malagranata etiā stercore porcino fimata, & dulci aqua frigida irrigata meliora reddūtur. Amygdalæ autem præcipue quādo humidum superabundat, si clauis infigatur, uel etiam perforentur in aliquot locis, ut distillet superfluū humidum cum gummi, quod multū tempore emittunt post confixionem & perforationem & emundationem. Sic etiam plantæ quę uermiculosos faciunt fructus curātur, sed rustici non faciunt nisi unum foramen per quod distillat superfluum, quod cum emittitur, aliud melius digerit à calore naturali. Hoc etiam artificio plantæ syluestres in hortenses quandoq; conuertūtur, educitur enim ex ipsis humidū in cultum, & per cultum alterantur corpora eorū, sicut per medicinam, & tunc ad aliam complexionem conuertuntur, sicut medicus ducit humorem in alium, & postea prębet nutrimentum bonum & alterantibus studet ad generationem sanguinis boni. Locus tamen & labor industrius in cultu multum conferunt, maxime ad tales alterationes, & præcipue tempore anni in quo fuerint huiusmodi plantationes & alterationes. Quædam enim plantarum non emundantur nisi transplātentur,

tempus

tempus autem in quo præcipue plātantur est in principio ueris, cum tota adhuc uirtus est in planta, tunc enim transplātata conualescit, quia iam in se attraxit humorem & calorem, ex quibus pullulat, & adhuc frigore iuuatur, ne humidum & calidum eius euanescat per euaporationem. Plantæ autem plantantur in hyeme & melius conualescunt quam ea quæ facta sunt in uere. In hyeme enim calidum naturale clausum est in seminibus plantę, & calidum quod est in uisceribus terrę conclusum, facit euaporare subtile humidum ad radicem, quę in locum calidum terræ infigitur, & ex his planta cōualescit. Nam uiscera terræ magis sunt calida in hyeme, quàm in aliquo alio tempore anni. Cum autem uiscera plantæ sic humido uaporante implentur, impinguantur sole appropinquāte, emittunt & conualescunt. Et hæc est causa, quod plantatio quæ fit profunde in uiscera terræ optime conualescit in hyeme. In autumno autem paucissimē plantantur, quia tūc humor euaporauit, & calor, & terra redacta est in cinerem frigidū per calorem æstatis, & sic nec ex parte terræ, nec ex parte plantæ cōualescere potest. In æstate autē generaliter mala est plantatio, propter calidū & siccum, quod euanescere facit uigores plātarum, præcipue tamen in cancro & leone, postquam oritur stella quæ dicitur canicula, quia tunc tempus calidissimum & siccissimum est, & sunt corpora plantarū arida, & uirtutes earum debiles, & terra priuata humido nutrimentali. In paucis tamen locis, quæ tanto feruore temperātur, fit plantatio in tempore dicto, sicut locus qui est totus ad septentriones frigidissimus ualde & humidus.

De diuersitate plantarum sumpta iuxta diuersam fructuum productionem, Cap. IX.

QVædam arbores uno anno fructificant, in alio reficiuntur, & tales sunt multæ, præcipue magnæ arbores, sicut oliuæ & piri ficulneæ, quæ licet ramos producant quibus cooperiuntur & dilatantur, tamen in ramis illis non est abundās fructus, nisi alterius fructus anni, eo quod multitudo ramorum trahit succum ad sui nutrimentū, & non permittit pullulare fructum nisi in tertio anno cum redundat humor in arborem. Sicut etiam magna animalia non sunt tam fœcūda ut parua. Atq; etiam quędā iuuentute sterilio res sunt quā in profecta ętate, quod ideo contingit quod succus totus transit in nutrimentū ipsorum, cum autem steterit nutrimentū tunc melius fructificant, sicut uitis quę uetula est meliores & utiliores producit uuas quā iuuenis, dūmodo ad extremā & decrepitam non peruenerit senectutē. Illa enim in omnibus fit sterilis, propter siccum & frigidū quod abundat in ea, quædam autem è contrario melius fructificant in iuuentute quā in senectute, sicut amygdali, piri. Harum aūt plantarum natura perfecta est calida & humida in iuuentute, ex quibus qualitatibus post iuuentutē mutant̄ in frigidū & siccum, & ideo primum tūc steriles efficiuntur, deinde in totum aridę, & hoc plus patiuntur amygdali, quàm piri.

De his quibus indiget omnis planta, Cap. X.

OMnis planta tota in omnibus partibus quatuor indiget præcipue, sicut & animal, seminali scilicet humido terminato, loco cōueniēti, & aqua siue humore tēperato nutriente, & aëre sibi consimili & proportionali. Cum quatuor perfecta & cōuenientia fuerint, optime nascetur planta & crescit. Si autem hæc uel aliquid eorum desuerit ab ea, debilitatur, generatio & incrementum plantæ proportionaliter illi quod deest.

De his quæ faciunt ad plantæ generationem & augmentum, Cap. XI.

HErbæ autem & quicquid uegetatur & crescit radicitus infixum terrę, indiget uno uel pluribus de quinq; rebus, hæc autem sunt scilicet: semen, putredo, humor, aqua, plantatio, quæ est plantam super plantam nasci aliam. Horum autem quinq; primum est quod in se uirtutem habet formatiuam plantæ, & est in ipso materia & efficiens simul. Secundum autem uirtutem informatiuam accipit à uirtute stellarū. Humor autem qui commixtus est ex elementis, cibus est & materia tam generationis quàm generatæ plantæ, habet enim planta digestionem depuratam quam trahit de terra: Aqua autem sicut in communibus nutrimentis non deseruit, nisi in hoc quod est alimenti uehiculum, nec fluxum haberet ad partes cibus, nisi per modum aquę, innutribilis enim existens in seipsa nutribilem facit cibum ad membrum, & ad partes illas quę nutriuntur. Plantatio autem super plantam alia, est quę fit per insitionem, & conualescit, propterea quod planta interius habens humorem putridum, uirtute solis exhalat illum, Et sic planta infixa alię plantę in figura differens ab ipsa. Sunt igitur tria istorum generationi plantę deseruientia, duo autem conferūt, semen & putredo, & plantatio in plāta alia, quod enim generationi confert, oportet quod habeat formans in se aliquid, & ad speciem plantę deducens, hoc autem est formatiuum à uirtute uniuersali superiori, sicut putredo. Et hæc quidem duo simpliciter conferunt ad plantę generationem. Tertium autem est, quod est plantatio plantę in planta alia, confert similiter ad generationem & transmutationem ipsius in figura. Similiter autem quę conferunt ad cibum plantę diuersitatem habent duplicem, quoniam huiusmodi est ut cibi substātia, aqua autem confert propriū alium motum ad partes nutritas. Sunt autem quædam adhuc quæ uidentur conferre plantarum generationi & incremento, de quibus etiam supra est facta mentio, sicut locus conueniens, & aër connaturalis, sed hæc faciunt aliquid ad esse plantæ, sed ad bene esse non conferunt, nisi ratione seminis, aut putredinis, aut humoris, quę sunt temperata ex loco & aëre plātę connaturalibus & conuenientibus. Idem autem aër qui uenit in plantæ constitutionem, inuiscatur humore seminis & putredinis & plantæ, sicut fit etiam in animalibus. Plantæ etiam uegetantur in calido tempore in umbra noctis, & lignescunt ad solis feruorem, eoq; calore

& humore

&humore per euaporationē destituuntur, in hyeme etiam quando constringun tur plantæ exterius, inueniunt intus succosæ ualde magis quàm in æstate. Accidens autem quod multum uariat & mutat naturam plantarū, est cultus hominis. Et hoc est ideo quod plantę in genere animatorum, iuxta elementa sunt, & elementorum uires & materię multum habentes: ideo quod mutat qualitatem terrę & humoris in qua sita est planta, multum mutat naturam plantę.

De putredine siue letamine, & stercoratione & cibo plantarum, Cap. XII.



Licet natura sola sit principium rerum naturalium, tamē in omnibus his quorū substantia transmutabilis, multū iuuatur arte & cultu, ut in melius uel peius transmutetur. Hac igitur consideratiōe loquamur de agris & eorū cultu, & hortis, & pomarijs, & cæteris per quæ fit cultus plantarū, & remouentur à syluestri natura, ad, ut sic dicam, domesticationem. Sūt autem maxime quatuor quę circa hęc consideranda sunt, cibus uidelicet, & aratio siue fossa, seminatio & insito. Circa hęc studēt omnes agricultores pręcipue. Cibus autem non est aliquod simplex elementum, oportet igitur cibum plantarum commixtum esse, si enim simplici planta nutriretur, ex illo constaret, quod omnino irrationabile esset. Atq; cibus non est aliquis qui ad membra plantę per duci per se possit, propter quod indiget planta rigato cibo, ut hoc conferatur rigatione, quod animalibus confertur per potum, qui uehiculum est cibi decurrentis ad membrum. Cibus igitur proprius plātarum erit aliquod commixtum humidum, res autem commixta humida integritate & salute consistens, non est in uia mutationis ad aliquid, sed saluatur in se ipsa, propter quod nihil nutritur à nutrimento in sua specie & in sua natura cōstituto, sed potius ab eo quod iam ante corruptū est, & destitit ab esse proprio, aut est in uia ad aliquid. Propter quod animalibus creatus est uenter, in quo cibus corrumpitur & extrahitur ab eo id quod nutrit animalis humidum nutrimentale, ipsa enim extractio humidi ipsius quod attrahitur in cibum, corruptio est eius quod nutrit quod in uentrem ingestum est per manducationem, omnis enim corruptio quæ est secudum naturam sic fit, quod extrahitur humidū, & remanet siccum decidēs in cinerem, sicut cito

incineratur omne stercus animalium. Cum igitur uentrem non habeant plantę, sed terra pro uentre utantur, oportet in terra circa plantas esse putrescentem cibum plantę, & tunc attrahit à radicibus eius humidum cibum. Hæc autem probant opera rusticorum, qui stercore, quod letamen uocant, propè omnium plantarum fimant genera, quod non ad radices distillat, nisi rigatione pluuij aut aquę desuper fusę. Hoc autem letamen in genere duos habet humores, unū quidem superenatantem & aëreum, qui non facile est incorporabilis plantæ, sed potius attrahitur & inciditur à sole. Alterum autem habet adiuuatiuum & immixtum subtili sicco quod est in ipso, & hoc est uere cibus plantarum. Plantę generaliter corpus siccius & durius est quàm corpus animalium, & tali indigent cibo qui in terrestritate indurabilis & siccabilis sit. Vltimus enim cibus nutriens similis est nutrito. Iudicatur autem & hoc ab accidente plantarum, quę enim nimis pingui & humido nutriunt, letamen plātis adfert putredines, ex letamine autem quod coadunatam cum suo terrestri habet humiditatē & bonam permixtionem conualescunt & roborantur & fructus proferunt cognitos & utiles, fructus enim eorum saporem ex letamine & substantia eorum contrahunt. Atq; si nimis humidum & pingue sit letamen à quo iam planta attrahit humiditatem plurimam, & luxuriabit in folijs & mollibus ramusculis infœcūdis, & non sufficienter profert fructum, & ille quem profert erit aquosus & inconueniens, hoc ostendūt omnes syluestres plantę, quę nutrimentum siccum habent & terrestre, fructus enim omnium illarum calidiores & sicciores sunt & fortiores odoris quàm hortēsium, quę cibantur letamine aquoso. Ad hoc autem in philosophicis dictū est, fructus creari ex humido uentoso, hoc autem non est nisi quod terrestritati fortissime commixtum est. Hoc igitur est maxime quod cibat & mutat sapores & modos fructuum. Propter quod stercus auium non aquaticarum, & pręcipue columbarum præcipit Palladius permisceri cum letamine, stercus enim hoc est feruens ualde, suo calore in letamine superfluam consumit humiditatem, & tunc magis conuenit plātarum cibo, ideo etiam asininum, equinum uel ouium & caprarum stercus à rusticis sumitur. Hęc enim animalia siccas habent egestiones, & per inductas rationes magis congruunt letamini plantarum, hac de causa præcipitur caueri à stercore porcino, quod tam ex specie quàm ex accidente quia siccū non est, plantis affert magnum nocumentum. Sic igitur in communi tractatione letaminum oportet quod ipsum letamen sit in uia corruptionis, potius quàm sit iam incineratum & ad terrestritatem deductum, & calore naturali destitutum. Nam optime congruit, quum iam per putrefactionem resudat ad superficiem suam naturale humidum, cum enim hoc humidum nutriat quandiu hoc ad radices plantarum resudat, tamdiu debitū plantis præbet nutrimentum, qua propter nec recens letamen omnino quæritur, nec quod iam uetustate incineratū existit, quod est anni uel tres partes anni habens optimū esse pronuntiatur à cultoribus plantarum, recens enim adhuc in se claudit uaporem, uetustū aut in toto amisit in ad-

ministrando humorē suum in nutrimentū, propter quod etiam peritiores medicorū, consumptorū habitacula præcipiunt sub tali letamine fieri, fomentū enim huius letaminis à fumigatione sua aliquid carnibus eorum per poros præbet humectationis. Hoc etiam ostendūt industriæ alchimorū, qui optimas quasq; maturationes in clibano letaminis præcipiunt fieri, uocantes clibanū letaminis calorem qui cum tali de quo dictū est humido expirat ad fumi superficiē. Atq; etiam sicco letamine posito, & non bene corrupto uidemus arescere multas plantarū, nisi multo prohibeant humido aqueo per continuationē irrigatiōis, quia siccus calor qui ex tali fimo generatur circa radices intendit in tales radices plantę, & exiccat & in ariditatē conuertit totam plantam. Propter quod ex omnibus his colligitur letamē, quod inuitat plantę habitudinē esse, debere in dispositionibus inductis. Sic igitur administratū letamen mutat plantæ naturam, plusq̃ cibus mutat animal quod cibatur ex illo: animal enim magis diuersum est & lōgius à se attrahit cibum quàm planta, ideo cum letamen hoc sit cibus plantę, & uicinior & similior sit cibus quàm animali, citius mutabitur de cibo quam aliquod animalium. Iam quoque sæpius habitum est quod planta terram habet pro uentre, & in terra primum cibus plantæ recipit assimulationem, propter quod attrahit ad se plantarum mutationem: uirtutes enim terræ præcipue sunt uirtutes plantarum, & secundum terræ mutationem erit & plantarum mutatio. Nec est aliquis modus ita conueniens ad mutandum plantæ naturam sicut per letamen & letaminis contemperationem. Iam enim ostendimus quod in planta non sunt tot numero digestiones sicut in animali. Scimus autem quod similium in corpore facilior est mutatio, quàm heterogeniorum, & ideo uidemus quasdam plantarum ex cibo non solum mutari ad alterum modum saporis fructuum suorum, sed etiam frequenter trāseunt in alias species, ex tenuitate cibi & letaminis, sicut superius de tritico & siligine dictum est. Hoc autem ostendit artis industria, quoniā si quis in arbore perforatis ramis qui sunt iuxta ramusculos à quibus dependent fructus, impleat pulueribus optime contritis foramina, ita quod pulueres ipse sint ex speciebus multum aromaticis, & obstruatur ab utraq; parte optime cum cera forti & spissa, fructus erunt in sapore aromatice saporem pulueris obtinentes, qui tamen ad fructuum substantiam non perueniunt, nisi per euaporationem. Oportet igitur quod multo magis letamen cuius humor ingreditur per substantiam corporis plantę & fructuum, mutet naturalem humiditatem ipsius, oportet enim diligenter cauere ne letamen congestū super terram fumet ad flores & fructus, aut etiam ad gemmas plantarum, fumus enim ille siccus intensus & fœtidus est, & per poros ad interiora plantarū ingreditur, & plus corrumpit quàm malus cibus, sicut & animalium corpora corrumpunt huius fumi & odores. Hoc autem iam experti sumus in uitibus super quibus sarmenta & paleę, & ouorum testæ fumabant ad gemmas, flores & fructus, & multæ ex his perierūt omnino, postea aruit & exiccatum est, talis enim fumus maxime nocet his quæ

raræ substantiæ sunt plantis, sicut est uitis: sic etiam plus nocet uiris quàm fœminis, propter raritatem corporis uirilis, fumus enim hic indigestus non alteratus pertingit intra corpus, & ideo corrũpit naturas tam plantarũ quàm animalium, propter quod id quod ex herbis plantarũ eradicatum est lõgius proijci ab ipsis debet, ne corruptionis fœtore plantis afferat nocumentũ. Oportet etiã nos non latere ex eadem causa paludes ab agricultoribus fieri debere, sicca enim palea, sarmenta & stercora non aperte maturant, sed potius corrumpuntur & corrumpunt per fumũ suum quem emittunt, humefacta autem laxius resoluunt in superficiebus, & efficiũtur molliora, per quorũ spiritus gibbositatẽ exudet ad superficiem naturale humidum, & maturetur in plantarũ conueniens nutrimentum. Huius autẽ indicium est quod plantę etiam sicut & animalia attrahũt humidum, & cibi sui uehiculum, & tamen non potent sicut & animalia, paludalis enim potus earum permiscet letamini, qui fecit ipsum in plantis undiq; florere, & ipsarũ partes infundendo nutrire & mutare. Nec obstat quod uidemus quosdã rusticorum præparare loca cultuũ suorum per intensos stipites & ligna, & tũc terram melius fructificare in plãtis, hoc enim non fit propter plãtas, sed ad temperandũ duplicem terrę maliciam, friget enim terra & ex frigiditate sterilis, hoc modo aliquid caloris accipit, quo semina in ea iactata melius cõualescant. Similiter aũt & humida nimis, & ex hoc fœcunda intentione & immixto cinere, in cuius poris aqua non tenet, & contrahit siccitatẽ temperatam, per quã magis habilis efficitur ad fructificãdum. Ex omnibus igitur prędictis constat letamen unum esse eorum quæ pręcipue plantã mutant à syluestritate, ut ita loquar, in domesticationem. Syluestritas enim plantæ nihil aliud est nisi neglectus cultus eius, & sapor fructus eius, qui usibus humanis non competit. Et domestica dicitur, quãdo per cultum eius sapor ad delectationẽ & utilitatem hominũ redigitur, hoc autẽ fieri per letamen probatur, & ea quæ in animalibus accidunt, quęcunq; enim animalia sunt domestica plurimũ sunt cana propter nutrimenti abundantiã, & multarum sunt qualitatũ, & diuersorũ colorum, propter nutrimenti diuersitatẽ, & sapor carnium earum alius quã syluestriũ. Oportet igitur ꝓportionabiliter hoc etiam in plantis accidere ex nutrimenti administratione, Palladius autẽ refert, quod stercorũ congestio locum suum tenere debebit, qui abundet humore, & propter odoris horrenda à prætorij cõuertatur aspectu. Humor abundans hic pręstabit stercori ut si qua insunt spinarum semina putrefiant. Stercus asinorum primũ est maxime hortis, deinde ouium & caprinũ, & iumentorum, porcinum uero pessimũ, cineres optimi, sed columbinũ feruidissimũ, cæterarumq; auium satis utile, excepto palustrium. Cassius uero scribit, ut refert Varro, columbinũ esse pręcipuum, post ipsum stercus hominis, tertio caprinũ, ouium, & asininum, equinum non bonum nisi pratis. Stercus quod anno requieuit satis est utile, nec herbas creat, si uetustius est minus proderit, pratis uero recentia stercora proderunt ad ubertatẽ herbarum. Et maris purgamenta si aquis dulcibus eluantur

mixta uicem stercoris adhibebũt. Varro scripsit, quod prope uillã duo debent esse sterquilinia, uidelicet bifariam diuisa, & quod in uno nouum est debet dimitti donec maturescat, alterũ uetus in agrum tolli. Nec nõ illud sterquilinium est melius, cuius latera & summũ uirgis ac frondibus à sole est defensum, non enim succus quem quærit terra per solẽ exugi oportet. Itaq; periti procurant, ut aqua in sterquiliniũ fluat, quę maxime retinet succus. Stercorandi sunt agri spissius in colle, in campo rarius, cum luna minuitur, quæ res herbis si seruetur proficiet. Vni iugero asserit Columella 24. stercoris carpenta sufficere, in plano uero 18. Rustici tamen nostri duplũ ponunt & ultra, sed Tusci non tantũ. Item cumuli tot dissipandi sunt quot ea die poterũt exarari, ne stercora exiccata nil prosint. Eijciunt quidẽ letamina qualibet parte hyemis, sed si tẽpore suo eijci non possunt, antequã seras more seminis per agros puluerẽ stercoris sparge uel, caprinum manu proijce, & terrã sarculis misce. Nec proderit nimium stercorare uno tempore, sed frequenter & modice. Ager aquosus plus stercoris quærit, siccus minus, sed si letaminis copia desit, hoc pro stercore optime cedit, ut sabulosis locis cretam & argillã spargas, cretosis & nimium spissis sabulũ, hoc etiam & segetibus proficit, & uineas pulcherrimas reddit. Nam letamen in uineis uini consueuit uitiare saporẽ. Vel seminentur lupini in agris cultis & uineis in mense Augusti, & in mense Aprilis uel Maij, & cum ad debitũ quasi augmentũ peruenerint euertantur, sic enim loco letaminis uineam & terram impinguant. Et duobus annis ad plus ipsorum durat in eis pinguedo. In partibus autem Tusciæ cultores experti, lupinos serunt tempore quo seminant rapæ in terris cultis uel stipulis bis aratis, uidelicet circa tres corbes in iugero, & terra operiunt, deinde tẽpore Octobris ligonibus incidunt, & in sulcis ponunt, & ibidem seminantes frumentum aratur, semenq; operiunt, & deinde bonum frumentum colligunt æstate sequenti. Mediolan. uero seminant ranicias spissas, & cum creuerint eas euertunt. Alij autem serunt gralegam & euertunt cum ad substantiæ uenerit complementum. Alij uero terras quę sua macritudine parum aut nihil fructificant, ad multã fertilitatem cum irrigatione hoc modo reducunt, scilicet quod extracta de campis segete, inducunt in agros aquã per sulcos uel riuulos ordinatos, est autẽ melius si aqua est turbida de torrente, quæ super faciem agri terrã nouam inducat, & replendo sulcos agrum æquat, & pręcipue si fuerit ager cretosus, nam si solutus fuerit sufficit aqua clara. Prodest autem maxime talis irrigatio in ęstate cum aqua in agris steterit sub radijs solis feruentis, hoc enim modo talis ager plurimum impinguatur. Item dicunt Mediolan. & omnes cõmuniter hoc obseruãt, quod ubi linum seri debet, lupinos quos ibi seminauerant euertunt, non solum si iam magni sunt, sed etiam si tunc nati sunt, & ualde terram fœcundant, & plus dicunt si aliquibus diebus mollificentur in aqua, ita quod bonum gramen emittant & manu serant, & terrã arant, eam ualde fœcundã. Item dicũt de cineribus, & ideo fimum cõburunt & manu seminant, & euertunt cum lini, & cuiusuis alterius semine

rius semine. Ponendū est autem letamen in campis, uineis, hortis, & arboribus, præcipue à Calend. Septembris per omnes menses sequentes usq; ad mensem Maij subsequenter, & in tēpore magni gelu super iam natis segetibus potest cōgrue spargi, poterit etiam sequentibus mensibus in terra spargi, si eodem de terra operiatur, & uineis, et arboribus, si fuerit ualde maturum. Et est sciendū quod ex uno curru palearum quinq; & sex currus letaminis fiunt, & pro sex annis optime una stercoris sparsio terram fœcūdat. Item notandū est quod letamen absq; animalibus fit hoc modo, uidelicet quod in hyeme paleæ uel alia stramenta projciuntur in uijs lutosis, curijs uel fossatis, & quibuscunque foueis, & cum ibi per quindecim dies uel circa iacuerint, & fuerint conculcatæ, sepeq; pluuijs madefactæ coaceruantur, & ad magnum letaminis montem latum, ut pluuiarum aquas recipiat post dies aliquot deferuntur, & cum sic per totam æstatem steterit, spargantur in agris.


De aqua quæ conuenit maturitati letaminis, & nutrimento plantarum, Cap. XIII.

Aqua paludalis conuenienter letamen, quod est nutrimentum plantarū, maturat, & plantas irrigat, aqua enim fluente non bene maturatur, nec irrigatur planta, quoniam illa quidem frigiditate sua constringit poros letaminis ne expiret in eo calidum aut humidum naturale ad superficiem, similiter autem eadem frigiditate constringit poros radicum, & non sinit eos aperiri in tractū nutrimēti, & quod est circa radices leuat & deducit, & ideo fortiter syluestribus aquis, paucas aut nullas uidemus nasci plantas. Terrestritas enim fundi leuatur & educitur, nec remanet nisi lapis durus & frigidus in quo planta nasci uel nutriri non potest. Aqua autem stans fixum in se recipit solis radium, & calesit illo calore quo adiuuat ad letaminis maturationē & radicum apertionem, & ad pullulationem seminum, & maxime aqua quæ descendit in pluuijs & roribus ex nubibus super terram. Hæc est enim calida & uaporabilis, & ideo palus ex illa conuenientissime fit iuxta letamen, quia calore maturat, & uaporabilitate commiscet subtili commixtione, confert ei lenitatem & motum quibus eleuare possit in uenas & poros organicos plantarum. Si autem aqua lacunalis uel fontium adhibetur in loco paludis, oportet quod stet sub radio solis priusquam letamen inijciatur, & commisceatur cum ea fortiter, & moueatur ita quod ex motu spumam faciat, & uaporabilis fiat, propter dictam causam. Aqua autem grandinum & niuium nisi diu stet antequā fluat ad plantas, plurimū sui frigiditate plantis nocumentum affert, est enim in ea frigiditas radices mortificans, & humidū letaminis congelans, & hoc nocumentum non de facili aufertur. Cuius signum est quod terræ niuosæ parum proferunt germinis, & quod proferunt est immaturum, & licet calesiat aliquando aqua per solem, tamen nocumentum quod intulit prima frigiditate non aufertur, quia hoc fuit mortificatiuū, hoc autem uide

mus in terris grādinatis & agris, quoniā infra tres annos uix postea reducunt ad cultū. Sed aqua pluuiæ licet sit frigida, tamen excellentiam frigoris non habet, & habet caliditatem ex nube ex qua descēdit & uaporabilitatem. Ros autem est calidus & humidus, & dulcis, qui facile mouetur ad membra plantarum. Palus de qua dictum est, non erit sita iuxta plantas prope, quoniam nimis fusa plāta impeditur à fructu conuenienti, sed mediocriter infusa conualescit. Propter quod letamen conuenienter in altiori parte horti uel agri tenetur, ut ipsius nutrimentum & uirtus cum pluuia descendente ad plantarum deducatur radices, ubi calor terræ fumat in radices arborum & aliarum plātarum, & sugitur humor eius naturali calore radicum. Et hæc est causa, quod aquæ puræ cum impetu fluentes steriles efficiunt terras quas influunt. Aquæ autem lacunosæ & paludosę faciunt eas pingues, & præcipue quando ex pluuijs accipiunt incrementum. Propter quod exeunt ab aluo in agros, sicut Nilus qui crescit in pluuijs sub æquinoctiali descendentibus, quæ sunt calidę & humidæ, & ideo optime irrigat sata Ægyptiorum. Alia autem aqua grauis est potius descendens à partibus letaminis & à radicibus plantarum qua uaporetur in ipsas, & ideo non est adeò conueniens in lacunis in quibus stetit. Aqua medicamen accipit ex continuo radio solis, & ideo putrescentes in eius fundo herbæ quasi in naturam conuertuntur letaminis. Propter quod etiam lutum de fundo talium lacunarū paludalium acceptum pinguem agrum & fœcundum facit, habens effectum letaminis in ipso. Omnino autem conuenientissimum plantarum nutrimentum est letamen in palude temperata humiditate putrefactū, & ex conuenienti stercore commixtum, propter causas inductas. Sed aqua salsa prę omnibus cauēda est, ne admisceatur letamini aut plantis, quoniā illa exiccatiua est & adustiua & omnino cōtraria plantarū pullulationi. Licet enim acredo salis fracta sit in humido aqueo, cū torrore tamē solis conuertitur in acredinem & amaritudinem, & tale nutrimentū omnino plantę refugiunt, & aliam habet in se similiter siccitatem potentialem ex combusta salis terrestreitate, & ex hoc contrahit poros plantarum & obturat & exiccat letamen ita quod suum humidum non ualet exudare in plantarū cibatione. Adhuc autem aquæ metallorum quę per mineras decurrunt aut fistulas metallinas diu aut longe fluxerunt sunt inconuenientes, quoniam ex natura metalli corrodunt potius quàm infundant interiora letaminis & plantarum. Aqua autem maturās letamen est aqua paludalis ex pluuijs & roribus congregata, si illa non habetur, sit aqua lacunalis sub sole diu calefacta, & fortiter mota, si autem nec illa parata est, sit aqua de fontibus aut fluminibus aut puteis hausta, fortiter cōmixta, & sub sole calefacta.

De utili-

De utilitatibus arationum & fossionum, Cap. XIIII.



ARationes autem & fossiones in genere quatuor conferũt utilitates, quarum una est terrę apertio, secunda est eiusdem adæquatio, tertia est agri commixtio, quarta eiusdem comminutio. Terram autem aperiri necesse est, quia aliter nec semina in se iacta recipit, nec ea quæ in se habet sufficienter expirans amittit, & ideo aperiri oportet terram in omni mutatione plantarum, quãdo de syluestreitate ut ita loquamur, in domesticationem mutantur, soliditas quippe superficiei per pondus ipsum terrę & conculcationem hominum & bestiarum, adhuc aut per imbrium ictus & fluxum facta impedit, ne aliquid in se ab exteriori recipiat, aut etiam aliquid ab interioribus suis emittat, unde planta in ea fixa aut germinet aut mutetur à dispositione una in aliam, propter quod proscindi terram oportet, aut aratro aut fossorio. Similiter autem nisi fuerit adæquata nõ bene mutabit plantam, sed potius contrarię in ea dispositiones forte corrũpunt: cum enim id quod est continue in superficie terræ suo pondere & fluxu humoris tendat ad inferius in terrę uiscera, est terra inferius ad duos uel ad tres pedes magis pinguis quàm in superficie, & ideo inferiorem superius eleuari, & superiorem deprimi per arationẽ & fossionem oportet, ut adæquata uirtus sua in una uirtute unita moueat plantarum radices & fœcundet. Nec non beneficium radiorum solis tangit primitus superficiem, sed cum non sit retinens aliquid euanescit, & propter redundantiam conseruatur in inferiori parte terræ. Et ad hoc quod adæquatur quando inferius superius ponitur & è conuerso, & multę aliæ adeptiones terræ uirtutũ fiunt per fossionem terræ & arationem. Commixtio etiam necessaria est quoniam nisi partes quęlibet sibi permixtę sint, non erit ipsa proprius locus generationis plantarum, plantæ autem quæ sunt commixtarum uirtutum locum suę generationis quærunt esse cõmixtum, nec potest fieri quod ager sit ęqualiter humidus, & æqualiter siccus, & ęqualiter frigidus, & æqualiter calidus, nisi fiat hoc beneficio fossuræ & arationum. Comminutio etiam est necessaria propter subtilitatem ipsius, nisi enim comminuatur non subtiliabitur, & nisi subtilietur non erit conueniens cibus, & materia plantarum. Propter quod præcipit agricultor Palladius quod non aretur tempore quo terra lutosa est, quia tunc in puluerẽ non reducitur, nec est tempus congruũ arationum tẽpus eximie siccitatis, quia tunc glebę magnę non diuidunt, sed potius tẽpore quo parum mollita est terra, nec tantũ habet humoris quo contineant se partes ipsius, tũc enim proprie cõminuit, subtiliat & aptatur seminibus & plãtis, ꝓpter causas inductas. Hac de causa periti uiri & agricultores ter uel quater crudum

agrum arare præcipiunt, dicẽtes quod habet de tribus uel quatuor arationibus addere fructibus proportionabiliter sui numeri quantitatẽ, ut quod secunda aratio addat alteram fructuum partem, & tertia tertiam, & quarta quartam, & ultra non progreditur, quia sufficit quod per quatuor arationes est terra subtiliata ad cibum pręparatũ. Hac de causa pręcipiunt periti in rusticatione glebas magnas malleis magnis comminui, quia aliter ut diximus non conuenit generationi plantæ. Quod autem diximus de tribus uel quatuor arationibus uariatur secundum qualitatem agri qui colitur, fortis enim & glutinosus, & adulterinis herbis repletus, non excolitur ad emũdationem & subtiliationem nisi quatuor arationibus, porosam autem subtilem & mũdam terram habenti forte sufficit una aratio uel duę, aut, ut multũ, tres, aut plus. Propter quod etiam pręcipit Palladius, terram considerari, quoniam si labor fructus excellat utilitatẽ, relinquenda est, si autem fructus excedit laboris meritum insistendũ dicit esse cultui. Sunt autem agri, qui non arando sed fodiendo temperãtur, & hij sunt quorum multa est pinguedo in profundo quod uomere aratri pertingere non potest, ad hos enim oportet adhiberi fossorium, quod profundius terram sulcat quã uomer aratri, compertũ est enim experientia rusticorũ usq; ad decem pedes pluuiæ humorem pinguedinẽ superficiei terrę semen deferre, cum in profundum distillat. Atq; etiam sicut uidemus animalia aquatica quæ sub terra profunde generantur in lacubus subterraneis uenenosa esse, eo quod lucis expertia sunt, & uaporibus spissis nutrita, ita etiam & pingue quod in profundo terræ latet incongruum est & grossum, & frigidum, nisi ad superficiem aliquando tollatur, & luce solis lustratum subtilietur & dissoluat̃, & spirituale fiat, quo uaporabili spiritu ad radices & semina pertingere & penetrare possit, & usibus laborantiũ adoptari, non enim omnis ager colitur uel aratur. Cum enim antiqui Ægyptij primo agrum mensuris Geometricis distinxerunt, quatuor genera agrorum esse dixerunt in quibus plantæ domesticantur per cultum, satiuum uidelicet, consitum, compascuum, & noualem, ex his autem duos tantum arando & fodiendo coluerunt, satiuũ uidelicet & noualem, uocantes satiuum qui seritur continue singulis annis, uel in eodem anno pluries, noualem autem qui alteratis annis, aut tertio intermisso, aut quarto, aut quinto, aut sexto, aut forte septimo anno quiescit. Et hos fodere & arare præcipiunt propter causas quas diximus. Compascuum autem & consitum non fodiendos esse præceperunt. Compascuum autem uocabant eum qui prata ferebat in pastum animalium. Consitum autem eum qui arboribus erat consitus, quæ portabant fructus salubres usui hominum. Et compascuum nullo modo, consitum uero non fodiebant nisi forte parum circa radices, & non ubiq;, cuius nos inferius rationẽ dicemus, sic hic dicere sufficit quod satiuus & noualis ager fodiendi & arandi sunt, quia aliter semina in eis non bene conualescunt, propter causas quas diximus.

De agro satiuo, Cap. XV.



Diuersificatur autē in arando & cultu satiuus & nouualis ager, quoniam satiuus uirtutem habet magnam & feracem fructificandi, in tantū quod si continue non macerentur in partu, pinguedine nimia luxuriabit in spuria diuersarum plantarū, quod postea sine magno labore emendari non poterit, aut forte in humore, ita quod ipse humor abundans submerget seminum uirtutē. Et si quidē adeò ferax est quod timetur luxuria adulterinarū plantarū, continue seritur omni anno, aut forte in anno pluries, eo quod calidus & humidus est talis ager, & soli calido expositus, qui etiam sol ab ęquinoctiali descendens calorē terrę ad pullulationē seminū sufficienter immittit. Nā calor solis cōmiscet inferiora superioribus ad generationē eorum quæ in terra nascunt, & ideo quando solis calor inferiorē terrę humorē eleuat in superficiem agri siccam, efficit ager cōtinue calidus & humidus, & est ille ager semper porosæ terrę, etiam bonę cōmixtionis, & facilis cultus, & paruo labore multā profert fructuū ubertatē, & ille proprie uocat satiuus, quando autē uincente calore solis eleuatum de profundo humidū non cōmiscet agrum & mollificat eum, sed consumitur & plus cōsumit sol de humiditate uel humore quā eleuet, efficitur ager puluerulentus & sabulosus, salsus & pessimus, qui non recipit bonitatē per cultum, sed potius siccitate redigit in heremi solitudinē. In qua nulla plantarum recipere potest ad bonum usum mutationē. Adhuc autem si tanta sit solis debilitas, ut nihil de profundo terræ eleuare possit ad superficiem, sed potius cōprimitur continue ager loci frigiditate mortificante, quantumcunq; ille colatur non reddit fructū plantarum, nisi forte syluarū, eo quod syluarum arbores ualde in magnā profunditatē dirigunt radices, ubi est calor fumans ex superiore terrę constrictione, ad tantā autem profunditatem nec fossio pertingere potest, nec aratio, nec seminatio. Et ideo tales agri nec arabiles, nec satiui dicūtur. Omnia hæc quæ in superficie terræ nascuntur ex uaporibus de substantijs ad superficiem pertingentibus oriuntur. Satiuus igitur ager optimus est, qui uapore pertingente & non consumpto superius est calidus & humidus, mollem habens superficiem & porosam, qui & cultu facilis est & ferax seminibus in eum iactis. Est autem hoc imaginari per similitudinem balneorum, in his enim si quis calore moderate mouente quidem humidum, sed non consumente usus fuerit, diffundetur humidū naturale in mixtum cibale humido per corpus suū extendit carnes suas, & impinguabit eas. Si autem

autem calore immoderato & diu utatur, expirat humidum eius, & destruetur & macerabitur corpus. Propter quod dixit Palladius, maxime eligendum esse pinguem & rarum agrũ, qui calore rarificatus non dissolutus sit, & humido mul to spirituali ad superficiem deflexus, impinguatus sit. Secũdi autem meriti dicit esse pinguem & densum, hic enim & si densus sit, aratione est subtiliabilis & rare factibilis, & tunc efficitur cõueniens pingui & denso, hic enim labor cultus cum cultoribus non negligentibus ad uota respondebit. Cum autem istæ duæ dispositiones magis inueniantur in agro culto, pinguis & rarus magis uineis congruit, eò quod uites rari ligni sint, & ex denso non ita sugere possunt. Atq; plurimo indigent calore & humore uineæ, propter quod non conuenit ad uites terra densa, quæ & calorem impedit ad radices pertingere & humorem: pinguis autem & densa frugibus magis congruit, quæ solidum exigunt fundum & cibum propter grani siccitatem & soliditatem, solum autem nimis macrum, & melancholica quadam ariditate, nec frugibus conuenit, nec uineis, hoc enim reprehensam in uicina sui profunditate habet humiditatem, & hæc humiditas parum spirat, nisi forte ad arborum ex profundo generationem, & harum fructus aut nulli sunt propter frigus, aut immaturi, & inconuenientes. Et ideo plantæ in tali terra non domesticantur. Ea autem quæ nimio calore siccitatem patitur præ omnibus peior est, illa enim & in profundo & superficie destituta est humido, & ideo heremus uocatur, eò quod redacta sit in solitudinem, nec aliquid profert propter adustionem & salsedinem sabuli, nisi forte herbas ualde minutas & siccas ex aliquo modico uapore alicuius temperati temporis generatas. Propter quod optimus agricultorum Palladius dicit: id deterrimum terræ genus esse quod est siccum simul & spissum, macrum & frigidum.

De medicamine agri ut fiat satiuus, Cap. XVI.

CVm autem quidam agri in se quidem frigiditate steriles, aut humore, qui culti primo accipiunt medicinam, & postea in eis optime plantæ præcipue fruges proueniunt. In talibus enim terris argilla fossa terræ frigidę ministretur, ex argilla enim terra frigida accipit fœcunditatem, eò quod argilla calida est & sicca, proprietatem habens masculi. Terra autem frigida est & humida, eò quod frigus inducit humidum, & cum calidum siccum permiscetur frigido & humido fit temperamentum, & tunc terra illa ferax ita diu efficitur, donec per illuuionem imbrium non distillatur ab ea argilla, & tunc plantę in talibus terris ad meritum ueniunt, mutantes syluestrium proprietates in domesticarũ qualitates, tam in quãtitate fructuũ q̃ in qualitate. Si terra sicca est & amarę nunq̃ recipit medicinã, quicq̃d enim ingeri potest tali terræ totũ in adustionẽ & salsedinẽ & siccitatẽ conuertit. Propter quod etiam terra ad Iouẽ exclamans, se, in fabulis poëtarũ lęgit, conquestũ de incendio Phaẽtõtis, & nõ cõquesta de gelicidio

gelicidio Saturni, sciens quod malicia quę ex frigore est potest temperari, non autem adustio quæ est ex siccitate salsuginis. Similiter autem si terra humore infœcunda est, aliquod recipit temperamentum, foditur enim fossatis per trāsuersum, ad quæ primo descendit humor superfluus, ut postea defluat ab agro, tunc recipit temperamentū. Propter quod omnes fossas agrorū ad unam maiorem & decliuiorem deriuari facias per transuersales arationes & fossas, ut per decliuiorem ager è superfluo mūdetur humore. Eo modo quo etiam immutationes & euacuationes corpora curāt animaliū ex humore, & non qualitate tantum infirmata. Sicut duplex causa est ægritudinis in animalis corpore, quod uidelicet aut qualitate aut humore infirmantur, ita etiam est in agro. Et ideo cum terra frigiditate sola uincibili est sterilis, studeat agricultor infundere alterātem argillā, si autem ex humore solo eius infœcūditas est, studet euacuantibus eam redigere ad cultum, per modum fossarū qui dictus est. Sed terra quæ iam sic destituta cōbusta est, desperata est, sicut animalis corpus mortuum & incineratum. His igitur modis ager satiuus iuuatur ad domesticationem plantarum, præcipue in frugum cultu, quoniam de uineis sermo erit posterius, cum de agro consito tractabimus, in talibus enim non optimis agris, qui medicina plurima & continua indigent, diligēter obseruanda sunt tempora cultus & sationis. In terris autem frigidis autumnalem tempestiue oportet fieri sationem, ut planta aliquid roboris ante hyemis aduentū accipiat, nam si debilis nimis ad hyemis peruenerit frigiditatem, ipsa gelante glacie mortificabitur, & à fructu optato destituet̃, hoc autem maxime est in eo agro qui cum frigiditate etiam est siccus, nisi enim tunc tempestiue pręueniat̃ satio, non habebit robur contra hyemē macram & tenella plātatio. In agro autem calido & pingui differēda est satio quantū commode potest, quod si præueniatur in tali agro luxuriabit in herba, & cum totum in herba posuerit humidū substantię, non habebit uero tēpore unde producat semina utilia, nam eius satio non accipit ab hyemis frigore aliquod nocumentū, eò quod locatum sit semel in agro calido & pingui, & sic etiam à frigore hyemis lædi non potest, sed plantula potius impinguat̃ & retinetur à frigore hyemis, ne luxuriet, & tūc uerno superueniente calore multiplicia ex se formabit semina, & fructus in maxima ubertate producit. Similiter autē considerandū est in agris multū frigidis & humidis, qui circunpositi sunt maribus & paludibus multis, hos enim non conuenit seminare in autumno nimium autem laborant humore frigido, & seminum forma abluitur & perit, ita quod euanescūt in uere, & à fructu destituuntur, sed uerno tempore sata multipliciter habent humidū, & cum calor solis conualuerit, cito crescunt & fructificant. Et huius signum est, quod uidemus tales in siccitate temporum, quæ alios agros impedit, optime fructificare, temporis enim siccitas nimio agri humori coniuncta facit temperamentum, & fructuum reddit ubertatem. Propter quod etiam dicimus tales agros per sationem fabæ uel lini, si aliquando infœcūda sint, redire ad ubertatē, eò quod talia radicitus euulsa superfluam

perfluam

perfluam ipsius temperant humiditatem. Propter quod studium culturę sit circa huiusmodi agros, ut per congestos aggeres affluentem redundantiam impediant aquarũ, ne agri impediant superficiem, & per fossata in extremitate agrorum aperta, ea quę iam influxit aut per pluuias uenit educãt aquę humiditatem. Nullo autem ingenio, ut dictum est, curari ualet terra ex adustione longa & siccitate sterilis effecta, raritas enim eius humorem inductum non retinet. Siccitas autem letamen absumit appositum, & amaritudo innata impedit seminũ aut plantarum nutrimentum. Frequenter tamen super huius salsugine superficiem quandam terræ lenis & pinguis, quæ alluuione maris adducta est, inuenimus quæ longa putredine herbarum ibi est generata flumina enim in mare intrantia plurimã secum trahunt terram, quam eradunt de terris optimis, quæ dum ad mare peruenerit reflexu proijcitur super salsuginem littoris, & dum hoc fit continue tempore longo superficies talis terræ feracissima est in fructibus, qui non in profundum figunt radices, eas uero plantas quę in profundũ figunt radices nutrire non possunt, & ideo talis terra frugum quidem fert copiam, sed arbores aut nullę aut paruulæ nascuntur in ea, huius autem signum est, quod uidemus maria quæ bis in die naturali influunt & refluunt, & iuxta littora sua tales habere agros, maria autem stantia omnino iuxta littora sua sunt sterilia.

De cultu agri montuosi & uallicolosi, Cap. XVII.

AGri autem in conuexitatibus montium siti frequenter patiuntur siccitatem & macredinem, quoniam pingue quod est in ipsis defluit ad ualles, & ideo ualles quidem pinguissimi conuexa autem montium sunt arida, propter quod plantæ in eis non bene domesticantur per cultum, propter quod etiam in talibus locis præcipiuntur etiam ab agricolis per transuersum sulcari, ut in sulcis stet retenta pinguedo, quæ decurrit in pręceps si ex directo sulcus descendit. Propter quod etiam fiunt retinacula per materias ex transuerso ante agrum, ne humus defluat postquam fuerit exarata, quidam autem subtiliori ingenio humum hanc serunt non exaratam sed duram, & postquam seminata est humus euertunt eam super semina, aut aratro aut ligone aut alio fossorio, & non arant eam nisi semel, nec in ea comminuunt glebas magnas, quoniam si araretur sępius cõminueretur cum pluuia quæ cum impetu descendit, ex conuexu montis tota portaretur ad uallem, & periret quod seminatum est. Semen igitur in tali agro tenue & non bonum debet esse, tum propter cultus defectũ, tum propter impossibilitatem retinendi pinguedinem & humorem ex quibus semina conualescunt, & ideo etiam fimus letaminis sub terra in montibus non ponitur, sed potius in superficie, ne terra in intimis mota per humorem & impetum descendat in uallem, nec letamen æqualiter spargitur in mõtibus per totum, sed altius plus letaminis ponitur ubi plus de humore abluitur, secundum quod declinat conuexitas de letamine ponitur quantitas. Inferiora enim per se descensu humorũ pinguescunt,

guescunt, superiora autem pinguedine per alluuionem restituuntur, dum autem plus letaminis ponitur ubi plus de humore abluitur, & minus in loco ad quem plus letaminis per alluuionem imbrium apportatur, fit quædam temperamenti æqualitas. Fructus autem conuenientiores sunt montium quàm uallium, quoniam reuerberatio solis ad montem maior est, & humor moderatus citius obedit digestieni, & loca ipsa montium sunt uaporosa, quia uapor maturantem adiuuat calorem. Ex his ergo animaduertendum est, quod quæcunque plantę aromaticos & calidos & siccos habent fructus, hoc magis congruit in montibus plantari & seminari, propter loci calorem & siccitatẽ, quæcunque autem solidos & humidos habent fructus, his magis competit in uallibus seminari quàm in montibus. Propter quod uina & aromatica meliora sunt in montibus, & in genere frugum auena melius quàm triticum, uel siligo in montibus prouenit. Frumentũ autem hordeum & siligo melius in uallibus proueniunt, propter suorum granorum soliditatem. In ualliculoso autem agro necessario est fieri fossatum in medio uallis magnum & multa parua ad ipsum descendentia, per quę humoris impetus defluat, ne uenientes de monte torrentes submergunt semina quæ iacta sunt in ualle. Sic autem agro culto domesticum seminibus & radicibus plantę ingerit nutrimentum: & ideo planta domestica tunc efficitur cum ager satiuus, ut dictum est reperitur, cum enim uenter & mater sint uegetabilium, oportet ut ipsa ad cultum redacta semina secundum agros suas mutent dispositiones. Digerũt autem cibum & faciunt eum cholericum, aut phlegmaticũ, aut sanguineum, & postea per dispositiones cibi alterantur corpus & substantia plantarum, nam sicut arte medici dispositiones laudabiles acquirit uenter, & tunc ad laudabiles dispositiones mutat cibum & corpus, sic sapiens agricola laudabiles dispositiones mutat agrum per cultum, quo laudabiliter dispositio etiam plantę laudabiles acquirunt dispositiones. Eadem autem operatio est inter partum & matricem, & agrum, & plantam, quoniam licet operatur sicut sperma masculi, qui sicut artifex mouet & format partum, tamen quia sanguis menstruus trahitur in nutrimentum partus in multis sequitur matris & matricis dispositionem, in agris autem & plantis, hoc est, plusquã in matrice & partu, quia in plantis, sicut in ante habitis est ostensum, non est proprie masculus & fœmina, sed permixtæ sunt hæ uirtutes in eodem, propter quod terræ dispositio tota est quæ alterat plantam ad domesticę uel syluestris dispositionem.

De cultu agri noualis, Cap. XVIII.

Ager autem qui noualis ab antiquis sapientibus uocatur est duplex, unus quidem qui primum ad cultum redactus est, alter autem ad quem interpositis quibusdam quietibus, necesse est suam redire nouitatem, sicut est ager qui duobus annis seminatur, in tertio quiescit, aut in quarto, aut in quinto, aut in sexto, aut in septimo, usque ad hunc enim inuenimus diuersitatem quie-

tis agrorum. Noualis autem qui uno anno seminatur, pluribus annis quiescere uult, omnino malus est, & cultui & cultori ad uota non respondens laboris. Studium autem quod habetur in agro noualium, qui nunc primũ ad cultum sunt redacti, est extirpatio syluestrium, quarum radices nisi extirpentur omnem sugũt agri humorem, & non permittunt semina nutriri, & ad debitũ uegetari, propter quod etiam pręcipitur, agrum non seri diuersis seminibus, uel humidum adurat, aut exiccet alterum, attrahendo ad se nutrimentum. Extirpatis autem illis, serit̃ ager, & primo quidem propter non adustam uirtutem terræ quam cõtraxit longo in ipsa putrefactione herbarum ac stirpium diuersarum diu ferax est, aut sine aut cum paruo letamine, deinde oportet adhiberi letamen si ferax debet permanere, & nisi sit pinguissimus ager oportet aliquam interponi quietem. Pręsertim quando cum substantia herbali uel paleari plantę seminatę, aut metuntur, aut radicitus euellũtur: extracta enim agri pinguedine & uirtute, necesse est ut nudus ager soli exponatur tertio uel alio anno cuius calore & lumine uirtutẽ accipiat germinandi, sicut habuit in prima seminatione, spiritus enim uiuificus plantę dũ per semina & plantas attrahitur humore & spiritu uiuifico terra destituit̃. Et terminato tempore quiescit, ad agrum iterum reuocatur, sicut reuocat̃ ad uterum uirtus concipiendi per quietem inter partum & partum. Ad unum autem agrũ redit citius, & ad alium tardius, secundum quod ager magis & minus fœcundus calidus, & humidus, & porosus, & siccus, & pinguis, & subtilis inuenitur. Hoc autem ostendit & ipsum nomen, quoniam naualе est quod redit ad uirtutem pristinam per quietem innouatam, omnium enim operum physicorum testant̃ opera, quæ enim cum labore & expressa uirtute perficiuntur, nisi quiete interposita uim & restaurationem accipiant, & dissoluuntur & corrumpunt̃. Quicunq; igitur agri continuatis sationibus fructificant, continue ex cœlo & humore suorum principiorũ accipiunt innouationem, qui instaurati semper possunt accipere pullulationem, & ideo continue seminantur. Quicunq; autem ager continuo humore non modo infusus est, sed etiam coopertus illo in maiore parte anni, quod ita intelligas in hyeme scilicet & uere, quãdo debent pullulare semina, & in autũno quando serendũ est, coopertus est nimio humore frigido, & grosso infusus. Ab Ægyptijs qui primitus agros distinxerunt uocat̃ hic ager subteneus, aut temulentus, & ille nec noualis nec satiuus, quia in æstate quando in superficie siccant̃ scinditur magnis scissuris lutũ, quod est in superficie ipsius ex aqua frigida grossa quæ cooperuerat eum in superiori parte luti eius, & hoc impedit pullulationem bonarum plantarũ. Si quæ etiam nascant̃ plantæ in tali agro syluestres remanẽt, quia acidæ uel amarę sunt in sapore propter grossitiem & frigiditatẽ & copiam humoris, & in semine, & in fructu destituunt̃ propter defectum humidi, ex quo causant̃ semina & fructus. Atq; igitur quia tempus æstatis non est ad pullulationem fructuũ, sed ad maturitatem & exiccationem, & ideo pronunciant de hoc agricultores, quod deserendus est, quia nulla utilis planta in ea mutari potest ex

syluestri

syluestri in cōuenientes domesticis plantis proprietates, ut supra. Alium autem agrū uliginosum esse dixerūt antiqui cultores, de quo ratiocinati dixerūt ipsum ad cultum redigi non posse. Et hic est qui heremi habet naturam, cum enim partes in superficie non habeant solidatas & cōtinuitas non radicabit in eo, & florebit, aut fructificabit aliqua perfecta plantarum. Nam planta quærit locum solidę continuitatis in quo radicetur & floreat & fructum ferat. In uliginoso enim tota superficies est porus, & quod est subtilis humoris in fundo totum euaporat, nec retinetur aliquid in superficie quod reflexum contineatur & constet, & planta perfecte formetur ex ipsa, & ideo quia talis ager plantam non suscipit, non potest etiam per arationes aut fossas ad hoc redigi, ut in eo fiat aliqua domesticatio plantarum, & ideo relinquendus esse censetur, & in piscinas & lacunas redigendus. Alij tamen dicunt quod terra uliginosa in qua semper inseparata manet humiditas, dicentes, quod uligo est naturalis humor terræ, ab ea nunquam recedens, ut inseparabile accidens, & in hac opinione uidetur esse Palladius, qui ait, quod omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem in genus siliginis commutatur. Nam talis transmutatio ex superflua humiditate procedit. Et in multis alijs locis idem Palladius sentit, & cum eo concordat Varro & alij multi qui de hac materia tractauerunt.

De tempore & modo arandi & dissipandi herbas malas, Cap. XIX.

Pingues & sicci agri in locis aridis mense Februario & Ianuario possunt proscindi & arari, in locis uero temperatis & humidis mense Maij & Aprilis, uidelicet quando eis superflua humiditas est consumpta, & terra iam ad ęqualitatem inter humiditatem & siccitatē peruenit. Eodem mense Aprili & Maio pingues agri, qui diu aquam tenent, proscindantur, cum omnes herbas protulerunt, & eorum semina nondū sunt maturitate firmata. Et sicci de quibus primo diximus, possunt secūda uice arari mense Iunio & Iulio, secūda uice arant agri humidi, quos diximus mense Martio & Aprili, uel Maij esse sulcādos. Mense Augusti humidi agri tertia, sicci uero secūda uice arent. Mense Septēbri pinguis ager & qui diu consueuit habere humorem tertia uice arabitur, quamuis humido anno possit & ante tertiari. Nunc ager humidus, planus, exilis seritur & aratur. Cliui graciles nunc primum arandi sunt & serendi. Boues melius collo quàm capite iunguntur, quos ubi ad uersuram uenerint arator retineat, & iugum propellat, ut eorum colla refrigerentur. Sulcus autem in arationibus secundum Palladium longior quàm centum uiginti pedum esse non debet, sed ex consuetudine cultorum Lombardiæ & Romamniolæ usq; ad ducentos pedes & ultra sulcus extenditur. Cretosa terra profundius, soluta uero minus profunde aretur. Seruandum est etiam ne inter sulcos terra non mota relinquatur. Gle

bę omnes sunt dolabris uel malleis, aut ligonibus dissipandę. Sed æqualiter totam terram motam esse agnoscis, si transuersum per sulcos particam mittes, quę res sæpius facta bubulcos ab hac negligentia submouebit. Obseruandum est ne lutosus ager aretur, aut qui sit post lōgas siccitates imbre leui perfusus. Nam terra quæ lutosa tractatur in principio, toto fertur anno tractari non posse, quę uero leuiter superinfusa est, & subtus sicca, si tunc aretur, asseritur per triennium fieri sterilis, & ideo mediocriter ager infusus, ut nec lutosus sit, nec aridus debet proscindi. Si collis est transuersus sulcetur per latera, quæ forma tūc cum semen accipit est seruanda. Si agros incultos aperire uolueris, considerabis an sit humidus, ager an siccus, syluis, aut germine, filice uel fruticis uestitus. Si humidus erit, fossarum ductibus ex omni parte siccetur, sed apertę fossæ notę sunt, cæteræ hoc genere fiunt, imprimuntur sulci per agrum ex transuerso altitudine pedum trium, postea usq; ad medietatem lapidibus repletur aut glarea, & desuper terra ęquatur, sed fossarum capita unam patentem fossam petant, ad quam decliues recurrant, ita & humor deducetur, & agri spacia non peribunt. Si defuerint lapides sarmentis uel stramine cooperiuntur, uel quibuscunq; uirgultis. Hæc autem mense Maio fiunt, & etiam alijs mensibus secundum qualitatem humiditatis terræ consumptę. Si nemorosus est, extirpatis aut rare relictis arboribus colatur. Si lapidosus per multas partes saxorum terra collecta purgari poterit, & nutriri uel muniri. Iuncus gramen & filices frequenti aratione uincuntur. Sed filicem si sæpe fabam conseras uel lupinos, & subinde nascentem mucrone falcis recidas, inter exiguum tempus absumes. Mense Iulio utiliter uel ante caniculares dies filicem extirpabimus & caricem hoc mense cum sol cancri tenebit hospitium, luna sexta in capricorni signo posita, gramen ablatum Græci asserunt nihil de radicibus rediturum.

De semine in communi, Cap. XX.

DE seminis autem natura & uirtute in præcedentibus dictum est, sed hic attendendum est, quod semen duo continet, quorum unum est uirtus formatiua, quam habet de cœlo, cum calore & spiritu instrumētaliter formatiuæ deseruiunt, calor quidem digerendo, segregando & subtiliando, spiritus autem uehendo uirtutem. Alterum autem quod habet semen est substantia formalis, quę immixto sibi humido suscipit formationē & figurationē in planta & plātę organa. Attendendū est igitur in omni seminatione, ut seratur semen quando adiutorium maius habet de cœlo, hoc autem est quando iuuatur calido humido & uiuifico lumine solis temperato, quod in ipso aliquantulū temperatū est adustiuum humidi, in sole enim est coniunctū sicco, & ideo est aliquantulum adustiuū humidi seminis, & ideo nouella semina & plantas teneras aliquādo obumbrāt à feruore solis ij qui hortos prudēter excolunt, sed in lumine lunę est lumen eiusdem

men eiusdem solis coniūctum frigido temperato & humido, ut ex lumine solis habeat caliditatem mouentem, & ex frigido temperato recipiat temperamentum, & ex humido moueatur siccitas ipsius. Inceso igitur primo lumine in luna, cum ipsa est calida temperata & humida iacienda sunt semina, quia tunc conuenientius iuuatur uirtus eorum à luna, propter rationes iam inductas, mouebit enim tūc uirtutem formatiuā, calor enim eius & spiritus adiuuatur à temperato calore lunę, & ab humido lunę iuuatur materia formalis quę formanda est. Nec oportet attēdere ad stellas alias, quoniam uirtus illarum communicatur lumini solis & lunæ per applicationem lunę ad eas, quę in omnibus applicatur respectibus eorum quolibet mense per recessum & accessum, & ideo antiqui sapientes lunam cœlestis militiæ reginam uocabant, & uitream Dianę lampadem. Ratio prioris nominis est, quia uicina nobis existēs plus influit super inferiora quā alia cœlestis uirtus, & applicās se in spacio mēsis, quolibet mense perficit mutato lumine, quod omnia perficiunt in spacio multorū annorum. Propter quod egregius philosophus Aristoteles dixit, quod luna facit in mense, quod sol facit in anno, hoc est per hyemem & ęstatem, uer & autūnum. Quoniam à prima accessione usq; ad diminutionem luminis eius est calida & humida sicut uer, & à diminutione luminis eius usq; ad plenitudinem est calida & sicca, sicut æstas. Et à plenitudine usq; ad diminutionem secundam, est frigida & sicca. Et à diminutione secunda usq; ad effectum, est frigida & humida, corrupto seminali humore phlegmatico. Propter quod si satio est, & fiet tempore quo est calida & sicca, exiccabitur humidum substantiale seminū, quod formari debet in organa plantæ, & non proueniet plantę perfectio. Si autem tempore illo fiet satio quo est frigida & sicca, non mouebitur calor seminum, nec iuuabitur humidum. Et ideo satio non erit cōueniens. Si autem tempore quo est corruptę senectutis frigida & humida existens, putrescent forte semina, & non proueniet utilitas sationis. In prima autem satione omnia iuuātur & proueniunt utiliter, & ideo dicitur uitrea lampas Dianę à frigida luce succensa. Dianā enim lumen aëris esse fabulant poëtæ, qui aër spiritualiter existit in corporibus animatorum. Lampas enim huius spiritus corpus lunare est, quod per lucem cōcepta & temperata à sole formata profundit, & spiritus animatorum, & mouet eos, ut moniti proferant uirtutes ad naturales operationes, quas sol si per se moueret, dissolueret, propter nimiam sui intemperantiam & siccitatē ideo enim frigus lunę peroptime obsequitur, qui continens extrinsecis & accidens intrinsecus temperate, & mouet interius spiritus ad naturales operationes, & non sinit eosdem dissolui per euaporationē, quia frigus temperatum circundans intrinsecus reprimit & reflectit spiritus ut interioribus confortentur: maxime autem hoc est in plantis, quæ non agunt nisi naturales operationes, & non sunt sensibiles, sensus enim magis confortantur extra, & naturalia magis ugent in interioribus. Attendendum igitur est, ut in accessione lunę seminet istis rationibus. Oportet aūt considerare quartā circuli decliuis, in

qua mouentur lumina uiuifica, cum in circulo decliui fit generatio & corruptio in uegetabilium. Non est tamen in omnibus partibus causa generationis, sed in quarta quæ est ab ariete in cancrum. Omnis ergo satio est perfecta, antequã sol accipiat arietem, quia tunc semina in matricibus suis non inueniēs, sed in matrice terræ deuorabit ea, & uiuifico lumine mouebit. Et autumnales quidem satio nes nunc radicatę mouebuntur in debitam suę substantiæ quantitatem, & flores & seminum formationem. Vernales autem seminationes etiam in matrice terræ iacentes tunc pullulant, & adiuuante sole temperato florebunt, & generabũt ante tempus eximię siccitatis. Nec oportet quod multũ obseruentur uenti, quo niam licet auster euocet terram, & pullulare facit plantas, tamen aquilo quãdo non est mortificantis frigiditatis continet semen, ne euaporans dissoluatur. Sed plerunq; cauendum est, quod ager non seratur diuerso simul semine, sæpe enim contigit quod unum semen magis cõtrahit quàm alterum, & tunc unum adurit alterum, & aliquando per appositum tractum utrunq; impeditur à germine. Vi demus enim quod plãta iuxta helleborũ uel scãmoneam posita contrahit ꝓprietates eius, & zizania iuxta triticũ posita ipsum adurit, similiter facit corilus, uel caulis circa uitem, & sic est de multis alijs, & sic etiam absq; dubio diuersitas seminis subtile humidum, quod est in agro, contrarijs uirtutibus corrũpit, quod non bene proficit ad fructum domesticum, sic etiam diuersitas seminum animalium, quãdo unum coit cum fœmina alterius speciei, corrumpit utrunq;, ita quod neu trum perficit fœcunditatem. Propter quod cauẽdum est ab huius diuersitate in pluribus. Quædam autem semina per experientiam inueniuntur se inuicem non lædere, sed simul sata conualescere, & fructus ubertatem successiue afferre, uelu ti cum serunt tempore congruo in pastinato solo semina atriplicum, spinachiæ, fœniculorum, lactucarum, petrosilini, satureię, bliti & caulium, ex quibus primo euelluntur atriplices, secundo spinachia, & ex caulibus quidam ut transplantent, uel omnes, uel nimis spissæ rarificentur & sarculantur, & successiue colliguntur remanẽtibus ex quolibet genere quibusdam seminibus propter semina. Item seruntur congrue simul triticum & spelta, milium & panicum, & phaseoli, & similiter hordeum & frumentum. Amplius autem si ultra mensuram iaciantur semina in agro, macilentia & non proficientia erunt. Sed si seratur ager secũdum pro portionem cibalis humidi quod est in ipso, ita quod radices dilatari & confortari possint, tunc enim planta exurgens fortis erit, & proferens fructũ, quem quęrit ex labore culturæ. Hæc igitur diligenter esse attendenda & naturalis suadet ratio & experientia cultus. Oportet etiam attendere ne forte uel ipsa semina iacta sint corrupta, & ideo præcipit à Palladio, ne semina iacta uetustiora sint quã annua, si enim uetustatem habent ultra annum, nimis exiccata sint, & uirtus formatiua proprio subiecto destituto, humoris radicalis substãtię destituta euanuit, & ideo talia raro proficiunt. Præterea frumentum & talia semina eligantur, pręcipue in ea regione quam colimus, uel probemus aduecta. Nam omnium surculorum

culorum uel frugum genera præclara terris tamen tuis experta committere debes, in nouo enim genere seminum ante experimẽtum non est spes tota ponenda. Et nota quod semina locis humidis citius quàm siccis degenerant. Omnia legumina à Græcis autoribus seri iubẽtur in terra sicca, faba tamen in humida terra iubetur spargi, licet temperatis agris serendum sit, tamen si siccitas longa sit, semina magis in agris quàm in horreis seruabuntur. Si necessitas cogit de salsa terra serere aliquid, post autumnum plãtanda uel conserenda est, ut malitia eius uberius imbribus eluetur, aliquid etiam terræ dulcis uel fluuialis arenę subijcien dum est, si illi uirgulata cõmittimus locis uliginosis, aut exilibus, aut frigidis, aut opacis. Mense Septembri circa æquinoctiũ triticum & alia semina quæ ante hyemem seruntur, dum serenitas constat congrue seminant̃, ut eorum radices ante hyemem conualescãt. Siccis uero, aut pinguibus, aut calidis, aut soli expositis locis post dicta tempora seminentur, dummodo usq; ad hyemis gelicidium nulla tenus differãtur. Præterea fiunt seminaria in quibus nutriuntur tam semina quàm surculi, & cum adoleuerint in alium transferũtur locum. Hoc seminarium talem terram & taliter præparatam desiderat, ut in tractatu proximo scriptum est. Sed ut scribit Varro quę in seminario nata sunt: Si loca erunt frigidiora, quæ molli natura sunt, per brumalia tempora tegere oportet fronde, aut stramentis. Si erunt imbres secuti, uidendum ne alicubi aqua consistat, uenenum est propter gelu radicibus tenellis sub terris & supra uirgultis, ne eodem tempore aquæ crescant, quia ratione terræ tempore propagantur, supra terram aẽre frigidiore cingun tur. Quod ita esse docent syluestria, ad quæ sator non accessit. Nam prius radices nasci solent, nec longius procedunt nisi quo tempore uenit sol, duplex causa radicum. Nam quædam arbores naturaliter longius producunt radices quàm alię, & quia alia terra facilius uiam radicibus quàm alia dat. Si autem seminarium surculis consitum est, cacumina quæ molliora erunt natura, ut oleæ, aut ficus integenda sunt binis tabellis dextra aut sinistra ligatis. Præterea scribit Cato quod terra seminarij talis esse debet qualem desiderant semina & surculi ea sita. Item dicit quod surculi non debent eminere nisi quatuor digitis supra terram, & cacumina debent fimo bubalo obliniri.

De plantatione & modis plantandi, & de electione plantarum, Cap. XXI.

ARborũ quędã fructũ faciunt & semen, in fructus carne reclusa: quędã uero nullũ fructũ ferunt in quo semẽ aliquod inuenit̃, ex quo possit planta similis generari. Quę fructũ & semẽ faciunt, quędã grossum & potens in dura testa reclusum. Quę semen paruũ & debile faciunt, uirtutẽ generatiuã habent tam in semine quàm in ramis diffusam, & ideo ex utroq; plantari & cõualescere possunt, licet plantatio ex semine tali sit periculosior, & quandoq; in longã speret̃ ætatem, & ex eo non domestica sed syluestris plãta nascat̃. Ex ramis uero

plantatio citius & facilius conualescit, & inde domestica planta prouenit non syluestris, si ex planta domestica ramus fuerit talis acceptus, & in hoc genere est uitis, malagranata & ficus, & multæ aliæ. Quæ uero semen forte faciunt, uirtutem generatiuam habent, maxime in ipso semine collectam. Ideóque ex ipso semine melius quàm in ramis proueniunt, & huius generis sunt nux, castanea, amygdalus, & aliæ similes. Arbores uero quæ multum ferunt fructum, uirtutem generatiuam diffusam necessario habent in ramis, cum natura eis specialem non deputauerit locum, ubi eorum sperma seu semen colligerent, ideóque ex ipsis ramis cum suis gemmis, aut ex plantis cum radicibus uel sine radicum matre euulsis, optime conualescũt, & maxime quę poros habent apertos, per quos facile transeat nutrimentum. Siue autem ex semine, siue ex radicibus plantas aliunde diuulsas plantare desideras, considera utrum locus in quo plantare intendis sit insidijs bestiarum expositus, aut clausus, aut tutus à nocumento corrosionis earum, si est insidijs expositus, melius est quod in aliquo loco clauso, umbris tamen libero, cuius terra sit soluta, dulcis & aliquantulum stercorata, & optime subacta ligonibus, & maxime noua sursum & desubtus eleuata. Omnia semina, rami aut plantulæ duobus distantes pedibus aut uno in seminario plantentur, uidelicet si sint fortia semina, ut nuces, amygdala, & similia. Si uero sint debilia, ut uitis, malagranati, plantæ, & pini, & similium, tria uel quatuor coniunctim ponantur, ut debilis uirtus unius alterius auxilio sustentetur, & assidua seu frequenti fossione dissipent herbæ nascentes, nec ibi aliquæ domesticæ seminentur. Fiant etiam irrigationes tempore magni æstus, cum cœlestis diui negatur infusio. Sit autem aqua irrigans non frigida, mortificans, nuper de puteis hausta, sed de piscinis seu paludibus letaminis aut foueis corruptis accepta, uel sit puteorum uel fontium, postquam eam exhaustam & in aliquo loco positam rectificauerit calor solis, cui multum proderit si in ea modicum fimi ponas, eámque sæpe moueas & impingues, & cum earum summitas iniuriam corrosionis bestiarum duobus uel tribus annis elapsis euaserit cum uniuersis radicibus transferantur ad scrobes, in loco uidelicet ubi eas postmodum stare disponis, iuxta quas palos figas ex spinis si oportunum esse uidebitur inimicis. Si uero locus clausus ab iniurijs bestiarum tutus existat, statim semina, ramos uel plantas in loco ubi perpetuo stare debebũt confidenter pone, & eis eadem tribue auxilia quæ super his in seminario nutriendis relata sunt. Spacia uero inter arbores seu uites seruentur secundum multitudinem arborum & terrarum consuetudinem approbatam, & præcipue secundum quod de singulis plantis aridis suo loco dicetur. Scrobes autem fiant latę ac profundę secundũ magnitudinem plantæ & radicum, dum tamen in solo arido uel decliui profundius, & in humido aut depresso minus profunde plantentur, & in mediocri mediocriter infigantur. Si nimis cretosa est, letamen & sabulum misceatur, & si nimium sabulosa letamen cum creta ponat, ita tamẽ quod in macra terra plus, & in pingui minus letami-

nus letaminis apponatur. Sit autem fimus qui huic apponitur non porcinus, sed aliorum animalium, bene maturus. Cum autem planta trãsfertur domestica uel syluestris, pars ad meridiem uersa rubrica signet, uel aliter, ut translata eiusdem cœli quibus ante steterat cardinibus apponatur. Cum uero plantas in scrobe de ponis, quod de radicibus læsum inueneris amputabis. Obseruandum est tamen ne terra in qua plantatur sit nimis mollis, incongrue enim radicibus ad iptatur, quæ uero nimis sicca est sua superflua siccitate radicum plantulæ naturalem humiditatem consumit, sed inter utrunq; prædictorum tenens medium, puluerisabilis seu dissolubilis sit, & conuenienter aptetur radicibus, aut ramis sine radice plantatis, & pedibus mediocriter conculcetur. Quod si necessitas te coēgerit in terra nimis sicca uel molli plantare, de locis alijs conueniens apportetur usq; ad omnem coopertionem radicum, & etiam usq; ferè scrobis repletionem, si habueris abundantiam eius. Fiant autem plantationes prædictę mense Octobri, aut Nouembri in locis aridis & montuosis & calidis, ut eiusdem terrę superflua siccitas circa plantas humiditatem hyemis temperet. In humidis autem & uallicu losis locis & frigidis conuenientius in Februario, & Martio mense plantatur ne superflua hyemis & loci humiditas debilis plantæ calorem extinguat, in tempe ratis autem locis utroque tempore satis congrue plantantur uel etiam transplantantur. Hæc quidem dicta in his quæ cum radicibus plantantur proprie locum habent, quæ uero plantantur semine mense Ianuario ponenda sunt, non amplius quàm ternis digitis sub terra posita, ut semine mense sequenti Februario tumefacto, statim cum primo ueris & solis calorem senserit aperiatur cortex, & pullulet noua planta. Quod si locus sit calidus & siccus, conuenientius Octobri uel Nouembri mense ponuntur. Et rami qui sine radicibus plantantur mense Martio infigantur, ab arbore nuper abscisi, cum uiridis succus sit cortici iam infixus. Quorum quidem plantatio satis etiam aperte fieri poterit mense Octobri post humidum autumnum, cum nondum humor & spiritus uiuificus plantæ fugam habuit ad radicem. Nam tempore maximi frigoris calore naturali arboris ad terræ uiscera calida fugiente, secumque humorem spirituum trahente, si tunc rami aut palmites plantandi recidantur à matre, plantati debiliter conualescunt. Ramusculus qui plantatur torquendus non est, nec aliquo modo uexandus, & pars ea de qua radix speratur, iniuriæ nullæ subijciatur, & maxime in his quæ amplos poros & ligni raram compositionem habuerint, aut medullas magnas, ut est salix & uitis & similia, hæc seruabis. Sed in his plantis quæ solidum & spissum lignum habent, ut buxus & sauina uel similes forsan proderit si rami pars scindatur inferior, & in scissura mittatur lapillus, ut per longitudinem pororum plantæ facile humor terrestris ingrediens plantam nutriat & conualescere faciat. Caput inferius in terram figendum non rotundo, sed longo uulnere transuersum, ferramentis incidatur acutis, aut ab arbore laceratus plantet, sic enim poros quibus attrahit nutrimentũ apertiores habebit. In omni

plantatione

plantatione quæ post hyemem in locis calidis & siccis facienda est utile puto, si scrobes modico maturo letamine iuxta repleto succo, aut lauatura letaminis aspergatur leniter, ne terra condenset, & fossa modicum uacua relinquat, ut æstatis tempore imbres colligat facilius, qui eius superfluam temperent siccitatem. In his autem plantationibus quę ante hyemẽ fiunt, erit melius terram circa plantas exaggerare, ipsamq; fortius cõprimere, ne ad plãtas superflua humiditas digestionem impediens colligatur, & rami qui plãtandi, sint potius biennales, quã anni unius tantummodo existent, exceptis uitibus & quibusdam alijs in quibus unius anni tantummodo esse debent. Atq; tales eligantur qui sint lęti, succosi, nitidi, gemmis grossis & pluribus oculati, & ad unam tantam materiam redacti, in pluribus autẽ amputat congrue summitas, & in determinata longitudine relinquunt, ut in salice, uite, oliua & ulmo placet, & in quibusdam alijs his similibus.

De insitionibus & per quas plantæ syluestres domesticantur, Cap. XXII.



INsitio fit multis modis, sed ea quæ maximè proficit, ut per eam rudis syluestrium dispositio mutetur in domesticam, & usui conuenientẽ dispositionem, est quod similium fiat insitio in similia, secũdum genus, & non secundũ speciem, sicut piri in pirũ, & mali in malũ, & sic de alijs, si enim diuersa genere in diuersa inserantur, nutrimentum talium ad alteram dispositionem alteratum uix bene nutriet, & forte corrumpit plantam insitam, per rationem quam diximus de corruptione seminis animalium & agrorum, quando diuersa seminũ genera permiscentur. Est autem plantarum ad inuicem inter omnia animata plurima similitudo, licet enim arbores speciebus suis differant, tamen lignum unius speciei non multum distat à specie alterius, & hoc contingit ideo quod forma formalis plantarũ inter animata plus est immersa materiæ, & quasi in nullo uel in modico eleuata supra eam, propter quod etiã uita eius occulta est, hac igitur de causa fit quod arbor unius nutrimentum digestionẽ habet sufficientẽ, prima ut nutriat aliam, & secũda digestio adhibita per aliam cõuertit succũ in saporẽ & figurã fructus, secundũ quod uenit secũdę. Et ideo etiã quãdo dissimiles sibi plãtæ inseruntur conualescũt & fructificãt, optima tamẽ insitio est, ut diximus, similis quãtũ potest in similia, pręcipue in trũ

cum aut

cum aut ramos omnes incisos, ut sæpe probaui. Item ait Varro quod melior est insitio in arborem domesticam, quàm syluestrem, quia meliores fructus producit. Item melior fit immutatio in toto quã in parte, quia aut omnis insitio fit per infixionem unius in aliam, & per fortem alligationẽ, ita quod insita quasi uenas radicales spargit in eam cui inseritur, fit quod illa, cuius mollicies tanta est quod citius conteritur quã infrigi & colligari ualeat, non posset inseri alicui plantæ, & ideo herbæ molles habentes stipites, ut olera & nimis tenelli surculi nulli plantę quãdiu tales sunt inseri possunt, quoniã inserta non cito radicatur in ea cui inseritur, sed oportet quod progressu temporis confortetur & continuet᷑ cum ea cui inserta est. Hæc igit᷑ est causa quod mollis planta, nec in mollẽ nec in duram, nec in similem nec in dissimilem inseri potest. Nec etiam in eam quæ multũ dura est cõuenienter inseritur, multũ enim dura nõ de facili in se uenas radicales recipit, propter ariditatẽ & difficultatẽ duræ perforationis, & ideo tales insitiones plerunq; male proueniunt, sed inserentes quærere debent parua fraga & recentia, in quibus sit multa succositas, & parua durities, quæ quidem sustinere possit colligationem, & facile aperiatur à calore naturali. Hæc enim cum inserit᷑ cito aperit se uersus eam cui inserit᷑, & emittit in eam uenas radicales, per quas sugit melius nutrimentum quam sugeret ex terra, & ideo tunc conualescit insita melius quã sint terra esset fixa. Hęc est ratio in surculi insitione. Item sunt surculi inserendi steriles, quia qui ferentes fructum tantum ponunt, non facile ad debitũ uenire possunt augmentũ. Item de nouo nati, propter rationes prędictas gẽmis grossis, spissis & pluribus oculati, quia ibi abundantia generatiuę uirtutis, quæ maximę in humore digeste & spisso & optime cõmixto, in gemmis coadunato consistit. Item ab orientali arboris parte decisi, quia in ea magis quã in alia parte in ramis propter illustrationem temperati caloris solis est caliditas & humiditas, quę omnibus animalibus sunt causa uitę, sed etiam ex alijs partibus acceptę conualescunt. Oportet autem scire quod insitionum multi sunt modi, qui optime proueniunt, & à syluestritate ad domesticationem plantam trãsmutant. Primus quidẽ est, quod fraga eiusdem arboris omnia ultra medium medullę ex transuerso inciduntur, & tunc allige᷑ quod incisum est, sicut uulnera ligari consueuerunt, & circumponatur cera uel lutum ad pluuiæ & extrinsecorũ nocumentorum defensionem, & ne rumpi aut eorum plagæ aperiri agitatione uentorum possint, conuenientibus perticis muniant᷑, statim enim cõsolidato uulnere superior pars emundatum in sapore profert fructũ, propter digestionẽ succi in nodo factam, & hoc proprie dicitur incisio, quo quidem plantam in alteram non trãsmutat speciem, seu genus, sed eam de syluestri domesticam facit. Secundus autem modus est, quod una & eadem arbor abscindatur in trunco, & fragum superius in eadem arbore acceptum trunco suo inseratur, tunc enim conualescens insita profert fructum alterius generis in sapore, & quantitate, & figura, quam prius protulerat, & iste modus fecit diuersitatem omnem, quæ est in malis & piris, &

cęteris

cęteris fructibus, tanta enim est uis nodi & conuersionis pororũ qui prius ascen derunt, quod succum ex nodis retentum dirigunt ad aliam formam plantalem, quæ forma monstratur in quantitate & sapore fructus. Tertius modus inuẽtus est in uite, & quibusdã alijs quę ex medulla crescunt, uidelicet quod gemma uni us uitis excidatur usq; ad medullam profundo uulnere transuerso & obliquato, & tantundem de gemma uitis alterius eruitur, & loco alterius ponitur, & fit colligatio sicut in alijs, & tunc conualescit & fructificat, & fieret forte in alijs arbori bus, sed in uite expertum est. Quartus uero modus insitionis est, quo fragum unius arboris in aliam inseritur arborem conualescit & fructificat in ea per modum qui sępe dictus est. Et iste modus regulariter cum fuerit magis similium erit melior, & citius conualescens, & fit proprie in illis arboribus quę rectos habent poros & per tunicas ligatas à radice accipiunt nutrimentum. Sed iste modus & similiter secundus in plures subdiuiduntur modos, & unus quidem est, quo surculus inserendus inter corticem & lignum nouæ matris imprimit̃, secundus est, cum surculus scisso infigatur ligno: tertius qui fit more emplastri, quartus qui dicitur ad buccellum, quintus uero salicis pertica perforata. De omnibus per ordinem dicendum est. Primus quidem modus quo surculus inter corticem lignumq; deponitur, fit hoc modo, truncum serra decidamus acuta, in loco nitido & succoso, ipsumq; cum fascia corticis desuper poliamus, deinde uimine salicis aut ulmi ligamus, ibiq; inter corticem & lignum cuneum ferreum, uel osseum in acutum tendens ab una parte latum & ab alia quasi rotundum tribus prope digitis considerandum deponimus, ne corticis fascia scindatur, & in eum locum subducto cuneo statim surculum mergimus ab una parte decisum, salua medulla & cortice partis alterius, pellicula exteriori remota, ita quod optime trunco adhæreat surculi incisura, qui super truncum quatuor aut sex digitis emineat, uel usq; ad octo, duos uel tres, uel plures surculos pro trunci cõstituimus qualitate, quaternis digitis, uel amplius ad minus inter eos spacium relinquimus, & lutum desuper cõuenienter ponimus & disponimus peciam uel ligamus. Hic autem modus optime comprehendit & conualescit, sed fieri non potest nisi mense Martio uel Aprili, cum iam potest lignum à cortice separari. Sed nec fieri potest nisi in trunco grosso uel mediocri, & in his arboribus quæ grossum habent corticem & pinguem, ut ficus, pirus, malus, & similes. Conualescit autem maxime iuxta terram huiusmodi facta incisio, & etiam in quacunq; parte stipitis, & grossorum ramorum satis congrue prouenit, sed duobus ad minus omnis surculus propter uentorum rabiem adminiculis eget. Modus autem secundus qui scisso fit stipite, hoc modo agendus est, resecetur truncus & desuper poliatur, ut dictum est in modo prædicto, deinde scindat̃ in ea parte quæ magis succosa uidetur, & quę corticem ibidem planum & adæquationi surculi congruum cernatur habere, quod maxime in uenis ubi magis est spacium inter corticẽ & medullam propter abundantiam nutrimenti quod ad partem illam accessit, quod si antequã scindas

uinculum

uinculum prope summum stipitis ligaueris truncum cum minima scissura longi-
tudinis defendet, deinde cuneum duobus digitis uel modicum minus longũ for
mabis in surculo ab utraq; parte decisum salua medulla, & aperta scissura cum ali
quo cuneo, & de ipsius scissuræ labijs sublata omni lanugine, si affuerit cum puni
ca parui cultelli acuti, surculum immerges, taliter quod cortex cortici adæquet
in parte exteriore, & lignũ ligno interius, ut succus inter cortices & ligna possit
liberius pertransire. In scissura etiam surculi optime trunco nouæ matris adhæ-
reat, deinde subducto cuneo, & in trunco surculus sponte constringat immissus,
super riuulas & cortices coniungendas aliquid corticis eius arboris, uel panni li-
nei cerati ponatur, & cum iunco stricte ligetur, deinde, ut ait Cato subtili pulue-
re in superiorem scissuram immisso, creta plurimum comprehensa cum pauca
arena & fimo bubalo, ut idem ait, uel cum cera super trũcum & ligaturam ad de-
fensionem caloris uenti & pluuiæ congrue disponatur, & pecia fascietur. Ego au
tem plusq̃ millesies probaui & semper inueni sufficere solam cretam bene com-
pressam sine fimo & arena, uel cera & puluere, in scissura hæc etiam proderunt,
si uapor à radice ascendens ad nouum alendum surculum foras egrediens dene-
getur. Notandum est tamen quod istiusmodi & actus, & operatio diuersificatur
secundum diuersitatem grossitudinis & tenuitatis stipitis inserendi, & cunei sur-
culi incidendi. Nam inserendus stipes est ualde grossior surculo aut modicũ aut
nihil. Si quidem stipes est ualde grossior, duobus potest scindi modis, uno modo
ut ab una parte stipitis usq; ad medullam in tantum cum congruo ad hoc scalpro
scindatur, ubi unus tantum surculus infigatur, alio modo ut ab una parte stipitis
ad aliam scissuram pertranseat, ibiq; duo surculi, scilicet unus à qualibet parte po
natur, uel unus tantum si placuerit ab una parte altera uacua remanente. Si uero
stipes est modicum grossior surculo, necessario per medium scinditur, & unum
solum recipit surculum. Vbicunq; autem unus tantummodo surculus ponendus
est, debet cuneus eius formari ut in scissura ex utraq; parte facta, tertia cum cor-
tice conuenienti remaneat, in quarta uero quę intra stipitẽ stare debet nihil cor-
ticis & latitudinis uideatur, aut modicum eo modo melius quo surculus in corti
ce, quàm in ligni stipite exterius & interius adæquetur. Vbi autem duo surculi
sunt ponendi fit in scissura cunei à duabus partibus prope medullam, quæ etiam
ad medullam & acumen accedat, ab alijs duabus partibus sit quasi eiusdem latitu
dinis, ita quod pars parum latior cum omni cortice permanens extra cum cor-
tice matris æquet, pars uero strictior remota exteriori corticula uersus medul-
lam stipitis interius disponatur. Si autem stipes est æqualis surculo qui inseritur
formetur cuneus, ut ab utraq; parte sit cortex, & utrarunq; fit æquatio, & corti-
ce, & peciola super riuulas posita, subtili uinculo scisso uel cordula cum modica
structura ligetur, & postmodum cum creta seu terra & peciola fascietur. Et hic
modus iuxta terram & in altum & in summitatibus optime cõualescit, & omnes
istę formę quę fiunt scisso trunco possunt fieri conuenienter mense Februario &

 Martio,

Martio, etiam mense Aprili, si surculus omni tenera parte priuetur, & melius si colligantur antequam pullulent, & diu sub terra in loco frigido umbroso seruentur summitatibus non subuersis. Et etiam mense Ianuario cum calefactione ignis facta insitio comprehendit, cum eius auxilio conglutinans currat succus, sed tūc temporis erit insitio cæteris melior, & melius conualescens, cum iam cortici se uiridis succus intulerit, & gemmę incipiunt esse suspectę. Ego etiam malorum insitiones feci circa principiū Augusti de surculis illa æstate maturatis, & satis congrue prouenerunt, ueruntamen talis insitio facienda est sub terra, uel modicum supra eam, ut tumulatione terrę à tanto æstu insita desensetur, uel supra eam uas aliquod stillans suspendatur, & hoc auxilio poterit hoc tempore etiam in altum fieri. Fit etiam, ut ait Varro, hæc insitio commode in solstitio æstiuo & caniculæ signo, & pręcipue in fico, ut in tractatu insitionis fici scripsi. Potest etiam prædicta insitio fieri sub terra & circa terram, seu modicum supra terram, ubi sine dubio insiti ramusculi proueniunt omnibus alijs locis ad incrementa maiora, quia ibi lignum & cortex maxime beneficio soli adhęrentis humescit, cuius insitio loci magis cōuenit plantis paruulis in quibus insitio celebrat᷑. Si uero plāta mediocriter magna fuerit cōmodius erit eandē in locis altioribus inserere, ubi cortex sit uiridis & succosus quā ipsam circa terrā inserere, quia sic fructus ex ea pluribus annis tardius haberet᷑, uerūtamen quāto magis inferius fiat tanto magis domesticatur fructus, ut supra probatum fuit. Si uero fuerit arbor magna, plurimos habens ramos, nil erit utilius quàm ramos in locis nitidis resecare, ibique quotcunq; uolueris surculos inserere. Quod si adeò uetusta est arbor quod ramorum cortices nimium sint rugosi, ac humore consumpti, arbor eadem incidatur & relinquatur incisa usque ad annum sequentem, & tunc inserantur surculi qui in ea nati fuerint lætiores, & in cōmodiore parte locati, circuncisis cæteris & abiectis qui tot numero esse poterunt, quot inserenti placebit, quia omnem numerum surculorum sufficienter nutriet talis arbor. Modus quidem inserendi quem Palladius emplastrationem uocat, sic ab eodem fieri affirmatur, ex nouellis ramis incisis & feracibus gemma quę bene apparebit sine dubio processura, duobus digitis quadratis circunsignetur, ut ipsa statuatur in medio, & ita subtiliter cortex leuetur acutissimo scalpro, ne gemma lædatur. Item ex ea arbore cui gestimus inserere similiter cum gemma tolletur emplastrum, nitido tamē atque uberi loco, tunc ibi conuenienter impressum circa gemmam uinculis cogitur sine læsione germinis cohærere, ut ea quę apposite redditur loco gemmę prioris includit, tunc luto superlinis & liberam gemmam relinquis, cui multum proderit si peciola cum cera super iuncturam & riuulas corticum apponatur, ad extrinsecorum nocumentorum defensionem, & nutrientis succi & uaporis uiuifici retentionem, ramos deinde superiores eius arboris resecabis, ne mater proprios uolens nutrire ramos, alienum filium sibi propter utilitatem radicum per eundem relinquatur; deinde uero uiginti diebus extractis aut pluribus, resolutis

ſolutis uinculis reperies externi ſeminis gemmam mire in arboris alienæ mem-
bra transfixam, hic autē modus menſe Iunio fieri poſſe aſſeritur, licet & ante &
poſt modicum comprehendat, dummodo gemma cōueniens habeatur. Et mo-
dus igitur qui uulgariter dicitur ad buccellum qui huic proximo plurimum eſt
affinis, fiat hoc modo: buccellū paruū groſſitudine pollicis longum, cum gem-
ma in medio de nouo ſurculo eleuetur, in nouo ſurculo eiuſdem groſſitudinis
ſuo cortice in tres uel quatuor partes ſciſſo & denudato ponatur, & tamen ad in
ferius conſideranter comprimatur, quod ligno ſtipitis mediocriter ſtricte adhę
reat, & cortex appoſiti ſurculi non ſcindatur, & ſiue gemma poſita ſuper locum
gemmæ ſublatæ ponatur ſiue non, nihilominus ſine aliquo ligaturæ uel alterius
rei auxilio conualeſcit. Abſcindenda eſt tamen omnis circundans ſoboles ſur
culorum, ne inſitę ſurripiant nutrimentum, & ei tamen magnum adminiculum
præſtabit, ſi cortex pendens taliter reſcindatur, quod remanenti appoſitus buc-
cellus ſubtiliter adæquetur, & propter dictam cauſam peciola, deinde creta ſu-
per iuncturam & totum buccellum ponatur, libera gemma relicta, deinde ne ce
ra relicta cadat, linea pecia faſcietur. Fiat autem hic modus menſe Martio, poſt-
quam cortex ſeparatur à ligno, & menſe Aprili, & Maio, ſi ſurculi antequā gem
ment collecti ſeruentur, ne pullulent in loco frigido & umbroſo, ſub terra pro
parte ſubmerſi. Item expertum eſt in menſe Iunio circa finem & Iulio buccel
lum paruum cum gemma de nouiſſimo ſurculo eleuatum, & in nouiſſimo ſurcu-
lo poſitum eiuſdem groſſitudinis, ſiue gemmæ adæquantur ſiue non, ſine ali-
quo auxilio ligaturę uel alterius rei optime conualere. Et tam hic modus quam
ſuperior proximus qui emplaſtratio dicitur, locum habet in his ſolis arboribus,
quibus ſuccus pinguis eſt in cortice, ut ficus, oleis, caſtaneis & ſimilibus. Poteſt
etiam ſine abſciſione inſerendi ſurculi eleuari buccellum, & domeſticum eiuſ-
dem groſſitudinis ab una parte ſciſſum, ibidem apponi, & cum filo ligari, & pre-
parari, ut dictum eſt ſupra, & cum comprehendiſſe uidetur ſupra buccellum
abſcinde, relicta enim ſummitas ſuccum ad buccellū fortius attrahit quam ab-
ſciſſa, & hoc modo poſſunt plures eiuſdem ſpeciei & diuerſarum in una uirga
formari. Modus uero qui fit in ſalicis, pertica, fit hoc modo: pertica uel bacu
lus dictorum lignorum perforetur ſubtili terebra & acuta, ita quod inter unum
foramen & alterum ſit ſpacium ſemipedis, & ſurculus modicum raſo cortice in-
tromiſſus iacenter iungatur in ſcrobe ſurculis eleuatis, ita tamen quod pertice
ſaltem ſalicis ſummitas aliquid remaneat ſupra terram, hinc uero poſt annum
materia totaliter eleuata, & inter ſurculos inciſa, plantam quamlibet radicibus
plurimis decoratam in ordinata ſcrobe depone, cui forſan proderit ſi creta uel
cera foramina & eorum ſciſſuræ undique optime obturentur. Quidam autem
mihi aſſeruit ſe expertum fuiſſe hanc inſitionem in palo ſalicis uiridi perforato
uſque ad medullam ſolummodo & infixiſſe ſurculos æqualis groſſitudinis remo
to cortice, quatenus intrarent in foramen, ut cortex ſurculi æquaretur cortici

pali,& cum cera omnem riuulam obturasse,& posuisse palum sub terra quatuor digitis iacentem in loco aquoso,ita quod de palo nihil apparuit, sed solum surculi supra terram, & comprehendisse optime omnes, & resecato inter surculos trunco plantasse & bene conualuisse. Alium autem modum inserendi retulit, Columella dicens: Gallica terebra usque ad medullam arborem perforandam, plaga interius leniter inclinata, ubi diducto omni fragmine, uitem uel ramum ad modum foraminis deliberatum succidum tamen & humidum strictum imprimi,una uel duabus gemmis foris relictis, & tunc argilla & musco locum diligenter operiri,& ita uites in ulmo inseri posse dixit. Prædicti autem duo modi fieri possunt congrue in mense Martij & in principio Aprilis ac Februarij, siue cum uiridis & nouus succus calore aëris dissolutus mouetur in cortice. Item scribit Varro alium modum inserendi suo tempore inuentum in propinquis arboribus hoc modo: ex arbore qua uult habere surculum in eam quam inserere uult ramulum traducat, & in eius ramo præciso ac defixo, implicare in locum, quod contingit ex utraq; parte,quod intus est falce extenuatum,ita quod ex una parte quo cœlum uisurum est corticem cum cortice ęquatum habeat eius ramuli quem inseret,cacumen ut directũ sit ad cœlum postero curet anno,cum comprehenderit unum propagatum ab altera arbore procedit. Ex prædictis igitur patet quod licet insitio in similia sit melior, tamen in dissimilia plurimum conualescit,& infinita mirabilia facit, quæ apparent in his qui experiri desiderant & in talibus exercitantur.

Ex quibus dispositionibus & in quas transmutentur plantæ syluestres in domesticationem, Cap. XXIII.



EX his quæ supra determinat sunt, scimus plantas syluestres esse spinosas & scabiosas in corticis substantia, & paruorum & multorum foliorum,plurimorum fructuum, & in quantitate minorum,et acutiorum succorum,& hæc omnia non dubitamus accidere plantæ propter suum nutrimentum, & ideo planta in omnibus his dispositionibus mutatur per nutrimentum cultoris agri in oppositas dispositiones, spinositas enim uenit ex humido nutrimentali intenso, quod cogitur ad superficiem pertingere ad medullam ipsa sua intensione, & hæc in domestica mutatur per abundantiam humidi, quæ non patitur calorem acui, sed frangit eum, & non sinit terrestre congregari, sed infundit & currere ipsum facit in poros plantæ. Similiter autem eiusdem humidi abundantia fluit in maiorem foliorum diuisionem, hæc etiam

etiam facit ut maiores sint fructus domesticarum, & quia humor syluestrium tenuis & subtilis est propter paruum earum nutrimentum: erit humor domesticarum spissus & uiscosus ad phlegmatis naturam accedens, propter eius abundantiam, & letaminis administrati commixtionem, tenue autem & subtile dispergitur à calore, & diuiditur in plurima, & ideo in numero sunt plurimi fructus arborum syluestrium, & non uermiculati, sed integri in arboribus diu perseuerantes, quoniam subtile & tenue non facile putrescit, nec de facili claudit poros suæ uegetationis, per quam sugit ex arbore, præcipue cum in eodem humido sicut in proximo subiecto sit calor acutus: abundans autem & spissum, & uiscosum humidum per magnas partes fluit in unum, & non est facilis diuisionis, eo quod calidum eius est hebes, & ideo fiunt ex eo maiores quidem & non tot numero fructus, sicut ex tenui & subtili & acuti caloris existēte, & cito hebes eius calor permittit claudi eius porum, per quem sugit arbor, ita quod multi talium fructuum cadunt ante tempus maturationis, & de facili attrahunt uermes. Quod autem emundat succum & digerit in domesticis, nodi præcipue sunt insitionum, qui tenent in corticibus suis & transuersalibus poris humidum, donec ad suauem mutaretur saporem, & talis quidem est transmutatio earum per insitionem domesticarum arborum. Ille autem plantæ quæ sunt de genere granorum & olerum ex solo cultu & cibo domesticantur, in hoc quod substantiæ & molliores, & maiores efficiuntur, & sui sapores, & humores minus efficiuntur acuti, propter causam quam supra diximus, subtilitas enim corticis quæ est in domesticis & planicies absq; dubio ex bonitate & abundantia prouenit nutrimenti.

De locis utilibus & inutilibus generationi plantarum, Cap. XXIIII.

PLanta in generatione sua duobus indiget, quorum unum est materia ex qua fit, & alterum est locus suæ generationis, quemadmodum est pater. Et materiam quidem impedit loci salsugo, eo quod exiccat humidum radicale plantarum, cuius signum est quod terræ salsæ uel cōmixtæ, uel sale seminatę steriles efficiunt. Loca autem perpetuis niuibus cooperta omnino non cōpetunt generationi plantarum, quia experimento comperimus niuem à temperamento esse remotissimam, propter frigus glaciale quod est mortificatiuum. Oportet autem scire quod si aliquis locus in se temperatus in hyeme frequēter sit niue coopertus, iste eximie tribus ex causis fœcunditatem accipit, quarū una est, quod uis terrę euaporans reflectitur sępius ad terram, propter niuis cooperimentum, alia autem causa, quia niuis repressa caliditas ad terrā illam expirans, conueniens generationi præbet nutrimentum humidum, quod paulatim per uices distillans superioribus partibus terræ uigorem natiuum plantarum cōtinue infundit. Tertia est causa, quia nix frigiditate sua locum circunstantem & uigorem principiorum generantium plantam continet ne euaporetur, & continet terræ superficiem ne emittat intus in uisceribus terræ uapores generatos, qui

congregati ad superficiem ingrediuntur radices plantarum, & præstant ei nutrimentum & fomentationem, & generationem materiæ, quę ingreditur plantarum commixtioni. Sicut autem diximus, quod locus perpetuus in frigore propter niuositatem non conuenit generationi plantarum, ita eodem modo in locis salsis & siccis non apparet multum generatio plantarum propter remotionem locorum à temperamento. Hæc enim loca multam salsuginem habentia multæ sunt siccitatis, & per consequens multę frigiditatis, eo quod calor complexionalis non conualescit & retinet nisi in humido temperato, & si alius calor aliquando sit in talibus locis est adurens talis calor, non remanet, sed euolat adustus frigidus, & mortificans ea quæ forte nasci debuissent, & signũ huius terrę est quod minoratur & contrahitur, & ex siccitate & frigiditate, quia elongatur à calido & humido, quę eleuant & faciunt crescere loca & exaltare. Propter quod terra dulcis quæ abundat in calido dissoluente & humido uaporante frequentius eleuatur in colles & montes, & terra salsuginis multę deprimitur. In locis autem calidis per conuenientiam materiæ plantarum & loci aptę & benę natę proueniunt, in talibus enim locis est aqua subtilis, & bene digesta, eo quod à calore loci talis ex profundo attrahitur terræ & bene commiscetur, & bene digeritur à calore loci terminante, à calore enim multo non adurente prouenit humidi decoctio. Calor enim in talibus locis abundat ex duabus causis, quarum una est calor loci retinens calorem, secunda causa est calor solis, qui ex aliqua reuerberatione multiplicatur super locum illum, & loci quidem calor est sicut instrumentalis, calor autem solis sicut terminans & formalis, & quasi uiuificans, & ideo formatur continue humidum in plantis, aër etiam immixtus est humido locorum talium, & iuuat ad hoc ut humidum sursum spirando educatur in plantę figuram, montes autem qui sunt subtus concaui & uaporosi, attrahunt à suis cõcauitatibus humorem, & adiuuat ad hoc caliditas multa, quæ est radiorum solis & stellarum, & multa ad annexum montis reuerberatio, & ideo festinat in his humidi decoctio, præcipue in latere conuerso circa calidũ solis, hoc est, circa meridiem, propter quod plantæ multę & bene decoctę proueniunt in montibus præcipue, nimium humidũ enim attractum ad montis superficiem ex figura deuexitatis continue defluit, & ideo superius uinum remanens optime decoquitur, quia melius uincitur à calore, quando non est superfluum, nec omnino siccatur, quia continue attrahitur, & ex gibbo montis crescunt uina odorifera & plantæ aromaticæ, & sunt plantæ & uina magis sicciores aliquantulum. Ad pedes autem eorundem montium sunt plantæ & uina magis humida, & minus digesta, & plantæ spissiores propter multum humidum annexo montibus, continue ad calida loca defluens. Quædam tamen loca siue plana, siue montuosa, perpetuę sunt sterilitatis, & hæc uocantur heremi, & hæc sunt arenosa & salsa, & hęc sunt uincẽtem in se habentia salsedinem & siccitatem, & inter arenulas locorum talium sunt raritates, eo quod partes arenarum sunt contiguæ non continuæ sibi compositæ.

Planta

Planta autem non potest generari ex uapore continuo qui diffidũtur ex circuitu loci, in multis partibus loci continuis a uirtute solis euaporantibus. In talibus igitur locis aut non generatur planta omnino, aut rara, aut debilis essentiæ, sicut est saxifraga, & quædam alia gramina parua. Partibus enim loci non cohęrentibus propter adustionem, impossibile est partes uaporis solidæ essentię & cohærentis esse, propter quod etiam expirat inter arenas per diuersas partes, & non formantur in plantam. Lutũ autem nobile quod ingenuũ est & liberum à grossa terrestritate propter unctuositatem suam, cito producit plantã unctuosam esibilem. Planta autem quæ super solidos lapides nascitur propter carentiam humoris uix longo contingit & crescit tempore: planta enim remanens & crescẽs indiget terra, & aqua, & aëre, & raro hoc habet planta quæ in lapidum soliditate erumpit. Est & alia plantæ consideratio ex loco plantę proueniens, quoniam si fuerit in loco qui est prope solem, hoc est, ad directum solis respectum uersus orientem & meridiem, citius nascitur & crescit, eo quod calor solis directius & diutius manens super eam, cõuenientius & fortius mouet humidũ eius: & quando fuerit ad aquilonem & occidentem, ita quod sol cito declinat ab ea, tardabitur generatio eius, & incrementum diminuitur. Ait autem hoc dupliciter, naturaliter scilicet aut per accidens, quando locus aliquis ex montibus uel alijs causis proprietatem accipit orientis uel occidentis. Similiter autem si in loco plantę sit aqua frigida grossa in se cõcludens aërem, siue uaporem aëreum, qui sua frigiditate & spissitudine ascendere, siue uaporare non permittit, ille uero permittit plantas nutriri ad magnum incrementum. Eodem autem modo impedit siccitas retenta in loco aliquo incrementum plantarum, propter defectum humidi nutrimenti. Tũc enim calor naturalis diffunditur ad extrema loci, & agit nullos cõburendo & construendo poros uiarum, sicut obstruuntur terrestri adusto, & tunc aqua nutriens etiam si adesset, non haberet meatus per quos in plantę nutrimentum euaporaret, & remanet destituta nutrimento, & ideo non crescit in magna quantitate.

De terra & cognitione fœcunditatis & sterilitatis eius, Cap. XXV.

TErra est unum ex elementis generatorũ, cuius naturalis locus est in medio totius in quo naturaliter manet quieta, & ad ipsum cũ ab eo separata fuerit, naturaliter mouet̃, est aũt frigida & sicca naturaliter, sed accidentaliter rebus intrinsecis immutat̃, eius uero esse in generatis iuuamentũ præstat ad retentionẽm faciendam & fixionem, & ad seruandas figuras & formas. In terris uero secundũ Palladiũ fœcunditas quærenda est, ne alba & nuda gleba sit, ne macer sabulo sine admixtione terreni, ne creta sola, ne arenę squalẽtes, ne ieiuna glarea, ne arenosi pulueris lapidosa macies, ne salsa uel amara, ne uliginosa terra, nec mons arenosus, atq; ieiunus, ne uallis nimis opaca & squalida, sed sit gleba putris, et ferè nigra, et ad tegendũ se graminis sui crate sufficiẽs, aut mixti

coloris, quæ & si rara sit, tamen pinguis & cretosi soli adiúctione glutinetur, quę protulerit nec scabra sint, nec retorta, nec succi naturalis egentia. Verum quoniam alia terra dandis frumentis utilis est, quæ naturaliter conuenit, & alia magis uineis amica est. Sciendum est autem quod frumentis dandis utilis est, quæ naturaliter & sua sponte producit ebulum, iuncum, gramen pingue, trifolium, calamum, rubos pingues, pruna syluestria, lappas, maluam, & cęteras huiusmodi herbas quæ latitudine & pinguitate foliorum lætum solum & fœcundum demonstrant. Color tamen terrę non magno tempore desideretur, sed pinguedo atq; dulcedo, pinguem sic cognoscis terram, glebam parum dulci aqua consper gis, & subigis, si glutinosa est & adhęret, constat ibi esse pinguedinem. Item scrobe effossa & repleta, si superauerit terra pinguis, si defuerit exilis, si conuenerit ęquata, mediocris. Dulcedo autem cognoscit, si ea parte agri quę magis displicet, si eiusdem qualitatis totus ager uidetur, fictili uase dulci aquam madefactã indicio saporis explores. Vineis quoq; utilem per hæc signa cognosces, si corporis rari atq; aliquatenus resolutum est, uirgultaq; profert lini nitida, procera, fœcunda sunt, ut pirus syluestris, prunus, rubus, cæteraq; huiusmodi, neq; intorta, nec debilia, neq; macra, exilitate languentia. Et hæc in communi breuibus in medium absoluta qualitercunq; sufficiant de terra agri siue congrua uineis, quia plenius dicam de ipsã in libro uinearum. Sed cum sint genera terrarum plurima, pinguis autem & macra & spissa uel rara, sicca uel humida, lapidosa, uel non lapidosa, montuosa uel plana, & ex his pleraq; uitiosa, tamen propter seminum & plantarum differentiam sępe necessaria, maxime tamen & absolute eligendus est pinguis & resolutus ager ubicunq; situs, quia hic minimum laborem petit, & fructum maximum reddit. Secundi meriti est spissus & pinguis, quia licet laborem maximum petat, tamen ad uota respondet. Illud uero deterrimum genus est, quod erit siccum & spissum, macrum & frigidum, qui ager more pestiferi fugiendus est. Veruntamen quod agri sint uarijs utilitatibus deputati Varro recitat Catonem in nouem genera diuisisse, ac graduum utilitatem scripsisse, ait enim meliorem esse agrum illum, ubi uineta possunt esse bono uino ac multo, secundo ubi hortus irriguus, tertio ubi saliceta, quarto ubi olíueta, quinto ubi pratum, sexto ubi campus frumentarius, septimo ubi ceduæ syluæ, octauo ubi arbusta, nono ubi glandaria sylua aliqui dant prima cum bonis pratis, quia modicas aut nullas requirunt expensas, contra in uineis facere, eo quod fructum sæpe sumptus deuorat.

De situ qui congruit agris ratione fœcunditatis eorum,
Cap. XXVI

SItus terrarũ non sit adeò planus, ut stagnet, nec pręruptus, ut defluat, nec obrutus ut in imum directa ualle subsidat, nec arduus, ut tempestates immodice sentiat & calores. Sed ex his omnibus utilis semper & æquata me

diocritas

diocritas requirat, uidelicet ut campus aptior sit, & humorem pluuiarũ cliuo fallente subducens, uel collis molliter per altera inclinata deductus, uel uallis cum quadã moderatione & aëris claritate submissa, uel mons alterius cacuminis defensus, & liber à molestioribus uentis aliquo auxilio, uel sublimis, asper, sed nemorosus & herbidus. Prçterea positio agri qui eligendus est, si sit in frigidis prouincijs orientali uel meridionali lateri ager debet esse oppositus, ne alicuius magni montis obiectu his duabus partibus exclusus algore rigeat. In calidis prouincijs pars potius septentrionalis optanda est, quæ utilitati, uoluptati & saluti & ęquè bonitati respondeat. Item ait Varro, quod quatuor extra fundũ consideranda sunt quibus fundus utilior uel minus utilis redditur. Primũ est, si regio proxima est infesta, quãuis fertilis sit fundus inutilis tamẽ est propter latrocinia. Secundum est, si in regione propinqua sunt homines qui emant, quæ in fundo sunt uenalia, uel ne care uendant quę fundo sunt oportuna, fructuosior enim fundus est. Tertium, si nimis lõginqua est, ut ex ea difficile necessaria portẽtur ad fundum, minus fructuosior censetur. Quarto, eundem fundum fructuosiorem faciunt uecturæ, si uiæ sunt quibus plaustra uel naues portare ac exportare necessaria possunt. Refert etiam ad fundi fructus spectandũ quemadmodũ uicinus in confinio consitum agrũ habeat, si enim ad limina quercũ habeat, non possis recte sub eam quædam serere, oleaq; usq; eo est contrariũ natura, ut arbores non solum minus ferant, sed etiam fugiant, ut introrsum in fundũ se reclinent, & in confinio uitem & fundum faciunt sterilem.

De munitionibus uinearũ, hortorũ & agrorum, Cap. XXVII.

Vinearum hortorum & agrorum munitiones multis modis fiunt, quidam enim fossatis cingunt, quidam sepibus ex palis & uiminibus factis, quidam spinarum aut aliarum arborum plantis. Et fossarum quidem munitiones plurimum defendũt ab ingressu hominum & animalium rapacium, & ab iniuria uicinarum aquarum ad loca defensa fluentium, & maxime si ripas habent ualde sufficientes aggere eleuatas. Multum etiam conferunt agris & uineis nimium humidis & aquosis, ut ad eas fluat superfluus humor aquosus, segetes necans, & in lolium & auenam conuertens, & completam digestionem impediens. Et hæc quidem fossata magna uel parua sunt, secundum quod magis & minus aquosa sunt loca, & secundum quod magis & minus hominum & animalium intrare uolentium timent noxiam. Fiunt autem optime toto æstatis tempore, si aqua subterranea uel in fossatis reparandis collecta non impediat, in quibus locis facienda sunt mense Augusti, Septembri & Octobri. Quibus mensibus aqua fossarum & superficiei terræ maxima consumpta est. Qualiter autem fiunt noua fossata notum est, quod ab utraque parte latitudinis filum seu funis

seu funis extenditur & signatur, deinde uangis in terra & ligonibus in sabulo fodiuntur, & badilibus extra remanens contrita terra proijcitur, & ripæ cum zapis seu uangis poliuntur. Vetera uero fossata reparantur hoc modo, primo quidem omnia fossorem impedientia cum radicibus extirpant, deinde cum ligone fundus radatur, & terra cum herba rasa proijciatur ad uiam, deinde cum ligonibus adæquantur & formentur ripę, secundum quod stare debebunt, & post libere fossatum quantum placuerit fodiatur. Notandum est tamen quod in terra cretosa non debent fieri ripæ nimis dependentes, quia post gelidam hyemem adueniente ueris calore dissoluerētur & ruerent. Sed in lapidosa & soluta terra facile ruunt ripæ. Munitiones sepium quędam palis & uiminibus fiunt, pręcipue locū habent, ubi materię ipsarum habetur copia, & ubi arborū multitudo spinarum plantationem & conualescentiam impedirent. Quæ quidem qualiter fiant notum est, quod affixis palis acutis semipede distantibus, texentur uimine & spinis, & desuper muniuntur, & possunt fieri cum paucioribus palis & uiminibus. Debiliores tamē fiant affixis palis duobus uel tribus pedibus inuicem remotis, tres uel quatuor perticæ distantes æqualiter ex transuerso ligantur, deinde sursum rectis uiminibus positis contexuntur. Munitiones autem quæ de plantis spinarum & arborum fiunt, hoc modo faciendæ sunt, uidelicet quod fiat in loco munitionis sulcus uno pede concauus & tantundem latus, in quo plantæ aliunde radicatæ uno palmo aut duobus distantes ponantur, & terra quæ inde remota fuerat optime trita operiantur radices, deinde fodiatur fossatum, & terra supra dictas plantulas eleuatur, & cum tota sursum eleuata fuerit in summitate si placuerit alius fiat sulcus, & similis plantatio fiat. Poterunt etiam multæ plantationes fieri propter fortiorem munitionem, si placuerit, secundum modum in primo libro traditum, cum de tumbis & curijs loquerer. Notandum est tamen quod ubi multum necessaria est clausura, ex spinis tantum faciendæ sunt plantationes, ubi uero non tanta est necessitas, & lignorum habetur penuria propter ignem, possunt congrue fieri plantationes, & præcipue ex plantis ulmorum & prunorum, & similium, & omnes plantationes tertio anno cum conualuerint plicentur, ut fortes fiant & spissæ, & ubi perditæ fuerint reparentur, deinde cum spissæ creuerint rarius disponantur, & ligentur ubi opus fuerit, & non iuxta terram, sed uno pede supra eam incidantur tempore Octobris uel Nouembris, & melius Februarij & Martij, usquequo incipiunt turgescere gemmæ, hoc enim modo loca semper clausa erunt, & seps inspissabitur pullulans, in summo stipite, in medio & radice. Ex his tamen quæ in superiori acie sunt plantatæ, poterunt aliquæ quibusdam pedibus distantes sine incisione relinqui, ut fructum ferant, aut pro igne seruentur, uel ædificijs deputentur. Et plātę quidem spinarum quę in acie inferiori ponendæ sunt, aut arborum, aut prunorū, aut rosarum syluestriū spinas acutas habentium, quę uero in suprema ponēdę sunt, arbores sicut prunę domesticę, quę spinis suis defendūt & spissa

earum

earum pullulatione claudunt. Igni tertio uel quarto anno seruiunt,& plurimum fructum ferunt,uel sicut plantæ ulmorum uel salicum,uel populorum,& citoniorum,uel malorum granatorum in calido aëre uel temperato,& similium arborum,& præcipue facile pullulantium à radice. Notandum est tamen quod si terra sit adeò frigida & dura,quod in ea plantulæ difficile cōprehendant,plantulæ solummodo citoniorum cum radicibus uel sine ponantur ibidem,quæ non refugiunt talem terram,quod si est campus,ulmus est utilior omnibus alijs plantis,quod & sepem sustinet & attollit uuas, & frondem iucundissimam ministrat ouibus & bubus,ac sepibus præbet uirgas ac foco & furno, & est multis operibus optimus. Si uero plantulę desint in partibus illis,aut aliunde portentur radicibus coopertis,& optime pręparatis,ut à calore defendantur & uento,aut maturitatis fructuum tempore colligantur,& sole siccentur semina,& in seminario mense Ianuarij & Februarij sata ut planta nutriantur, ut sequenti uel tertio anno ipsorum copia facile habeatur. Palladius tamen præcipit matura colligi semina, rubi & spinę,quę rubus caninus uocatur,& cum farina erui ex aqua macerata misceri,funes deinde sparteos ueteres mixtioni sic induci,ut inter funes semina recepta seruentur,usq; ad uerni temporis initia,tunc ubi sepis futura est, duo sulci tribus pedibus à se separati sexquipides altitudine fiant, & per utrosq; cum seminibus obruantᷣ funes in leni terra,ita trigesima die procedunt sentes,quos teneros adminiculis opus est adiuuare, qui inter se per spacia relicta uacua iungentᷣ.

De fluminum defensionibus, Cap. XXVIII.

FLumina suo impetu sæpe ripas possessionum fodiunt, & in eis operiantur ruinas, & quandoq; suo incremento & depressione uicinorum locorum inundant & operiunt terrarum superficiem. Vbi igitur sua rabie sæuiunt rupes modicum superius penaculi fortes fiant, secundū impetum amnis, aut ibidem mergantur cistę cum magnis cornibus ligneis admodum cratis ab utroq; capite factis,& uiminibus contextis, ut lapidibus plenis, quę bergullę dicuntur. Vbi uero aquarum abundantia superficiem operit,& segetes necat, fiant aggeres fortes & magni talesq; eorum potentia aquarum iniuriæ cōtradicant, quod si in aliquo locato debilitabitᷣ ager, antequā deficiat alius conueniens post ipsum fiat, & debilitatus in quibusdā incidatur locis, & currus & bestię ac homines nouū aggerem percurrere & conculcare cogantur.

SECVNDI LIBRI FINIS.

CRESCENTII LIBER TERTIVS DE CAMPESTRIBVS agris colendis, & de natura & utilitate fructuum qui ex eis percipiuntur.



Ampestrium agrorum cultus in libro secundo generaliter traditus est. Nunc autem in hoc tertio libro dicam singulariter de cultu & utilitate cuiuslibet seminis & fructus qui seminatur in eis, & ex eisdem percipiuntur, secũdum ordinem alphabeti, & primo quidem dicam de area & horreis, quæ unicuiqꝫ semini communia necessaria & utilia sint.

De Area.



AREa longe à uilla esse nõ debet, propter deportandi facilitatem, & ut fraus nõ timeatur domini uel procuratoris in ciuitate suspecta. Sit autem ut Palladius ait, uel strata silice, uel saxo montis excisa, uel sub ipso trituræ tempore ungulis pecorum uel porcorũ, & aquæ admixtione solidata. Sit circa hãc locus altus, planus & purus, in quẽ frumenta transfusa refrigerentur, & horreis inferantur, quæ res in eorum durabilitate proficiet: Fiat deinde proximum tectum, uel habeantur sextaria uel similia, ut tempore imbris subito munda, uel semitrita transferantur uel operiantur. Sit autem loco sublimi & perflabili undecunqꝫ. Longe tamen ab hortis & uineis atqꝫ pomerijs. Nã sicut radicibus uirgultorum prosunt letamen & paleæ, ita insidiantes frondibus perforant & corrumpunt.

De Horreis.

SItus horreorum superior longe ab omni olere & letamine, & stabulis ponendus est, frigidus uentosus & siccus. Sed factis granarijs, ut Palladius ait, amurca luto mixta parietes linientur, cui aridi oleastri folia uel oliuæ pro paleis adijciuntur. Quę ut siccata fuerint frumenta condentur, hęc res gurgulionibus ac muribus et cęteris noxijs animalibus inimica est. Aliqui coriandri folia frumentis miscent, ad seruandum profutura: hęc ait Palladius. Nihil tamen commodius erit diu custodiendis frumentis, quam si ex horreis in alterũ locum uicinum transfusa refrigerentur aliquot diebus atqꝫ ita horreis inferãtur. Negat

Columela

Columella uentilanda esse frumenta, quia magis miscentur animalia totis aceruis, quæ si non moueantur in summitate intra mensuram palmi subsident, & hoc corrupto uelut corio illęsa durabunt. Ab horreis tamen debet auster esse aduersus. Adhuc cauendum est ne pauimentum super quo ponitur humidum sit aut rarum, sed solidum & bene planum, ne muribus præbeat habitaculum per foramen. Insuper etiam diligenter attendendum est, ne sit locus excedens in frigore uel calore, quia utrunq; segetes corrumpit & perdit in eis uirtutem naturalem. Aliqui puteos faciunt, horum solum & latera paleis substernũt, & curant ne humor aut aër tangere possit, nisi cum promit' ad usum, quo enim spiritus non peruenit, ibi non oritur gurgulio. Sic conditum triticum manet annis quinquaginta multum uero plus annis centum, ut Varro scribit.

De Auena.



Auena duplex est, syluestris & domestica, syluestris nascitur in frumento, cum granum eius satum nimia mollitie & intẽperantia terræ conuertitur in auenam, quæ ab eo in herba cognoscitur, quia latiores, uiridiores & pilosiores habet frondes, & huius granũ nigrum & pilosum est, & maturatur & cadit ante maturationem frumenti. Domestica est alba non pilosa, & seminatur tempore seminũ frumenti, & eodem modo, & melius mense Februario & Martio, & etiam in macra terra bona prouenit, & eundem quærit aërem, & similẽ terram desiderat. Peritiores tamen dicunt quod siccum quærit agrum, & modicũ post messem frumẽti maturatur & colligitur, & tam herba utriusq; auenę quàm semen est optimum pabulum equorum & boum, & asinorum, & mulorum, neutra uero ipsarum homines nostri in suo cibo utuntur. Virtutem habet relaxandi omnem tumorem & duricies, & faciei immundicias depurandi.

De Cicere.



Cicer notum est, & eius quędam diuersitates sunt, quia quoddam est rubeum, quoddam paruum album, quoddam sanguineum: & ex his quoddam grossum, quoddam paruum, quoddam nigrum. Ex quibus sanguineum tantum rugosum corticem habet, & est melius cæteris, reliqua omnia corticem habent politum. Optime nascitur in aëre temperato & humido, & terram pinguissimam & solutam desiderat, & cretam etiam non formidat. Et terram quidem ualde macilentam reddit, seminatur mense Februario in locis calidis, temperatis Martio. Cui proderit

ut cito nascatur, si molle seratur, & maxime aqua letaminis cum tarde seritur, & circa sulcos hortorum optime plantatur, & cum maturũ est colligitur remanentibus herbis. Media corbe seminis uacca contenta est. Sarculatur & herbis, mũdatur ut faba, sed nebulis læditur, & inde in eluuio facile perit. Colligitᵉ quidem granis existentibus siccis, & cum luna multam processit in defectu. Cicer album secundum Isaac calidum est & nimis humidum, sed Auicenna dicit in medio primi gradus humidum. Rubeum est autem calidum & nimis humidum. Sed Auicenna dicit quod est calidum & siccum in primo gradu, & nigrũ est fortius. Cicer plurimi est nutrimenti, & uentrem humectat sed inflationem generat & uentositatem, idcirco auget sperma, & coitum ualde confortat, quia tres habet in se causas ad coitum pertinentes, scilicet calorem, nutrimentum, & inflationem, ideoq; ualde competit admissarijs equis, cum multitudinem equorũ necessario habuerit cooperire. Hippocrates dicit, qđ ciceris potestates duæ sunt, & cum coquitur eas amittit, & in aqua ubi coquitur redeunt, una dulcedinis, & altera salsuginis. Cum dulcedine sua nutrimẽto bono nutrit, & lac augmentat, & uentrem humectat, cum salsugine uero humorem grossum dissoluit ac minuit, urinam & menstrua prouocat, & ualet ictericis & hydropicis, & ad totius corporis pruriginem. Et si eius iure laueᵗ impetiginem & serpiginem mundificat. Item secundum Galenum cicer educit lũbricos, & ualet ad oppilationem splenis & epatis & fellis, lapides frangit in renibus & uesica, sed nocumentum est uulneribus renum & uesicæ. Cicer nigrum est magis diureticum & apperitiuum, & ideo plus ualet in apertione splenis & epatis & fractura lapidũ & lumbricis educendis, & præcipue si cum aqua coquatur, & ius ipsius bibatur. Album uero est melius in augmentatione lactis & spermatis. Auicenna dicit, quod cicer clarificat uocem & nutrit pulmonem melius quam res aliqua, & propter hoc fiunt sorbitiones ex farina ciceris. Et oportet quod cicer comedatur neq; in principio cibi neq; in fine, sed in medio eius, & uehementer addit in coitũ, & eius infusio facit erigere membrum fortiter quando bibitur à ieiuno.

De Cicercula.



Cicercula nota est, aërem humidum desiderat, & terram pinguem & cretosam, seminari potest in solida terra, ut faba, deinde arari & sulcari. Tempore Ianuarij & Februarij & in principio Martij seritur. Et media corbis complet uaccam, bonus cibus est animalibus, & homines ea utuntur elixa, & in tortis & in pane cum alijs generibus frumentorum pro familijs & his qui laboribus exercentur.

De Cana-

De Canapo.



CAnapum est de natura lini, & ideo similē aërem & terram desiderat, sed non oportet ut sit totiens exarata. Veruntamē qui uolunt habere canapum, pro funibus, seminare debent ipsum in locis pinguissimis, in quibus longum ualde proueniet, & grossam & multam stuppā habens ex grossitie corticis eius, & quāto rarius seminabitur, tanto magis ramosum erit. Qui uult ex eo facere pānos, scilicet saccos, linteamina, uestes, seminet ipsum in locis mediocriter pinguibus & solutis spissum, in quibus proueniet sine ramulis, quasi magnum linum, & tale competens erit prædictis operibus, & iterum erit necessarium piscatoribus pro retibus eorum. Nam canapum ualde melius defenditur in aqua quā linum, & similiter rete ex ipso factum, seritur autem mēse Aprili & in fine Martij, & herbis sarculo mūdatur et manibus, colligitur cum matura sunt semina eius, scilicet masculinum, & in fascibus ligatum ponūtur in aliquo loco duo fasces simul, ut semina minus sint super semina alterius, & radices oppositæ, & cooperiūtur summitates seminum cum herba, uel aliquo stramine super quo ponuntur lapides uel terra, ut seminum maturitas compleatur, & si per sex uel octo dies iacuerit eleuatur stramen et lapides, & ponitur linteamen sub uel iuxta semina, & excutitur semen quod facile cadit, sed fœmininum, quod semen non habet, totū per decem dies ante masculinū colligitur cū albescit, deinde totū simul maceratur in aqua, ibiq; dimittitur donec stuppa possit à ligno separari, & ipsum lignum putrefactū cōteri, & maximè quod ex eo subtile est, quod uero grossum est ualde longum, uelut pertice, depilari potest à ligno stuppa, quę facile ab eo carpit, postquā fuerat maceratū et in aqua lauando cōcussum, & postea exiccatum. Et nota quod ex eodem semine canapi nascitur canapum ramosum, quod semina infinita producit, & aliud nō ramosum, quod seminibus omnino caret, semen eius optimū est pro auiculis, & ipsum libēter assumunt sibi in escam.



De Frumento.

FRumentum est granū, quod cęteris omnibus corporis humani conuenientius nutrimentū est, propter similitudinem suæ complexionis. Eius quidē diuersitas multæ sunt. Nam quoddam est nouum, nempe unius anni uel minoris ætatis, & hoc maximè conueniens prębet nutrimētū, & tale seri debet, & quoddā est maioris ętatis, & hoc minus laudabiliter nutrit, nec seminibus cōpetit, quia raro uel debiliter nascitur satum. Et

cuiusdam granum est longum mediocriter & album uel rubeum, subtilem habens corticem, & farinam interius albam, & hoc est optimum. Quod uero est grossum, rotundum, rubeum uel album aut lucidum, est minus bonum, & pasta quidem quæ fit ex eo non est tenax, nec eius panis crescit in altum: quæ uero fit ex primo est ualde tenax, & eius panis multum augetur: sed ex agro collectus, mensuræ minus respondet quam grossum. Et granũ quidem quod in terra pingui nascitur, est pinguius grauiusq; in pondere & nutribilius: quod uero in terra macra oritur, contrarium existit. Et quod in regione uel terra calida nascitur, est calidius, & quod in frigida frigidius, quod in sicca siccius, & quod in humida regione uel terra prouenit est humidius. Et est quoddam in spicis tõsum, & hoc licet breues faciat spicas, & nebulam timeat, plusquam retonsum ut quidam dicunt, tamen magis à radice pullulat, & spicarum numerum duplat. Grossum uero & maximè spicas habens rubeas, licet eas magnas producat & grossas atque multum granosas, tamen parum pullulat, & rariores inuenitur spicas habere, in omni climate habitabili nascitur, licet abundantius & nobilius proueniat in regionibus temperatis, sicut in tertio, quarto, quinto climate, terram desiderat pinguem, aut mediocris pinguedinis & dulcis saporis. Cretam diligit, & in mediocriter soluta bonum prouenit, minus uero solutam, aut sabulum nudum recusat, patenti campo lætatur & læditur umbris, locis humidis & aquosis degenerat in lolium & auenam. Frumentũ uero cum colligit̃ robustius est, sed mensurę minus respondet. Seminatur autem frigidis & niuosis locis in fine Augusti, & toto Septembri, temperatis in fine & toto mense Octobri, in calidis uero in fine Octobris & toto Nouembri. In quibus omnibus locis primo exiles terræ serantur, ut frumenti sati radices ante hyemem cõualescant. Vltimo pingues quę si maturi serantur luxuriant in spuria diuersarum herbarũ, quæ frumenta necant. In iugero seminis corbis una sufficiet. Quod si prædicto tempore terra fuerit nimis sicca, sparsa semina melius in agris quã in horreis seruabuntur, si uero minus, gelicidio sequentis hyemis corrigetur, si extra agrum aqua poterit deriuari, ne germen extinguatur. Si terra sit temperata in octo diebus de terra egredit̃, uel paulo post. Colitur campestris frumentarius ager hoc modo: eo diligenter exculto, secundum doctrinam in generalibus traditã, & eo seminato iterum aretur, & ligonibus uniuersum semen operiatur, glebæ rũpentur, & ex eius sulcis mundat̃, tam directe minores, quã trãsuersales maiores per inferiores agrorũ partes impressi, per quos aquæ pluentes libere sine obstaculo ad fossata deriuentur, quæ si tempore quo granũ est in lacte & incipit germinare in agro remanent, semen extinguẽt. Mense uero Ianuario & post gelicidiũ Februarij & Martij postquã frumẽtũ est quatuor foliorũ sarculo & manibus ab omnibus adulteris herbis mundet̃, fiat aũt hoc herbosis locis maturius, nõ herbosis, serius. Mense uero Maio nõ sunt tãgenda frumenta, quia florent octo diebus, deinde flore deposito diebus quadraginta grandescũt usq; ad maturitatis euentum.

euentum. Item dicit Palladius de hordeo, & de cęteris quę sunt seminis singularis, mense Iunio in locis maritimis & calidioribus, ac siccis: temperatis uero ac frigidis mense Iulio tritici messis, abscinditur. Quã paratam esse cognoscis, si æqualiter spicarum populus maturato rubore flauescit. Et modus quidẽ metendi cõsuetus notus est. Pars uero Galliarũ planior hoc cõpendio utit̃ ad metendum, & propter hominũ labores unius bouis opera spatium totius mensis assumit: fit itaq; uehiculũ quod duabus rotis breuibus fert̃, huius superficies tabulis minuitur, quę forinsecus decliues, in summo reddũt spatia largiora ab eius fronte, carpẽti breuior est altitudo tabularũ, ut ibi denticuli plurimi ac rari ad spicarum mensurã cõstituunt̃ in ordine ad superiorẽ partẽ de curru, à tergo uero eiusdem uehiculi duo breuissimi canones figantur, ubi bos capite in uehiculũ uerso iugo aptat̃, & bos mansuetus qui nõ modo compulsorẽ excedat, hic ubi uehiculum per messes cœperit pellere omnis spica in carpentum denticuli comprẽsa cumulatur, abruptis ac relictis paleis altitudine uel humilitate plerunq; bubulco moderante qui sequitur, & ita per paucos itus & reditus breui temporis spacio tota messis implet̃. hoc campestribus locis uel æqualibus utile est, ubi necessaria palea non habetur. Secata frumenta in mane usq; in tertiã, uel totam diem, cum aẽr temperatus est ligantur, quia in horis nimiæ siccitatis spicæ uel ligamina frangunt̃, deinde ligata portant̃ ad aẽram fasciculis numeratis & sub tecto aliquo disponunt̃, ita ut aqua fluẽs intrare non possit, ibiq; congregantur donec fuerit uniuersa messis expleta. Postea triturat̃ aut uirgis aut equis, sed uirgarũ trituratio melius totũ frumentũ ex palleis excutit, trituratio uero equorum ex fractione uelocius paleas nutrimẽto animaliũ melius præparat, ab omnibus folliculis & seminibus extraneis, euẽtatione mundant̃, & cõueniẽter exiccata et refrigerata iterum in areis ad horrea seruãda portant̃, cuius durabilitati proderit si sæpe inquirat̃ ne intra se acerui extraneo inficiant̃ calore, quod quidem cũ acciderit, per granaria siue horrea moueant̃ uel euẽtent̃, uel quod melius est ad solẽ & aẽrem deferãtur, & refrigerata iterum horreis inferant̃, generaliter tamen de omnibus granis præter milium compertum est, quod in stipulis suis diutius quã discussa seruantur. Frumentũ iuxta Philosophos calidũ est & humidum tẽperate, cortex eius calidus & siccus est & mũdificatiuus, nutrimẽtum eius est minimũ in aqua calida missus atq; colatus, coctus pectora & pulmones uiscosis humoribus purgat, & si aqua mittet̃ in lac nutribilior fit, cum uino aqua mixto coquat̃, & fit cataplasma de eo mamillis duris, nam lac coagulatum dissoluit. Farina frumẽti cũ melle mixta faciei pustulas sanat. Mamillis ex coagulatione lactis induratis cum adipe & uino decocta duritiẽ mollificat, coallectiones & apostemata maturat, neruos induratos & indignatos & quasi spasmaticos relaxat. Frumentum cum sale mixtũ apostemata maturat & aperit. Tritici recentis & noui frumenti parũ crudũ phlegmaticũ & inflatiuũ existit, rugitũ & dolorẽ lateri commouet, assatum magis nutrit, uentositatẽ minus facit, & stipticũ est, in

aqua coctum grauissimū est, & inflatiuum, digestioni durum, & rugitū mouet, humores densissimos & uiscosissimos generat: sed cum bene digeritur, multum nutrit, & membra confortat, propterea dari oportet eis qui magnis laboribus exercentur. granum fractum cum lacte coquatur, sanguinem bonū & laudabilem generat, & nutrimentum multum, si tamen sæpe sumatur, oppilationem epatis & duritiem splenis & lapidem in uesica & renibus faciunt, maxime si renes calidos naturaliter uel accidentaliter inueniat. Et pasta quidem frumenti quam pluribus utimur modis. Siquidem azima uiscosa est inflatiua & ad digerendum dura, ideoq; inflationes & dolores & oppilationes generat, & nutrimētum durum & grossum & illaudabile generat, quare exercitantibus tantū conuenit. Si uero fuerit fermentata bonum & laudabile generat nutrimētum. Si uero frixa uel sub prunis cocta mala est, quia exterius dura & interius uiscosa & semicocta remanet, ideoq; nec otiosis competit propter uiscositatem & cruditatem intrinsecam, exercitantibus non cōuenit propter adustionē extrinsecam. Panis in forma magnus corticem subtiliorem & duriorē habet, propterea eius cortex parum nutrit, & est ad digerendum durus, humiditatem desiccat, unde & uentrem cōstipat, medullæ uero multum habet, & ipsa medulla est grossa & uiscosa, humida & inflatiua, & phlegma uiscosum generat. Panis parui & subtilioris ignis interiora perforat, medullę humiditatem desiccat, unde parum nutrit, & tarde digeritur, uentremq; constipat, pręcipue si frigidus est, & uno uel duobus diebus à coctione lōginquus, qui uero est mensuræ mediæ in forma est mediæ potestatis. Et panis quidem cuius ignis in coctione magnus & fortis fuit, habet exteriora exiccata & indurata, item interiora non bene cocta, quia cortex uelociter indurata non permittit focum ad interiora penetrare, ideoq; cortex est durus non nutriens, sicut ferè incensa omnia solent. Vnde siccissimum sanguinem parit, & cōstipat uentrem. Et mica quidem uiscosa grossa & indigesta, unde crudos & uiscosos generat humores. Si enim antequam coctus sit extrahatur, uiscosusq; sit, erit fortiter digerentibus & exercitantibus tātum necessarius. Et si dimissus fuerit usquequo coctus fuerit, siccus erit & stipticus, & durius digeritur, mediocris uero focus tēperatus est, quia totū penetrat corpus panis ęqualiter, & coctus quidem in furno melior est, quia totus æqualiter coquitur, sub testis uero deterior, quia focus in una parte magis operatur, & altera cruda remanet & uiscosa, si ergo sæpe comedatur post multum temporis inflationes & dolores lateris generabit. Similiter subcinericius aut super carbones coctus uelociter extrinsecus desiccatus, interius uero grossus remanet & uiscosus, & multū cineris cum eo admiscet, maxime si ligna sint mollia & cito incendantur, & ideo inflationes & grauitates membrorū & obscuritates facit. Et panis quidē calidus aut recens magis est humidus & nutritiuus, qui post unū aut duos dies accipitū laudabilis est, quia tēperatus est interius, & exterius siccissimus, rarus est & leuis causa ablatę humiditatis, unde humores desiccat, & generat sitim propter desiccatio-

desiccationem stomachi, & uentrem constipat. Panis autem temperate fermentum habens & sal, & bene cõfectus & sicut oportet coctus facile in stomacho digeritur, & sanguinem clarissimum in corpore generat, unde commodior est eis qui inquiete sunt & delitiarum delectatione, exercitantibus & laborantibus inconueniens est propter sui subtilitatem & facilitatem dissolutionis ex membris eorum. Panis uero parum fermentatus & sal non habens nec bene coctus uiscositatem creat & grossitudinem, propter hoc aptus est exercitãtibus & fortiter digerentibus. Panis uero superfluũ fermẽti & salis habens minime nutrit, nec confortat, uirtus enim salis humiditatẽ eius desiccat, fermentũ cõiũctione rarificat.

De faba.



FAba quædam grossa, quædam parua est, quędam alba, & quædam nigra est, quædam facile coquitur, quędã durę, & alba quædã quæ, facile coquitur est melior, & parua saporosior est & magis fertilis quã grossa, grossa uero pulchrior est, sed minus fertilis. In omni aẽre habitabili prouenire dicitur, terrã desiderat pinguẽ & cretosam, & in ea subtilẽ facit corticẽ, & facile coquit̃, & in mediocriter soluta satis cõueniẽter nascitur. In sabulo uero & macra nõ prouenit bene, & quæ ibi nascit̃, grossam habet corticẽ, & dura est ad coquendum, nisi talis ager letamine impinguet̃, tũc enim eius malitia emẽdatur, melior tamẽ semper est quæ nascitur in terra pingui & cretosa. Seminat̃ aũt in stipulis & terra non arata, licet & in arata seri congrue possit. Spargitur autem semen in locis calidis aut temperatis mense Ianuario aut Februario cum terra post forte gelicidium talis est quod possit arari post sparsum semen, & melius quidẽ in humida quàm sicca terra seritur. Sed & seri potest mense Martio, maxime in terra ualde pingui, cui multum proderit cum tarde seritur, si madida seritur, sic enim statim germinare & nasci cogetur. Quod si in aqua letaminis duobus uel tribus diebus mollificari sinatur, quæ nascitur ex melioris erit cocturæ, & etiam talis mollificatio pinguis eidem contra terrę macredinem auxilium exhibebit. Quidam dicunt aqua fabam cum seritur respersam coctur̃ã non habere difficilẽ. Nec est necessariũ ut nascatur ut glebæ in eius seminatione rumpantur. His enim nõ obstãtibus, licet plurimũ infra terram submersa fuerit erumpit pullulans ad superficiem terræ. Corbis una & minus iugerum complet, nam late aspergenda est, ut dilatari in stipitibus possit, luna autẽ plena melius seritur faba. Hoc genere leguminis terra non læditur, & maxime si radices dimittet in ea, sed tamen in eo non fœcundatur nisi per accidens ager fuerit multum humidus. Nam Columella dicit, agrum frumentis utiliorem probari qui anno superiori uacuus fuerit quàm qui calamos faba-

ceæ messis eduxit, & uerum dicit duplici ratione, una quia messis de nutrimēto frumenti aliquid assumpsit, altera quia non potuit in æstate sic cōmode exarari, ut nudus. Faba secundum Palladium runcanda est cum quatuor digitis eminet super terram, deinde alia uice sarculetur, cum herbę nocuę fuerint in ea renatę, quo quidē nō affligit, sed proficiet & multū fructū reddit, & flexa quidem prope nodum sicut integra respōdet mēse Maio & Iunio. Faba quadraginta diebus floret, simulq; grādescit, idē est in omnibus qui sunt seminis duplicis, ut pisum et cętera legumina. Mensę Iunio faba minuente uelletur ante lucē, & antequā luna procedat, & excussa & refrigerata ponatur in horreo, & sic gurguliones aut nullo modo aut minus patietur infestos, ut Palladius ait. Varro scribit quod faba & cætera legumina in uasis olearijs cinere oblita perdiu incolumia seruantur.

Fabæ ut dicunt Medici, aut comeduntur uirides, & tunc frigidæ sunt, & humidæ in primo gradu, & humores generant grossos, crudos & inflatiuos, unde uentositates faciunt, & ideo stomacho ualde nociuæ sunt: siccæ uero & maturatæ, perfectę frigidæ sunt, & siccę in primo gradu, & illaudabilē generant sanguinem, & carnem inflāt et dilatant, & operant̄ in ea quod fermentum in farina, unde in superioribus uētris plurimā grossitiem generant & inflatiuā, ex qua fumus in caput ascēdens cerebro nocet, & insomnia multa & corrupta inducit. Cum ergo huius naturæ sint fabæ, non eis aliquo decoctionis modo potest auferri, sed minui, experimento autem hoc probatur, quia fabis quottidie utentes indigestionem & inflationem patiuntur, etiam si sanissimi sunt, mundificatiuæ autem sunt, & ideo ualent ad lētigines, & qui cutem sui corporis mūdificare uolunt ex farina earum lauari assuescant. Diuersis coquitur modis, quædam enim aqua coquuntur, quædam igne assantur, coctę in aqua laudabiliores sunt, quoniam aqua eis plurimum aufert uētositatis & grossitiem, maxime si eiecta aqua priori, altera iungatur. Hęc quoq; decoctio duobus fit modis, aut cum cortice, aut sine cortice, & coctę quidem cum cortice duræ sunt & ad digerēdum grossę, inflatiuæ, spissitas enim corticis egressionem prohibet uentris, & mora eius diuturna in uentræ uentositatem & inflationem generat. Coctę uero sine cortice minus sunt inflatiuæ, & cito digeruntur, & si ius fiat ex eis calefactiuis rebus appositis, ut pipere, zingibere, uel oleo, perfecta est medicina ad coitus operationem. Commesta autem cum menta origano, cimino & similibus eius uentositatem & inflationem minuunt. Assatæ minus uentositatis & inflationis habent, sed ad digerendum durissimæ sunt, ueruntamen si aqua infundatur post assationem, & cum cimino & menta & origano comedantur duritiem amittunt. Fabæ confractæ bobus in cibum, quotidie abundanter exhibitæ, cito eos impinguant, & hoc modo boues magni, & senes à peritis uacarijs impinguantur in diebus quindecim & renouatur caro eorum. Auicenna dicit: quod fabarum rectificatio est prolongatio infusionis earum, & bonitas decoctionis, & comedere eas cum pipere & sale & similibus & cum oleo, ac meliores

omnium

omnium sunt grossæ albæ, non perforatæ à gurgulionibus. Et ex proprietatibus earum est quod abscindunt oua gallinarum cum nutriuntur ex eis, et quod faciunt uidere somnia cum alienatione perturbata, et quod faciũt accidere pruritum proprie recentes. Item emplastrum ex corticibus earum super femur infantis, ortum prohibet pilorum, & similiter quando sæpe iteratur super locum rasum. Et fabæ abstergũt morpheam in facie, & præcipue cum cortice, & lentigines, & faciunt colorem bonum, & earum emplastrum est bonum apostemati, & mamillę, et castitati lactis, in ea & quę ex eis cocta sunt, cum aceto et aqua cõferunt solutioni antiquę, et proprie cum fuerint cum corticibus suis, et cõferũt dissenteriæ. Plinius dicit, quod faba cocta et colatura eius potata pulmonẽ mundificat, apostemata mammillarum curat, cum rosis mixta dolorem et liuorem et lippitudinem oculorum curat, masticata et temporibus apposita, humores ad oculos fluẽtes compescit. Item scissa et super uenam incisam posita, sanguinem restringit, lac effluens de mammillis sistit, & fluere non permittit, podagricis et arteticis cum adipe eius decocta subuenit, si super doloris locum emplastretur. Tumores & inflationes apostematũ repercutit si in principio decocta in aceto tumori apponatur. Itẽ dicit, quod quando faba est in flore aquas maxime concupiscit, cum uero effloruit, diligit siccatẽ. Item dicit, quod in aqua marina uel salsa uix coquitur, dicit etiam quod in insulis maris Oceani nascitur faba spinosa per se, quę coqui non potest. Item in Aegypto nascitur faba spinosa longa decẽ cubitorum, quã crocodili fugiunt, timentes ne oculi eorum spinis eius lędãtur.

De Farre.

FAr est simile speltæ, sed est grossior in herba & grano, serit̃ tempore tritici et speltæ, et corbis una iugerũ complet, mundatur & metitur ut triticum. Far temperatæ complexionis est, et est bonus cibus sanis & ęgris, satis enim nutrit et confortat, & bonum generat nutrimentum, & potius est stipticum quàm laxatiuum.

De Faseolis.

FAseoli noti sunt, & eorum quidam sunt rubei, quidam albi, terram & aẽrem talem desiderant qualem panicum & milium, & inter ipsa cicera commode seminantur, serũtur etiam in hortis inter cepas et caules, sed minus soluta terra proueniũt, et eisdem temporibus seminantur, & quanto magis terra pinguis fuerit, tanto rarius seminentur, herbis sæpe mundentur. Colliguntur autem successiue ipsorum aliqua quotiens albedine sua maturitatẽ fatentur, & super linteamina ad solem siccantur: rubei calidi sunt et humidi in medio secundi gradus, albi uero parum minus calidi sunt, sed magis humidi, testatur hoc, quia grana eorum ut cætera siccari non possunt, & si desiccantur diu seruari non possunt. Humores generant grossos, & inflationem, uentositatẽ fumũq; plurimũ caput implentẽ, & somnia pessima ac terribilia faciũt et corrupta.

Auicenna propterea dicit, quod generant humorē grossum, sed sinapis ꝓhibet nocumentū & somnia pessima eorū, & similiter acetū cū sale pipere & origano.

De Git.

Git est semen nigrum, & quasi triangulū, cuius herba nascit̄ in frumentis & speltis et siligine, & uulgariter dicitur gittironus, & facit flores rubeos admodum campanellarū, est aūt calidum et siccū in secundo gradu, uirtutem habet dissoluendi, cōsumendi, contra oppilationem splenis & renum, & iliacam passionem & dolorem stomachi, & uētositatem, ualet puluis eius in cibis. Contra lumbricos detur puluis eius cum melle, et fiat etiā emplastrum ex puluere eius & succo absinthij circa umbilicum.

De Lolio.



Lolium siue zizania nascitur inter triticum siccis corruptisq; temporibus uim acutam habet et uenenosam. Oppilitat mētem, perturbat & inebriat. Cum uino cocta & stercore asinino & semine lini cataplasmate apostemata dissoluit, & scrophulas. Cocta cū radicis cortice et uulneribus iam putrefactis apposita sanat et mundificat. Item est adustiua tritici, quia trahit nutrimentū eius sicut papauer, est zizania auenę, & caulis uitis, qui adurit eam.

De Lenticula.



Lenticula nota est, uult habere locum tenuem et resolutum uel etiā pinguem, sed siccum maxime quia luxuria & humore corrūpitur usq; ad lunam duodecimam: mēse Februario seritur, quartarium corbis in sationem iugeri sufficiet. Cum aūt lens ualde cito pullulet, & incrementum accipiat, oportet quod si ager fimādus est, priusquā seratur, cum fimo arido misceatur, & cum illo uel quatuor uel quinq; diebus steterit, tunc spergatur in agrum. Palladius hoc præcipit fieri debere, ut cito nascatur & crescat, frigida est in primo gradu, sicca in tertio, nutrimentum eius est grossum, & ad digerendum durum, melancholicū sanguinem generat, et si cū corticibus comedat̄ cerebrū fumo grosso implet, et melancholico, unde causa est doloris & fallacium formidolosorumq; somniorum, uentositatem & inflationem & constipationem faciunt, propterea cæteris granis stomacho nociuior est, & pulmoni & diaphragmati & pelli-

& pelliculis cerebri cæterisq; neruis pellicularum, & precipue oculorum, quoniam humiditatem eorũ exiccat & exasperat, sanis oculis hoc efficit quanto magis infirmis: est igitur complexioni siccæ noxia, sed eis qui sunt humide complexionis aliquando prosunt, si sine cortice coquantur. Item Hydropicis ualent, cum cortice uero nocent nimis, propter uentositatem & inflationem quam faciunt, grandis & noua melior est & concoctu facilior ad cibum & medicinam, quàm parua, uetus & dura, si cineri misceatur melius seruabitur.

De Lupinis.

LVpini aut terras aut uineas impinguandi, aut seminis colligendi causa seruntur, qui prima causa in uineis uel agris spargũtur mense Augusto uel collectis uuis serẽdi sunt, cooperiendi ligonibus uel aratro, deinde mense Aprili uel Maio, cum ad debitum augmentũ peruenerint euertendi, sic etiam uineas & agros letaminis more impinguant & fœcundant & in agris tunc seratur milium & panicum & tempore iuuante frumentum, & uineis quidem magis letamen conferunt, quod eis non bene competere dicitur, quia consueuit uini uitiare saporem. Seruntur etiam optime post collectas messes in stipulis bis aratis, uel circa principium Augusti, deinde mense Octobri iuxta terram ligonibus inciduntur, & per sulcos ponuntur, super quos seminato frumento uomere terra uoluitur, & sic de uno grano optimum efficitur, ubi etiam anno sequenti iterum frumentum seri poterit uel siligo. Possunt etiam seri eodem tempore inter panicum in secunda eius sarculatione qui collecto panico manebũt, ut agrum impinguent frumentarium secundum modum prædictum. Duæ corbe uel plures in iugero ponuntur, qui uero seminis colligendi causa seruntur mense Octobri & Nouembri debent fieri, & corbis una iugerũ complet. Limoso agro lupinus nõ nascitur, cretam formidat, & exilem terram ac rubricã diligit. Lupini sarculandi non sunt & sarculati extinguunt, quia unam tantum radicem habent, nec hoc quidem desiderat, quia herbas præter auxilium cultoris affligunt, mense Iunio & Iulio colligit, & statim si placuerit fertur ex area, sed est ab humore longe ponendus in horreis, sic enim diutissime custoditur, maxime si granaria eius afflauerit fumus assiduus. Lupini calidi & sicci sunt in secundo gradu, & eorum alius est amarus qui ex natura sua talis est, & hic medicinæ competit, alius dulcis & insipidus, qui ex multa mora in aqua dulcoratus est & insipidus factus. Farina lupinorum cum melle ualet contra lumbricos ad idem ualet panis factus ex farina eius cum melle & absinthio positus super stomachum, & melius si addatur modicum aloës, eadem farina apostemata maturat & rumpit. Lupinus, ut ait Auicenna, subtiliat capillos, & abstergit panos & morpheam, & faciem, & tũc maxime quãdo decoquitur cum aqua pluuiali donec dissoluatur. Quidam dicũt quod farina lupinorũ capillos natos adurit, & exurgere alios non permittit. In aqua dulces facti lupini nutrimentum grossum pariunt & ad digerendum durum, ideoq; humores generant uiscosos.

De Lino.

De Lino.

Linum desiderat aërem temperatum & terram solutam & pinguem, & quanto pinguior fuerit tanto ipsius stuppa erit grossior, quanto uero macrior, tanto eius stuppa subtilior erit. Sed ex eo parum & breue in tali terra nascetur. Huius autem seminatione terram satis macrari & lędi credit, ideoq; auxilio letaminis eget, si tale semen recipere assuescit. Eius terra ante hyemem debet arari ut glebæ propter gelu sequentis hyemis in puluerem reducantur, deinde post hyemem cum primum poterit secunda uice arabitur, deinde aspergatur & iterum aratur quinq; uel sex uicibus in tantum ut in puluerem redigat: ita tamen quod prima uice profundius aretur, secūda minus profunde, & sic semper ꝓfundatio usq; ad uicem ultimā minuat: deinde à medio Aprilis usq; ad finē eius satio ipsius est optima, satioq; in summo terrę fit minus uno palmo, terra super semen aratro reuoluta, in cuius satione secundum morem Alexandrię ibi linum optime procuratur, potest unus bos unum ducere aratrum, & duo simul iuncti possunt ducere duo, ut unum aratrum per unum brachium uel parū plus quodam fune sequatur ad primum, quorum unum quodq; habeat unum bubulcum, qui aratrum teneat & conducet. Tres corbes huius seminis uel parū plus sufficiunt iugero cui multum proderit si talis ager expexetur postquam fuerit seminatus, quod si tempus fuerit magnæ siccitatis ei ualde proderit si poterit irrigari. Potest etiam seri ante hyemem in locis calidis, in quibus linum natum frigore non læditur, & tūc melius prouenit in terra mediocriter cretosa quam nimis soluta, nec est necesse quod sit pinguis, & quod ultra duas uices aretur, dūmodo terra pulverisetur, & cum fuerit seminatū melius est quod cum expexe solūmodo de quibusdam spinis facto semen operiat, melius etiam est quod homo unus cum fune trahat expexem quam boues, propter nocumentū & hoc est cuilibet homini facile. Hæc herba bis mundanda est quę maxime suffocatur, ideoq; extirpandum est antequam circa linum inuoluatur, licet per ipsum ambulando lædatur cum magnum est, & ideo mundatur & debet ante se manibus aperire, & ire per eum optime eleuatis pannis. Sed cum prima uice mundat, quia tunc parum est & conculcatum releuatur non læditur ambulando per eum. Colligitur cum maturo colore flauescit, & eodem die ne rore tangatur sub tecto ponat in fascibus deinde malleolis lignis excutiuntur semina, & ipsum linum ad maturandum in aqua ponitur, in qua quatuor uel quinq; diebus si putrida sit stetisse sufficiat, si autem aqua non sit corrupta, usq; ad septem dies stare in eadem oportet ut putrificat caro herbalis, & cortex ex quo fit stuppa remanet in corrupta. Vel potest optime macrari hoc modo, ut Mediolanenses obseruant, cum maturum est colligit sine aliquibus herbis admixtis, & in paruis fasciculis ligatur cum herbis uel siligine aut uitijs, uel in campo siccatur, & quantum potest defensetur à pluuijs, præcipue dum est siccum, postea defertur ad domum & sub tecto ponitur, & seruat usq; ad mensem Augusti donec completa triturationis necessitas, tunc ad

tunc ad aquã portatur, & in ea ponatur, ac sæpe perticis submergatur uel ponderatur quibusdam lignis & optime balneetur, & in ea dimittatur per mediam diem tantum & sic bene balneatum reducatur ad domum, & totum ponatur in cumulo iuxta murum sub tecto & paleis operiatur & sic quatuor dimittatur diebus, in quibus calefiat uel macerabitur, & tunc cum infrigidatum fuerit uel tenerum ac leue effectum, uel semina in ea remanentia incipiunt germinare, uel stuppa eius à carne remota per se non torquetur, completa erit maturatio, & tunc unusquisq; fasciculus diuidatur in tres uel in quatuor manipulos magnos & cum ipso ligno ligentur, & in area optime exiccentur, & reponatur, postea poterit quolibet tempore parari ut moris est. Erit autem signum temperatæ maturationis, quando maceratur in aqua cum tactu mollescit adeò quod omnem rigiditatem amiserit, cognoscitur etiamsi ex eo aliquid extrahatur de aqua & siccatum probetur, sic caro herbalis à stuppa facile separatur. Veruntamen si minus quam expedit maceretur erit stuppa fortior & albior, sed non perfecte separabitur caro herbalis, & erit durior ad filandum. Deinde optime leuetur & in aqua excutitur, & ad solem siccatur, cum autem siccatum fuerit concutitur malleolis ligneis ut eius caro rumpatur, & deinde ad solem calidum ponatur, & cũ fuerit calefactũ in pannis calidis in domo simul ponitur, & cum per aliquas horas sic steterit, gramolatur, hoc enim modo mundatur optime, nec stupa rumpitur gramando, quod fieret si statim gramarent cum eleuarentur de sole. Quod si tempus fuerit humidum cum multis pannis madefactis ad ignem præparatur gramen, deinde spatulis eius mundificatio completur, deinde pectinatur & filatur. Virtus seminis lini secundum medicos proxima est uirtuti seminis fœnigreci. Calidum est in primo gradu, mensuratum in humiditate & siccitate, si sumatur cum melle & pipere mouet coitum.

De Hordeo.



Hordeum tollerat omnẽ aërem, & desiderat terram pinguem ut optime proficiat, & in mediocri etiam prouenit, & patenti magis quàm umbroso loco lætatur. His temporibus & eodem modo, ut triticum seritur, & & septem diebus sub terra moraẽ, & cum egrediẽ, ut ait Varro: Legumina uero quinque diebus præterquam faba, seri etiam Alberto dicitur in principio ueris & utrunq; fieri posset, sed huius sationis messis tardius ad maturitatẽ peruenit. Hordeum tamen margolum quod Bononiæ margola uocatur, seriẽ toto mense Martio & in principio Aprilis, & mẽse Iulio est maturum. Item inueniẽ hordeũ quod in trituratione mũda-

tur ut frumentum: & istud eodem tempore seritur quo frumentum, in seminando corbis una iugerum perficit, colitur & mundatur ut frumentum, & maturatur modicum ante ipsum, ideoq; eius messis primo recipitur, quæ consummēda est antequā grana refractis spicis lapsa decurrant, quia illis uelut triticum folliculis uestiuntur, eius culmos quos pinguiores dicimus in agris aliquandiu iacere sinamus, quia hoc modo grādescit & trituratur, ut triticum. Hordeum secūdum Auicennam frigidum est & siccum in primo gradu, uirtutem habet mundificatiuam, & excolatiuam, plus tamen faba desiccat, & proptera ab inflatione liberat. Hordeum & triticum nutribiliora & laudabiliora sunt cæteris granis, sed hordeum citius digeritur, & ideo de membris citius dissoluitur: frumentum uero tardius digeritur & tardius à membris dissoluit. Galenus de hordeo & faba secundū medicinā, dicit, hordeū & faba quoniam temperamento uicina sunt, in multis secundū medicinam locū habent, sicut cera & oleum in cataplasmatibus, fit de hordeo cōfectio utilis, elixatur hordeū prius aqua, postea assatur, deinde farina facta cum saccharo conficitur, hoc in æstiuo tempore ad stomachi & epatis refrigerium ualet, ad sitim etiā ualet cum aqua temperatum, siue grossum, ut cum cochleari edatur, siue liquidum, ut bibatur. Ex eo ptisana conficitur hoc modo: ut cortex auferri possit mensura hordei sumatur una, aquę nouem & tandiu coquatur, donec redigatur ad unam, & colatum potui detur. hoc ualet ad sanitatem custodiendam, corpusq; humectat, si corpus refrigerari plus appetat, parum aceti misceatur, uel addatur semen papaueris albi. Ptisana sanis crebro usu clarissimum & perfectissimum sanguinem generat, nec minus quàm panis nutrit, quæ sanis danda est, infirmis uero diuersis modis prout cuiusq; expedit infirmitati. Si enim uelis sitim & epatis calorem extinguere, bibe supra dicto modo. Si excolatiuum & mundificatiuum ptisanum habere uolueris cū cortice coque. Si laxatiuum & refrigeratiuum cocto in mane suppone mel uiolaceum. Si propter epatis oppilationem illud uelis accipere, cum eo coque simul radices apij & fœniculi, & accipe illud cum oxisiccaria. Alij autem dicunt, quod ptisana fit hoc modo: Hordeum mundatum decoquatur multum bene in aqua, & colatur per pannum. Farina sic fit, hordeum bene mundatum in mola ponitur & teritur, mola tamen aliquātulum subleuata ut grossam operetur farinam, farina talis cocta in aqua diu, est optimus cibus febricitantibus, & præcipue laborantibus in apostemate spiritualium. Auicenna dicit, quod habet proprietates dictas de siligine. Item si fiat linimentnm ex eo cum aceto forti, & ponitur emplastri more super scabiem ulceratam, sanat eam. Item fit ex eo emplastrum cum citonijs & aceto super podagram, & prohibet fluxum superfluitatum ad iuncturas, & aqua eius confert egritudinibus pectoris, & quando bibitur cum semine fœniculi facit abundare lac, & aqua eius est infrigidatiua & humectiua febrium, in calidis quidem puta, in frigidis cum appio & fœniculo.

De Milica.

MIlica est notissima, eius quidem duplex est differentia. Est enim quædam rubea, quædam alba. Item inuenitur tertia species quæ est albior milio, & iterum quędam in herba multum excrescit, quędam parum, & rursus quędam diu moratur in agris, ut longa, quędam in paucis maturatur diebus, ut milium, & hęc est quę in herba parum crescit, ut milium. Terram desyderat ualde pinguem, & cretosam magis quàm solutã, & eam ualde macrat propter multum nutrimentum quod quęrit, & locis quasi paludosis lætatur, ibiq; optime prouenit cum primo reducuntur ad cultum. Nam nimia pinguedine talis loci frumentum & faba perieret in eo, nisi primo per sationem milici superflua pinguedo consummeretur. Seritur in pastinata terra & in solida, potest etiam seri per sulcos fabarum, & ubicunque raræ natæ fuerint in secunda sarculatione, ipsarumq; fabis eradicatis, erit denuo sarculanda. In temperato aëre circa finem Martij & initium mensis Aprilis, & parum seminis, scilicet octaua pars corbis, sufficit ad cõplendũ iugerũ, in calido uero maturius et in frigido serius est serenda, sed ea quæ parua est toto temperato tempore quo milium seritur sub terra potest seri, quia tantundem moratur in agris, circa 15. uel 20. diebus semen eius sub terra moratur antequam nascatur, & natum, licet sit parua milica, tamen runcatur circa finem Aprilis & initium mensis Maij, & tunc ipsa herba ablaqueat', ut melius germinet, & pullulet à radice, deinde mense Iunij sarritur siue runcatur secunda uice, & tunc circa ipsius herbam terra cumuletur, ut à casu melius defendatur. Et solo mense Augusto uel Septembri colligitur, eis iuxta terram incisis, & postea prope panocas si melogaria habere uolueris, si uero eis non eges perticis flectitur,, & panocæ inciduntur, & in fasciculis ligantur, melogarijs super radices in campo relictis. Et in iugero mediocris milicæ circa sedecim corbes prouenient. Siccanda est quantum potest, postquã equabus fuerit tritura uel uirgis facta. Et in loco reponenda uentoso quantum potest aperto, nec nimium adunata calefiat, & corrumpatur. Melegaria competunt ad claudenda tuguria, & uias in tempore luti sternendas, & competunt igni & clibanis faciendis, cum fuerint exiccata, & plantis salicum inuoluendis, ne excorientur à bestijs, & ne sole urantur æstiuo, Semen milicę bonus cibus est porcis & bobus & equis dari potest, & homines eo tempore necessitatis utuntur, & cum alijs granis in pane & præcipue rusticis, qui continuis laboribus exercentur, & est frigidum & siccum, & generat melancholicum sanguinem. Item inflatiuum est, propter suum pondus facit descendere cibum, quem in uentre inuenerit.

De Milio.



MIlium notum est, cuius duplex est differentia, quoddã scilicet, quod circa tres menses moratur in agro, et aliud quod maturitatem recipit in 60. diebus, postquam fuerit seminatum. Terrã desiderat ualde aratam, solutam & pinguem. Nam in sabulo et arena prouenit, dummodo solo irriguo & humido cœlo seratur. Nam siccum & argillosum formidat agrũ, & terræ in qua seritur pinguedinem ualde consumit. Seri etiam potest per sulcos fabarũ, & inter ipsas ubi raræ fuerint inseratur, in secunda sarculatione. Si terra fuerit soluta, uel media, uel cretosa, quod, quo euulsis fabis sarculãdũ erit mense Aprili, Maio, & Iunio seri potest. Palladius uero dicit, & cum eo cõcordat experientia rusticorum, quod seratur milium mense Martio, & erit maturum in mense Iunio, ex quo probabiliter sequitur, quod si terra sit bene pinguis poterit in eadem æstate iterũ seminari. Corbis octaua pars sufficit in iugero, herbis propterea liberatur assidue, maturum est cum totum albescit, ab auiculis non multo labore defenditur. Cum siccatum est in fasciculis ligatum erigatur ad solem, ibiq; per duos aut tres dies moretur, deinde portetur ad areã, & statim trituretur, ne si in magnum portetur aceruum calefiat & corrumpatur, non bene siccatum statim calesit & corrumpitur, optime uero siccatum, eo triturato, siccetur optime antequam portetur ad horreum, optime uero siccum longissimo tempore seruatur, & quidam colligunt solum spicas, sicut in panico seruatur. Milium secundum Isaac frigidum est in primo gradu, siccum in secundo gradu, testatur hoc leuitas & concauitas eius & uiscositas, & uentositatis abundantia. Minus nutrit cęteris granis, ex quibus fit panis, gratia tamen siccitatis cõfortatiuum est stomachi, & aliorum membrorum corporis, diureticum est, & idem assatur ad ignem, & ad corrosionem doloremq; uentris calidũ superponitur. Causa eius siccitatis & parui nutrimenti, non est accipiendum ab his, qui carnes suas augmentari & impinguari desiderant, nec ab eis qui in corporibus laudabilem sanguinem generari uolunt, sed tamen à quibus refrigeratio aut cõfortatio, et humorum superfluorum desiccatio appetitur.

De Panico.

PAnicum desiderat eandem terram & aërem quem milium, & eisdem seritur mensibus, & eodem modo, & tantundem seminis requiritur in iugero, & eodem modo herbis sæpe mundatur, quod etiam inter fabas et faseolis & in uineis congrue seri potest, secũdum doctrinam de milio tarditam. Est etiã quoddã panici genus, quod in paruo tempore recipit complemẽtum, & istud cõgrue seminatur post messes cõpletas in stipulis bis uel ter aratis & glebis con-

bis cōfractis, in quibus optime prouenit, nisi tempus fuerit eximie siccitatis. Panicum secundum Isaac, in forma & natura simile est milio, minus tamen nutrit, uentrem tamen magis constipat. Accipitur diuersis modis, et per eorum diuersitates actionem suam mutat, quocunq; tamen modo accipiatur, melius est milio. Coquitur autem sæpe aut cum pinguedine, cum oleo, sæpe aut cum lacte caprino uel amygdalarum, et coctum quidem cum oleo aut cum pinguedine laudabilius est, quoniam siccitatem suam amittit, & saporositatem bonumq; nutrimentum acquirit, et constipationem perdit, cum lacte uero coctum laudabilius, eo quod cum aqua sola coquitur. Sed coctionis cum aqua duo sunt modi, coquitur enim ut integrum, aut mola fractum, integrum ablato cortice coquitur, ut in una panici mensura quindecim aquæ ponantur. Item coctum grossum est, & ad digerendum durum, sed non est uentris constipatiuum, quia propter suū pondus ad inferiora descendit. Mola tritum coquitur, ita ut farinæ mundatę decies tantum aquæ ponatur, postquam bis uel ter bullierit digitis fricetur & coletur, & colamentū susceptum donec durescat excoquitur, sicq; cōmedi utile est, et cæteris subtilius, digeriturq; facilius, magis uero stipticum est.

De Riso.

RIsum & Ropellia sunt alba & grossa, & seminantur mense Septembris & Octobris & Ianuario & Februario, ut puto melius in terra facili & soluta, loco tepido, & aura humida. Duæ partes corbis in iugero sperguntur, & colligi debet siliquis exiccatis & granis fortiter indura tis, luna decrescente, postquam multum processerit in defectu. Frigidum est in primo gradu, & temperatum inter humiditatem & siccitatem. Cortex eius stipticus est, cortice ergo mundatum laudabiles generat chimos, nec inflationē aut uētositatē facit, sicut faba, & ad usum edendi bonū est in ęstate in calida regione.

De Spelta.

SPelta nota est, eius quidē diuersitates sunt, quia quædam est grauior, & hæc melior, quædam uero leuior, & hæc deterior est. Aërem desiderat qualem frumentum, & terram, sed melius defenditur à macra quàm frumentum, & in creta & in patenti campo optime prouenit. Et his temporibus seritur quibus frumentum, & eodem modo, sed duę corbes in iugerum seruntur, cum ex frumento corbis una sufficiat. Colitur & mundatur sicut frumentū, metitur aūt immediate post frumentū, cum post ipsum modicum maturet, & eodē modo trituret, uerū separata paleis, pluries uirgis semē eius percutit, ut ab aristis mūdetur. Temperatæ qualitatis est, et equis, bobus, et similibus præbet optimum nutrimentum, sed & homines uti ea commode possunt, quia eius panis temperatus est & ualde leuis, & ideo si tres partes speltę cum quarta parte misceatur fabarum. Ex superflua grauitate fabarum & multa leuitate speltæ fit panis satis pulcher & bonus, & familijs cōueniens, si in eius artificio diligentia obseruetur, quæ supradicta est in pane frumenti.

De Siligine.



Siligo nota eſt, & eius quidem nõ ſunt diuerſitates, aërem communem cũ frumento deſiderat, et frigidiorem tollerat, ut alpes, quia citius maturat. In nemoribus enim alpium mundantur menſe Iunio & Maio omnes ramuſculi arborum, deinde cum ſiccati fuerint incidantur menſe Auguſto, & uertãtur in cinerem, & in eis ſeminat ſiligo, quę optime prouenit anno illo, deinde uſq; ad ſeptem quieſcit annos, & eadem ſatio denuo iteratur, ſed ubi non ſunt nemora herba, cum ſuis radicibus & modico terræ inciditur, & exiccata comburitur, in cuius cinere & puluere ſiligo poſtea præfato tempore ſeminatur, & circa octo annos quieſcit, & idem opus poſtea iterat. Terram deſiderat ſolutã, ſabuloſam, & in pingui & patenti campo mollior prouenit. Et his temporibus quibus frumentum ſeritur, conuenientius tamẽ antequam uel poſt. Vna quidem corbis ſufficit in iugero. Colitur & mundatur ſicut frumentũ octo diebus. Floret circa finem Aprilis & initium Maij locis temperatis, quo tempore tangi à cultore non debet, & quadraginta diebus depoſito flore grandeſcit uſq; ad maturitatis euentum. Maturatur & metitur antequam frumẽtum, & trituratur ut ipſum frumentum. Eius quidem ſubſtantia eſt tenax & uiſcoſa ualde, & ideo cõuenienter miſcetur cum millica, milio, faba, & ſimilibus ad panẽ, quẽ pro laboratoribus & familijs faciemus, quia coniungit & conglutinat paſtas eorum, quæ per ſe cocto pane retinere non poſſunt, ſed franguntur & teruntur, ſiligine uero ſola in pane uel nunquam utimur. Auicenna dicit, quod eſt de natura hordei, ſcilicet frigida & ſicca in primo gradu, eius nutrimentũ eſt minus nutrimento tritici, & eius aqua frangit acuitatem humorũ, & ſimiliter farina eius ſuper pannos ponitur, & epithima eius calidum accipitur, & fit ex ea decoctio ſicut ſorbitiones, cum pice emplaſtrum ſuper apoſtemata dura, & cum ſolo furfure ſuper apoſtemata calida.

De Vicia.

Vicia dupliciter utimur, aut ſeminis colligendi, aut pabuli ſecandi cauſa, eſt enim optimus cibus equis & bobus herba eius & ſemen eius, ſerenda eſt menſe Ianuario & Februario non in aurora, quando ros eſt, ſed quando ſol abſorbuerit rorem, quoniam compertum eſt uiciam rorem ſuſtinere non poſſe, ſed euaneſcere uirtutem ipſius. Habet hoc uicia proprium, quia uiridis meſſa ii cũ eo & quod in terra remanet ager ſtatim aretur letaminis more terram impinguet, ſi autem exaruerint radices eius antequam terra aretur, ſuccum aufert ab agro.

TERTII LIBRI FINIS.

CRECSEN-

CRESCENTII LIBER

QVARTVS DE VITIBVS ET VINEIS ET CVLTV earum, ac natura & utilitate fructus ipsarum.



SVperius in libro secundo multa de natura & cultu uitis dicta intelliguntur, cum de natura plantarum & rebus cõmunibus cultui cuiuslibet generis agrorum generali sermone diceret. Nũc uero in hoc quarto libro de natura & cultu uitis & uinearum, & omni utilitate fructus earum specialiter est agendum.

De Vite, quid ipsa sit, & uirtute foliorum eius, & lachrima eius.



VItis apud nos nota est, sed in frigidissimis regionibus, in quibus uiuere non potest ignota, ideoq; dicamus quod est quædam humilis arbustula, multũ tortuosa, nodosa & scabiosa, latissimos habẽs poros, & magnam medullã, & frondes latas & intercisas, quę sine putatione & palorum aut arborũ auxilio diu uiuere & commode stare nõ potest, & eius quidẽ fructus est uua, ex cuius succo fit uinum preciosissimus liquorum. Folia uitis sunt multũ medicinalia. Nam uulnera mundant & sanant, in aqua decocta, calorem febrilem refrigerãt, ęstuationem & tumorem stomachi cataplasmata mire sedant, pregnantem adiuuãt, somnum prouocant, & cerebrum confortant. Eius lachrima potata sæpe calculos frangit, ut dicit Dias. uisum acuit, lippitudinem oculorum tollit, morsibus uenenosis succurrit, & uentrem sistit, cinis eius ualet ad prædicta cum succo rutę uel nuce & oleo admixtus. Plinius autem dicitur, quod folia uitis dolorem capitis amputant, inflationem sedant, & cum farina hordei calidam arteticam curant, dissentericos ualde iuuant, si eorum succum bibant patientes. Cortex uitis & folia arida uulnerum sanguinem sedant, ipsumq; uulnus conglutinant & sanant. Cinis corticis per se pilos ablatos restaurat & multiplicat.

De uinearum diuersitate. Cap. II.

VInearum genera diuersa sunt, secundum uarias & diuersas consuetudines regionum. Nam quędam cum auxilio palearum & perticarũ in ordine fiũt, & hoc duobus modis, uno quidẽ modo, ut cuilibet palo sit uitis, & sic fiunt in pluribus partibus Lõbardię et Romaniolę, et hoc quidem

quidē modo in exili terra tribus plantenť pedibus distātes quaq; uersum, in pingui uero quatuor, in mediocri tribus & semis. Alio uero modo, ut una uitis super multos palos & perticas extendatur, & sic fiunt in pluribus partibus Italiæ, & hoc quidem modo plantantur distantes, considerata pinguedine & exilitate terræ, adeo ut spatium uniuersum possunt congrue opperire, et hæc quidē tantum ligonibus coluntur, nisi fuerint alte & plurimum distantes. Rursus quędam fiunt ut arbustulæ, more Prouinciali, quas sine pali auxilio stare constat, & hæc quidem aut fiunt per certas acies, adeò ab inuicem distantes, quod arari possunt, & diuersis seminibus seri, aut ęquè distātes undiq;, quod arari nō possunt, & hoc quidem modo tribus distant pedibus, aut minus uel amplius, secundum qnod fuerit lætum aut exile solum in quo plantantur. Quædam etiam fiunt in aciebus cum palis & perticis, aut in forma pergulariorum paruorum, quæ à parte stipitis sint depressa, et ab opposito eleuata, & hic modus à quibusdam Mutinę & in alijs locis pluribus, & maxime in hortorum spacijs obseruatur. Quędā uineæ fiunt cum arbustulis ad hoc formatis per agros, plus uel minus æquè distantibus secundū quod magis & minus de uino uel de tritico paterfamilias optauerit. Mediocris tamen modus distantiæ sedecim uel uiginti pedum habetur, & iste modus maxime apud Mediolanum & in illis partibus obseruatur. Quædam plantantur in ripis fossatorum cum fiunt aut per agros iuxta magnas arbores, ut eas quę sunt in agris aut ripis opperiant & fructificent, & hic modus plurimum obseruatur in partibus Italiæ. & iterum supra dictis uineis quæ in ordinibus fiunt, quibusdam ponuntur pali & perticę, quibusdam uero pali aut frascones loco ipsorum solummodo, & sarmentis in quatuor uel in duas tantum uelut perticę extenduntur & ligantur, & hic modus apud Terdonam & Cremonam et Pistoriū præcipue obseruatur, et quędam sine adminiculis iacere sinuntur in terra, quod pro sola indigentia uel necessitate prouinciæ faciendū est, & hoc maxime potest in montibus ualde aridis tollerari, ubi uuę nō putrescùnt in terra iacentes, sed à sole nimio feruente seruantur.

De diuersitate generum uitis. Cap. III.

Diuersitates generum uitis multæ sunt. Nam quædā ualde timent nebulas et pruinas, quædam parum, & quędā timent siccitatē & uentos, & quædam facile tollerant, et quædam ualde fœcundæ sunt, quædā parum, et quędam uites sunt quarū fructus cito maturatur, quędam tarde, et quędam uehementer fructum suum in flore perdunt, & quędam non. Et quædā me lumine fructu priuanť, quædā fructū suū ab eo defendūt, & quædā facile uentis rumpunť, quædam adeò tenaces existūt, ut ab eis facile non lędanť. Et quædā timent pluuias, & quędā nimiam siccitatē, & quædam sunt spissos nodos habentes, quædam earum gemmas per longam internodiā distulerunt, & quędā sunt grossos & longos facientes palmites, quædā paruos. Et quædam magnam medullam faciunt, & quędam paruam, Et quædam frondes ualde faciūt intercisas,

quædam

quædam parum. Et quædam rotundas & continuas, & quędam faciunt uuas albas, quædam rubeas, quædam nigras, et quędam faciunt botriones multos & paruos, quædam paucos & magnos, & faciunt grana callosa, quędam mollia, & quædam durum corticem granorum, quędam subtilem & tenerum, et quędam faciunt grana ualde pulchra & lucida, quædam obscura, & quędam dulcia, quędam acria, & quædam faciunt uua seruabilia, quædam corruptibilia, quas omnes diuersitates facile uidere potest uir industrius & expertus.

De diuersis speciebus uitium. Cap. IIII.



SPecies uitis ualde multiplices inueniunt, & ipsarum multę diuersis nominibus in diuersis prouincijs et ciuitatibus appellantur. Sed quoniam ex eis quædam sunt meliores, & quędā minus bonæ. Primo meliores et earū bonas conditiones aperte scribam, & earū ponā nomina, deinde breuiter dicam de alijs minus bonis, ut habita utrarumq; notitia, sciant uolentes plātare uel inserere uineas eligere meliores, dico itaq; in primis, quod est quædam species uuæ quę uocatur Sclaua, quę satis tarde pullulat, & est alba uua quasi rotundum habens granum, & faciens mediocriter magnos & spissos botriones, et folium mediocriter intercisum, et in quolibet sarmento etiam in ueteri nato duos uel tres uel quatuor et quinq; quandoq; botros producit, et tanta est durities ligni eius, quod sarmenta non flectūtur inferius, propter uuarum pondus, unde ultra modum ramulos implet, et uua eius est ualde uinosa & lucida, et cito maturitatem recipit. Et uinum eius est ualde subtile & translucidum & mediocriter potens, & seruabile & maturum, macram terram aut mediocrem et montuosam desiderat, & in ea melius quàm in aliqua alia fructificat, si stricte putetur, nam longos palmites cum uuis nutrire non potest, & hoc apud Brixiam et partes montanas Mantuæ præcipue frequentatur, et præ cæteris in speciali ueneratione habetur. Est et alia species quæ uocatur Albana, quæ tardissime pullulat, et est uua alba modicum longum habens granum, & satis faciens magnos botros, & spissos & lōgos, et mediocriter fructificat, & facit folia mediocriter intercisa, & eius sarmenta ui ponderis non flectuntur, tāta est durities ligni eius, & eius grana à sole plurimum colorātur, et ualde scito maturatio eius completur, et est satis dulcis in sapore, sed corticem austerum aliquātulum amarum habet, et ideo melius est quod uinum ex ea exprimatur quàm quod

ferueat in tinis diu cum corticibus & racemis, & uinũ quidem eius est ualde potens & nobilis saporis, bene seruabile & mediocriter tenue, & si tempestiue fiat eius incisio uindemiæ, melius seruatur uinum eius. Et hæc species uuę præ cęteris apud Forliuium, & in tota Romaniola in ueneratione habetur, ubi strictissime putatur, nam cum longis palmitibus minus defenditur. Est & alia species uuæ quę Tribiana uocatur, quæ est alba cum grano rotundo, paruos et per multos botriones faciens, in iuuentute sterilis, & procedente tempore fœcundatur, nobile uinum faciens, & bene seruabile, & hæc species per totã Marchiam præcipue cõmẽdatur. Est et alia species quę Grangnolata dicitur, quæ unum os tantum habet in grano, et est lucidissima, & longum habet aliquantulum granum, & facit uinum ualde limpidum & potens, & durabile, & nobilis saporis & odoris, & hoc apud Terdonam & in illis partibus maxime commendatur. Est & alia species quæ à quibusdam Malixia, à quibusdam Sarcula uocatur, quæ granum album et rotundum habet, et turbidum cum subtili cortice, quæ miro modo ponderat, & in terra satis macra defenditur, & uinum facit mediocris bonitatis & potentię, non multum subtile, nec multũ seruabile, & hoc apud Bononiam pręcipue in honore habetur. Est & alia species quę Garganica dicitur, quæ alba est et rotunda, mirabiliter dulcis, clara seu lucida, & colore aurea, et cum grossa cortice seruabilis ultra omnes alias, est ualde fertilis fœmina, mascula uero nihil ualet, cuius grana sunt longa, & colore aurea, sed sterilis est omnino, et eius uinum est ualde subtile et pellucidum, paruę potentię, & satis seruabile. Et hęc apud Bononiã & Paduam in magna ueneratione habetur. Est & alia species, quæ Albanica dicitur, quę est alba et nõ lucida, sed maculis plena, rotunda, & mirabiliter dulcis, & uinum facit dulcissimum, & quibusdam annis est fertilis, & sępe sterilis, et pręcipue si stricte putetur, sed satis fertilis si cum lõgis palmitibus relinquatur. Et in quibusdam partibus Bononię, & maxime in Burgo Panitalis in honore habetur. Est & alia species quæ uocatur Buranexæ, quę est uua alba, multum dulcis, & pulchra, & in arboribus bene fructificat. Item est uua quæ dicitur à Frigno Africogna, quę non est delectabilis ad edendũ, et in arboribus miro modo fertilis est, & ideo præcipue competit in locis ubi homines uuas inuadunt, & hæ duę species ad Pistorium pręcęteris diligenter habentur. Sunt etiam quędam alię uuarum species arborum satis bonę sicut Linodella, quæ bonum & seruabile facit uinum & multum, quæ apud Pisanum pręcipue plantatur, & Verdiga quę paruos facit palmites & multum fructum, & Verdecla, quæ grana facit uiridia & parua, & multas fert uuas, quæ duæ species & inferiores quæ minus bonę dicuntur in antiquis uineis & in quibusdam nouis, & per comitatum inueniuntur Bononię. Sunt & alię species uuarum albarum, quarum quędam licet apud quosdam in magno habeantur honore, tam apud nos diuersis rationibus, aut propter paucitatem fructus ipsarum, aut quod nimium multa pericula timent, minus bonæ per experientiam re-

tiam reperiuntur,& hæc ſunt Muſcatellus & Linatica,quæ appoſitæ ſunt & ad eſum & in arboribus,ſed in uineis ſpiſſis & iuxta terram non reſpondent ad uotum. Et Græca & Vernacia quæ licet apud nos bonum faciunt uinum, faciunt tamen nimis parum.Et berbigenes & cocerina & groposa & ſuxolana & banſa, quæ bonum faciunt uinum,& quibuſdam annis ſunt miro modo fertiles, & maximos botriones agentes,ſed alternis annis fructu deſtituuntur,in flore nō multis periculis expoſitę. Vuarum ſimiliter nigrarum uel rubearum multæ ſunt ſpecies,quædam ualde bonæ,quędam parum. Et bonę quidem ſunt Grilla,Siſaga ſiue Mardegena,quæ ſunt quaſi eiuſdem conditionis, ſunt enim modicum nigræ,multum fertiles,omni anno habentes longa grana & ipſorum corticē ſubtilem & pulchrum,& delectabile uinum faciūt,& ſatis ſeruabile,ſed propter nimiam pluuiam crepant eorum grana,& in montibus non bene proueniunt, ſed in campeſtribus locis lætantur,differunt tamen,quia ſiſaga nobilius uinum facit,ſed minus,quia paruos facit botriones & raros,ſed multos, & parua grana. Grilla uero facit omnium harum oppoſita, & hæc ſpecies abundanter inuenitur Bononię,& in multis locis alijs, eſt delectabilis ad edendum,& eſt miro modo uinoſa,& uult terram pinguem aut ſtercoratam,& ualde timet umbras, & mature pullulat,& facit uinum optimum & ſeruabile & potens ualde, nec audet ultra unū diem uel duos ſtare in grapſis: & hæc in ciuitate Aſtenſi,& in illis partibus in maximo honore habetur.Eſt & alia ſpecies quæ uocatur Maiolus,quæ eſt uua nigra,ualde cito maturabililis,& pulchros & ſpiſſos & longos botriones faciens,in ſapore dulciſſima,& uinum facit durum,& ſatis ſeruabile quaſi nigrum,ſatis fertilis eſt,& in plano et in montibus prouenit,et hæc maxime apud Bononiā in locis infinitis habetur.Eſt & alia ſpecies quæ aduracla uocatur, quæ ualde nigra eſt,& habens longa grana, et uinum faciens ualde nigrum et bonum in terris humidis et aquoſis,ſed in montibus et ſiccis locis non lætatur, & hęc apud Ferrariam præ cęteris ſpeciebus eligitur,Eſt & alia ſpecies quę uocatur Gmareſta,hęc non eſt multum nigra,longum habens granum,& ante maturitatem omnia folia perdit,in ſapore accida,mediocriter fertilis, botriones facit raros,et uinum optimum diu ſeruabile.Et hęc uua non cōmeditur ab auibus uel canibus,nec libenter ab hominibus,& ex ea plurimum inuenitur in partibus montanis Bononię. Et eſt alia ſpecies quæ dicitur gimnaremus,prædictæ ſimilis in ſapore & uini durabilitate & forma,ſed maiores ualde botriones facit, & grana groſſiora & abundantius uinū,ſed minus nobile,& magis loco pinguilętatur,et hęc in pluribus partibus Bononiæ inuenit᷑. Eſt & alia ſpecies uuæ nigræ quę dicit᷑ padriaca,quæ groſſos et ſpiſſos facit botriones,ſed in æſtate nō durat,et hæc in infinitis uineis Bononiæ inuenit᷑. Sunt & aliæ multę ſpecies uuarum nigrarū,quę propter uarias conditiones malas minus approbant᷑, ſicut eſt pignolus qui multū diligitur apud Mediolanum in arbuſtulis,ſed apud nos non bene fructificat,Et albarica cum qua tinguntur alia uina, quæ nimis melumen timet, & ui-

met, & uinum nimis austerum facit. Et uarana clentina & portina, quæ licet sint mirabilis dulcedinis ad edendum, & bonum faciant uinum, tamen sunt ferè steriles, & minus melumen timent. Et ualmirica & tusca quæ ualde nigrę sunt, & melegonus, qui ante omnes species denigratur, & canicula quæ pulcherrima uua & seruabilis est, quę omnes alternis tamen fructificant annis. Est etiam quędam species uuæ rubea uocant canopum, ualde dulcis & seruabilis, sed parum fertilis. Sunt etiam quædam genera & species uuarum syluestrium, quæ labruscę uocantur, quarum quædam sunt albę, quædam nigræ, ualde parua faciunt grana, & paruos grappos, quæ super arbores & species spinarum uiridium suo naturali motu conscendunt & non putantur, sed si putarentur, & per cultum domesticarentur grappos facerent maiores, et granos grossiora quàm prius. Et hę quæ nigrę sunt tingunt uinum, & clarificant si integrę uel cum racemis cõquassę ponantur in dolijs, nec uitiant saporem uini, & quę albę sunt clarificant et purificãt alba uina. Sunt et quædam species uuarum grossarum & durarum, quæ dicũtur pergulę uel brumestræ, quarum quædam sunt albę, quædam nigræ, quædã rubeæ, & quædam habent grana rotunda, quædam longa ualde, quædam mediocriter, quædam specialia habent nomnia, et earum quædam tempestiue maturationem recipiunt, quædam tarde. Et ex eis eligendæ sunt quæ magis placent ad esum, quia propter nihil aliud plantantur, cum ex eis uinum non fiat, satis tamen competunt ad agrestum faciendum acerbæ.

De aëre qui uitibus conuenit, & de situ uinearum. Cap. V.



COelum mediocris qualitatis, tepidum magis quàm frigidum esse debet, siccum potius quàm umbrosum, sed ante omnia uitis procellas uentosq; nimis formidat, Aquilo tamen uites sibi subiectas fœcũdat, Auster uero nobilitat. Ideoq; in arbitrio nostro est plus de uino habeamus an melius de situ uinearum. Etiam sciendũ est, quod campi à mõtibus remoti & ualles non aquosę largius uinum ferunt, colles uero & campi iuxta eos existẽtes & naturam eorum habentes nobilius uinum faciunt. Præterea est sciendum, quod in locis frigidis & in montibus à meridie uineta ponenda sunt, calidis à septentrione, temperatis ab oriente, uel si necesse fuerit ab occidente, ut hac industria excellens qualitas temperetur,

retur, loco naturam sæpe uitibus mutant, & ideo earum genera frequenter aptentur. Plano igitur loco statues uitem, quæ nebulas sustinet & pruinas, collibus quæ per siccitatem durat, & uentos non timeat, pingui agro graciles atq; fœcũdas, macro feraces & solidas, frigido & nebuloso, eas quæ hyemē celeri maturitate præueniunt, aut quæ duris acinis inter caligines securius durent, calido loco teneriores sicco, eas quæ pluuias ferre non possunt. Et ne multa dicã, eligenda sunt genera quę pro defensione uitiorum suorum contraria loca diligunt his in quibus durare non poterant: placida sanè regio & serena caute genus omne suscipiet. Industrius ergo uir probata diligat, & locis talibus mandet, quæ mutare possunt ea unde sumuntur, sic meritum quæq; seruabit.

De terra quæ uitibus apta est. Cap. VI.

SOlum ad uineas ponendas nec spissum nimis, nec resolutum, propius tamen resoluto esse debet, nec exile, nec letissimum, tamen leto proximũ, nec campestre, nec pręceps, nec siccũ, nec uliginosum, modice tamen roscidum, nec salsum, nec amarum, quod uitium sapore corrupto uinũ contristat. Tophus & alia duriora ubi gelu relaxantur & solibus pulcherrimas feruntuineas, refrigeratis æstate radicibus & humore detento, sed & soluta glarea, & calculosus ager, & mobiles lapides, si tamē hęc omnia se glebis pinguibus misceuerint, & silex circũ terram suppositus, quia frigidus est & tenax humoris radices ęstate sitire nõ patitur. Item loca ad quæ de cacuminibus terra decurrit, uel ualles quas fluminum saturat aggestio. Argillosa terra cõmoda est, sed argilla sola grauiter inimica. Niger sabulo & rubeus utilis est cui fortis est terra permixta. Carbunculus nisi stercoretur macras uineas reddit. In rubrica difficile comprehendunt, quamuis postea nutriuntur in ea, sed hoc terræ genus est ualde operibus inimicum, quia paruo uel humore uel sole, aut nimiũ madescit, aut nimis siccatur, ideóq; maxime utile solum est, quod inter omnes nimietates temperamentum tenebit, & proximius fuerit raro quàm depresso. Vtilem uineis terram per hæc signa cognosces, si coloris & corporis rari aliquatenus ac resoluti est, uirgulta quæ protulit leuia, nitida, procera & fœcunda sunt, ut pirus siluestris, prunus, rubus, cæteráq; huiusmodi, neque intorta, neque sterilia, neq; scabiosa, nec macra exilitate languentia. Ad pastinandum præterea rudes agros uel maxime syluestres eligamus. Vltima est eius conditio in quo fiunt uineta uetusta, quod si necessitas coēgerit prius multis arationibus exerceatur, ut abolitis radicibus prioris uineę, & omni eius carie & squalore depulso, nouella uitis tutius possit induci.

De pastinatione & dispositione terrę, in qua uinea plantanda est. Cap. VII.

MEnse Septembri uel Octobri in locis aridis, aut Ianuario, Februario uel Martio locis humidis fieri debet pastinum siue cultura. Vbi uinea est plantanda, quod tribus fit generibus, aut terra in totum fossa, aut



sulcis, aut scorbibus tota terra debet effodi ubi ager nõ est mũdus, ut syluestribus truncis & radicibus, silicis, uel herbis noxijs spacia liberentur. Vbi autẽ sunt mundæ nouales, scrobibus pastinemus aut sulcis, sed melius erit sulcis, quia humorem uelut in totum spacia pastinata transmittunt, fiant autem sulci longitudine qua destinaueris tabulæ longitudine trium pedum uel quatuor, altitudine unius pedis in locis humidis, uel duorum in locis siccis. Deinde si ligonibus per homines uinea est colenda tantum crudo solo relinquimus, quod altero sulco impresso uitium acies tribus uel quatuor distet pedibus, scilicet tribus in solo exili, quatuor in pingui, & tribus & semis in mediocri. Si uero arandę sunt uineæ, quinq; uel sex pedum spacia quæ non fodienda sunt in medio relinquatur. Quod si scrobes fieri placeat, tantum fiant longæ quantum uites distare debebũt, ut in quolibet scrobis capite planta una ponatur, possunt tamen cõmodissime sulci fieri distantes in triplo quam uinea spissa finaliter esse debebit, & in quolibet sulco plantę in duplo spissiores quam esse debeant poni, sicq; acies ligonibus procurari, & spacia per trienniũ aut quadrienniũ arari, & omniũ generũ semine seri, cunq; uites excreuerint unam trahi à dextris, & alteram à sinistris, & de utraq; duos fieri uites, sicq; spacium totum impleri, scrobes non sunt ultra duas pedes altius fodiẽdæ. Neque pangimus frigore, ne sarmenta laborent, latera in scrobibus æqualiter incisa, ne aliqua uitis sauciet, alte nitentibus ferramentis cum fossor incumbit, pastinũ aũt omne quod uerset duorum pedum altitudine uniuersa terra fodiat, in quo erit diligentia, ne crudũ solũ occulta fraude fossor includat, quàm rem per spacia quę fodiuntur uirga custos exploret, in qua modus est prædictę altitudinis designatus. Et radices omnes & purgamenta, maxime rubi & silicis in summum redigi faciant, quę cura in omni positionis genere est undiq; seruanda. Possunt etiam commode fieri foueæ paruę & strictæ, conuenienter tamen profundæ ubicunq; uites per uniuersum agrum stare debent, secundum quod omnes agricultores experti Bononię & in locis alijs pluribus obseruãt, possunt etiam foramina in terra circa uitẽ fieri, in terra ubicunq; uitis plantanda est, quę quidem cum palo fieri cõsueuerunt, sed melius ualde est quod fiant cũ forti terra, ut uocant, quod est instrumentũ ferreũ per me primitus inuentum, quo terra educit, nec in foraminis parietibus conculcat, ut infixionẽ debiliũ radicũ impediat, & hoc quidẽ magno labore perficit, nisi ager lapidosus fuerit uel saxosus.

Locus qui-

Locus quidem qui pastinandus erit, prius impedimentis omnibus liberetur arboribus, ne fossa terra post calcatu assiduo solidetur, illud quidem experimētis assiduis compertum est, uites melius prouenire si uel statim fossæ terræ uel non longe post pangantur, cum tumor pastini nondum repetita soliditate subsidit, & hoc quidem in sulcis & scrobibus est probatum.

Quomodo & quando debent colligi plantæ, & qualiter seruari, & ad partes remotas portari, Cap. VIII.



PLantę uitis quæ taleoli dicuntur colligi debēt quando plantandę sunt, & ante etiam colligi possunt si bene seruentur. Et meliora quidem tempora colligendi eas sunt tempus Octobri, quando pars foliorū cecidit, & pars adhuc retinetur in uite, tunc enim calor naturalis uitis adhuc expensus in ramis, sed cum omnes frondes ceciderunt omnino, & superuenit gelu intensum in aēre, tunc rami eius calore naturali destituti sunt, propter frigus aēris fugam habuit ad radices ad calida uiscera terræ, quare tales plantæ difficilius comprehendunt. Tēpus prę terea Martij, in quo iam calor & humor ad radices rediјt, itaq; eorum gemmæ cum tumescere incipiunt est optimū ad plantarum collectionem propter eandem rationem. Eligendarum quidem plantarum ratio multiplex est, & primo quidem ex tali terra eligi debet, quæ non sit pinguior, & in ea qua pangi debēt sit ęqualis aut exilior. Nam si à pingui terra ad solum exile transferuntur, utiles esse non possunt, nisi sæpe stercore adiuuentur. Item eligenda sunt pangenda sarmenta de uite media, nō de summa, nec de infima, quinq; uel sex gemmarum spacia à ueteri procedentia, quia non facile degenerāt, quę de locis talibus colliguntur. Summa flagella repudiemus ac surculos, qui licet loco bono nati sunt tamen feracitatis beneficio caruerunt. Pampinus aut qui de duro nascit᷑, etiam si fructum protulit pro frugifero non ponatur. In suo enim loco fœcundatur à matre, translatus uero tenet sterilitatis uicium, quod nascendi conditione suscepit. Sumatur etiam de uite fœcunda, nec existimemus ea brachia fertilia quæ uuas singulas aut binas producunt, sed quæ multa ubertate curantur. Nam potest ferax uitis in se habere feratiores materias. Est autem hoc signum fertilitatis, si de duro aliquo loco fructū citabit, si fœtu impleuerit ramulos ex omni parte surgentes, sed hoc signis proprijs per uindemias est notandum. Asse-

rit autem Columella uno anno explorari fertilitatem non posse, sed quatuor, quo numero cognoscitur uera generositas surculorum. Ad pangendum nouellos palmites, debēt eligi duri in se nihil habens, & ueteris sarmenti, quoniā hoc sæpe corrumpit & putrescit. Mensura sarmenti unius cubiti secundum Palladium esse debet, mihi autem uidetur longius esse debere, maxime in locis decliuis, montuosis et aridis, cum in foueis oblique pangūtur, ipsumq; ramulis & capreolis siue anchis esse purgandum. Seruandę sunt plantę uitis taliter quod uento aut sole non urantur, aut aliquo modo lædantur, & præcipue sub terra usq; ad dimidium partem mersæ, si paucis erunt seruādæ diebus. Si uero diu seruari eas necesse fuerit, & maxime iam multo adueniente calore usq; ad summitates ipsorum terra ualde contrita operiantur, adeò quod terra tam intra quam supra diligenter posita singulas plātas tangat. Quod si eas transuehi ad partes multū remotas oportuerit, paleę molles & modicum lutosæ cum plantis optime misceātur, & sacco uel sextorio quod est melius inuolutæ stricte ligētur capite grossiori cum pręfatis paleis, & scorio cooperto, & cum portantur quātum fieri potest à sole defendant & uentis. Quod si nimia esset aëris siccitas, possunt quandoq; corpora grossiora in aquam demergi, sic enim dispositæ diu ferri poterunt, & seruari sine læsione ipsarum.

Quando & qualiter uineę & uites plantandæ sunt, Cap. IX.

TEmpore Septembri, & Aprilis in locis frigidis uineæ sunt plantandę, temperatis uero mense Octobri, uel Martio, calidis mēse Nouembri & Februario, ita tamen quod in omnibus præfatis locis, si humido & campestria depressa fuerint, post hyemem pangantur, ne calor naturalis ipsarū duplici aquositate, loci uidelicet & hyemis extinguatur, si uero arida & mōtuosa sint, loca pangenda ante hyemem plantentur, ut superflua locorū siccitas circa plantas humiditate hyemis temperetur. In locis uero temperatis ante hyemem, & post congrue pangi possunt. Item ponendę sunt uites placidis diebus ac tepidis, quando solum est modice humidum, sed potius aridum quam lutosum. Cum uinea plantatur in ordine, aut plantantur in foraminibus directis, uel parū obliquis, duo sarmenta in parte inferiori, oblique incisa foramini imprimantur, & sabulum uel terra soluta & trita, & cum pauco maturissimo letamine palearū uel uinacię mixta usq; ad medium foramen ponatur, deinde creta uel terra ibidē inuenta repleatur, ut in paruis foueis conuenienter profundis panguntur, capitibus plantarum longe positis in parte infima & in suprema iuxta signum, tum simum undiq; proportionabiliter positum ex coniunctis, & terra contrita mediocriter super inducitur conculcata. Caput sarmenti cum deponitur retorquendum non est, nec aliquo modo uexandum. Nam pars ea de qua radix sperat iniuriæ nullæ subijcienda est, duæ gemmæ fertiles remaneant supra terram, nec dimersa ponitur fœcundiori parte supra eam quam est, sterili proximum relinquatur. Vbi pinguis est natura terrarum maiora inter uites spacia relinquamus, scilicet

mus, scilicet quatuor pedũ, ubi exilis angusta, scilicet triũ, ubi uero mediocris, trium pedum & semis. Preterea non est uno tantum genere uitium omne pastinum conserendum, ne annus iniquus generi uindemiæ spem omnem excludat: & ideo quatuor uel quinque generis eximia sarmenta pangemus, ac expediet maxime tabulatim disponi. Et sic generum diuersitate distincte posita, poterit eam operariorum minor numerus expedire, & gradatim quæ uelocius maturantur prius condere, deinde quæ serimus, ac melius puro sapore sine admixtione alterius generis una quæque uina seruare. Et si hoc facere tibi difficile uideatur, non alia simul conseras, quàm quæ sapore & flore & maturitate conueniant. In scrobibus uero magnis & latis, ut uitium distantia esse debet, per angulos quatuor sarmenta deponas, & uinaciam (ut dicit Columella) stercore mixtam simul sparges, & si exile solum fuerit pinguem inferas terram in scrobem, si uero nimis cretosa, eidem misceas sabulum, qnod si arbustante delectat habere, plantam generosæ uitis, prius in seminario nutrire debebis, unde radicata transferatur ad scrobem cui arbor est iuncta, in seminario autem breui spacio distãtia inter sarmenta deponas, & cum conualuerint hinc post biennium radicabitur uitis uel arbustula & transfertur, quas cum depones in scrobem, ad singulas materias rediges, putatis omnibus quæ scrobi insunt curtatis etiam radicibus, quas poteris inuenire uexatas. In scrobe autem ad arbustum faciendum duas radicatas uites depones, obseruans ne sua radice contingant, & ipsas uites ad scrobis latera discreta cõiunges. Varro asserit scrobem non primo anno esse complendam, quæ res faciet uitem altius fundare radicẽ. Sed hoc aridis prouincijs forte conueniet, humidis uero sata putrescent humore suscepto, nisi terra statim cultui detur. Sed arbusta quę ferent plantas arborum de his generibus ponat, uel si agro suppetit abundantia his utatur, ulmo, oplo, salice, populo, fraxino, ceraso, nuce, pruno & similibus, sed salice & populo in locis humidis uti possumus, cæteris uero in his & alijs locis. Ex his autem generibus truncos radicatos uel salicem & populum sine radicibus circa scrobem uitis constitui oportet. In scrobe uitis ab arbore sua sexquipedes uel duorum pedum spacio distare debebit. Nam arbori nimis proxima uitis aut ipsius opprimet incrementum, aut opprimetur ab ea. Aliud etiam de transferenda uite ingenium fieri potest, ex uimine parua corbicula ad arborem uel pergulariũ fertur, cui uitis adhæret, & in fundi media parte pertunditur, & inducto in eam sarmento uitis suspenditur, & terra repletur, quod sarmentum exacto anno in corbiculæ fundo incisum, cũ ipsa corbicula portabitur ad locum ubi plantare proponis, cum ipsa corbicula obruitur circa arboris maritandæ radices, & hoc fiet sine ambiguitate ostẽdendo. Caueis etiam munienda est aduersum pecoris appetentis iniurias, & arbori suæ protinus alliganda. Cum uero arbores riparum uitibus munire desideras optimum est, & facile sulcum in ripa facere, ibiq; spinas & taleolos mixtim ponere, & fossato effosso terram superinducere, sic enim spinis munietur ager,

*

& per eas uitis tute condescendit. Optimum enim genus est prouincialium uinearū quæ sunt ad uites uelut arbustulę stent, quæ quidē plantantur ut hæ quę in ordine disponuntur. Et hæc quidem aut undiq; panguntur æqualiter, aut unum ordinem tantum seruant ab alio proximo, ut placet, remota, sed in his una sola planta in qualibet potest poni, in duabus uidelicet aciebus, in tertia uero bonum erit ubiq; duas poni, quibus proximę plantæ prædictæ possint annis sequētibus reparari, quod si in quolibet loco duæ ponantur, cum conualuerint debilior auferatur ut una sola remaneat. Pręterea sciendū est quo naturam uitis cœlum solumq; sustentat, si genera conuenienter aptentur, ideoq; in earum plantatione præcipue obseruāda sunt ea, quæ supra diximus, cum de aëre & situ uinearum loqueremur.

De propagatione & renouatione uitium & uinearum, Cap. X.

PRopagationes quandoque in uineis, quandoq; ad arbusta fiunt. In uineis quidem quandoq; propagantur in locum uacuum, ubi uitis secundū ordinem uineę debet esse: quandoq; uero in locū alterius quę infamati generis est sarmentum uitis nobilis propagatur, & quandoq; per circūstantias adducitur, ut uinea incrementum recipiat. Et primo quidem modo ad ordinatum protrahitur locum, aut statim cum sarmentum sufficienter est longum, aut successiue per annos, ubi eiusdem deficit longitudo. Et idem seruandū in omni propagationis genere. Si autem in locum eradicandum uitis propago ducatur, aut hoc statim fiet, aut primo anno per unum pedem prope uitem auferendam protrahitur, ut habito uitis damnandę fructu anni prioris, & sequentis leuiter in locum prius eradicatæ trahatur. Cum autem pertrahitur ad arbores uel arbusta, per unum pedem ad minus ab arbore fiat remota propago. In omnibus aūt pręnarratis modis lętamen in fouea supra terram circa propaginem apparentem relicta ponatur, nec sub terra per contractum propaginis apponatur, alioquin superfluo lętaminis calore debilitatur uel arescit, nisi fuerit adeò maturum & uetus, quod omnis calor lętaminis exhalarit. Est autem sciendum, prædictas propagationes fieri, aut in fossione totius uitis quæ propagatur, aut magis sine curuatura sarmēti, ut uelut arcus supra terram relinquatur, alia parte uitis in fossa, quod si fiat, post biennium recidatur aut triennium, quod fiet tutius propter debilitatem biennalium radicum, quę uitem nouam sæpe non conuenienter defendunt: uetus & antiqua uitis & quæ longe nimiū producit palmites frugiferos, renouatur per studiosum palmitis cultum, congruis temporibus eidem adhibitum, & per fimationem lætaminis aut sarmentorum, aut sabuli in loco nimis cretoso, aut cretę in terra nimiū sabulosa, & per strictam putationē aut incisionē factā in loco stipitis nitido uel succoso. Columella dicit, quod si uitis pergularij et arbusti, quę est integro trunco in solo robusto stricte putet, & ablaqueata fimet in terra,

in terra, tertium uel quartum pedē à terra mucrone feriatur acuto, ac fosso frequentius incitentꝰ ex eo loco gemmę, plurimūq; producit in uere, ac materiā uitis fundit qua reparetꝰ uitis. Et si truncus uitis est nimia uetustate corruptus, mēse Martio iuxta terræ superficiem, uel sub ea modicū recidatꝰ, ut surculus in abscisso trunco uitis eodē renouetꝰ, uel cum uitis (quę sola est) nimiū lōge producit frugiferos palmites, plicetꝰ unum remotū à uite, & intrans ibi in terrā exeat, appodiatus ad uitē, & post bienniū incidatꝰ macer uitis renouandę, uites autē omnes laudabilis sunt generis, & tunc de omnibus fiat, ut de singulis uitibus supra proxime dictū est. Aut omnes sunt malæ, quo casu nihil erit utilius, quam eam uniuersaliter extirpare, atq; sufficienter uetustis consumptis radicibus, eam denuo plantare, & si quædam uites sunt bonæ, quędam malæ, radicitus extirpatis peioribus, & appositis palis in omnibus locis in quibus uites aptantꝰ, quæ relictę sunt uites adeò fodiantꝰ, quod facile flecti possint, & totaliter submersę in duas uel in plures partes, secundum exigentiam & possibilitatem ipsarū una quæque distribuatꝰ, & duobus palmitibus in singulis locis ad plus relictis cum duabus gemmis supra terram, cęteri amputētur, & unicuiq; uiti ex fimo aliquid apponatur. Nec est prętermittendum, quod de nouis palmitibus tantum de unoquoq; terra mergendum est, quod radices in loco congruo nouas mittere possit, quę in ueteri nisi sit quasi nouum facile non nascuntur. Quod si aliquis remanet locus ad quem nullus possit palmes produci, eidem aliunde translati noui palmites tribuantur. Omnis præterea propagatio fieri potest in mense Octobri, Nouembri, Februario & Martio, cum terra nec adeò mollis est, ut commode retractari non possit, & eius partes comminui, nec adeò dura, quod nimium fossioni resistat. In aquosis autem nimium locis post hyemē, & in siccis ante hyemem utilis propago ducetur, ita tamen quod in plano sub terra quo pede in cliuis & niuosis & rimosis usq; ad duos pedes uitis trahenda mergatur, uel forsan ea quæ fit ante hyemem in omnibus locis est melior, dum tamen in aquosis terra circa eam bene disponatur, quia firmandis radicibus (ut ait Palladius) uitis incumbit, cum proferendi palmites eam curam non permouet.

De insitione uitis, Cap. XI.

Vites inseruntur, aut in uitibus, aut in arboribus. Et in uite quidem insitio duobus fieri potest congrue modis, in trunco uidelicet & palmite. Insitio in trunco hoc modo, eligatur truncus inserendus talis qui sit solidus, & humoris excuberet alimēto, neq; ulla uetustate aut iniuria laceratus arescat, recidatur circa terram, aut ad pedem medium infra eam. Nam supra terrā difficilius comprehendit. Varro autem scribit, uitem inserendam siccari debere triduo antequā inseratur, ut qui in ea nimius est humor diffluat à uite antequā inseratur, aut paulò infra insitā incidatꝰ, ut inde humor aduentitius effluere possit. Item inserendi surculi solidi, rotundi, gemmis spissis & pluribus oculati,

ex quibus tres oculi uel duo insitione ponantur. Radicatur ergo sarmentum ad duorum digitorum mensuram, ut ab una parte sit cortex, ne patiaris nudari medullam, sed leniter rade, ut incissura possit sensim in acumen exire, & cortici matris aptetur. Infimus oculus ita infigatur, ut trunco iunctus adhæreat, qui oculus exteriorem debet recipere partem, deinde ligetur, ut in alijs insitionibus est narratum, tegmento quoq; aliquo a uentis & sole defendatur, ne hi quatiāt, hic adurat. Vbi calor temporis ligaturam inuaserit, ipsi funiculo tenuis humor circa uesperam debet frequenter affundi, ut hoc alimento contrario uidelicet cœli torrentis rigentur. Potest etiam aliquid ueteris cum nouo conuenienter inseri. Cum ergo germen cœperit incrementum adiutorio calami uel pali debet adnecti, ne motus aliquis fragilem sarmenti procedentis quasset ætatem, leui uinculo & non stricte ligetur, ne adolescentia mollissimi germinis nodo duræ constrictionis angatur: si infra terram inserueris eam beneficio congestionis acumula, ut hęc quoq; nouis sarmentis ministret alimenta. Aliqui etiam in uite uel ramo biennali, uel ultra, inserunt surculū longum, modicum ueteris habentē, & trūci grossitudinem possidentē, uel etiam inæqualem & simul utrunq; iunctis abscissam, uel supra dicto modo in scissione parata & ligatura propaginum obseruata. In palmite autem insitio duobus modis fit, & uno quidem qui omnibus melior est,, ut nouum sarmentum nouæ præcissuræ addat, incissura utriusq; in eodem iuxta gemmā adhibita, loco & ligatura cum peciola ex cera imbuta & molli uimine, deinde argilla congrue subsecuta, alio modo ut gemma uitis unius excidatur usq; ad medullā pro fundato uulnere, & transuerso utrunq; obligato uulnere, & tantundem de gemma uitis alterius obruatur, & loco primo ponat̃, & fiat colligatio, ut in alijs. & tunc conualescit & fructificat. Quidā etiam expertus mihi asseruit, usq; ad medullam uitem paruam terebrę perforasse, & ibi surculū conuenientem foramini modicum rasum infixisse, & comprēhendisse & nō abscissa uite, quæ quidem si abscidatur debet melius prouenire. Est & alius modus optime proueniens ut incidatur inserenda uitis olique, usque ad medullam uel prope eam, in tantum quod cuneus duorum prope digitorum possit immergi, & tunc surculus ad duarum gemmarum modicum habēs ueteris usq; ad medullam rasus ab una parte ut incisura in acutū tēdat, & pręparatus eo modo quo melius adęquet̃ alterius partis, exteriora remota corticula imprimat̃ in plagam, & ligetur, & creta circumposita, peciola postmodum inuoluatur, & per quatuor digitos mater supra insitam sit abscissa, nec supra eam nec iuxta permittatur aliquid pullulare, & possunt circa uites plures surculi conuenienter aptari. Optime etiam prouenit si nouus tantummodo surculus inseratur, & si eiusdem grossitudinis sit, cum trunco erit melius. Alioquin cū una parte corticis adęquetur, uel secundum rationes fiat adæquatio medullarum. Insitio in arbores duobus potest fieri modis, & uno quidem ut uitis trahatur pęr cerasum, uel aliam arborem, ubi uno tempore fructus arboris maturetur. Alio uero ut inseratur in arbore,

in arbore, sicut omnis insitio in dissimilia fit quandoq;. Et primus quidem modus est, ut plantetur iuxta cerasum, uel aliam arborem pirorum, uel malorum, & perforantur illę, & per foramen uitis trahitur, & cum creuerit arbor & uitis, ita quod efficiuntur ligna eorum continua, pręcidit uitis ex parte radicis, ita quod non nutritur nisi per radicem & stipitem alterius arboris, & tunc maturatur unà cum fructibus illius arboris. Inseritur autem in arbore ulmi, & forsan in quibusdam alijs, secundum Columellam, ut truncus arboris gallica usq; ad medulam perforetur terebra, ubique affigatur surculus uitis, secundum modum supra traditum, cum in communi de insitionibus loqueremur. Fiunt pręterea dictæ insitiones in locis calidis mense Februario, frigidis uero Martio cum uites non aquoso sed spisso lachrimantur humore, licet factæ tempore quo aquosas effundunt lachrimas, aut postquam emiserunt pampinos quandoque insitę comprehendant. Potest etiam fieri mense Martio & Iunio iam consumptis lachrimis, si palmites inserendi loco frigido & umbroso à pullulatione fuerint pręseruati. Alium insuper modum quo nuda gemma loco alterius cum melle uel alia quacunq; re ponitur à quibusdam uulgariter prædicatum nõ pono, quia eam nullatenus approbare uidetur naturalis ratio propter nimiã teneritudinẽ gemmæ. Veruntamẽ quidam Frater Minor mihi asseruit, quod mense Aprili cum folia uitis incipiunt apparere accepit summitatem gemmæ remanentibus folijs paruis cum quadam concauitate, ac in eodem loco posuit aliam gemmam similem recentissimam aliunde receptam cum mollissimo bubulco, & sine quolibet alio auxilio conualuit, ideoq; probari potest, licet uideatur cõtra naturalem rationem positam à fratre Alberto Germano. Cato autem scribit, quod uitis insitio una est per uer, altera cum uua floret, ea optima est per uer, uitem sic inserito, præcidito quàm inseres, eam mediam diffindito per medullam, eos surculos præacutos arcito quos inseres, medullam cum medulla componito. Alia insitio est, si uitis uitem cõtingat, utriusq; uitem teneram pręacuito obliquo inter se medullam, cum medulla libro obligato. Tertia insitio terebra, uitem quam inseres pertũdito, eos duos surculos uirgineos quod genus esse uoles insectos aliquos arcito, ad medullam facito, his medullam cum medulla coniungas, arcito ea quæ terebraueris, alterum ex altera parte, eos surculos facito sint lõgi pedes binos, eos in terrã dimittito, replicatoq; uitis ad uitem caput, mediã uitẽ uinculis in terrã defigito, terraq; operito. Hæc omnia luto denso oblinito, alligato integitoq; ad eundẽ modũ tanquã oleas. Ego aũt aliam insitionem uitis sæpe probaui, & eam inueni infallibilem & securam, à pullulatione & læsione & scissuræ. Hanc insitionem hoc modo facere debes, palmitem nouum, longum, habentẽ quatuor digitos ueteris præcedentis anni, & remoue dimidiam partem ueteris usq; ad medullã, ea salua remanẽte in parte inserenda, & ex alia dimidia, ueteris forma manẽte in parte cuneũ longum tribus digitis usq; ad palmitem nouum & ibi fiat una cotherca & cuneus ibi bene fortis existat incisus, non à parte me-

dullæ

dullę, sed ab altera tantum, & fiat bene acutus & postea scinde per medium stipitem inserendum eiusdem grossitudinis, si esse potest, alioquin sit grossior parū, & de parte habēte minus de medulla dematur quantitas unius digiti grossi, & in scissura insige cuneum, ut cotherca fortiter adhęreat capiti breuioris stipitis scissi, & alia duo capita ęqualia sint aliquātulum intra nouum, ut uinculum possit stringere utrunque caput ueteris sarmenti æquatum, deinde liga stricte cū iunco scisso totam scissuram, & eo modo poteris inserere duo uel tria uel plura brachia uitis reliquis omnibus amputatis, deinde totam uitem insitam demerge in terram, & tot sulcos in quam partem uolueris facias quot brachia sunt insita, ac in quolibet sulco in loco, ubi loca insita in terra iacebunt, unam paruam foueolam facias, in qua tot ligatura insite dimittatur, & terra cooperta pedibus suauiter comprimatur, & ultra unam spannam ad minus sarmentum superius eleuatum. Item poterūt sarmenta noua in nouo sarmento uel ueteri usitato modo coniungi, & eodem modo in terram deprimi, sed est opus quod iunctura cannula scissa firmetur, ne flectendo facile rumpatur.

De putatione uitis & arborum uitiferarum. Cap. XII.



Locis calidis mense Octobri, Nouembri, Februario & Martio, donec earum augentur gemmæ iusta fiet putatio uinearum, frigidis uero mense Februario & Martio tantum in temperatis utroq; potest tempore fieri. Sed commodius erit in montibus uineas, quæ septentrionem aut partem occidentis respiciunt, uerno tempore putari, alia pars aduersa clementioribus plagis rescidatur in autumno. Nam in talibus locis & in omnibus calidis pruinarum uis & natura uestitur. Sed semper secundum Palladium in putatione curetur, ut uitis fiat in cruce robustior, ne debili uiticulæ duo duramenta seruemus. Quod quidē experti putatores nostri tēporis in ordinatis & depressis uineis nō obseruāt, dicentes melius esse stipitē uitis renouari frequēter. Auferēda sunt lata, intorta, debilia, & malis locis nata, & sarmentum quidē inter duo brachia natum debet inscidi. Quod si pinguedine brachiū quodcūq; debilitauerit, illud brachio deciso succedat, oportet tamē optimū putatorē sarmentū inferius bono loco natū semper uitis causa tueri, & ad unā uel duas gēmas relinquere. In locis lętis & clemētioribus altius licebit uites expādere. In exilibus aut ęstuosis, aut decliuis humilior est habēda, sed erit sapientis extimare uim uitis. Nam quę altius

colitur

colitur & pinguis & fœcunda est, plusquã octo palmites habere nũ debet, ita ut semper in parte media unũ aut duos relinquamus custodes. Si macra & humilis est, singulis brachijs singula flagella dimitte, sed prouidendũ est ne in una parte sint sarmenta quæ seruas, quod si fiat, tanquã & à fulgure tangat̃ arescit. Circa crus quicquid nascit̃ amputemus, si nõ desiderat uitis renouari. Relinquenda sunt sarmenta, neque circa durum, nec in summo, quia hęc uelut pampinaria minus afferunt, illa uero uitem nimietate fructus onerant, & longius ducunt, quare sunt in loco medio seruanda, non iuxta gemmã, sed aliquantulo superius fiat plaga, & auertatur à gemma propter lachrymam defluentem: ungues etiã custodum siccos & anatinos rescinde, & omnia quę uetera & scabiosa reperies. Quod si truncus uitis sole aut pluuijs aut noxijs animalibus est cauatus, purgemus quicquid est mortuum, plagasq́ eius amurca linimus, aut terra, quod proderit aduersus prædicta, cortex etiam recisus & pendens à uite tollatur, quę res (ut ait Palladius) minorem fecem reddit in uino, muscus etiam radatur ubique repertus, sed plagæ quas in duro uitis recipies oblique ac rotunde fore debebunt. Vetera igitur sarmenta quibus primi anni fructus perpendit omnia recidantur, & noua circuncisis capreolis & ramulis inutilibus relinquantur. Sed sciendum est, quod in quibusdam partibus sarmenta quantum longa sunt à natura producta à putatione relinquuntur, ut apud Cremonam & Terdonam, & alia multa loca. In quibusdam solum summitates steriles auferuntur, in alijs usq́ ad unum pedem palmitum longitudo relinquitur, alibi uero adeò stricte putatur, quod usq́ ad semipedis mensuram palmites breuiantur. Et primus quidem modus non est obseruandus, nisi in locis lætis, ubi perticæ non ponunt̃, sed uites uelut perticę uel funes undiq́ extendũtur: secundus uero apud Ast obseruatur, cum palis tantum circa uitem affixis, ad eos palmitibus paucis ductis, & ij duo modi pręcipuè tollerantur in lætis uineis, & in his uitium generibus, quæ suas gemmas per longa internodia distulerunt, & huiusmodi uineæ plurimum fructum ferunt, & multos botros, licet non adeo magnos, ut uites stricte putantur, multumq́ & assidue fodi & fimari desiderant tales uineæ, ut fructum & palmites congrue ferre possint. Hæ uero uineę in quibus usque ad unũ pedẽ breuiantur palmites, ut Bononiæ, Mutinę, & in multis alijs locis in mediocri solo defendũtur, & quasi in omni genere uitis, & congrue palmites fructum suum defendunt, quę uero strictissime putantur, ut apud Forliuium, & in quibusdam alijs locis, & in Prouincia taliter procurantur in uitibus, quæ sine palis & perticis uelut arbustulæ in suis stant ordinibus, & in uitibus quæ spissos ualde nodos inueniuntur habere, & maxime in exilibus solis, & in speciebus uitis quæ uocatur albana & sclaua, quæ si aliter putentur nimis miseras uuas ferunt, & sufficientes pro anno sequenti palmites non producunt. Et hæc est in uineis putationis ratio: in arboribus autem & pergularijs tot maxime relinquuntur, quot uirtus uitis potest commode tollerare, ut tamen non sint in

loco aliquo nimis spissæ, & in sarmentis relinquendis omnes summitates steriles auferantur, putantur autem à pluribus tertio in tertium annum tantum, ut plures uuas ferant, sed si annis singulis putentur, eas pingues uel pinguiores producent, & longiori tempore uitem defendent, quidam autem nunquam putant uites in magnis aut ramosis arboribus constitutas propter nimiam difficultatem putationis earum, sed uites fortiter percutiunt, ut quæ arida sunt excutiãtur. Et quidam nullo modo percutiunt, sed eas suo naturali motu uiuere sinunt. Item sciendum est, quod in cuiuslibet uitis putatione tria consideranda sunt, scilicet fructus spes, ut tales palmites tantum relinquas, de quibus percipiendorũ fructuum spes habet, ut sunt ualde maturi, rotundi, & grossas & rotundas gemmas habentes & spissas, secũdum speciem uitis illius. Item successura materiem uidelicet custodes & sarmenta in bono loco nata, ex quibus materia sequentis anni speratur, breuia ualde relinquas. Item locus qui uitem seruat, ut custodẽ relinquas etiam in parte infima, uel alio congruo loco, cum propter uetustatẽ aut deformitatem, aut nimiam longitudinem uitis indiget renouari, ut postquã sufficienter creuerit in loco custodis residuum amputetur. Item notãdum est, quod si uitis mature putetur, & maturius pullulat, & plura sarmenta & maiora producit, propter retentionem humoris qui non effunditur consolidatis plagis ante cursum eius, quare totum cedit in ramorum augmẽtum, quod si tarde putetur, serius pullulabit, & fructus plurimos cõsequeris, propter effusionem superflui humoris aquosi, digestionem humoris uiscosi, ex quo fructus generatur impedientis. Ideoq; uites & uineę exiles prius, pingues uero quę superfluo humore indigesto luxuriant nimium in frondes & palmites, & quæ pruinas timent serius amputentur. Item post bonam uindemiam strictius puta, propter consumptam uirtutem uitis, post exiguam uero largius, propter cõsumptam uirtutem uitis, post exiguã uero largius, propter uires eiusdem, altera resumpta requie. Arbores uitiferę quædam nullo modo putant, ut quę ferunt labruscas quę sunt uites siluestres, quę nunquam putari consueuerunt, uel uites domesticę quę perticis tantum à quibusdam ab aridis purgantur, quædam de tertio in tertiũ putentur annum, ut sunt arbusta & arbores magnæ, quæ uitas domesticas sustinent, nisi sint fructiferæ arbores, quæ auiditate fructus non putantur, utile tamen est si eis annis quibus arbores putandæ non reciduntur, nimia spissitudo & rami superflui amputentur.

De uitis & uinearum & arborum uitiferarum formatione, Cap. XIII.

NOuellam uitem Columella dicit post primum annum ad unã materiam esse formandam, nec recidendam totam, sicut Italiæ consuetudo est anno secundo compleo, quia uel intereant uites in totum recisæ, uel infœcunda sarmenta producant, quę amputato capite uelut pampinaria de duro coguntur exire, quare iuxta ipsam cõmissuram ueteris sarmenti ad unam

ad unam uel duas gemmas inferiores capitis relinquenda sunt, quod est merito in uiticula fortiore seruandum. Nam debilis nimis uiticula secundo anno recidenda relinquitur, & sane ad adiuuandam calamis nouellam uitem uel exiguis palis, ut sequenti anno robustiores accipere possit, & tam diu recidenda est usque ad unam uel duas gemmas, donec læta & fertilia sarmēta producat, quod cum fecerit, siquidem uitis uelut de arbustula formanda est, ad unam tantum materiam reducatur, si uero cum pali & perticarum auxilio stare debet, in ea duæ materiæ seruandæ sunt, quæ tantæ longitudinis formentur quanta desiderat stipitis altitudo, ut uidelicet in exili solo breuioris, scilicet unius pedis, in pingui uero & lęto maioris, duorum uel trium pedum altitudinis disponatur. Anno deinde sequenti quatuor ad plus materias habere debebunt, quæ in partes quatuor diuidantur, deinde sequentibus annis totidem uel plures, secundum doctrinam in eorum putatione traditam. Quod si uitis super arbores uel arbusta conscendere debet, per ętatem adhoc ducēda est, donec ad ramos fuerit perducta, ibique incidi debet ut in eius summitate nata capita sequenti anno diuidantur, secundū diuisionem quæ inuenitur in arborū ramis, deinde consequenter per ramos eodem modo uitis procuretur ascensus, unam semper materiam ad cacumen arboris dirigendam. Formantur uineæ diuersimode secundum uarias consuetudines ciuitatum & locorum, nam in quibusdam locis formātur in ordinibus cum palis & perticis, aut cum sarmentis tensis, aut sine aliquo auxilio, ut alibi dictum est. In quibusdam collocantur in aciebus, & tunc cum una pertica tantū uel duabus siue tribus cum sint in lęto solo, & maxime in aciebus arborum in quibus uites mediantibus quibusdam palis sustentantur, aut etiam fiunt in pergularijs paruis, & tunc à parte stipitis sunt depressę, & altera diriguntur in altum quas multo iuuant lętamine & labore, & plurimum fructum ferunt. Ego autem pono unā perticam solam in parte depressa, & unam in parte altera bene fortem quæ omnes palmites ualde lōgos & ferè ad terram procidētes sustinet, cum magna fertilitate uuarum. Sed unam perticam distare ab alia facio per unum brachium solummodo, & talia pergularia facio in ripis uinearum & agrorum, in quibus sunt sepes & arbores, super quas sarmenta multa & maxima pro anno sequenti, & hoc modo paucis expēsis multas uuas percipio in ripis & sepib. uiridibus, quę alias nisi pro clausura & lignis pro igne paucæ ac nullius utilitatis existūt. Quę etiam ut plurimum loca exornant, in quibusdam formantur in arbusta humilima undique ordinata, uel in magnas arbores aciebus distinctas de arbusta humilima uitifera formanda sunt, ut eis plantatis postquam biennio uel triennio elapso sufficienter conualuerint, in sex uel septem aut octo pedū altitudine rescindantur, ita quod in exili solo breuiora, in læto uero & pingui altiora formātur, ibique natis ramis anno sequenti omnes, exceptis quatuor melioribus, amputentur, & remanentes in quatuor partes diuersas cum perticis aut uineis formentur, & ligatis lapidibus sufficientibus perpendiculariter cogātur per latera ex-

tendi, ne dirigantur in altum. Qui cum fortificati fuerint, longitudine trium uel quatuor pedum sinant habere, in quorum capitibus erunt uites fortibus uinculis alligādæ. Et hic modus pręcipue obseruatur in partibus Mediolani, sed Pergamenses faciunt stipitem magis depressum, uidelicet trium pedum, & ramos ibi natos etiam plures eleuant in altum formantes arbustulam uitiferam ad modum campanę inuersæ, in cuius medio super stipite moratur, qui putat uitem et arborem, & ipsam uitem circum circa expandit, faciens palmites omnes foras undiq; stare decliues. Magnæ uero arbores formandæ sunt ut in altum & depressum habeant undiq; multos truncatos ramos secundum possibilitatem uitis arborem operientis, super quorum capita ligabuntur uites, quę postmodū omnes onustę iacent, & ad inferiora flectuntur. Possunt etiam commode formari ut uites ferant, & ipsę arbores augmentum non perdan, thoc modo uidelicet, cum populus, salix uel ulmus erunt sicca, crassitudine brachij circa duodecim uel quindecim pedes summitas incidatur, & ramis ibidem nascentibus uuis rectior permittat in altū extolli, quantū uacat ab ea sola summitate, uoluerit & similiter singulis annis alternatis ramusculi auferant ab ea, sola summitate relicta. Cæteri uero rami infra dimissi formentur, ut in humilibus arbustis uitiferis dictum est, ad quos uites ligantur, nec inde supra condescendere permittantur. Item, ut ait Varro, ubi terra naturaliter humida est, ibi altius uitis tollenda est, eo quod in partu & alimonia non ut in calice quærit aquam, sed solem. Idcirco utiles esse puto in locis campestribus humidis pampinare uineas temporibus congruis, scilicet mense Maio & Iunio & ipsas liberare ab omnibus superfluis, & inutilibus pampinis & sarmentis, deinde maturatis fere uuis post mensem Augustum eas superfluis frondibus denudare, ut sol uniuersas uuas uidere & cōcoquere possit, ut uinum maturius & fortius fiat, & superflua humiditate cōsumpta, fiat melius duratiuum, & melioris odoris.

Quo tempore uineæ releuandæ sint & uites leuandę, Caput XIIII.

Vineæ releuandæ sunt, & uites ligandæ, antequam gemmæ nimium turgescant. Et uineæ quidem quę in ordinibus cum palis & perticis fiunt, ita ut in eis uites spisse sunt undiq; distantes ęqualiter releuandæ sunt, ut cuilibet uiti palo affixo eodem in medio uitis cingatur conuenienti uinculo, si uinea est depressa, si uero alta in duobus cingenda est locis, prius tamen ad nouem palos, sex perticis aut cannis conuenienti altitudine alligatis, ita quod una uitis sit in medio & cętera circunstantes, sic enim defendun tur à casu, & uindemiantibus ad omnes uites apertus aptet accessus, deinde palmites in partes quatuor diuidātur, & fortiores fortioribus perticis, debiliores debilioribus alligent. In his uero uineis quæ rariores habent uites, pali per totum tribus distantes pedibus assignantur, & eisdē cannis uel perticis ligatis super inducātur uites, & taliter distribuantur quod operiāt uniuersa spacia &

ligentur

ligentur,& hic modus obseruatur in uineis multis Marchiæ. Sed mihi non placet, ubi uero palmites uelut funes tendũtur, cuilibet uiti circa eam tres pali par ui ponuntur medio pede distantes,& uinculum quoddam circa eos uelut sertũ cingitur, deinde palmites extendantur, inter uitem & uitem surcula parua ponatur uel baculus ligetur, ne uuæ flectantur ad terram,& tam huic uineæ quam cęteris in quibus palmites longi relinquũtur multum proderit, si facta propè palum ligatura, extra eam, postquam iam lachrimas effundit, suauiter modicum torqueantur sarmenta. Nam huiusmodi tortura nascitur infra ligaturam successura materies, nec uuis nascẽtibus aliquã infert lęsionẽ,& hic mos est apud Ast, & laudatur ab omnibus, si palmites circa uitem siue perticas ad duos, tres uel quatuor palos post uineę fossionem satis irrationabiliter & inepte ligãtur. In his autem uineis quæ in aciebus consistunt, si cum perticis aut sarmentis tantum fiunt, no ta est earum operatio. Si uero in paruis pergularijs affixis paruis palis iuxta uites,& longis tribus pedibus ex opposito remotis baculis fortibus inter utrunque palum paruum & magnum ligetur, à parte uitis depressus & ad oppositam eleuatus, super quibus sufficientibus perticis positis uites distribuantur æquales. Si uero in arbustis uel arboribus sunt uites nihil aliud agendum, nisi ut uites in pluribus locis ligantur ad stipites,& earum palmites per ramos & truncos æqualiter distributi ligentur. Sed prouidendum est, omnibus annis uitẽ resolui ac ligari, quia refrigeratur, ut Palladius ait.

De fimatione uinearum,& radicum inutilium amputatione, Cap. XV.

MEnse Octobri uel Nouembri, Februario uel Martio fiunt paruæ foueę circa uites,& amputatis cunctis radicibus quæ in summitate fiunt terræ lętamen imponitur,& maxime hoc in uite nouella seruandum, ut amputentur radices superuacuæ quas produxit ætate: quæ si conualuerunt inferiores radices pereunt in terra,& remanet uitis in summitate suspensa, quę res eam frigori facit ob noxiam & calori, sed hę radiculæ non ad stipitem debent rescindi, ne aut plures inde nascantur, aut noua plaga corpori uitis impresso, in secuturo algore aut calore uratur. Recidãtur autem relicto digiti spacio, & si placida hyems est, uites relinquamus apertas, cum ante hyemem hoc est factum. Si uiolenta ante mensem decembris operimus. Si pręfrigida modicum columbini stercoris circa uiticulas largiamur. Sed cum alium fimum ponimus paruis parum, magnis uero uitibus plus apponimus. Plurimum igitur operatur in uineis lætaminis administratio frequens, ad multum proferendum fructum, sed quia consueuit uini uitiare saporem, & durabilitatẽ lędere: qui nobilius uinum habere cupiunt, mense Augusti, ubi uinea miserior est lupinorum corbem unam in iugerum serunt,& cum ad debitũ augmentum peruenerint eos euertunt,& optimum stercus præbere uineis dicuntur,

uel in foueis circa uites factis ponunt, & minutatim incisum sarmentũ, & pampinos operiunt.

De uineis fodiendis, Cap. XVI.

MEnse Martio nouella uinea incipiat puluerizari, quod tunc deinceps usque ad Octobrem singulis mensibus agendum est, non solum propter herbas, sed ne tenera adhuc semina solidata terra cõstringat, sed in mense Iulio mane & uespere iam calore deposito debet effodi, & omni herba & gramine diligenter extirpato radicitus, quoniam radices plurimum obsunt. Fiunt præterea sulci per illas partes in quibus aqua colligitur, ut ad extremas partes facile defluat, quæ si remanserit nouellas extinguit, & antiquas elidit. Eodem mense Martio est celebranda completarum uinearum fossio, antequam gemmę minus turgescunt, quia si fossorem apertus uitis uiderit oculus cœcabitur spes magna uindemiæ. Deinde mense Maio fit secunda fossio uinearum, eo tempore quo nondum florẽt, uel eo quo iam florere desierũt, quia quę florent constat non esse tangenda. In qualibet autem fossione cauendũ est, ne fiat eo tempore quo terra nimis madida uel sicca est, sed cũ mediæ dispositionis existit, & quanto magis terra puluerizabitur, tanto melius erit, sufficit tamen si mediocriter profunde fodiatur. Sit autem studium, ut uniuersa terra fodiatur ęqualiter, ut nihil in ea crudi soli remaneat, maxime circa uitem, quam rem (uirga in qua sit altitudinis pastini modus designatus) diligens custos in multis locis exploret. Nam hæc cautela dolosos fossores ab hac negligentia submouebit.

De nocumentis quæ uitibus accidunt. Cap. XVII.

ACcidunt nocumenta in primo anno plantatis uitibus ut pereant, uel semiuiuæ remaneant, quod quidẽ quandoq; fit propter herbas circa eas nascentes, quarum radices eis nutrimentum surripiunt, quod si accidit frequenti fossione & herbarum incisione iuuantur: aliquando uicinis arborum uel sæpium umbris, tunc aut amputandæ sunt, aut frondibus denudandę. Sæpe etiam ex nimio solis ardore deficiũt, quo casu, aut obumbratione, aut operimento terræ circa eas iuuandæ sunt, ne omnino siccentur, ut aquę conuenientis exhibitione læsionem euitant. Accidit etiã quandoq; nocumentum uitibus ex uicinitate quarundam plãtarum, sicut caulis, corili, & lauri, compertum est enim hæc adurere uitem ideoq; in uineis plantari non debent. Quandoq; patiuntur animalium corrosionem, quę plurimum lædũt eas & corrositant. Ideoq; si paucę sunt uites spinis congruis muniantur, si plures fossatis cingantur & sępibus, quandoq; uites in hyeme gelu pereunt, quare rescindendę sunt iuxta terram, & in talibus locis in putatione curandum est, ut nunquam stipes erigatur aliquid super terram, & cum approximat hyems uites putantur, non ut curtatis fragulis & omnibus simul. In quibusdam locis cum iunco ligatis iuxta terram flectuntur, & supra capita ipsorum ne surgãt aliquid terræ ponatur, deinde post hyemem

hyemem deducto ligamine releuentur. Aliquando autem frigus non totū perimit uitem, sed solum nouos palmites, qui propter ligni teneritudinem & medullæ magnitudinem se defendere nequeunt, quod cū acciderit sursum in loco idoneo palmitibus procreandis aut eam modico de palmitibus relicto, si aliquid uiriditatis ibidem habuerint, rescindatur, sic enim quasi renouabitur & formabitur uitis, & forsan eodem anno aliquē fructum feret. Accidit etiam plurimū, ut postquam palmites & uuas protulerint pruinis uiriditatem omnem amittāt, quare in talibus locis talia genera uitium plantanda sunt, quæ tarde uirescant, ut sunt albana garganica, & maiolus plurimum. Aliquando uineas inuadunt rugæ, quæ omnem uiriditatem corrodunt, & uermes uirides & asuri parui qui taiaturi uocantur Bononię, qui natos cum uuis palmites deuorant & desiccant. contra quę subueniendum est, ut per manus mulierum & hominum colligātur, & pedibus conculcentur, uel igne crementur. Accidit etiam sępissime, ut tēpore caloris descendat cū feruenti sole parua pluuia uenenosa & adusta, quæ uulgariter apud Bononienses melumen uocat, quę multa genera uitium adeò lædit, ut earū fructū in nihilū omnino reducat, ideoq; ubi hoc frequenter accidit, ea plantentur genera uitium, quæ modicum aut nihil læduntur ab eo, ut est malixia & albana & grilla, & quædam alia genera nota. Tempestas etiā sæpe uineas omnino consumit, contra quàm nihilomnino ualere potest, nisi forsan pia oratio apud deum, mundo corde directa. Licet quidam tam mares quam fœminę ignorantes naturam & generationem grandinum, imprudēter aut fallaciter asserant contra grandines & fulgur quædā fieri posse. Accidit etiam quandoque quod uitis ligone lædatur, & tunc quidē uitis stricte ligetur in plaga, & ea circumfossa ouinum uel caprinum admisceatur cum terra lætamen. Accidit pręterea sępe, quod uitis tot pampinos profert, quod eos & uuas ad debitum producere nequit augmentum, in quibus mense Maio consideranda sunt sarmenta, quæ nouella uel uetus uitis protulit, & ei pauca & solida relinquamus, & in nouellis adminiculis firmamus, donec brachia firmata durescant, ne amplius resectę & pullulanti uiticulæ quàm duas uel tres materias relinquamus & propter uentorum iniuriam alligentur, si relinquas in primordio pauciores, hoc mense pampinari conueniet. Sed tum est pampinatio necessaria cum teneri rami digitis stringentibus crepabunt sine difficultate carpentis, hæc res uuas efficit pinguiores, successuram materiam corroborat, & fructuum utilitati consulit sole admisso. Accidit præterea uitibus sępe tanta debilitas, ut misera nimis sarmenta & uuas producant, quibus fimo & frequēti fossione, & stricta putatione subueniendum est. Quædam autem adeò lætę & pingues sunt, quod magnitudine pampinorum uineas claudunt, & se uicinasq; uites quasi suffocant, nec fructum suum maturari permittunt, quibus subuenire oportet larga putatione, rara fossione, fimi priuatione, & palmitum & pampinorum amputatione, tēpore Maij, & frondium spoliatione in locis frigidis, & pręcipue cui uuę putrescunt, pampi-

nentur per latera triginta diebus ante uindemias, & frons illa sola seruanda est, quæ in summitate posita solem nimium defendit in uertice, & si quę in terra iaceant sursum sine reuolutione suauiter releuentur, in locis autem ardētibus & siccis obumbratur uua, ne ui solis arescat, si modo uineæ breuitas aut facultas permittit operariorum. In quibusdam etiam locis nimium hominum & canum patiuntur insidias, quas diligenter die noctuq; maturitatis tempore custodiri oportet, & in eis plantari debent ea genera quæ non sunt delectabilia, sed austera ad edendum, ut gnij aresta & gmaronus, quæ nō de facile tangunt ab aliquo, & nobile tamen & seruabile uinū faciunt. A sturnis præterea sępe plurimū infestant, quod cum accidit funibus & signis terribilibus per uineas appensis & personis gradantibus & eos terrentibus expellantur. Quod si tanta est ipsorū inuasio, quod prædictis modis defendi non potest, fiat in medio uineæ super quatuor columnis locus eminens, super quo puer aliquis maneat, trahatq; & moueat funes ab alijs capitibus ad longos palos circa uineam ligatos cum cucurbitis & paruis baculis circa eas cum in alia parte uiderit oportunū, ut in ciuitate Clogię ab omnibus obseruatur.

De conseruatione uuarum recentium & siccarum, Cap. XVIII.



VVas quas seruare uolumus legamus illęsas, nec acerbitate rigidas, nec maturitate defluentes, sed quibus est granū luce penetrabile & splendidum, & tactus cum molli iocunditate callosus, si qua sunt uitiosa resecemus, nec patiamur interesse quibus in expugnabilis acerbitas contra blandimenta æstiui caloris induruit, tunc incisos botrionum tenaces calida pice ambiri oportet, atq; ita in loco sicco frigido & obscuro sine luminis irruptione suspēdi. Item aliter extracto pane de furno non nimis calido, ponetur in eo palea, & super eam uuę, ibiq; per horam, secundum quod tibi melius uidebitur dimitte, donec aliquantulum fiant passæ, uel ponantur super asside, uel aliqua craticula in furno, & postquam inde fuerint extractę submergātur in musto dulcissimo, & ponantur ad solem donec aliquantulum sint siccæ, seu aliquantulum mustæ & guttatæ, ponantur in uase ueluti in lagena uel sacco. Item aliter: uuas sale decoctas pone in musto feruenti ad ignem modice dimittendo, & pone ad solem iterum, & sunt optimæ. Item uuę sanissimæ & aliquantulum ad solem passæ seruantur

in sabulo siccato ad solem. Item in paleis uel fœno substratis. Item in folijs uitis siccatis. Item in melle. Cato ait uuam in ollis commodissime condi, & in sapa & in musto. Recte uuam passam græcam sic facias, meliores & dulces botriones in ipsa uite torquebis, & patiaris sponte mediocriter siccari, deinde sublatos in umbra suspendis, & uuam districtam componis, & cum uas impleueris desuper pampinos addes, & operculabis, ac statues in loco frigido, sicco, quem nullus fimus infestet. Salernitani autem uuam passam hoc modo faciunt, eligunt enim meliora grana uuarum, & ad solem desiccant, deinde in furnum modicum ponunt cum uuis dulcibus, deinde abluunt, & super aspergūt puluerem cinnamomi, & ligant in folijs fici, & seruant per annum. Hæc uirtutem habet lauandi, & decocta in uino, & ipsum uinum ualet contra frigidam tussim. Fit etiam uua passa optime hoc modo: torqueatur in uite, & sic torta per tres uel quatuor pendeat dies, deinde collecto quolibet botrione cum manu uel tenacula in musto dulci feruenti ponatur, & ibi tantum teneatur, ut bis potest dici salutatio beatę uirginis, deinde siccetur ad solem, si calidissimus est, & in furno pane extracto, caue tamen ne pluuijs aut rore tangatur, deinde refrigerata in aliquo mundo uase ponatur, & optime compressa desuper ponderetur. Quidam autem ex ea exiccata ad solem iterum in musto dulci feruenti obruunt, & exiccant aliquantulum & componunt. Sed ad hæc omnia commode fieri possunt de uuis recentibus sine tortura racemi, omnibus alijs obseruatis, quæ dixi, dum tamen scias quod difficillime siccari possunt ad solem in regionibus temperatis. Item Græcis docentibus si uua uel poma in uite uel arbore diu seruare uolueris uasculis clausa fictilibus conseruabis, uel diligenter à summo tecto suspende poma gipso cooperta in longam seruabis ętatem.

De uirtute uuarum, Cap. XIX.



VVa in duo diuiditur secundum Isaac, est enim acerba & matura, acerba est frigida in tertio grado, sicca in secū do, hęc tres habet substantias in se diuersas, scilicet grana, corticem & succum. Granorum natura sicca est & dura, & nullius conuersionis in corpore, sed integra egredit̄, sed farina ex eis pistatis facta & bibita cōfortat, & cholericā egestionē stringit, maxime si assent̄. Cortex grossus est, nec conuertit̄, & ideo nō nutrit, cōfortatiuus

est stomachi, & epatis calorē extinguit, sitim aufert, acumē calidę & rubeę cholerę mitigat, uomitum & egestionem cholericam stringit, oculis appositus palpebrarū grossos humores attenuat & exiccat. Itē ualet ad pruriginem oculorū & asperitatem, Succus uero uuæ acerbæ ante dies caniculares ad solē poni decet, ut siccetur & spissetur, ut mel, hic ualet humoribus ad gulam descendentibus & ginguinis & articulis. Si clystere facias ualet uulneribus intestinorum, & diuturnus humoribus in uuluā descendētibus. Vua matura quę est in sua completa dulcedine, sanguinem laudabilem facit, & cæteris fructibus quemadmodum ficus melior cibus, plus tamē ficus quàm uua nutrit. Testatur aūt hoc quia quidam suis temporibus eis solis utuntur, unde pingues fiunt, & clarent eorū cutes, desistentes uero ab eorum esu facile macrescunt. Eius ossa sunt frigida & sicca, granis acerbæ uuæ uicina, habent tamen acumē quoddam propter quod cito exeunt ante conuersionē. Item cortex eius frigidus & siccus, & ad digerendum durus, & si cum cortice & ossibus edatur indurat egestionem & insufflationem & uentositatem generat, & humores longinquos à sanguine laudabili. Si commedantur in hora qua de uite accipiunt, si quidē inueniat stomachū malis humoribus & cibis uacuum, & fortis sit digerere, digerunt, & in laudabilē sanguinem conuertunt, & uentris adiuuant solutionem, corpusq; à malis purgant humoribus: econtra si stomachum inueniant malis humoribus uel cibis plenū, & digerere sit imbecillis, in eo morantur & inflationem generant & rugitum, & in humores malos conuertunt, & fumum noxium plurimum creant. Appensæ & ab humoribus superfluis desiccatæ cęteris uuis sunt laudabiliores, & subtilibus dietis conuenientes, ab inflatione lōge sunt & fumositate, nec stipticę sunt nec solubiles, in mustū missæ uel sappam grossę dietæ sunt, & stomacho minus conuenientes, uentositatem & inflationem producunt, propter extraneos humores ex sapa uel musto assumptos, uuę multum carnis habentes nutribiliores & duriores existūt, quā hæ quæ plus humoris quàm carnis habent. Item uua cuius sapor est dulcis & grossus melliq; uicinus calidior est, sitimq; generat, & grossioris est nutrimenti, & ad digerēdum durior, inflationem faciens ac rugitum, & oppilationem splenis ac epatis. Et uua cuius sapor est subtilis aquosus, frigidior est & digeri leuior stomacho, cōfortatiua & mundificatiua à cholericis humoribus, sitis mitigatiua, & conueniens cōplexionibus tēperatis. Et uua cuius sapor est medius inter prędictas est leuis nutriturę, & medię potētiæ. Alba uua clara & aquosa facile digeritur & leuiter nutrit, uenas cito permeat, & urinam prouocat. Nigra grossa est, digeri dura, sed confortatiua stomachi, & si bene digeratur nutrimentum bonum præstat. Ruffa uel citrina est media prædictorū. Passa sicca est ad cōparationē uiridis, & ex ea quædā est dulcis, quæ calidior est & humidior, maxime si nigra sit, hæc ualet ad dolorē pectoris & pulmonis, & tussim mitigat, quę uero acerbitatē habet, minus nutrit et frigidior est & siccior est dulci, ideoq; stomachum confortat, calorem extinguit, & uentrem cōstipat.

De appara-

De apparatu uindemiæ, Cap. XX.



APpropinquante uindemiarum tempore præparãdæ & aptandę sunt tineę in his locis, in quibus moris est uinum cum suis racemis & arillis bullire, in alijs uero torcularia. Item corbes, cophini, cistę, & cętera instrumenta & uasa quę unicuique necessaria & oportuna sunt, secundum uarias & diuersas consuetudines locorum, & omnia uasa necessaria optime mollificanda & lauanda sunt, iunci ueteres seruati quęrendi sunt, quia meliores durabiliores'q; sunt nouis, qui adhuc semimaturi existunt.

De tempore uindemię, Cap. XXI.



VTile est agnoscere quãdo uindemiandum sit. Nam quidam antequã uuæ maturentur uindemiant, & ideo subtile & infirmum, nõ permanens faciũt uinum. Alij uero tardius uindemiantes, nõ solũ uineas lędunt resolutis iam uiribus eius, sed etiam tale uinũ passibilius & minus durabile faciũt. Cognoscit' ergo tempus uindemiæ gustu & usu. Aiunt enim Demetrius & Africanus sex solũ dies habere uuã, & non plures permanere maturã, si enim granũ uuæ iam nõ uiride sit, sed in ea nigredine uel alio colore, in quo tandem esse debet secundũ naturã generis illius uuæ, significat eã esse maturã. Quidam aũt exprimunt uuã, & si quidẽ affluxerit granũ uuæ nudũ, non cõtinẽs carnem, maturas esse ad uindemiã approbat uuas, si uero effluxerit granũ cũ parte carniũ eas nõ esse maturas dicũt. Quidã aũt ex quo incipiũt passæ fieri maturas cõcinunt uuas. Alij uero probant ita, ex uno densissimo botro unã auferunt uuã, post unum uel secundum diem cõsiderant, si manet in eadem forma locus acini, & si circunstantes nullã recipiũt augmentatiõnẽ, uidemiare festinãt, si uero acini locum minorẽ factũ considerant, quasi his quę de circuitu sunt acinis adiunctis, differũt uindemiã donec augmẽtatione procedit. Palladius autem ait, maturitatem cogno-

De agresto, passo, & defruto coroëno & sapa.

AGresta fit duplex, liquida & sicca. Agresta liquida fit hoc modo, cum uuæ adhuc sunt acerbę, scilicet ad debitum peruenerint augmentū colliguntur & pistantur, & in mastellum uel aliud uas ponuntur ad solem, & in eis aliquid de sale ponetur, & postquam duobus uel tribus diebus ad solē steterint, accipitur succus, & respositus usui conseruatur, & quidā de sale non ponunt, sed cum eo melius conuersatur, & maxime si ex talibus uuis factum fuerit, quarum uinum in æstate sanum seruari potest. Agresta uero sicca sic facienda est, accipe uuas accerbissimas & pista & exprime, & pone in uase extenso, & soli oppone donec siccetur, & serua. Et quidam ponunt ad siccandum in sole absq; decoctione aliqua, si sol calidus adest, quidam etiam agrestam faciunt ex uuis aliquid dulcedinis percipiētibus, sed prior stipticior & frigidior est. Potes tertio modo facere agrestam spissam, ut & mel, & est plurimum uirtuosa ut supra dictum est de uirtutibus uuarum passarum. Vniuersa Africa pingue ac iucundum passum sic conficere consueuit: leguntur uuæ passæ quam plurimæ, & in fascellis ex iunco factus aliquatenus contextis uirgis positæ fortiter uerberantur, deinde ubi uuarum corpus ius concussionis exoluerit, exprimitur, hinc passum est quicquid effluxerit, & conditum uasculo mellis more seruatur defrutum. Coroënum & sapa fiunt ex musto. Nam defrutum à deferuendo dictum est, ubi ad spissitudinem fortiter dispumat. Coroënum cum tertia parte perdita, duę partes remanserint. Sapa ubi ad tertiam redacta descendit, quam meliorem simul faciunt citonia cocta.

De purgatione uini facti ex uuis acerbis & corruptis, Cap. XXV.



OPortet omnes uuas acerbas uel qualitercū que corruptas sperare à reliquis, & quod ex ipsis est mustum, ita est curandum, aquę pluuialis usq; ad dimidium est coquenda & ex hac aqua decocta quāta est musti decima pars superinfundi uino, rursus autem cum uino decoquant cōsumatur in decoctione decima pars. Quidam aūt non faciunt ita, sed ipsius uuis immittunt aquam comiscentes ad futurum mustum tertiā partem, post calcātes uuas mustū coquunt, ut consumat᷑ tertia pars.

De curatione uini à pluuia agitati, Cap. XXVI.

SI pluuialibus imbribus multum superuenientibus uuę adhuc in uinea existentes uel post uindemiam amplius quàm oportet madefiant ex necessitate ipsas calcabimus. Si autem uindemiatum mustum imbecillius esse didiceris, docebit autem te hoc gustus, cum uinum in dolijs nutritur post primā ebullitionem, confestim transferantur in alia dolia, manet etiam in fundo omne lutosum propter grauedinem. Quidam autem melius faciunt, uinum coquunt, donec uicesima pars eius consumatur, imitentes gipsi centesimam partem. Laudarij uero eo usq; ad ignem uinum decoquunt, quousq; quinta pars eius cōsumatur, & eo post eam consumpto utuntur.

Qualiter uinum mittendum sit in dolia, Cap. XXVII.

DOlia, antequam immatur mustum, aqua salsa pura spongia ablui oportet, & incenso fumigare, oportet autē neque nimis facere ea plena, neque nimis deficientia, sed opinari oportet quousq; uinum bulliens augmentationem faciat, ut non supra effundatur, conijcere postea oportet quod in dolijs est mustum per quinque dies, & manibus & cyphis spuma, & si aliquid superfluū fuerit auferre, & expurgationes omnes à cella educere, & longius proijcere, si enim prope manserint canopes inde generantur, & malus inde exit odor, quæ ambo uinum euerti faciunt, idcirco bonum odorem in torcularibus & maxime in apothecis esse oportet.

Qualiter mustum per totum annum haberi possit, Cap. XXVIII.

ANtequam calcentur botri, quod ex uuis stillat mustum presinonem quidam uocant, mitte eodem die in uas pice perlinitum interius & exterius ut semiplenum sit uas, & obstrue diligenter gipso, multo enim tempore permanet mustum ualde dulce. Multomagis seruabitur, si uase perclusо corio in puteum uas immititur, quia non super ebulliens semper erit mustum. Si quis autem paulatim conculcauerit uuas, & non comprimat fortiter, & hoc mustum utile ad permanentiam habebit, ut Burgundus ait: atque hoc per experiētiam optime uisum est. Alij uas ut dictum est interius & exterius pice perunctum in puteum ponunt, ut labia sola super emicent. Et hoc per experientiam optime uisum est. Alij in arenam humidam uas infodiunt.

De cognitione si mustum uel uinum habeat aquam, & qualiter separabitur ab ea, Cap. XXIX.

VT cognoscamus an uinum uel mustum habeat aquam, pira cruda, uel secundum quosdam mora mitti in mustum debent si aquam nō habet. Quidam cannam grecam quę nascitur in aquis uel linum uel papirum uel fœnum uel aliquid aridum ungunt oleo, & in uinum mittunt & extrahunt, si aquam habet congregabuntur guttæ in oleo, & quanto plus de aqua habuerit,



tanto magis erit guttarum aquæ cõgregatio. Alij simplicius facientes uinum emittunt in ollam nouam nondum infusam, & appendunt ollã duobus diebus, stillat enim olla aqua mixta. Quidam in calcem uinum supra effundunt, & si quidem aquam habet, diffundit uinum calcem, si autem parum est depressabit eã. Alij uero in frixorio habent oleum feruens & superinfundunt uinum, & si aquam habet sonabit, & amplius faciens resilietu. Qidam uero spõgiam nouam oleo ungentes, ea obstruũt os uasis & euertunt, si aquam habet funditur in spongiam, eadem probatione & in oleo utũtur. Alij de musto sibi modicum in manu mittunt, & fricant, si purum est uiscosum est & adhæret, si aquam habet non adhæret. Aqua hoc modo separabitur à uino, albumen humidum mitte in testam uini, deinde spongia uncta oleo obstrue os testæ uel alterius uasis, & incliuans sine effundi, & effluit solum aqua.

Vt mustum cito expurgetur, Cap. XXX.

IN metreta dulcis musti cotilam aceti mitte, & post tres dies erit purum.

Qualiter uinum non semper ebulliat, Cap. XXXI.



COronam pulegij uel nepaticæ uel origano collo uasorum circumpone, ut ait Burgundius. Quidam autem interiora doliorum circa labia perungunt lacte uaccino, detinebit enim intus bulliens mustum, ut dicunt.

Quo loco debeat stare uinum ut duret, Cap. XXXII.

CEllam uinariam septentrioni habere debemus oppositam, frigidam, obscuram, uel obscuro proximam, longe ab alueis, stabulis, furno, sterquilinijs, cisternis, aquis, & cæteris odoribus horrendis. In libro tamẽ uindemiæ à Burgundio ædito dictum est, quod fortius uinum sub diuo ponendum est, auertat tamen occasum & meridiem parietibus quibusdã appositis, reliqua autem uina sub tecto ponenda sunt, fenestras autem excelsiores oportet facere ad aquilonem & orientem uersus.

De transuasatione uini, & apertione doliorum, Cap. XXXIII.



OPortet uinum trāsuasare in borealibus uentis, nequaquam in australi, & imbecilliora quidem in uere, fortiora autem in ęstate, uina quæ sunt in aridis locis post solstitium brumale. Cum autem transuasatur uinum in luna plena fit acetum. Scire oportet, quod cum uinum separatur subtilius & imbecillius fit. Affirmant expertissimi uiri, quod si circa festum omniū sanctorum, cum uinum ebullire cessauerit, & fex ad fundum descenderit, ipsum remoueatur à fece grossa, faciet in hyeme matrem subtilem, cum qua melius conseruabitur, & post hyemem facilius clarificabitur tempore ueris. Item dicunt, quod si uinum diu cum fece moretur, adueniente calore ei adeo incorporabitur, quod eius sapore inficietur, & non poterit aliquibus clarificari modis, nisi coquatur usque ad principium ebullitionis, lento igne & claro, & in uase mundo ponatur cum saluia bona, habente in fundo duos baculos uel unam tegulam mundam inuersam & mantellum de grosso panno, uel ponatur in tina munda, & in idem uas postea reducatur modo prędicto. Prouidendum quidem est ut in hyeme quidem calefiat, ęstate uero infrigidet. Oportet autem transuasare uinum, cum luna minuitur & sub terra est. Oportet etiam cum à dolijs in parua uasa transmittimus uinum obseruare ortus stellarum, & maxime in flore rosarum & florescente uinea mouetur eius fex in occasibus stellarum. Consulunt autem sapientes cum aperitur dolium, uinum quod est in principio dolij, & quod est circa fundum consumetur, medium autem uinum seruetur quod fortius est & permanentius & ad ueterationem aptius, uinum enim quod est prope os dolij ac aëri adhærens est imbecille, quia euaporat quod autem est satis profundum seu appropinquans feci, cito uertitur. Oportet aūt transmutatum uinū in testis uel alijs uasculis non usq; ad labra testarū immitti, sed usque parum deorsum sub collo ut nō suffocet, sed respirationē habeat, si de acetositate nō timet, sed si de ea timeatur, quasi nihil respiret, & fiat uētilogus de salice uiridi à cortice mundato. Item bonū est quod iuxta spinam ficariam, sit una parua spinella, per quam subtrahitur parum de uino temporibus calidis & uentosis, nam per ipsam egreditur aliquid de fece cum uino, & ipsum clarificabitur parū melius. Item oportet aperientē dolia seruare ortū astrorum, quia tunc uini fit motus, & non oportet uinum rimare. Et si quidem uinum in die aperies oportet intendere soli, ut non eius claritas incidat uino, si autem in nocte necessitate multotiens

prouocante dolium aperies, superintendere oportet lumen lunæ. Item oportet euacuata dolia confestim abluere aqua salsa, uel cinere, uel argillosa terra siccari, si uinum est debile, sed si ualde potens est solummodo bene claudatur undique, quia odor & potentia eius tuetur uasa.

De tempore & modo gustandi uinum, Cap. XXXIIII.

QVidam borealibus existentibus uentis gustant uinum, mutabilia & sincera sunt tunc uina. Alij uero experti cognitiones uini, australi uento flante gustant uinum. Australis enim uentus magis uinum commouet, & redarguit quale est. Ieiunum autem existentem non oportet gustare uinum, obtunditur enim gustus, nec post ultimam potationem & cõmestionem, ut Burgundius scribit. Sed ex consuetudine Bononienses ieiuno stomacho, semper gustant uina. Item oportet gustantem uinum neque amaram escam, nec salsam, neque aliquam quæ gustum corrumpit, comedere, sed paucã comedere & bene digerere. Quidam uolentes circumuenire emptores, testam nouam habent, quàm perfundunt optimo uino ueteri & bene redolẽti, & in ea ponunt uinum quod uendere uolunt. Malitiosi autem quidam attribuunt nuces & caseum gustare uolentibus uinum, ut comedant, ut certissimus falsificetur gustus. Hæc autem dicimus, non ut faciamus, sed ne decipiamur. Oportet etiam emptorem sæpe gustare uinum nouum & uetus, ne obliuiscatur quid effugere debeat.

De signis cognoscendi uinum durabile, Cap. XXXV.

IMmisso uino in dolia, per quoddam tempus transuasandum est in aliud uas quiescibiliter, in priori uase relinquenda est ipsa fex, & diligenter uas includatur, demum intuendum est multotiens odorantes, ne aliqua transmutatio fiat circa fecem gignentes cenopes uel sangum album, quem facit subtus butem, uel magis aliquid talium, extimandum est uinum esse corrumpendum, si nihil tale generatur, credendum est uinum permanens esse. Quidam autem calamum integrum perforantes immittunt usque ad fundum super feces, & prę cludentes calami superioris foramen magno digito, postea auferentes digitum per olfactum attrahunt inferioris odorem, demum exugentes attrahunt fecis partem ad qualitatem, & secundum qualitatem fecis futurum uinum reliquum esse credunt. Oportet autem ex medio uase futurum uinum esse opinantes, quidam uero partem uini bibentes infrigidant ac gustant, & qualecunque inuenitur in gustu tale futurum uinum reliquum esse credunt. Oportet autem ex medio uase gustum facere. Alij uero ex tegmine uasorum signum accipiunt, discooperto enim uase, quod est in tegmine gustat, si quidem uinosum est optimũ est uinum, si uero aquosum non. Alij autem ex ipso gustu, si à principio austeri fuerit signum certum, si autem molle contrarium.

De nocumentis quę uino accidunt, Cap. XXXVI.

ACcidit uino propter aquositatem corruptibile in uite, uel postea sibi admixtum, ut corrumpetur, & uertatur propter uarias causas extraneo calore in ipso agente, quod si fex uel modicum talis uini eodem dolio extracto relinquatur in uase, nec aperiatur uas, conuertitur in muffam quę uas inficit, deinde quodlibet uinum in eo positum consequenter corrumpitur. Et si ex uino in sanum dolium uel aliud uinum miscetur aliquid seu imponitur ipsum inficit, & in suam corruptam naturam conuertit. Item uinum forte & potens & præcipue dulce, grossum, si tempore calido dimittatur in uase, non plenum, nec desuper clauso, euaporat calidum & humidum uini, remanet frigidum & siccū, quod in acetositatem conuertitur, de quorum omniū cura dicendum est.

Quibus temporibus uinum faciliter uersetur & corrumpitur, Caput XXXVII.

OMne uinum sæpius uertitur circa uergiliarum occasum, & circa solstitium æstiuale, & circa canis æstū, quod uulgariter currus uocatur, & generaliter circa omnes uentos annuales, & in ęstu & in gelu, & in largis imbribus, uel propter uiolentum uētum aut terręmotum, uel propter durū tonitruū, uel quando florescunt rosæ uel uineæ, ut Burgundius ait.

Qualiter possit prouideri ne uinum uersetur, Cap. XXXVIII.

FAles usti in uinum immissi id uerti & ultra quàm oportet bullire & spumam ampliorem fieri prohibent. Amygdala dulcia nigris uuis immixta permanens illud seruant. Vua passa ablatis granis & cum arena immissa musto uel uino cocto, pingue & permanens illud facit. Quidā uuam siccam in uinea natam eligunt, & singulariter utuntur. Gypsum immixtum in primordio austerum uinum facit, tempore uero procedente austeritatē euaporat, utilitas autem gypsi multo tempore permanet, & permanentiam uini facit, & uerti non sinit uinum. Et eius quidem proportio est, ut si uinum sit lentum & sapore humectum, aut pluuia agitatum, centesima pars gypsi sufficiet, quod si uinum nascitur uirtute solidius, medietas abunde sufficiet. Fœnumgræcum si teratur cum sale usto & cum uino, misceantur uina quę uertuntur à sua mala fece separata, & in fecem boni uini immissa permanentia erunt, quidam autem tędas accendētes in musto extingunt, & non sinunt uinum euerti, quidam cedri fructum ustū miscent, & gallas ustas miscentes uino permanentes hoc faciunt. Alij cineres ex sarmento uineæ cōbustos, & semen fœniculi terentes & in massam redigentes miscent cum uino. Quidā uasa quibus utunt' in alia uasa & in aliam domū transferunt, si enim ex calore sint læsa in refrigerantia loca ea reducūt, si autē ab humore & frigiditate in calidis locis & siccis transponunt. Alij uero semen lini, uel lignum querci comburentes cinerem immittunt uino. Alij lac & mel miscentes, ut ualde sunt leuia immittunt musto. Argilla post ebullitionem uini immissa

expurgat deorsum secum deferens turbulentum ad secem, magis autem si usta fuerit, & bene redolēs uinum facit & dulce, reptilia enim hyeme eam comedentia uiuunt, dulcorat enim argilla uinum & permanens facit. Vinum coctum usq; ad tertiam partem immissum musto permans illud facit. Elleborum nigrum & album paucum immissum expurgat uinum & permanens facit. Frumenti farina permanentia uina facit. Resina pini detinet uina. Alumen scissum stiptica uina facit, & acuentia uel acida sedat. Confectio mirabilis ad uinum seruādum quæ uocatur pannacia. Recipe aloës uncias 2. incensi uncias 2. amomi uncias 2. meliloti uncias 4. cassiæ unciam 1. spicęnardi uncias 2. folij uncias 2. mirrhę uncias duas, hæc omnia panno ligata mitte in uno quoq; dolio postquam uinum fuerit tibi missum & iam expurgatum, immitte autem in unoquoque uase unum coeleariū harum specierum, & postea pāno dissolue, & uino puluerem immitte & postea per tres dies radicem calami moue. Quidam autem aliam confectionem faciūt, recipe croci uncias quatuor hoc bonum colorem reddit, incensi masculi cribrati uncias tres, hoc austerum facit, folij manipulum, hoc bonum odorem dat uino, hæc omnia cribrata misce, & in quamlibet amphoram uini mitte coclearia duo, cum non uinum bulliat sed subsistat. In omnino uino hæc propria serua, ut iam subsistentia ea speciebus condias. Alij uero sic uina condiunt: Recipe cardamomi, ireos illyricę, cassiæ, spicenardi, meliloti, xylobalsami, squinanti, costi, spicę celticę omnia consimili pondere, tere & reconde, & in uino immitte. Item accipe semē artemisiæ, & herbā pentaphylon & pulueriza, & cū uinū deferbuit pone intus, & non uersabitur. Alij ut non uersetur duobus uel tribus diebus in grapsis bullire permittunt & in Februario trāsmutant, & ex eo tertiam uel quartam bulliunt, & simul miscent, deinde ponunt unam communem parapsidem salis in duodecim corbibus uini. Vel aliter in Februario transmutet̃ & quarta pars diminuatur, & iuxta finem ebullitionis, & quarta pars ebulliatur ad ignem & dispumetur donec 6. uel 8. pars diminuatur, & iuxta finem ebullitionis ponatur in quolibet caldario in gamula ludecij sicci, uel linitum tantum, ita quod parum in uino bulliant, & cum ea calido ponantur in uase, & si ponuntur cū ea grapsę bene ablutæ prius in musto positę clarius erit uinum, & obturetur uas ut inde non respiret, & sit bene circulatum & hoc certum est. Vel aliter, fit delectabile & mirabile ad bibendum hoc modo, quodcunq; uinum sit exprimantur uuæ, & uinum nihil cum grapsis bulitum totum ad ignem bulliat & dispumetur & in uase ponat̃, deinde accipe uiginti gariophilos pro quolibet corbe, & in filo uel pecia positos in os uasis mitte, & est certum. Alij dicūt quod si mustum expressum & in continenti separatum à grapsis ponatur in tina, & coopertum cum aliquo panno mundo uel nouo sextario, sic ad dies quindecim uel uiginti dimittatur, & quolibet die spumetur, deinde in dolium mittatur, erit mirabile in claritate & sapore.

Qualiter

Qualiter uinum uersatum liberetur & clarificetur, Cap. XXXIX.

ACcipe cerasa acria in bona quantitate & tota integra in uas ubi est uinū uersatum proijce, & sic uinum incipiet bullire, & sic dimittatur per tres dies uel usque cesset bullire, quoniam in ipsa bullitione purgatur uinū à fecibus optime, & cum clarum uinum uideris in aliud uas transfer, certum est. Si autem cum uino uersato mel in bona quantitate temperaueris, & in uase ubi est uinum uersatum iactaueris per uendonem cum baculo ipsum uinum cū melle agitaueris, & postea dimiseris, clarescit uinum propter mel quod turbidum est in uino usq; ad fundum descendere facit, Quidam optime facientes tempore uindemiæ racemos recentes non pressos in magna quantitate in uase uersati uinum ponunt, ubi racemi pro matre sunt ipsi uino, nam racemi uersum reducūt ad debitam bonitatem & saporem, post aliquod tempus, hoc aūt sciendū quod antequam fiat aliquid de uino uersato transuasandum est. Quidam autē uersum uinum in grapsis de quibus recenter uinum est extractum iactatur, ut in eis clarescat, ibiq; dimittunt quantum expedit, quod si multum fuerit, non totū subito sed particulariter per uices successiue agendum est, ne calorem grapsarum extinguat, & ebullitionem qua clarificatur in totū prohibeat, & quāto minus mustum steterit in grapsis tanto fortius operatur. Palladius autem dicit, uinum ea die limpidum fieri atq; optimum, si grana piperis 10. pistacij 20. adiecto modico uini simul conteras, & sex uini sextarios mittas, diu ante omnibus commotis, tunc quiescere patiaris, coles, usui mox futurum. Item feculentum statim limpidum fieri, si 7. pini nucleos in uinum uini sextarium mittas, diuq; cōmoueas, & paululum cessare patiaris, mox sumere puritatem colariq; debere & in usum referri. Quidam autem clarificant cum nucleis persicorum. Alij autem cum solo claro ouorum & pauco sale. Vel secundum alios accipe lapides albos fluuij, & eos in clibano coque donec in eis crepaturæ incipiunt apparere, quo facto in puluerem subtilissimum deducantur, Item accipe salem album & conte re subtiliter, & in uase decem corbarū pone sex uncias pulueris lapidis, & quatuor salis, & in uas commiscendo immittas, & si pro quolibet corbe duo addide ris oua uel tria erit optimum, quod etiam de dictis lapidibus crudis subtilissime puluerizatis & sine sale fieri poterit, & hęc approbatissima sunt, & optimum est quod aliquid de melle addatur, nam mel rubeum albi uini restaurat colorē perditum, & omne mel est uiscosum & graue, atq; omnium liquorum conseruantium, quod si nimis fuerit turbidum plus de unoquoq; addatur, & hæc retinent fece turbulentiam ad fundum sui pondere, ut non possit sursum facile denuo ele uari, & nullo prorsus sapore uinum inficiunt. Si uero in tātum turbidū est quod efficiatur humidum & fluat ut oleum, calore naturali eius in toto extincto, nulla tanquam mortuo medicina potest ualere, si uero uinum non omnino extinctum rubeum habens colorem ruptum & croceum cum uino albatico uel cum alio multum rubicundo, aut cum lauatura corticū recētium uel siccarum uuę albę,

uel cum colatura seminum ebuli restaurabitur, & succus ipsorum seminum saporem uersati uini corrigit, & similiter mel rosatū. Idem etiam fieri poterit cū lauatura dictorum seminum siccatorum. Item optime clarificatur hoc modo in uase 20. corbium accipiatur 40. oua in aliquo uasa fracta cum manibus uel mundo grantello plurimum agitetur, deinde una communis parapsis tartari misceatur, & uino addito ponatur in uase, quo facto cum claua per uendonem in uasa posita fortissime agitatur, & pluribus uicibus de subtus per fesariam extrahat, & in uas iterum ponatur, cum uero clarificatum fuerit omnis turbulentia per spinam in costis & desubtus per fesariā extrahatur, & in uas iterum ponatur. Sed est sciendum quod in uino albo sola clara ponantur, in rubeo uero uitellum & clara, & in multum turbido plus de rebus apponitur. Item loco tartari optime sal ponitur, & tandem modicum aquæ fluminis in uase ponatur. Alij colligunt in uindemijs uuarum semina, quibus optime siccatis, & ex his facta farina manum plenam in quolibet corbe ponunt, & diligenter permiscent. Clarificari optime atque à sapore uersati liberari ab experto ualde dicitur, si in carario uase libra media aluminis de rosa clari & tantundum sacchari rosati cum libris octo mellis ponatur hoc modo, uel coquatur & optime dispumetur, quo refrigerato albumen ualde puluerizatum & saccharum dissolutum in eo permisceatur, & cratere uini in his commixto, cuncta ponantur in uase optime concissa pertica agitentur, & uas disclausum usque ad diem dimittatur sequentem, & in secunda die uel tertia clarum erit. Quod si ualde turbidum & putridum erit uinum, de unoquoque prædictorum plus aliquid ponatur. Ex acerbo autem maturum efficitur modo prædicto, quę res etiam uinum facit boni saporis, uel clarificabitur optime, ac fit purum & odoriferum hoc modo: accipe mediam libram de bono alumine rosæ, & mediam aluminis saccharini, & subtiliter pulueriza, & pone mediam unciam de prædictis pro quolibet corbe si est parum turbidum, si est turbidum multum, pone unam, & accipe unam libram casi albi & rubei, secundum quod est uinum uiginti & quatuor corbibus, & accipe plenam manum salis albi, & tria oua recentia pro quolibet corbe, & si uinum est album non ponas uitella ouorum, si est rubeum pone totum, quibus ouis fractis in aliquo uase & fortiter agitetur, & apposita in ipsis ouis una situla aquæ fontis uel putei, & iterum agitatis & supradictis appositis rebus etiam fortiter iterum agitetur, & in dictam uegetem 24. corbium positis & cum pertica scissa cum uino optimo in uegete agitatis & permixtis donec totum fuerit turbidum, & extrahendo desubtus per fecariā, in secunda die clarū erit, & usq; ad octo dies quolibet die unus ciathus extrahatur, & similiter per spinam inferiorem in costis ter in die tota turbulentia extrahatur, donec consumpta fuerit. Sciendum est tamen quod antequam fiant prędicta, transuasari debet in aliud uas, & à sua mala fece liberari, postea etiam clarificari, si parum fuerit cum colatorijs pannorum, ubi claretur & coletur.

Qualiter uinum album denigretur, & in alium colorem transmutatur. Cap. LX.

POstquam uinum album de sua uindemia in aliquod uas transmutaueris, & per unum diem residerit, in tinam ex qua uinum nigrum extractũ fuerit iacta, & post duos dies extrahas clarissimum & ualde rubeum. Item in eius uuis tot albæ, quod parum esset rubeum, uindemientur diuisim & in tina cum nigrę primo apponantur & albæ desuper, & totum nigrum erit. Palladius dicit uitibus hanc esse naturam, ut alba uel nigra si redigatur in cinerem uinoq; imponatur ei unamquamque formam sui coloris imponere. Candidum uero reddet ex rubeo ea ratione scilicet, ut combusti sarmenti cinis modij unius mensura mittatur in dolium, quod habebit amphoras decem, & triduo sic relictis cooperiatur, eritq; album uel nigrum quadringenta diebus exactis, uel rubificatur optime tempore uindemiarum, cum uuis quæ uocantur albaticę, & cum labruscis bene maturis cum steterint circa duodecim dies conquassatæ in aliquo uase si ponatur earum uinum nigrum in illud quod intendimus denigrare, & ex denigrato uino plures lauentur racemi dictę albaticæ uel labruscæ, & est optimus modus ad nigrandum uinum purum & mixtum in tinis, ut cum grapsi eleuati sunt super liquorem, quàm melius fieri potest premantur in eodem, & iterum bis fiat idem, & sic à corticibus uuarum nigrarum augetur. Rubificatur autem siue denigratur & clarificatur, & eius color mortuus reuiuiscit hoc modo, pro quolibet corbe accipiatur media libra seminum siccarum ebuli, & in uino calido mollificentur, deinde manibus uel cum pistorio pistentur, conterantur, & pluries cum uino lauentur cum ouis, tartaro & bono rubeo & sale mittatur, & agitatum seruetur.

Qualiter uinum de uno sapore mutetur in alium, Cap. XLI.

AD condiendum mustum Græci mustum decoctum ad medietatem uel tertiã partem musto adijciũt, suaue de duro fieri dicunt, si hordeacei pollinis ciathos duos simul cum uino subactos mittas in uini uasculo, hora una ibi esse patiaris, aliqui uini dulcis fecem admiscent, uel melius postquã unus currus uuarum positus in tina fuerit, mel liquefactum ad ignem in bona quantitate iactant, deinde quoque uuę in tina ponantur, quod si puluerẽ piperis melle miscueris potẽs fiet, & gariophilos addideris uel aliud odoriferum eorum acquiret odorem. Idem erit, si in musto sine grapsis bulliẽte ponatur uinum ad potandum suaue, sic dicunt fieri, fœniculi uel satureiæ singulorũ congruum modũ uino infundi ac turbari. Vinũ quoq; optimi odoris fieri intra paucos dies, si baccas myrti agrestis modo tanas siccas & tonsas mittas in cadũ ubi aliquot diebus saltẽ 10. requiescere patiaris & tũc coles & utaris. Flores etiã uitis arbustini collectas in umbra siccare curabis, tũc diligẽter tonsos & tectos herbis in uasculo nouo, et cũ uolueris tribus cadis unã florũ mensurã, quam asiriacã uocãt adijce, & doliũ superlinias & sexto uel septimo die aperies & utaris. Potest etiã recens

in paruissi-

in paruissimis manipulis ad funiculum ligare habentem in capite lapillum quo mergatur in uino, & tot diebus in uino suspensum teneri, donec ipsum odoriferum reddiderit, & non ultra, quia malo sapore inficeret uinum. Velut uetus effi ceret de nouo, si amigdala amara & absinthiū & pini gummi & fœnumgręcum simul fricas quantum sufficere extimabis, & pariter fundas, etiam ex his unum ciathum in amphoram mittas. Vinum quoque asserunt ex molli forte fieri sic, al theę folia uel radices aut eius caulem teneram decoctam mitte, aut gypsum aut ciceris cochlearia duo, aut cupressi pillulas tres, aut buxi folia quantum manus capit, aut semen appij & cinerem sarmentorum, cuius uis flammæ corpus relin quit exile cum soliditate detracta, & generaliter quocunq; tempore in acerbū uel forte uinum dulcissimum poni potest, & uinum acerbū in dulce. Si dulcedo displiceat & uinum nobile in ignobile & potēs in debili, quod si uis ei addere aliquem saporem extraneū, imponere potes, quod uoles ad filum ligatū cum paruo lapillo, & tentando gusta, & cum habet de sapore quod sufficiat, extrahere potes filum, & probatum est folium saporem optimum uino conferre.

Qualiter uinum & uasa liberentur à muffa, Caput XLII.

SI uinum muffam habeat uel aliam saporem malum, uitem albam cum radicibus suis accipe, & subtus botem infunde radices eius sub terra, ita quod ueniant radices eius recte ad foramen dolij desuper, & immerge ramos in uino palmo uno per foramen dolij desuper, ita quod tribus diebus ibi permaneant, & perdent illum malum odorem. Alij accipiunt uitem albam longam, & procurant quod ab uno capite infigatur, & in uase in loco spinæ secariæ, & flectatur ad terram, & super eam mergatur, ita quod stet firma, & aliud caput reuoluat̃ duobus uel tribus digitis supra terram, & uidebis quotidie per poros uitis albæ muffam exire, & sic minorabitur sapor muffæ. Ad idem fac unum panem panicij inter testas, & calidum pone super mufferos dolij. Item à muffa uinum curare fertur, si diebus pluribus pane candidissimo obturet̃, quod quidam dicunt totiens faciendum donec appositus panis nullatenus denigretur, uel accipiantur semina lauri, quę dicuntur orbata, & bulliāt cum uino, & ponantur in uase, hoc etiam modo dicuntur liberari uasa & uina, si uinum malo sapore inficitur, & ideo melius est, ut rami lauri bulliant in caldario uini, & in uase ponatur & misceatur uinum, rami uero simul uel diuisim ligati per uendonem suspendātur in uino, ibiq; diebus aliquibus dimittantur, donec uinum fuerit liberatum, deinde auferantur, & hoc modo non inficitur uinum à malo sapore. Item expertus sum, quod multa nespula acerba in quatuor uel pluribus cordulis incisa per coctionem, ut descendant in uinum, & ibi per quindecim diebus uel unum mensem dimissa, optime uas liberatur & uinum. Item curari fertur, si mane & sero manipulus saluiæ suspendatur in uase ne uinum contingat, extracta aqua lauetur foramine optime obturato. Item à

muffa uinum

muffa uinum curari fertur, si sacculus strictus plenus panico calido, in foramine dimittatur per uinum natans & aliquotiens permutetur. Item pro certo liberari dicitur, si accipitur manipulus herbæ, quæ uocatur morella, & in superiori parte cum corbula ligatum, in mane per uendonē in uase ponatur, taliter quod duobus digitis tantum descendat in uinum, & funiculo supra uas aliquod ligato ipsum uas optime obturatur, & sic per illum diem solummodo dimittatur, deinde de sero tollatur, & tantundem de recenti herba ponatur, ibiq; usq; in ortum solis diei sequentis dimittatur, & sic per tres uel quatuor uices fiat, & liberabitur uinum. Vel ponatur sacculus mundus lineus plenus sale uel gypso aut calce per uendonem cum funiculo ligatus, ut in medio uini descendat, & sic teneatur semper, & conferet. Vas muffa infectum hoc modo curatur, ponatur calx non extincta, scilicet una quartula in 12. corbium & uase bene stricto ponatur aqua uel uinum feruens in eo, & obturetur ne respiret, quo sic per aliquam horam dimisso, pluries reuoluatur, & aqua frigidata aperiatur & lauetur. Vel aliter zaniprus in caldario uini decoctus in uase cum feruenti uino ponatur, & fiat ut supra, & melius erit si utrunq; scilicet secundum post primum fiat, & optime sine dubio curabitur. Alij dicunt quod curatur sale in uase posito, & tribus mensibus ibidem contrahere moram, idem fiet cum calce uel gypso uel cinere. Vel liberabitur hoc modo, radatur optime uas interius cum gratusa in rimulis & gremis cum puncta cultelli, & ab omni nigredine & muffa mundetur, & ponatur in uase 10. corbium una quarterula cinerum sarmentorum, cum omnibus prunis suis, & plus si erit nimis infectum, & ducatur cinis cum prunis tunc per singulas partes uasis, deinde claudatur uas per uendonem, in eo ponatur aqua feruens & obturetur, & ad omnes partes reuoluetur, & sic dimittatur donec cinis & aqua infrigidata erunt, & tunc optime lauetur, ultimo rotetur, cum aqua calida bene salita. Eodem modo curatur tinacia, sed quia non possunt ita claudi, cooperiantur sextorijs & pannis, ut parum respirent. Item uinum & uas à peritis dicitur liberari à muffa si solum puluerizatum in subtili sacco positum per uēdonem in uase ponatur, ut in medio uini pluribus diebus moretur, & non inficitur malo sapore, & una uncia in uase quinque corbium sufficit. Item dicitur uas curari cum aceto fortissimo bullito, si ex eo lauetur & aliquantulum dimittatur. Alij dicunt, si fiat ignis palearum in eo curatur, uel forte melius curabitur cū igne sarmentorum. Conseruentur uasa à muffa si cum euacuata erunt usq; ad paruam uini quantitatem aperiantur extrahantur & optime siccentur, uel aqua salita uel uino rorentur, uel eo non extracto si fortiter obturentur, ne uini odor fumus exhalet, & quod in musto non obtinet, ut putatur, in uase audeat remanere.

Qualiter

Qualitar prouidetur ne uinum fiat acetum, & qualiter ab acetositate liberetur. Caput XLIII.

CInerem de uite alba pone in uino, & non fiet acetum, ut quidam dicũt. Melius tamen pręcauetur, ne fiat acetum, si teneat in cella frigida, plenis dolijs, & clausis optime ne respiret, quod si uas non est plenum, & est in loco calido, & de acetositate futura timetur, accipiatur frustum lardi grossi optimi, & in alba & subtili pecia lini ligetur, & ab uno capite ligato funiculo per uendonem imittatur, & in medium uentris uini descendat, & cum uinũ bibendo minuetur, ipsius lardi fiet descensus, & desuper uas claudetur, & si teneatur donec uinum cousumptũ fuerit, & quanto plus lardi fuerit, tanto melius pręseruabitur. Vt acetum mutetur in uinum in eum semen porri debere immitti oportet. Alij dicunt quod de acetositate iuuatur super uendonẽ frondibus uitis positis & sæpius permutatis, lapide semper aliquo superius existente. Alij dicunt, quod si oleum oliuæ ponatur in uase tantum quod operiat superficiem uini, optime ab acetositate defenditur, & cum ultima parte uini exibit oleum & potest colligi.

Qualiter fiat acetum, Cap. XLIIII.

ACetum fit hoc modo, ponatur bonum uinum ita quod semi plenum sit uas, & præcipue uinum dulce in loco calido, & in uase aceto infecto, & discooperto, & fiet acetũ. Item si ponas uinum clarum uel turbidum in grapsis unde sit uinum extractum, & paruam quãtitatem superaddis aceti, & dimittas per unum mensem uel amplius, optimum fiet acetum. Si uis cito facere, calefacies calibem uel lapidem ponatur ad solem per quatuor dies cum uino addito sale. Vel potes adhuc citius facere hoc modo, accipe quoduis uas & impla uino optimo, & bene oppila, & in caldario pleno aqua facias uas bullire diu, & statim acescit. Ad faciendum acetum fortissimum, accipe corna quando incipiunt rubescere, & centimora quæ nascuntur in campis quando similiter incipiunt tumefieri, & de pignolis sepium acerbis & pulueriza omnia subtiliter simul, & tunc accipe de meliori aceto quod inuenies, & distempera & cum puluere illo, ita quod facies panes bene desiccatos, & quando uoles facere acetum fortissimum de aliquo uino, si fuerit forte uinum pone unciam 1. & si fuerit debile ponas plus, secundum quod uidebitur tibi de illo pane & statim erit acetũ fortissimum, uel infra octo dies. Item dicunt experti ualde si grapsi uuarum uindemiarum tempore bene lauentur & à corticibus & omni immundicia purgentur, & modicum ad solem siccentur, & in aliquod uas ponantur, & medium impleatur, tantundem uini addatur, & desuper uas claudatur fiet fortissimum acetum, cui ut puto multum proderit si grapse prius madefiant aceto, & toto tempore poterit inde acetum extrahi & uinum addi. Si radices raphani siccentur & puluerizentur, & in uase ponentur fiet acetum statim. Item accipiatur acetosa & siccetur & puluerizetur, & ex eo cum forti aceto fiet panis & siccetur, & in uino ponatur

ponatur, statim fiet acetum, quod etiam in mensa fieri poterit, & idem dicitur de radice raphani.

De uirtutibus aceti, Cap. XLV.

ACetum frigidum & siccum est in secundo gradu, penetratiuam uirtutē habet, & diuisiuam ex sui substantia, & constrictiuā ex suis qualitatibus. Contra uomitū & fluxum sanguinis bulliant in aceto gallę uel rosæ uel similia. In tali aceto ponatur lana uel spongia, si sit uomitus, supra stomachū: si fluxus uentris supra renes & umbilicum. Sirupus acetosus qui fit de aceto, ualet ad simplicem tertianam & quotidianam de phlegmate salso, & ad omnes acutas febres si mane detur cum aqua calida, diuidit enim naturam cholericam, fiet autem sic: Saccharum debet resolui in aqua & aceto, & coquatur donec adhæreat taciæ. Item ualet contra omnem materiam calidam hic sirupus. Sic similiter fit de aceto quādoq; simplex, quandoq; compositum, simplex fit ex duabus partibus aceti & tertia mellis, compositum fit hoc modo, recipe radices appij, fœniculi & petroselini, & tere aliquantulum & per diem & noctem iaceant in aceto, & coque secundo simul, & postea cola & cum aceto pone mel ad tertiā partem, & coque ut supra. Scilliticum acetum sic fit, recipe scillam, & dimitte per diem & noctem in aceto stare, & coque & cola, & oportet interiora & exteriora abijci, & mediana admisceri, deinde admisce mel, & coque ut supra, si uero non habes scillam loco eius pone radices raphani, & similiter fac de eis. Datur oxymel simplex uel compositū contra frigidam naturam, sicut sirupus acetosus contra calidam, quia diuidit & digerit eam. Salsa ex aceto, saluia, petrosilino & menta & pipere, appetitum confortat. Item si carnes comedantur solummodo cum aceto appetitus confortatur. Idem uero acetum si inuenit stomachum plenum, laxat uentrem, si uero inueniat uacuum, tunc constipat. Idem ualet contra debilitatem ex ęgritudine, si in eo ponatur panis assus, & ex eo pane mollificato tingantur os & nares patientis, & uenę pulsatiles in brachio, & super ipsis uenis ligetur panis prædictus. Plus ad hoc ualet, panis intinctus in succo mentæ. Valet etiā acetū contra lethargū & phrenesim, sed fiat fricatio circa uolas manuū, & plantas pedū cum aceto & sale. Auicenna autem dicit, quod acetum etiā confert adustioni ignis, quando miscet᷑ cum uino olei aut cū oleo rosato. Et cōquassatur & infunditur in eo lana non abluta, & ponitur super caput confert sodæ calidę, & oris collutio ex eo ad idem ualet. Et proprie cum albumine oui confert medicinæ dentium, & uaporatio aceti calidi, confert difficultati auditus & acuit ipsum, & aperit oppilatiōes collaterales fortiter, & resoluit sonitū, & quandoq; bibitur calefactum post medicinas mortales confert ad membra.

De uino & uirtutibus eius, Cap. LXVI.

VInum secundum Isaac, bonum dat corpori sanitatem, & si accipiatur secundum quod oportet quātum ualet natura sufferre, uirtutem digestiuam confortat, tam in stomacho quàm in epate, quia impossibile est

uirtute actionem digestiuã confortari absq; calore, qui est naturalis uirtutis cõfortatiuus & augmentatiuus fortitudinis, nullus autem inuenitur cibus aut potus adeò naturalis uirtutis confortatiuus & augmentatiuus ut uinum propter familiaritatis consortium, quod cum natura habet, & ideo cito cõuertitur in naturalem & mundissimum sanguinem, unde uinum non solum naturalem confortat calorem, uerumetiam clarificat turbidum sanguinem: aditus corporis maxime uenarũ aperit & clarificat, epatis oppilationem aufert, & aperit tenebrosam fumositatem, tristitiam generatam à corde repellit, totiusq; corporis membra cõfortat. Et non solum eius bonitas in corpore ostenditur, sed etiam in anima, facit enim illam obliuisci tristitiam & angustiam, & dat ei lęticiam, & confortat eã ad inuestigandam subtilem rem, eiq; tribuit audaciam, neque ab ea sentiri dolorem neque laborem permittit. Est igitur conueniens omnibus ætatibus, temporibus & regionibus, cum sumptum fuerit secundum uim & consuetudinem bibentis, & secundum quod natura ferrè potest. Actio enim uini non eodem modo operatur in senibus, iuuenibus, & adolescentibus, & pueris. In senibus est secundum medicinam, quia calor uini eorum frigiditati repugnat: iuuenibus uero est secundum cibum, quia natura eius est similis naturę iuuenis: adolescentibus uero & pueris est cibus & medicina, quia licet calor eorum naturalis sit fortis, substantialiter tamen non dicitur esse in perfectione propter abundantiam humiditatis eorum, proinde uinum naturali calori eorum dat augmentum & nntrimentum, & eorum desiccat humiditatem, unde est medicina. Præterea sciendum est quod in hyeme & frigida regione conuenit uinum purum, in æstate uero calidaq; regione uinum non uinosum multumq; commixtum necessario congruit, cum corpora refrigat & humectat per aquam quæ ei est mixta, repugnat etiam aëreo calori, ne calida & sicca faciat corpora, & perducat uelociter cibum cum sui subtilitate ad totius corporis membra. Est igitur contra duas causas contrarias iuuãtium, calefacit enim corpora frigida, & siccat humida naturaliter, infrigidat calida & humectat sicca accidẽtaliter, quia cum sui subtilitate & perforatione aquam ad membra portat, quando necesse habent refrigerari & humectari. Diuersitas uini generaliter est triplex, recens scilicet unius anni, uetus quatuor annorum, & ultra, mediocre duorum annorum uel trium. Recens uero calidum est in primo gradu, unde utili frigiditati & humiditati, idcirco est cæteris nutribilius, malosq; generat humores, inoppinata somnia, uentositates stomachi & intestinorum. Vnde tale uinum quodcunq; recens fuerit, non habet uim ducendi cibum per corpus, neq; urinam prouocandi, oportet igitur frigidas & humidas habentes naturas illud cauere, ideoq; si necessitas fuerit eligatur uinum clarissimum aquosum, diu à torculari expressum. Vetus autem uinum calidum & siccũ est in quarto gradu, uinum huiusmodi habet quandam amaritudinẽ, parum nutrit, caput scito ascendit, & mentem percutit pro sui punctionis acumine, maxime si ex eo multum bibatur & ei parum aque misceatur,

ſceatur, propter hoc ergo caueant illud debiles neruos habentes, & qui ſenſus acutos habent magnum eius nocumentum pręſtat, niſi multam in ſuis corporibus humiditatem habeant, quę ei reſiſtat, unde Gal. multum eſt, inquit, uinū uetus conueniens his, in quorum uaſis multitudo humorum crudorum eſt accumulata. Vinum mediocre eſt bonum, utpote temperatum, & hoc eſt calidū & ſiccum in ſecundo gradu, proinde huiuſmodi uinum eligatur, & antiquiſſimum ſpernatur, ſimiliter nouum uitetur, quod ab ebulitione non quieuerit, nec terreſtre ad locum ſuum naturalem deſcenderit, nec quod eſt aëreum ad locum ſuum, id eſt quod ad ſuperiora aſcendit, nec liquor eius mundificatus & lucidiſſimus apparet. Pręterea ſciendum eſt, quod color, ſapor, odor & liquor, debilitas & fortitudo diuerſificant uinum in eius qualitate & actione. Et color quidā generaliter quadruplex eſt, albus & niger, qui ſunt ſimplices, rubeus & amœnus, qui ſunt ex his compoſiti. Sunt & alij colores inter hos ſcilicet glaucus & roſeus, qui ſunt inter rubeum & album, & pallidus & ſubpallidus, qui ſunt inter aureum & citrinum. Qui omnes hoc modo generantur: Vinum quoq; de albis uuis factum primo eſt album pro aquoſitate & cruditate & defectione ſui coloris naturalis, ſed cum aliquantulum inueterauerit, ut unum annum tranſierit, color eius confortatur, & ipſius humiditas minuitur, fitq; coloris ſubalbidi, quod ſi plus inueterauerit, ut duos tranſeat annos multoplus calor eius cōfortatur, eiusq; humiditas minuitur, fitq; color eius pallidus, quod ſi plus fiat uetus, ut quatuor annos excedat, ſuamq; digeſtionem compleat, & naturalis caliditas in ſtatum uenerit colorem habebit rubedini uicinum. Cumq; uinum tranſierit unum annum confortatē color & digeſtio eius, & fit roſei coloris, & ſi duos annos tranſeat, & ſuam digeſtionem compleat & uirtutem, ruſum habebit colorem. Quod ſi uinum fuerit ex uuis nigris in initio eſt nigerrimum & obſcurum, propter terreſtrem partem ſibi dominantem, & defectionem ſui caloris & digeſtionis. Quod ſi uinum tranſierit annum, eiusq; calor & digeſtio confortatur, & deſcendit terrenum ad locum ſuum, & maxime clarificatur, fit inter rubeum & nigrum mediocre. Si autem tranſierit annos duos, & eius calor compleuerit completionem & digeſtionem, & deſcendat terreſtre ad inferiora, & clarificatum ſit, fit rubei coloris. Palàm ergo intelligimus uinum albū & nigrū minus cæteris apta, ſed album magis quàm nigrum humiditatis & aquoſitatis habet, nigrū uero terreſtreitatis & groſſitiei. Diuerſitas uini eſt propter ſaporem, quia aliud eſt dulce, aliud ponticum ſiue acerbum, aliud inſipidum, aliud forte. Dulce calidum eſt in ſecundo gradu, ſiccum in primo, aliquantulum humiditatis habet, unde eſt groſſum & illaudabile in ſua actione, niſi quia uentrem ſoluit, quia in omni re dulci eſt uis laxatiua & colatiua, quod uinum ſi aliquid in uenerit, quod ſuæ actioni ſit contrarium, & cohibetur adherendum ſibi, & caleſit & bulit, aſcenditq; ad ſuperiorem partem ſtomachi, & in cholericos humores conuertitur, ſitim generat & uentoſitatem inflatiuam, oppilationem ſple-

nis & epatis, & lapidem in renibus creat, ac maximè si membra in talibus passionibus præparata inuenerit, aut digestiuam uirtutem debilem. Propter hoc caueant illud ij quibus grossa & humida natura dominatur, sua enim grossitie facile subtiles uenas oppilat epatis, sed pulmoni non nocet, quia non transit ad eum, nisi quod de ipso est subtilius, quia uenas pulmonis quę ualde latæ sunt oppilare nō potest. Sed cum uinum dulce ruborem & claritatem habens bibitū fuerit quantum oportet & secundū quod naturæ sufficit, conueniens est ab ægritudine exeuntibus, & quibus necessaria est multitudo nutrimenti. Ponticū uero uinū quod acerbum dicitur, durius, clarius & grauius est tardiusq́ꝫ digeritur, uenas quoqꝫ difficilius permeat quàm dulce, quia dulce calidius est, & acceptabiliorem habet saporem, unde difficile est ad perforandas uenas, neque digestionem neqꝫ sudorem prouocat, non ergo bonum sanguinem generat, uentrem & intestina cōfortat. Vinum autem insipidum melius est pontico, quia temperatū est ad comparationem pontici, unde congruit calidas complexiones habentibus, maxime stomacho, parum tamen nutrit, citoq́ꝫ urinam eijcit. Vinum fortissimum est cunctis calidius, & fortioris actionis, citoq́ꝫ caput ascendit, & bullire & feruere facit corporis humiditatē. Vnde fumus ascendens à stomacho nocet cerebro, mentemq́ꝫ percutit, necesse est ergo ut illud caueant calidas complexiones habētes, nisi multum fuerit commixtum, & quantū oportet & decet accipiatur, & secundum quod conuenit ætatibus, regionibus & consuetudinibus laudabilius, quia grossos humores dissoluit, & uias uenarum à putredine mundificat, atqꝫ sanguinem clarificat, senibus autem & qui eorum ætatibus uiciātur propter superfluitatum coadunationem in eorum corporibus est huiusmodi uinum oportunum, maxime si puritati fuerit uicinum, quia eorum calorem confortat crudorumq́ꝫ humorum abundantiam dissoluit, conuenit enim his quibus grossi humores & crudi collecti fuerint. Diuersitas uini propter liquorē est, quia aut subtile aquosum, aut terestre grossum, aut mediocre: uinum autem subtile aquosum semper inuenitur cum albedine & claritate, unde facile in stomacho digeritur & uenas perforat, urinam prouocat, ideoq́ꝫ est utile febricitantibus quia non fortiter calefacit, neqꝫ mentem percutit, nullum etiam cerebro uel neruo nocumentū infert, & si mixtum non fuerit erit melius, maxime ad extenuandam sitim. Vinum terrestre & grossum oppositum est subtili aquoso, unde stomachū grauat, quia durum est ad digestionem faciendam, & difficile ad perforādum uenas, urinam non prouocat & tarde ad caput ascēdit propter sui grauedinem & duritiem, & idcirco facit ebrietatem facile. Item uinum quoddam est odoriferum, quod cito sensum odorabilem in pellicula cerebri stantem perforat, propter sui leuitatem. Quoddam est nullius odoris, & propter grossitiem & grauitatem sui, & quoddam est horribilem habens odorem. Vinum odoriferum suum significat liquorem temperatum esse & subtilem ab omni sorde mundificatum, penitusq́ꝫ digestum, unde clarum sanguinem generat, laudabilem & mundū, cordisq́ꝫ con

fortatiuum

fortatiuum est, animamq; lætificat, tristitiam & angustiam expellit, quoniã mũdificat sanguinem à putredine in corde existentem, propterea huiusmodi uinũ omnibus ætatibus & complexionibus conueniens est, & sic accipiatur secundũ quod oportet & secundum quod natura sustinet. Præterea mutat uitium animę in uirtutem, quia auertit eam ab impietate in pietatem, ab auaritia in largitatem, à superbia in humilitatem, à pigritia ad alacritatem, de timore ad audaciam, ab ignauia ad facundiam, astutiã & ingenium: sed hoc fit cum tẽperate prout oportet bibitur, sed si usq; ad ebrietatem potetur, generabitur supradictis cõtrarium, quia ebrietas rationalis animę lumẽ extinguit, unde permanet caput ut nauis in mari sine gubernatione, & militia sine rectore. Vinum uero nullius odoris innuit suę fumositatis grossitiem & grauitatem & indigestibilitatem, idcirco nullius est nutrimenti, & turbidum & grossum sanguinem generat, & fumum turbidum & obscurum, quare fit causa tristitię, sed non cito caput ascendit. Vinum autem grauem & horribilem odorem habens, pessimũ est, nam sui odoris horribilitate & grauitate cerebro nocet, & mentem percutit, & neruis cerebriq; pelliculis læsionem infert, & pessimum sanguinem, & maxime si est ponticum.

PET. DE CRESCENTIIS DE ARBORVM NATVRA ET DE VTILITATE fructuum ipsarum, LIB. V.



SVperius in libro secundo multa de arboribus generaliter dixi, cum de natura plantarum & cuiuslibet generis agrorum cultu communi sermone locutus fui. Nunc autem in hoc libro quinto specialiter de singulis arboribus est tractandum, uerum quia quædam sunt ipsis communia, quędam propria, primo generaliter loquar de omni cultu sermone communi, postea uero dicetur de cultu singularum arborum, quę in nostris inueniuntur regionibus, secundum ordinem alphabeti, ut facilius uniuscuiusq; tractatus inueniatur, & primo de fructiferis latius, ultimo uero de infructiferis & earũ utilitatibus breuiter pertrãsire intẽdo. Dicam itaque de fructiferis quot sunt, & de diuersitatibus earum, & qualẽ terram desiderant, qualiter plantantur, & quando, qualiterq; inserantur, & qualiter colantur, & qualiter seruentur seu formentur, & qualiter à nocumentis liberentur. Item de fructibus earum qualiter colligantur, & quando & qualiter seruari possint, & quod ex eis fieri potest, & de uirtutibus quas habent in corporibus humanis.

De arboribus in communi, Cap. I.

DEscriptiones arborum & diuersitates earum narrare in communi non expedit, quia satis unicuiq; notæ sunt in regione propria, & per singu lares earum tractatus inuenitur, aërem uero quędã calidum ualde desi derant, ut piper & palma, quædam frigidum ut castaneæ, plurimæ uero tempe ratum ut ferè omnes, quædam in omni aëre uiuunt, ut malus, pirus, & quædam aliæ, & quædam desiderant terram ualde pinguem, ut morus & ficus & simi les, quędam macram & sabulosam, ut palma & pinus. In hoc tamen omnes ar bores conueniunt, quod desiderãt terram in superficie siccam, in uisceribus hu mectam, ad quam dirigantur radices earum, magna quippe corpora arborum multum desiderant cibum, præcipue corpora domesticarum, quarum fructus ex magnis & pluribus singulis desiderant annis. Qualiter autem plantentur, & quando & qualiter inserantur sufficienter dictum est in libro secundo. Co lendæ sunt hoc modo: circa autumnum oportet fodere terram circa eas us que ad denudationem radicum, & aliquid imponi lætaminis, ut hoc ipsum ab laqueatis arboribus per pluuiæ fluxum radicibus apportetur. Quod si nimium sabulosa est terra, conuenienter recipiat terram uel cretãm pinguedinem. Et si nimis cretosa est, eidem sabulum loco simi ponatur. Hęc autem non solum sti piti apponenda, sed tribus quatuor uel quinq; pedibus circunquaq; secundum magnitudinem arborum & radicum, & cum terra quę ibi primo fuerat cõgrue misceatur, quod si hoc usq; ad extensionem radicũ fieret sine dubio plurimũ ar bori iuuamen afferret, ex his enim emendato nutrimẽto nitidior efficiet arbor, & redit ad ipsam aliquid iuuentutis ex tali cibo, propter quod in loco inter du as aquas sito proueniunt arbores, aut in loco qui est supra riuos, & talium arbo rum planior & subtilior est cortex, & rami magis confortati & exaltati quã alia rum. In loco etiam decliui ad quem fluit humor de montibus & pinguedo, pro pter similẽ humoris abundantiã, nam in uallis uisceribus optime colit ager con situs, & nobilitat arbores locus talis. Si autem aliud habere non posset pro cãna le inducatur riuus, qui quaudoq; clausus ad radices arborum inundet, & reddat terræ uiscera humecta. Sin autem & hæc fieri apte non possint, neq; terra sit bo na, proueniunt arbores cito spissos & hispidos habentes cortices, quia sua spissi tudine incrementum & fructum arborum impediunt. Formandæ sunt arbores ut antequam plantentur siquidem parua fuerit planta ab ea omnes circunstan tes rescindantur ramusculi, & sola summitate relicta ponatur in scrobem. Si ue ro magna sit planta ab ea omnibus prorsus amputatis ramis & solo stipite eidẽ relicto, plantetur. Si uero fuerit insita, quę duos habet stipites debilior aufera tur, ut lętior relictus solus in arborem erigatur, nisi sit forsan ficus uel malus pu nicus uel similis, quæ potest unum uel duos uel plures habere cõmode stipites, pro domini uoluntate. Cum planta uero comprehenderit usque ad trienni um non

um non putetur, nisi forsan loco incongruo nascerentur in ea ramusculi adeò læti quod summitati eius optatum augmentū nutrimenta subducant, quo casu tales, relictis cęteris, tanquam totius arboris inimici tollantur: post pręnarratam ætatem putentur quæcunque in parte stipitis natæ erunt, uel minus secundum naturam arboris, & pinguedinem uel macredinem, ut in pingui solo altius, in exili depressius erigatur, ibi ramorum diuisio in partes congruas procuretur. Si stipes sursum directus non perrexerit, pertica cum uinculis corrigatur, & si diuisus supra truncum in partes non fecerit ramum, cuius summitas sursum directa cœlum aspiciat, idoneorum sensim leuetur in altum, & directę perticæ alligetur. Quod si commode fieri poterit, nihil utilius erit quàm plantā pręscindere ubi conueniens ramus nasci speratur, ut cum natus erit & conualuerit leuibus uinculis alligetur, ut quod sponte noluit faciat iusticia uiolenta coactus, deinde per tempora ubi rami nimium spissi aut scabri aut non conuenientibus nascantur locis, duris & acutis ferramentis ab arbore rescindantur, & si aliquā cœli plagam deserentes ad quasdam se conspirantes contulerint, à prauo proposito reuocati desertum locum inhabitare cogantur. Si uero superbiēs humor per latera non diffundēs ramos in altum extulerit, in eo rescindatur loco ubi fragra sint conuenientius processura. Sic ergo ab adolescentia eius usque ad debitum complementum procuretur sollicite ut stipes in ramos, & rami in uirgas & uirgæ in fragra fructifera diuidantur. Deinde cum minorata uirtute aut succedente senescentis arboris impotentia pondere fructuum rami rumpūtur, aut humore deficiente arescunt, & alternis tantum proferantur annis, amputetᷓ ab ea omne ramorū superfluū & importabile pondus, ut non totus humor necessario sed pars potius in substantiā conuertatᷓ ramorum, & alia nutrimento fructuū ne pereant tribuatur. Considerare tamen oportet quantitatem nutrimenti sufficiens quod potest pręstare locus generationis arborū, in ea enim proportione oportet defalcari de uirgis & ramis ut non relinquātur nisi tot quot nutrimentū sufficiens possit ex loco. Si autem ita non fiat, erunt arbores intermissis annis ferētes fructus, & non satis facient cultori ad uotum. Dictæ aūt putationes & formationes fieri possunt à principio Nouembris usq; ad finē Martij, ut naturalis & magis proprie loquar, à tempore casus foliorū, (excepto tēpore frigoris maioris) usque quo incipiūt pullulare. Accidit quādoq; nouellis plantis ut quasi arescāt, propter uehementē intemperantiā est solis, quibus subuenire oportet fossione atq; irrigatione frequenti, obiectis etiam defendantur umbraculis, & straminibus ligatis ad plantam, uel luxuriosis frōdibus & herbis, uel uiscosa emplastrentur argilla, uel seuo aut oleo, uel unguento frigido cortices liniantur australes. Formicæ præterea plantam insitam teneram conualescētem inuadere cōsueuerunt, & in frondibus quibusdā ab eis generatis uermiculis folia contrahere, ramusculorū etiam impedire augmentū, cui subueniendum est intercisis folijs, quę læsa & contracta perspicis, à uermiculis diligenter manuum, seu digitorum

constrictione purgentur: quo facto, ab eis importunis hostibus plantula liberata in altum tuta conscendit. Et ut plantis paruis uel magnis, aut etiam fructuū lectoribus ascendentes formicę præfatam aut aliam non inferant læsionem eisdē, ne rursum repetere possint, tale obstaculum faciamus, succum portulacæ cum aceti media parte permixtum præcepit Palladius debere infundi, uel uini fecibus truncum arboris illiniri, aut rubrica cum pice liquida, sed moderate pro arboris robore, ne idem quod pro remedio exhibitum est fiat uenenum. Vel quod puto melius, uellus lanę aut lini uel fœni aut paleæ quantitas circa stipitē in altiori dictarum parte ligetur, in inferiori sparsim, & quasi pectinata pendente. Vel fiat uas figuli rotundum & latum, in cuius medio sit amplum foramen per quod planta figatur, sitq; ut aquā undique possit sine effusione tenere, ut ad plantam formicę accedere non possint, sic enim earum nociuus exercitus à solito impeditus ascensu inuitus ab arbore deuiabit. Alij dicunt, quod si arbor cordula siriaca oleo uncta cingatur, prohibetur formicarum ascensus. Prę omnibus autem cauendum est ab animalium ingressu, quia illa plurimumq; plantas rodunt, ex quo planta plurimum contristatur & quandoq; arescit, aut nimis nodosa efficitur, ita quod substantiam eius crescere impedit, & fructificare nō permittit. Quod si est in tali loco quod ab ingressu animalium defendi non possit, affixo eodem congruo palo spinis pungentibus muniatur. Contra impulsus & rabiem uentorum, quibus nouellæ insitiones & maxime in locis eminentibus factæ facile dissipantur, unicuique uirgæ insitæ conueniens adminiculum spissis uinculis alligetur, & si facta fuerit insitio scisso trunco, duplici uinculo cum adminiculis relinquatur æstate. Surculum uero inter corticem lignumq; depositum oportet triennio sub adminiculorum custodia remanere. Oportet autem in omni arbore attendere, ne spuria in arbore nata, aut ex radicibus iuxta stipitem erumpentia permittantur, quoniam illorum nutrimentum subtrahitur arbori, & cum conualuerit & multiplicata fuerint arescit arbor, primum quidem in ramis, postea uero in stipite, oportet igitur talia in principijs amputare, amputanda etiam sunt in ramis quæcunque in uirgis aruerint. Accidit etiam plurimum arboribus, quod humor superfluus indigestus expellitur ad corticem, ut ad cutem in hominibus & animalibus, idq; plurimnm uidemus, cuius putrefactio uermes generat, qui arboris salutem nequiter prosequuntur, ideoque cum in aliqua parte stipitis corticem tumefieri uides, illico locum scinde, ut inde uirus noxium elabatur. Quod si iam uermes creauerit, unco ferreo curabis auferre, si uero perpenderis in plurimis locis humores indigestos, & uides corticem uitiari, pręstat in quibusdam scindi locis ab alto stipitis usque ad ircium, ut putrescentia in ipsa durescant. Si languida est arbor, ut fructus uermiculosos aut lapidosi generis ferat, uitio forsan humoris, à malitia qualitatis terrę prodeūtis, sublata terra circa partem radicum, alia melioris addatur saporis, & perforato circa terram stipite, cuneus ex quercu foramini imprimatur seu infigatur,
quod

quod etiam agendum puto, cum in arbore adeò nutrimentum abundat, quod calor naturalis eiusdem quasi extinctus diminuta digestione succum inspirare ad debitam fructuum generationem nõ potest, ideoq; luxuriare cogitur in multitudine foliorum. Sed nascuntur super arbores aliæ plantæ capillares, uirides, studium autẽ est radere aliquid de hispiditate corticis, & deponere uiridia desuper nata, & sæpius stercorare radices maiores, & inscindere eas bene apte & imponere lapidem in scissuram, ut melius attrahendo possint restaurare tempore humido sitim quàm ex ariditate agri patiuntur. Si autem terra nimis conculcata est, aut magnas habeat herbas, & profundas radices habentes plurimũ generat impedimentum, consolidata enim terra non permittit ad radices descendere humorem, & sua compressione implet & obturat poros radicum & extrahere nutrimentum non potest, impedit etiam euaporationem, quæ ab inferioribus fit ad radices pertingere, eo quod uaporis debilis calor tantam uirtutem spissitudinis loci penetrare non ualet. Huic autem impedimento fossione succurritur, non aratione, quoniam aratri continnus sulcus multam infert radicibus læsionem. Herbę autem magnæ quæ radicibus usque ad ima pertingunt, præripiunt nutrimenta arboribus, eo quod habent radices molliores & rariores quàm arbores, & ideo citius attrahunt nutrimentum. Oportet igitur eradicare illas, & radicitus euelli, sed forte quia loco denudato penitus ab herbis indelectabilis nimis efficitur, dimitti possunt gramina subtilia, sicut fila illa quæ non nisi de suprema superficie nutrimentum trahunt. Horum igitur graminum nocumentum, aut omnino nullum est, aut non tantum de quo sit curandũ. Plurimum autem nocet erucarum genus, folia & quicquid uiriditatis in eis est corrodens, & flores dissipans, ut omnino fructus pereat. Igitur in Decembri Ianuario & Februario ipsorum oua quę super ramusculis sunt quibusdã telis inuoluta, priusquã nascant̃ optime colligantur, & igne crementur, quia conculcatione aut concussione uix omnia deleri possunt, sed ignis cuncta cõsumit. Accidit etiam plerunq; piris in decrepita ętate, ut duritie corticis radicum attrahere nutrimentum non possunt sufficiens ad nutrimentum ramorum arborum & fructuum, quare sequitur ut alternis aut rarioribus annis ferant fructum, scindantur ergo per medium grossiores radices arboris, & inscissura ne claudi possint fluuiales immittant̃ lapilli, ut humor sufficienter digestus, qui per compactum corticem subintrare non poterat, per scissuram aperti ingrediatur meatus. Ramorũ etiã superfluus adeò minuat̃ numerus, qđ succus attractus sufficere possit nutrimẽto fructuũ & ramorũ. Arboribus ergo prędictis modis excultis, si ager est nimis humidus, proferent arbores fructus uermiculosos, eo quod humidum cõceptũ indigestũ putrescit interius, à qua putredine cum subtile humidũ uaporare incipit, animal de genere uermiũ procreat̃, quod postea arboris fructum corrodit, & inutilem reddit, cuius signum est, quod semper in loco seminis ubi subtilior est humor uermis generatur, oportet igitur (si possibile est) ut proportiona-

proportionabiliter exiccetur locus, ut plantę non ultra modum cibentur, si autem forte faciliter fieri non poterit, perforentur stipites arboris iuxta terrã, ubi ad stipitem uniuntur radices maiores, ut per foramen illud stilletur humor superfluus, & tunc curabuntur fructus. Si autem ecõtrario aridus est locus & exilis, ita quod cultu curari uix potest, arbores efficientur spinosæ, & fructus afferent paruos & acidos, & ideo à talibus locis plantæ excidendæ sunt. Fructus colligentur sine ramorum fractura, & colligentis euitatio casu pręcipiti in arboribus, quorum fructus perticis non excutiuntur, si rami altiores debiles sint congruis funibus cum fortioribus alligentur, inferiores uero longis secundũ quod sufficiat, scalionibus ligentur cum uncino ferreo bene firmante ab utroq; capite, cuius unum caput ad ramum inferiorem debilem colligendum ponatur, aliud uero ad superiorem ramum fortem ubi melius aptabitur & confirmetur. Leguntur autem fructus & præcipue pira diuersis temporibus secundum diuersitatem maturationis eorum, hac consideratione adhibita, ut hi qui tempore maturantur æstiuo, tunc legantur cum odore, sapore & colore sibi attributis maturitatem fatentur, qui si aliquantulum ante legantur uidelicet cum prima indicia maturitatis apparuerint diebus pluribus seruabuntur ad usum, quam hij qui fuerunt ultima maturatione collecti, qui uero in fine maturantur autumni ad usum ueris uel saltem hyemis seruaturi Octobri mense legantur, sereno & sicco tempore existente, cum luna sui fulgoris minuta potitur ætate. Et hæc de arboribus in commune dixisse sufficiat.

De Amygdalo.

AMygdalus est arbor satis nota, & eius quidem diuersitates in fructu duę sunt, quoniam quędam faciunt fructus dulces, quædam amaros: dulces usui hominum in cibo competunt, amari quia sunt calidores magis cõpetunt usui medicinæ. Item quædam sunt grossum & durũ ualde habentes corticem, & quædam subtilem amant aërem calidissimũ, licet in temperato proueniant, in terris calidis multũ fructũ ferunt, propter abundantiam sui humoris, ut ait Albertus. In terris autem frigidis inspissatus est succus eius, ita quod fructui non est habilis. Et ideo in terris multum frigidis natus, aut omnino perit, aut parum uel nihil fructificat, & fructus eius non diu durat. Sed in hoc genere nil utilius est quàm seminarium facere, formemus seu fodiemus ergo altam secundum Palladium sesquipede aream, uel secundum Albertum duobus pedibus, mihi autem unius pedis fossio satis sufficiens esse uidetur, deinde in ipsa area seu seminario obruemus amygdala non amplius quatuor digitorum, ita quod cacumina figamus in terrã, spacio inter se binorũ pedũ, uel unius solũmodo separata. Sed ipsa amygdala ad ponendũ grandia legamus, & noua nõ nimis grossam testã habentia, quæ antequã ponamus in mulsa maceremus multũ aquata, ne germẽ extinguat ex multo melle mordacitas. Alij eas nuces prius liquido fimo per

simo per triduum macerant, demum die ac nocte eas stare patiuntur in mulsa, sed quę suspitionem tantum possit habere dulcedinis. Terra autē seminarij debet habere lętamen admixtum, cui etiam multum proderit si sabulū admisceatur, ut terra sit soluta & mollis. Cum uero in seminario disposita erunt, si siccitas interuenerit, ter in mense conuenienti aqua rigemus, herbis circumstātibus sępe purgantes. Est autem diligentis cultoris unicuiq; nuci eius positæ signū paruum infigere, ut seminarium sine lęsione germinum antequam supra terram emittat uel emineat fodi possit. Proderit etiā multo seminario si antequam in eo ponatur amygdala terra noua quæ subtus fuerat desuper eleuet, & optime puluerizata semina recipiat. Cum in seminario adoleuerit duobus annis elapsis prędictis mensibus transferantur ad locum ubi perpetuo stare debent. Statuendæ autem sunt ut ad meridiem spectent uiginti aut quindecim pedibus ab inuicem separatę. Inseritur mense Decembri & Ianuario & locis frigidis Februario. Si surculos colligis & condas antequam germinent, utiles autem sunt qui de summitate sumuntur, sub cortice inseruntur & in trunco, in se, in persico & in pruno. Sed eius insitio non est ita utilis, ut satio, ut ait Albertus. Primo anno quo plantatur ut optime conualescat à mense Februario usque ad Octobrem singulis circumfodiatur mensibus, & herbis iam nascentibus liberentur, uel quater ad minus dicto tempore cum terra non nimis mollis est, ut in puluerē aliquid humoris habentem conuertatur, & imbres accipere possit, quia conculcata nimium terra denegat humorem. Tempore autem florum non fodiantur, quia flos eius facile fossura excutitur, ut idem dicit, si terra eius macra fuerit in autumno effosa lætamen accipiat, si nimium sabulosa, lapides uel lætamen & cretam accipiat. Formari autem debet, ut supra dixi, cum in communi de formatione arborum locutus fui. Sit autem uno solo stipite contenta, qui primos ramos à sex pedibus usque ad octo uel decem erigatur à terra usq; ad primos ramos. Eidem multa nocumenta emergunt, quę alijs arboribus pluribus eueniunt & earum cura superius est sufficienter inserta. Præterea accidit eis si rodantur quod fiunt fructus earum amari, ideò plurimum sunt à pecore seruandæ. Item cum timetur ne pluuia seu pruina lædantur, nudentur radices earū antequam floreant, ut Martialis asserit. Albertus uero addit, quod lapidibus albis paruis cum arena grossa operiantᷣ. Et si de pruina non timetᷣ submoueatur arena & reponatur humus. Teneras nuces creare dicit Palladius Martialē asseruisse, si ante florem radicibus ablaqueatis aqua calida per dies aliquot infundatur. Ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite tribus digitis fiat à radice cauerna, per quā noxius humor exudet, uel medius terebretᷣ trūcus, & melle ligni cuneus oblinitus imprimatᷣ, uel si etiā circa radices ouis stercus aut parui suis infundas, ut Palladius ait. Infixos clauos plurimū iuuatᷣ fructus, & maxime si aurei sunt, ut ait Albertus. Si nō feraces uero sunt tedę cuneum terebrata radice immergamus seu iungamus, uel si silicē inseramus, ut cortice tegēte claudatᷣ. Hęc

arbor hoc

arbor hoc habet proprium quod in senectute plus fructificat, eo quod humor eius tunc à calore non exiccetur, sicut in iuuentute. Fructus eius colligũtur per ticis excussi cum maturi sint, licet acerbi & adhuc teneri appetentur à mulieribus & maxime pregnantibus cum multa auiditate. Matura autem sunt amygdala cum cortex extra testam existens apertus separatur ab ea, decoriata autem si aqua salsa lauentur candida fiunt & duratura, sed & sine aliqua industria uel cura seruantur in longum, si fuerint exiccata. Si difficulter corium amittant, paleis obruta, continuo relaxabunt. Ex uirgis amygdalis fiunt optimæ uirgę clauorum quibus utuntur milites. Item ex stipite earum iuxta radices fiunt fortissimi mallei ad scindẽda ligna. Amygdala dulcia calida sunt, in medio primi gradus. uiridia teneriora & laudabiliora sunt quàm sicca, propter earum humiditatem, idcirco si sicca in aqua calida una nocte excorticata iacent, fiunt in actione uiridibus uicina. Et si uiridia priusquam habeant aperturam edantur gingiuas confortant, & stomachi dolorem uel calorem refrigerant. Dioscorides confirmat, & addit quod caput grauant, caliginem nutriunt, uenerem accendunt, somnũ faciunt, & ebrietati resistunt. Amygdala amara calida est & sicca in secũdo gradu, ualet contra astma & tussim ex frigiditate cum saccharo ad reprimendũ earum amaritudinem. Oleum ipsarum ualet contra surditatem & saniem in auribus immissum. Item ualet contra lumbricos cum farina lupinorum super umbilicum posita. Idem ualet ad menstrua prouocanda cum triphora magna suppositorium factum. Auicenna dicit, quod amygdala amara sua proprietate interficiunt uulpem, si cum aliquo cibo comedantur ab eo. Item conferunt posita super panum, contra lentigines, cicatrices & percussiones, & applanant cõtritionem faciei, & cum radix coquitur & linitur super panum est medicina fortis. Et cortex & folia sunt mundificatiua & extenuatiua & sanatiua, ut dicit Diosc. & comedere amygdala dulcia, impinguat. Galenus uero dicit, quod aperiunt oppilationes epatis mirabili apertione amara amigdala.

De Auellana.

Auellanæ notæ sunt, ex his quædam sunt syluestres, quę nascũtur in nemoribus, quædam domesticę. Syluestres sunt paruę saporosæ, grossam testam habentes: domesticæ quędã sunt rotundæ grossæ, & quędã longę, ex quibus longę saporosiores sunt, & citius maturantur. Omnes tamen maturitatem fatentur cum suis folliculis spoliantur, & cum fuerint ad solem siccatæ possunt diu seruari. In omni ferè aëre proueniunt, loco gaudent macro, frigido, humido, sabuloso, licet in omni genere terrę ferè nascantur & conualescant. Ponendæ sunt autem nucibus suis, nec amplius duobus digitis terra super eas ducenda est, melius autem plantis & sabulo proueniũt. Mense Februario plantandæ sunt, licet mense Martio & Octobri & Nouembri plantari possunt & conualescant. Ex ligno huiusmodi arboris fiunt optimi circuli uasorum uini, &

arcus

arcus ad sagittandum satis boni. Auellanæ sunt calidæ & parum siccæ, & nucibus frigidiores & potentiores, earũ enim corpora sunt solidiora & spissiora, uentositate carentia, ideoq; plus ad descendendum ex uentre nucibus sunt nutritiuæ, tamen tardiores ad digerendum & ad descendendum ex uentre, inflationem in corpore generant, maxime si cum interiori corticula comedantur, ablata ea fiunt utiliores, digestibiliores, et utiles antiquam habentibus tussim, præcipue si pistatæ cum melle esuidentᷣ. Itẽ eius cortex est stipticus & stringit uentrẽ.

De Berberis.

Berberi est fructus cuiusdam arboris paruæ ualdæ spinosę, similis arbori mali granati, & sunt rotundi, rubei quasi nigri, ut fructus spinæ albę, aliquantulum oblongi quasi subnigri, plantantur ut malapunica. Frigidi sunt & sicci in secundo gradu, ualent contra febrilem dispositionem: Sirupus ex eis & saccharo factus, contra calefactionem epatis. Puluis eorũ cum succo solatri conficiatur, & supponatur epati. Auicenna dicit, quod sint frigidi & sicci in tertio gradu. Dicit etiam & sunt uincentes choleram & extingunt sitim ualde huiusmodi fructus. Arbustula optima est pro clausuris & sepibus si haberetur plantarum copia, quæ quidem per sationem fructus uel seminis eius facile haberi potest.

De Ceraso.



Cerasus est arbor nota, & desiderat aërem frigidum & temperatum, calidum uero sustinere non potest, in tepidis tamen regionibus parua proueniunt, cerasi montana uel in collibus uel prope montes cõstituta regione lætantur, solum autem desiderant positionis humectę. Quædam sunt dulcia, quædã pontica, & hæc magnam faciunt arborẽ, & sua sponte directe sursum ascendunt, & hęc proprie dicuntur cerasa. Alia uero sunt ualde acria, & hæc minorem faciunt arborem, & sursum non diriguntur, sed solummodo per latera diffunduntᷣ, & hęc uocantᷣ uulgo marenę siue marceschę, quę multas plantas in circuitu faciũt super radices, ad plantandum habiles, plantantᷣ semine eius posito tẽpore Octobris uel Nouembris, uirgultis eitam ipsius paruulis positis, affirmatᷣ à Palladio facile in arborem prosilire, quæ autem seminibus plantatæ fuerint prędictis mensibus transplantantᷣ. Inseritur mense Nouembri, uel si necesse fuerit extremo Ianuario. Ego autem inueni eius insitionem factam tempore Februario & Martio optime prouenire, licet sit melius, & omnium arborum germina habentium insitio, quando humor uel his nondum est uel fluere desinit. Varro scribit, quod inseritur temporibus brumalibus, hoc est à die duodecima Decembris usque ad calendas Fe

bruarij. Inseritur autem optime sub cortice & trunco fisso & in summitatibus eius, sed qui in trunco inseruntur omnem lanuginem auferre debebunt. Inseritur in se, in pruno uel in platano, &, ut quidā dicunt, in populo, amant scrobes altas, & spacia largiora uidelicet triginta uel quadraginta pedum, & assiduas fossiones, putari in eis putrida & sicca debebunt, & quę pressius arctata protulit, ut arescant. Fimum non amat, atq; inde degenerat, formant ut stipites dulcium ab octo pedibus usq; ad duodecim erigatur à terra, plus etiam uel minus, secūdum quod in læto solo fuerit uel exili. Stipes uero marenarum acriū, sex pedibus uel circa eleuentur à terra. Si cerasus humore excepto putrescat in trunco foramē accipiat. Si formicas patitur uel alio modo lædatur ei subueniendū est ut supra dixi cum locutus fui de arboribus in communi. Cerasa nō aliter quàm in sole siccata seruantur. Vt sine ossibus nascantur sic fieri debere asserit Martialis, arborem teneram ad duos pedes rescindes, & eam usq; ad radicem findes, medullā partis utriusq; abradere ferro curabis, & statim utrasq; partes uinculo stringes & oblines, fimo summam partem uel creta, & laterum diuisuras, post annum solidatur cortex uel cicatrix. Hanc plantam surculis qui adhuc fructum non attulerint inseris, & ex his absq; ossibus poma nascentur. Cerasa dulcia cito de stomacho descendunt, & earum iuuamento stomacho est paruum, & pontica faciunt contrarium harum, acetosa uero desiccant plus quàm pontica, & cum hoc incidunt & conferunt stomacho phlegmatico pleno superfluitate. Dioscorides autem dicit, quod humida molliunt uentrem, & sicca retinēt eum, gummi eius cū uino & aqua mixtum curat tussim antiquam, & meliorem reddit colorē faciei, & acuit uisum, prouocat appetitum, & cum uino solo confert lapidi.

De Castanea.



CAstanea est arbor nota. Ex his quædam sunt domesticę, quędam syluestres, & domesticę sunt mediocres fructus facientes qui castaneæ dicuntur, & quædam faciunt fructus ualde grossos, quos Mediolanenses marronas uocant. Diligunt cœli statum frigidum, & tepidum non recusant, si humor assenserit delectantur cliuis & opacis regionibus, ac maxime ad septentrionalem uersis, amant solum molle & solutum non tamen arenosum, & in sabulone proueniūt sed humecto, terra nigra illis est apta & diligēter comminuta in agro spisso & rubrica uix proueniunt. In argilla & glarea non possunt nasci. Seruntur plantæ & quæ spōte nascunt ex semine, sed quæ plantę seruntur ita ægrę sunt, ut biennio de earum uita sæpius dubitetur. Serendę sunt igit castaneæ mense Nouembri & Decembri. Item Ianuario & Februario. Eligendę

sunt

sunt castaneæ ad serendum recentes, grandes maturæ, sed ita faciendum est, ut durent usque ad Februariū, castaneę in umbra siccentur expansæ, tunc in angustum & siccum translatæ cumulatæq; diligenter fluuiali operiant arena post dies 30. eas arena remota in aquam frigidam mittas, quæ sanę sunt mergunt, quę superenatant non ualent. Item quas probasti similiter obrues, post 30. dies iterū probabis, & hoc cum tertio feceris ad ueris initium serere debebis, quæ mansērint illibatæ, aliqui in uasculis seruant, arena pariter immissa. Pastinari ergo locus debebit, qui huic deputat arbusto, altitudinis pedis unius & semis, uel duorum, sulcis in ordine detestinatis. Aut terra aratris resolui debet glebis redactis in puluerem, castanearum semen accipiat non amplius pedes dodrante demersum. Vnicuiq; semen propter notā surculis debet affligi, & ipsa scientia simul trina uel quina ponantur, & inter se quatuor uel trium pedum spacio separata. Quas cum transferre placuerit binas plantas transferre debebit, ita tamē quod in nemoribus spissiores, in agris uero seminalibus rariores putētur, scilicet quadraginta pedes distantes, ut possint per latera conuenienter diffundi. Locus tamen deductorium liquorem accipiat, ita ne insedens humor limo germen extinguat. Inseritur mense Aprili, Martio & Maio in se & in salice, tardius prouenit & maturatur, in cortice inseritur & inoculatur, & melius inseritur ad buccellum hoc modo, præscindatur arbor nobilis generis, & ad modū populi colligantur surculi antequam germinent, & in frigido & umbroso loco seruentur obruti, ut postmodum mense Aprili & Maio habeantur, & tunc ex eis cōmode fiet insitio ad buccellū uel more emplastri. Et si multas insitiones fieri oportet ex surculis inserendis multi fient buccelli cum germine lōgi, secūdum latitudinem unius digiti grossi & plurimi, deinde insitio surculi inserendo in loco congruo, & cortice in tres uel quatuor partes scisso eligatur surculus ęqualis stipiti, qui tantum deprimatur inferius quod æquetur, & cortex eleuatur, minus buccello formetur, & quod excorticatum est super buccellū totaliter incidatur. Nouum castaneū circūfodi debet assidue mense Martio & Septembri, incrementum maius accipit, si putationibus adiuuetur, in nemoribus latis depressius, in agris uero qui seminantur altius in eis rami formētur. Castaneæ colligunt cum propter maturitatem suam de ericijs suis deciderint in terram, uel cum in eis apparere incipiunt excutiuntur perticis, & collectis ericijs in aceruum intra sepem timore porcorum coaceruantur, & cum sic in gazara aliquibus diebus manserint aperiuntur, & hæ meliores quam prędictę sunt ad seruādum uirides, quia per totum Martium possunt uirides seruari. Sed aliæ quę maturę ab arbore cadūt usque ad quindecim dies solum seruantur. Virides si ad fumum positæ, ut siccentur diu seruari possunt, & saporosiores cæteris esse dicuntur, seruantur uirides in sabulone, ut dixi, uel in cratibus ad fumum duobus sæpe mensibus positæ, ut postmodum siccatæ mundentur & diu seruātur. Lignū castaneæ optimum est in domibus, & mirabilis durabilitatis sub terra, & ad pluuias extra tecta, & ideo

ex eis fiunt optimi pali pro uineis & pergularijs, & ex eis fiunt optimę uegetes tinæ & uasa in quibus castaneæ siccæ seruantur. Castaneæ secundum Isaac calidæ sunt in primo gradu, & sicci in secundo. Significatio caloris earum est dulcedo earum, quoniam saporositas & ponticitas innuit siccitatem. Et ad digerendum satis sunt faciles & nutribiles, non multum stipticę & diureticę sunt, si assantur earum corpus rarificatur, & si aqua elixentur, quia earum complexio temperatur ex aqua mollitie, & humiditate, sunt boni chimi in corpore generatiui, & siccitatis in corpore & in pectore temperamentum, & urinæ difficultatem dissoluunt. Cholerici eas cum saccharo comedant, phlegmatici uero cum melle. Item hę secundum medicinam uirtutem habent laudabilem, quia abominationis & uomitus constipatiuæ sunt, ieiuniq́; intestini confortatiuæ. Cataplasma quoq; ex eis cum hordei farina & aceto siue uino factum super mamillarum tumorem positum, eis potenter auxiliabitur. Castanearum uero corticibus ustis uel puluerizatis cum sapa temperatis capitiq́; adolescentis in modum cataplasmatis positis eorum capillos confortat & augmentat, & contra allopeciam ualet. Auicen. dicit, quod castanea est abstersio & inflatio in uẽtre inferiore & stipticitas, & confortat membra, & est tarde digestionis, sed est boni nutrimenti, si ergo cum saccharo misceatur eius nutrimentum est bonũ. Galenus dicit, quod est nutribilior omnibus granis, adeò quod est proxima granis panis.

De Citonio.



Citonio est arbor nota, & ex his quædã sunt quę faciunt pira citonia, & hæ arbores maiores sunt, & minora habent folia, & quędã sunt arbores minores & latiores habentes frondes, quorum fructus proprie uocantur citonia, amant locum frigidum & humidum, si in tepido statuantur opus est illis irrigatione. Ferunt tamen statum mediocris situs inter naturam frigoris & caloris, & in planis & decliuibus proueniunt, magis tamẽ inclinata & conuexa desiderãt, terrã desiderãt satis pinguẽ, & in soluta magis quã in creta lętanť, plantanť plantis iuxta ipsas arbores cũ radicibus inuentis: Itẽ taleis & cacuminibus. Item locis calidis mense Octobri & Nouembri, frigidis uero mẽse Februario & Martio, in temperatis in utroq; tempore possunt seri. Item longe ponendæ sunt secundum Palladium, ne altera quatiente uento stillicidium tangat alterius. Mense Februario inseruntur in trunco & cortice, in seipsas inserantur autem nouellæ arbores quibus succus in cortice est, si maior est circa radicem melius inseritur, ubi cortex & lignum beneficio soli adhærentis humescat. Item recipiunt in se surculos pene omnis generis, scilicet punici, sorbi, omniumq́; malorum meliora pro-

liora producunt. Dum minor est iuuetur stercore, maior uero cinere uel cretæ puluere, semel toto anno misso radicibus. Poma in his cito matura & maioris prouentus assiduus humor cito efficiet. Rigandę sunt quotiens cœlestis negatur infusio, & circumfodiendo locis calidis Octobri & Nouembri, locis frigidis Februario & Martio. Et nisi circumfodiatur assidue, aut sterilis efficitur aut eius poma degenerant. Formantur ut unum solum stipitem habeant, quatuor uel quinque pedibus eleuatis à terra, putandæ sunt & à nocumentis seu uitiosis omnibus liberandæ. Si ægra est arbor amurca ęqualiter mixta aqua radicibus debet infundi, quod annis singulis factum à uitijs custodiet, sed arbores longæ derogabit ætati. Colliguntur citonia mense Octobri cum aduenięte pruina maturitatem aureo colore fatentur, & quæ magis odorifera sunt, debent eligi, sed si per cotilidones suspendantur in frigida regione forte durabūt per annum & amplius, uel seruant inter binas tegulas posita si luto ex omni parte claudantur, uel si defruto incoquantur aut passo. Alij autem quę meliora sunt fici foleis inuoluta custodiunt, alij siccis locis tantum reponunt, à quibus uentus excludatur, alij in melle dimittunt, quo genere condiendi satis matura eliguntur, alij milio obruunt, uel in paleis separata demergunt, alij uasculis optimo uino plenis dimittunt, alij dolijs musti immergunt, quod odoratum uinū reddit. Ex citonijs fiunt bonæ & spissæ sepes, spinas tamen non habent, sed ingressus animalium inhibent, & quandoq; fructum reddunt, & incisæ satis igni respondent. Citonia, ut ait Isaac generaliter in duo diuidūtur, uidelicet in crudum & ligneum, & perfecte maturatum, crudum itaque ligneum pessimum est & durissimum ad digerendum & nihil nutrit, idcirco ea uitare omnino oportet, maturatum naturaliter frigidum est in fine primi gradus, & siccum in medio secundi, præterea ponticitas eius maior est quàm in alijs malis, ideo ualet ad sanguinis fluxum & egestionem & uomitum. Confortatiuum est stomachi si moretur in eo, & si comedatur sub uacuo constringit uentrem, si post cibum accipiatur laxat comprimendo & constringendo os stomachi. Sed ex his quædam sunt pontica, quædam acetosa, & quædam dulcia pontica stiptica, & frigidiora sunt, ad digerendum duriora, & ideo non sunt cum carne sua edenda, sed liquor eius tantum naturam stomachi confortat, & urinā prouocat, egestionem uomitumq; cōstringit, & si cum carne edatur, ingeniari, ut sic loquar, oportet ut carnis durities auferatur, uel elixando uel supra aquam calidam apponendo, uel quod melius est scindantur, & abiectis granis in eius concauitate ponatur mel, & excorticentur, & in lino uel stuppa uel quod melius est in pasta inuoluta in cineres calidos mittantur, sic enim erunt stiptica ualde confortatiua. Acetosa subtiliora & penetrabiliora sunt, ideo sitim extingunt, & acumen choleræ rubeæ, & uomitui cholerico & egestioni conferunt, urinam prouocant, & uim appetitus augent, odor earum uomitum prohibet, & succus post uinum bibitum deponit fumum salientem ad caput. Vnde dicit Auicēna, quod citonia conferūt uomitui & ebrietati,

& sedant sitim,& confortant stomachum recipientem superfluitates, & conferunt dissenteriæ,& quando sumuntur post cibum soluunt adeò quod quando plurimum ex eis sumitur extrahunt cibum ante digestionem,dulcia uero sunt magis temperata quiddam caloris habentia,unde uis eis manifesta non est ad sitim extinguendam uel calorem.

De Citro.

ARbor citri nota est,desiderat aërē calidum,sed irriguis & maritimis locis gaudet & quibus humor exundat,solum desiderat rarioris naturæ. Si quis hoc genus arboris in regione frigida nutrire desiderat,loco parietibus munito uel in partem meridionalem uerso disponat hanc arborem, hybernis mensibus tectum stramine uelat agresti,& ubi ęstas redierit arbor aëri nuda & secura reddatur,terram rarioris naturę desiderat. Mense Martio seritur multis modis,scilicet semine,ramo,talea & claba.Si granis uelis serere ita facies, terram in duos pedes fodies,& eidem cinerem miscebis, breues areas facias,& utrinq; per cannales aqua decurrat.In his arëis palmarem scrobem manibus aperias,& tria grana deorsum uerso cacumine iunctam constitues, & obruta quotidie rigabis, citius procedent si beneficio aquæ tæpidæ utaris, natis germinibus semper proxima herba truncetur,potest trina planta transferri. Si ramum uelis ponere non amplius semipede seu sexquipede debebis immergere ne putrescat,clabam seri commodius est quæ fit manubrij grossitudine, longitudine cubitali ex utraq; parte longa nodis & aculeis recisis,sed integra summitate gemmarum,per quas spes futuri germinis intumescat.Diligentiores tamen fimum bubalum adhibent utrinq; quod summum est,uel marina alga uestiunt,uel argilla subacta partis utriusq; extrema cooperiunt,atque ita in pastinato solo deponunt taleam,& gracilior & breuior esse potest,quę similiter ut glabam mergetur,sed talea palmis duabus supersit,claba omnis obruitur, alijs arboribus non debent aduerti seu annecti. Talea siue claba calidissimis regionibus per autumnum ponitur,frigidissimis Iulio uel Augusto positas,& quotidianis irritationibus animatas,Palladius usque ad poma & magna incrementa produxisse affirmat.Inseritur mense Aprili calidis locis,Maio frigidis,nō sub cortice,sed scisso trunco,circa ipsas radices,& in piro & in moro secundum quasdam.Gaudent assidua fossione,& hinc proueniunt poma maiora,nisi quæ arida sunt rarissime debemus abscindere,hęc arbor pomis non caret cum humoris abundantia maturis se acerba substituant,arborum uero ętatem florentia consequātur orbem quendam continuæ fœcunditatis administrante sibi natura. Feruntur acres medullas mutare dulcibus si per triduum mulsa aqua semina ponenda macerentur uel lacte ouili.Aliqui mense Februarij truncum obliquo foramine ab imo terebrant,ita ut altera parte nō exeat ex hoc humorē permittūt fluere, donec poma formentˀ,tūc foramen luto replent,sicq; quod est medium dulce fieri affirmāt,poma eius in arbore toto ferè anno seruari possunt,uel in paleis uel melius si in

lius si in uasculis quibusdam claudant. Poma citrina secũdũ Isaac ex quatuor rebus sunt composita, prima est cortex, secũdo caro, tertia medulla, quarta semẽ. Cortex est calidus in primo gradu, siccus in secundo, quod acumen eiusq; odor ostendunt, eius tamen substantia dura est & solida, idcirco non est pro cibo accipienda, sed si exigua pars eius pro medicina sumatur, stomachum confortabit, & digestiuam uim adiuuabit, bonumq; odorem præstabit, atq; erit contra uenenum mortiferũ potatũ cum uino datus, qui succus inter pannos missus eos à tineis conseruat in columes. Item prægnantibus esui datus escarum irrationabilẽ appetitũ curat. Caro aũt frigida est & humida in primo gradu, unde est stomachi refrigeratiua, & ad digerendum difficilis propter eius duritiẽ, quapropter necesse est stomacho exinanito cum melle & saccharo accipi ante omnẽ cibum, & si in medio aut fine cibi edatur fit causa ac materiæ duræ & grossæ febris. Medulla uero subtilis & aquosa, omniq; caret nutrimento, & hæc est duplex, quia quædam est insipida, quędam acetosa, insipida est & humida in secundo gradu, unde calorẽ refrigerat & sitim mitigat. Acetosa uero frigida est & sicca in secũdo gradu, uirtutẽ habet incidentẽ, extenuantem & refrigerantem, idcirco fit caloris epatis mitigatiua, & stomachi confortatiua, uirtutem appetitiuam excitat, & acumen choleræ rubeæ mitigationem prębet, sitientibus perfecte subuenit, suspitionem ac tristitiam de cholerica cardiaca generata remouet, egestionem uomitumq; cholericum sedat, impetigines & lentigines cum ea fricatas destruit, quod testatur quia pannus in causto madefactus, cum ea purificatus ad colorem pristinum redit. Semen calidum est & siccum in secũdo gradu, quod amaritudo ostendit, ideoq; secundum cibum conueniens, secũdum medicinam est salubre, apostematũ quoq; dissolutiuum, & contra uenenum propitiatũ cum uino. Frondes quoq; ipsius arboris sunt corticibus pomorum propinquæ in iuuamins actione, quia sunt odoriferæ, & quiddam acuminis habent.

De Corno.



Cornus est arbor parua, quę licet nascat in nemoribus, & fit communiter arbor syluestris, tamẽ quia domestica per culturam facit fructũ ad quædã utilem, ideo de ipsa dicam. Hęc arbor ferè omnem aërem sustinet, & in omni terra maxime in pingui & in humida cõualescit. Plantat semine suo & plãtulis, quæ cum radicibus iuxta ipsas inueniuntur. Fructus eius maturitatem fatetur cum ex rubedine colorem nigrum assumpsit, & facile ab arbore cadit. Ex ligno huius arboris quia durissimũ & tenax est, fiunt optimi dẽtes molendinorũ & manubria malleorum, & uirgæ ad triturandum frumenta & carminandũ lanam, & generaliter omnia quæ ligni duritiem & tenacitatem requirũt, ideo uti

le est ex eis facere sepes, ubi non est necessaria clausura spinarũ, nam hæc arbor spinas non habet. Et quia non habetur ipsarum plantarum copia fiat seminarium, de semine eius tarde collecto, & ad solem siccato, seminentur autem mense Octobri & Nouembri. Corna ualde pontica & stiptica sunt, & quanto minus sunt nigra, tanto magis pontica. Ad usum cibi non competunt, sed propter medicinam ualent ad fluxum uentris & uomitum constringendum, qui fit ex acumine choleræ, propter ipsarum frigiditatem & stipticitatem. Item ex eis fit optimum acetũ si pistentur, & cum fortissimo aceto misceãtur, & in pane formata & siccata seruentur, & uino cum opus fuerit misceantnr.

De Ficu.



FIcus est arbor nota, & eius quidem diuersitates sunt multæ, ideo unusquisq; illa genera eligat, quę in loco in quo plantare desiderat, uel in simili uideat melius prouenire: hoc tamen prouideat, ut in locis aridis, macris, non plantet eas. Item in locis non tutis, non plantet ea genera, quæ cum folijs uel ante folia ficus producunt. Hæc arbor aërem calidum & temperatum desiderat, & in oriente & in mediocriter frigido cum hominis auxilio sustentatur, uidelicet si est ab oriente & meridie cooperta, & ab alijs duabus partibus aliquibus obstaculis munita. Item non impinguetur terra eius ne eam nimis teneram hyems inueniat, & tunc stipes eius paleis muniatur usq; ad ramos circumquaq; ligatis, & supra terram circa pedes fimus animalium recens ponatur, & maxime colũbinus, qui recedente frigore post hyemem auferatur, nisi fuerit terra macra nimis, frigidum ualde aërem recusat, terrã pinguem uel mediocrem desiderat, & in macra etiam & in sicca quędam eius species defendũtur, in qua sicciores & dulciores fructus proueniũt, in pingui uero & humida aquosiores & minus dulces magisq; insipidi & grossiores. Plantantur plantulis aliũde acceptis, locis siccis mense Octobri & Nouembri, temperatis mense Februario, frigidis uero mẽse Martio uel in mense Aprili, si taleam uel cacumen ponas ultimo Martij uel in mensę Aprili cum eis se uiridis succus infuderit, si acumen ponas ramum binũ uel trinum ab australi parte decides, & sic obrues, ut diuisa cacumina terra interiacẽte uelut tres surculos reddant, taleam sic ponemus ut ei leuiter ab una parte diuisæ lapide infisso mergemus. Legendæ sunt plantæ in quibus frequens nodus exuberet, quæ uero nitidæ sunt & oculos suos per longa internodia distulerunt steriles esse creduntur. Si plantam fici nutries seminario, & maturam in scrobem transferas, poma generosiora producet, scrobes amat altas, & magna interualla propter longitudiuem radicum eius. In locis frigidis ficum

seramus

seramus, quæ cito ueniant, ut ante imbres genus hoc possit occurrere, calidis uero & æstuosis, eam quę serius maturat. Ficus inseritur mense Aprili inter corticem, uel si nouellę sint arbores, scisso ligno, statimq; cooperiendum est & ligandum ne uentus introeat. Melius comprehendunt si circa terram rescisa inserantur arbusta, aliqui & Iunio mense inserunt. Varro scribit, quod ea quæ uerno tempore inseruntur, possunt etiam circa solstitiũ inseri, ut ficus, quod densa materia non est, & ideo sequitur calidiorem, à quo fit, ut in locis frigidis ficeta fieri non possunt, aqua recens inimica est, tenellum cito facit putrefacere, ita quod caniculæ signo cõmodissime existimetur ea inseri. Quę autẽ natura minus sunt mollia, uas aliquod supra ligatur unde stillet lente aqua, ne prius arescat surculus quàm coalescat. Cuius surculi corticem integrum seruandum & ita exacuendum, ut non diuidetur medulla, ne extrinsecus imbres noceãt, aut nimius calor, argilla obliniendum & libro ligandum. Cato scribit quod etiam per uindemiam ficus inseri potest. Surculus est legendus anniculus, inutilis enim credit̃ maioris uel minoris ætatis. Item inoculari siue emplastrari & ad buccellũ inseri potest mense Maio & Aprili, Iunio & Iulio. Inseritur autem in caprifico, in moro, & in platano, & oculis & surculis. Gaudetur assidua fossione, cui multum proderit si per autumnum stercus apponas maxime de armentis. Formatur ficus in locis frigidis ut unum solum habeat stipitem à terra modicum eleuatum, sic enim melius à frigore defendetur, in locis uero calidis unũ uel plures dummodo non ultra tres uel quatuor stipites habeat pro domini uoluntate, rescindenda sunt in ea quęcunq; aut putrida aut male nata reperies, & ea ratione putanda est ut inclinata per latera possit expandi. Truncus arboris scarificandus, quo loco tumet ut humor possit fluere, ne uermes creet, qui si creati fuerint uncis ferreis trahantur seu tollantur à fico. Alij solam calcem uiuam latebris uermium apponunt. Si formicæ molestę fiunt, rubrica, butiro & pice liquida mixta, circa truncum induci debet. Si fructus suos uelut ęgra proijcit, aliqui radici terebratæ cuneum infigunt, uel securi arboris corium sæpe proscindunt cũ folia incipit producere. Fici ut multum & pinguem faciant fructum in principio germinis cacumina summa decidamus, uel hoc tantum cacumine quod ex arboris medietate procedit. Vt ficus cito maturet, succum cepæ longioris cum oleo & pipere mixto unge poma quando grossa incipiunt subrubere. Ficus uirides seruari possunt uel in melle ordinate ne se contingant, uel singulæ intra uiridem cucurbitam clausæ locis unicuiq; cauatis. Siccantur autem & seruant̃ hoc modo, quo Campania tota custodit. In cratibus ficus expanditur usq; ad meridiem, & adhuc mollis in qualum refunditur, tunc calefacto furno ubi bis cocta ficus fuerit sicut est calida interpositis folijs suis in fas fictile clauditur bene picatum densius pressa, & operculo diligenter obducitur. Si pluuijs abundantibus crates non potes expandere sub tecto eas ita compones, ut semipede erigatur à terra, & eas ad lucẽ solis cui subiectus uaporet, subinde ficus sicut est diuisa uer-

tatur,

tatur, ut ficorum coria & pulpę ſiccentur, tunc duplicata in ciſtellis ſeruãtur, aut loculis. Alij maturas mediocriter ficus & diuiſas in cratibus expandunt, coctas ſole ſiccendas, & recipiunt nocte ſub tecto. Ficus ſiccę cum pinguedine ſua ſeruantur. Secundum Hiſpanorum morem hoc modo, ſiccentur mediocriter & optime refrigeratæ in uaſe aliquo componantur, & ponderatę bene ſeruentur. Ficus ſiccę quas Ceſenates optimas habent, procurãtur hoc modo ab eis, colliguntur ficus graſſulæ maturę, & ad ſolem per biduum integræ dimittũtur, deinde pinguiores ſcinduntur per medium ex tranſuerſo, & iterum parte inferiori ſeu interiori conuerſa ad ſolem duobus uel tribus diebus ſiccẽtur, uel duabus ſimul iunctis, ac iterum duobus uel tribus diebus ad ſolem relictis, tandem in teſta ponantur & iterum ad ſolem triduo dimittunt, deinde in ſcrinio per quindecim dies tenentur, & poſtea iterum ad ſolem ſi neceſſarium uidebitur reponuntur, quibus poſtea refrigeratis in aliquo uaſe ſtricte fortiter ponderantur, & caue cum ſiccantur ut imbrem & pluuium unquam tangant. Ficus cæteris fructibus laudabilior eſt & nutribilior, ſed groſſos creat humores, uirides uero ſunt cruda, non perfecte matura parum eſt calida magis groſſa propter dominium terreſtris partis in ea. Vnde Hippocrates ficus quando longinquior à maturitate tãto minus calida eſt & groſſa, perfecta matura eſt calida in primo gradu, & temparata inter humiditatem & ſiccitatem. Ficus ex trium rerum compoſitione conſiſtit, ſcilicet ſemine, pulpa & cortice, ſeminis nutrimentum nullum, ut arenæ uel lapidis, cortex ſiccus eſt ut cutis, propterea duriſſimus ad digerendũ, caro nutribilior ſalubriorq́ exiſtit. Sicca uero ficus calida eſt in principio ſecundi gradus, ſicca in medio primi, quamobrem calefacit, & ſitim creat & in cholericos mutatur humores, cæteris tamẽ fructibus nutribilior eſt, minusq́ inflationis habet, ſed ſi ſuperfluos in ſtomacho humores inuenit, dura fit ad digerendum, ad corruptionemq́ mutatur, & inflationem & uentoſitatem generat, ac peſſimum ſanguinem, in ſuperficie etiam corporum pediculos creat, ſi autem humoribus mundificatos inueniat, bene digeritur, ac ſanguinem laudabilem facit, corpusq́, pulmonem, renes & inteſtina ab humoribus groſſis mundificat. Qui uult eius uentoſitates uitare, ieiunus accipiat, & poſt ipſas piper & zinziberim, & ut laudabilem ſanguinem generat, nuces ſimul ſiccas aut amygdala manducet. Item ſecundum medicinam ualet ſi cum hyſſopo coquetur, pectus pulmonemq́ mundificat, tuſſim diuturnam emendat, gargariſſata in hunc modum in cannalibus pulmonis apoſtemata diſſoluit. Cocta in uino ſi clyſtere fiat, ualet ad dolorem uentris, qui ex groſſis procedit humoribus. Auicenna dicit, quod alba eſt melior, deinde rubea, poſtea nigra, & ſuccus foliorum eius uehementis eſt calefactionis & abſterſionis, & in ipſa quidem eſt lenificatio ultima, & lac quidem eius coagulat liquefactionem ſanguinis & lactis, & liquefacit congelatum, & illa quidem quę humida eſt uelocis eſt nutrimenti, & in ramis quidem fici ineſt tantum ſubtiliationis, quod quando caro

coquitur

coquitur cum eis, dissoluitur, & ficuum decoctio confert apostematibus gutturis, & apostematibus radicum aurium gargarissata. Lac eius confert puncturæ scorpionis in uentre, & similiter rutellæ, & similiter illa quæ est immatura, aut folia recentia apponuntur super morsum canis rabidi & conferunt.

De Lauro.

LAurus est arbor satis magna, cuius frondes latæ & longe & solidę, semper uirides & odoriferæ ualde sunt, cuius arboris est fructus quem orbatam uocant niger & paruus. In omni ferè aëre prouenit, maxime in tēperato & calido delectatur, terram solutam & maritimam diligit. Plātatur ramis & surculis aut semine eius mēse Martio proprie cum humor ad corticem ramorum peruenit. Eius folia & rami sunt optima ut in eis ficus siccę seruentur, & in geladia ponuntur, ut eam odoriferam reddant, circa diacitoniten parua ipsius frustra ponuntur, in quacunque autem re ad coquendum ponantur plurimum eius odorem augent, & stomachum ac cerebrum odore ac sua ponticitate confortant. Fructus eius qui orbata dicitur, in uino muffa infecto positus sanat, sed ipsum suo sapore satis incongruo inficit. Auicēna dicit, quod grana corticis & folia eius sicca & calida sunt, sed grana sunt calidiora & sicciora, nam sunt in secundo gradu, & eius oleum est calidius oleo nucum, & confert doloribus neruorum omnibus, & resoluit laxitudinem, & quando de cortice eius aut granis bibitur aureus frangit lapidem, & interficit fœtum propter suam amaritudinem additam super amaritudinem aliorum, & cōfert morsui scorpionum cum uino, & est bona uespæ & api quando pungunt, & omnino est theriaca uenenis omnibus bibita. Dioscor. dicit, quod frondes lauri libros & uestes cum quibus ponuntur à tineis defendunt, & à uermibus & corrosione tutos reddunt.

De Malo.

MAlus est arbor notissima, & eius quidem diuersitates sunt multę, nam quædam mala mense Iulio & Iunio maturantur, quę si usq; ad complètam maturationem in arbore dimittūtur fiunt dulcia & odorifera ualde, quædam parua, quędam mediocria, quædam rubea, quædā crocea, quædam uiridia, quædam dulcia, & quædam acetosa, & quędā pontica & acria, & quędam longa, & quædam lata, & quędā rotunda, & quędam diu seruabilia, quædam parum, quædam dura solida, quędam mollia & facile frangibilia, quædam in arbore durabilia, & quædam facile cadentia. Sunt aūt malorū multæ species, quorum meliores aut deteriores quilibet poterit per experientiam in qualibet regione eligere uel refutare, hæc arbor & in omni aëre prouenit, & pingue ac lætum solum diligit, cui humorem non tam rigatio quàm natura suppeditet, & si arena uel argilla sit irrigationibus adiuuetur, mōtanis locis debet ad meridiem uersa cōstitui. Macer & aridus locus poma uermiculosa, & caduca facit. Seritur ramis & semine, sed tardius est in utroq; prouentus, melius igitur in locis calidis Octobri & Nouēbri, in frigidis uero Februario & Martio.

Plantas syluestres malorum ponamus, & cum conualuerint inserantur, spacia uero inter ipsas arbores 20. pedum esse debebunt. Malus inseri potest in se, piro, spina, sorbo, ficu, platano, populo, & salice, mense Februario & Martio per solstitium quinquaginta dies, ut ait Cato, & alijs, quibus pirus, in cortice & trũca, emplastro & ad buccellam, & in amidam uel salicis pertica perforata, ut in generalibus est traditum plene, libro secundo. Hæ arbores primo plantationis suæ anno circumfodiantur, & ab herbis omnibus liberentur, quolibet mense æstatis, deinde quibusdam annis bis uel ter qualibet circumfodiantur æstate, sed postquam conualuerint & suas radices fundauerint, neque exarari neque effodi desiderant: idcirco magis eis prata conuenient, stercus nõ exigunt quidem, sed libenter assumunt, & maxime si eis cineres misceantur. Amant moderatas irrigationes, putatio his apta est, & maxime arida, & male nata tollãtur, formãtur, sex uel octo pedibus stipes erigatur à terra, qui alio stipiti nunquam sociatus existat, cureturq́; ut stipes in multos diuidat̃ ramos, & rami in uirgas & fragra, quæ fructum ferant, & quod æqualiter per omnia latera expandatur, taliter quod rami quandoque nimium onerati ligamine apposito sustententur, & hæc in capitulo cõmuni de arboribus plenius sunt tractata. Accidit facile huic plantę quod poma eius sint caduca, quod si uenerit scissę radici lapis iniectus poma tenebit. Si spissa poma ramos onerauerint, mense Iunio & Iulio interlegẽda sunt, quæq; uitiosa, ut succus ad meliora uertatur, generosis abundãtiam ministret, quam numerosa uilitate perdebant, & si hoc commode fieri non possit, palis, perticis & funibus defendantur à ruptura ramorum, ne copiosa ipsarum liberalitas uertatur eis in interitum & perniciem. Colligenda sunt, cum colore, odore & sapore dulci maturitatem fatentur, seruabilia uero colligenda sunt circa finem Septembris, & usque ad medium mensis Octobris, quando casu pluriũ sanorum, & nigredine seminum maturitatem prætendunt, cum longis scalis, usque ad ramos quos attingere possunt, ab inde supra cum manibus debilibus ramis cum funibus uel uncinis ad fortes bene firmatis. Legenda sunt diligẽter quę uolumus mala seruare, & ea ponẽda sunt in obscuro loco ubi uentus nõ sit uel paruus, ut ait Var. Nam si forte sint fenestræ claudantur fenestrę stramentis, prius in crate suppositis uel paleis aut loco aut in cumulos secreta disponimus, aliqui omnia simul ponunt. Vinum & acetum fit de malis sicut de piris infra dicetur, Poma diuiduntur in duo, scilicet in cruda, non matura, ac in completa, & perfecte in sua arbore maturata, cruda dura sunt & lignea, male nutriunt, stomacho nocent, dolorem generant, & uenas non penetrant, & eorum assuefactio causa est febris diuturnę, quę dure dissoluitur, quod & de cæteris fructibus intelligendum est, & qui nõ sunt perfecte in arboribns maturati. Perfecte in sua arbore maturata diuersa sunt pro sui diuersitate saporis, quædam enim sunt pontica, quædam acetosa, quędam dulcia, quędã sunt terrestria frigida & sicca, & ad digerendum dura seu tarda, multum aũt stomachũ confortatiua, propterea

quod stomachum comprimunt & humiditatem superfluam ibi inuentã descendere faciunt, sunt etiam egestionis constrictiua, maxime si ante cibũ sumantur, & conuenientia his sunt quorum stomacho calor & humiditas dominatur, sed sunt grossa digeri & dura, tarde penetrantia uenas, inflationem faciunt, neruis nocent, liquor uero eorum laudabilior & subtilior est & leuior, idcirco stomachum confortat & intestina, & ualet ad sanguinis fluxum & ad dyssenteriam ex cholerica digestione & uomitum, propterea pomorũ huiusmodi succus debet madendo exprimi, caro uero eijci. Mutatur autem eorũ asperitas & duritia tribus modis, aut illa elixando in aqua, ut ex aqua humiditatem attrahat & mollitiem, aut super fumum aquæ calidæ suspendenda ut humectentur & maturentur, aut secta per medium granis interioribus duris reiectis eorum locis mel & saccharum apponendo, secundum naturam accipientium, & pasta inuoluendo, & in cineribus calidis & prunis dimittendo donec pasta exterius decoquat. Huiusmodi enim ars mollitiem præstat, & maturitatem, saporositatem, & ad digerendum uelocitatem, & noxitatem eorum in neruos aufert. Acetosis autẽ dominatur aquosa substantia, cum terrestri exiguo, quare frigiditate eorum & siccitate temperantiores sunt ponticis propter uicinitatẽ liquoris aëreæ naturæ, unde actio eius composita cum sua stipticitate confortat & constringit stomachum, & uentrem & egestionem cholericam & uomitum inhibet, cum frigiditate & tenuitate liquoris sitim extinguit, & acumen choleræ rubeæ & cardiacę cholericę uires aufert, & humores grossos qui calidi sunt in stomacho destruit, dulces uero chimos tenuat, ut totum corpus ualeant penetrare. Huiusmodi poma ante cibum & post cibum sunt bona edi, sed pira ante cibum sunt nociua, dulcia uero quia tẽperata sunt inter quatuor qualitates stomacho minime nocent, & ad constrictionem uel laxationem uentris uim manifestam non habent. Frõdes, rami, cortices quia stiptici sunt & acidi confortatiui sunt stomachi, uulnera sanant, & humores malos ad ea concurrentes prohibent. Auicenna dicit, quod in eorum substantia dominat humiditas superflua & frigida sunt. illa quę sunt uehementis dulcedinis, in caliditate sunt temperata, aut declinant ad eam, & in pomis quidem est inflatio, & proprie in eis quæ non sunt dulcia, & insipida sunt aquea ualde ad partem humidam superflue decliua. Et acetosa & immatura generant phlegma, putredines, & febres proprietate sui humoris & suæ cruditatis, quia facile recipiunt putrefactiones. Et uinum pomorum & reliquorum antiquum est melius quam recens, propter resolutionem uaporum malorũ ab eo. Et assiduitas comestionis pomorum facit euenire dolores neruorum. Et proprie uernalia & odorifera confortant cor, & si sit ibi angustia ex caliditate, sunt magni iuuamenti, & confortant debilitatem stomachi, quę stiptica sunt aut pontica uel acetosa, & conferunt dissenteriæ, maximè põtica, & tam poma quã succus, & folia conferunt uenenis.

De Malis punicis.



MAlapunica sunt malagranata, quæ nota sunt, ex quibus quædam sunt dulcia, quędam acria siue acetosa, quędam autem mediocris saporis inter dulcia & acria. Regio illis apta est calida aut quæ temperata existit, frigidam uero sustinere non potest. Solum cretosum amat hæc arbor, & in soluto etiam cõualescit, item macilentũ, licet etiã in pingui proueniat. Albertus tamẽ dicit, quod uult solum arenosum & pingue. Seritur plantis de matrum radice euulsis, melius si ramus eius cubicularis incisus manubrij grossitudine, ac de utroq; capite falce leuigatus acuta uelut obliquus immergitur, prius tamen porcino stercore & in capite & in parte quę ima est liniatur, uel in crudo solo malleo cogatur ad inferiora defigi. Melius tamen proueniet, si ponendus ramus gemmata iam matre sumatur, curãdumq; est ne uirgulta ponas inuersa siue corticibus spoliata. Si in scrobem depones tres lapillos in ipsa radice constitutos, prouidetur ut Palladius ait, ne poma scindantur. Fiunt autem prædictæ plantationes locis temperatis Martio uel Aprili, calidis autem & siccis Nouembri inseri posse dicunt. Et inseruntur ramorum cõnexione, ut medulla utriusq; diuisa se iungat. In se tantum inseri potest circa finem Martij, Kalend. Aprilis, in trunco seritur in quo surculus recentissimus statim inseri debet, ne mora exiguum qui est exiccet humorem. Circumfodi debent autumno & uere, & formari ut duos uel tres habeant stipites, a terra modico eleuatos, & singulis annis rescindi omnia quę in stipite nascentur, aut etiam circa radices. Plantæ illi accidunt nocumenta, quare si aridę fiunt rigentur assidue, nam humiditas moderata suauitatem pręstat & copiam, cuius tamen radicibus cuneus seu clauus debet infigi. Alij algam marinã obruunt ad radices, cui nonnulli stercus asininum atq; porcinum miscent. Si florem non continet cum aqua pari mensura temperabis, & ter per annum radicibus infundes, uel amurcam mittes infusam, uel radicibus algam iunges, bisq; rigabis in mense, uel arboris florentis truncum, ut Palladius ait, plumbeo circulo debebis includere, uel corio anguis inuoluere. Si crepant poma lapidem in media arboris radice suppones, uel squillam circa arborem seras. Si uermibus laborant, & tangas radices felle bubulo, continuo morię̃tur, aut si clauo ęneo uermes eiusdem purges, difficile nascentur, uel asini urina stercori admixta porcino uermibus obuiabis. Lixiuio circa punici truncum frequenter infuso lęta & fructuosa punica reddit arbusta. Asserit Martialis candida in his grana fieri, si argillę & cretæ partẽ quartam gypsi misceas, toto triennio hoc genus terræ radicibus

cibus

cibus eius adiungas. Item dicit miræ magnitudinis poma fieri, si olla fictilis circa punici arborem obruatur, & in ea ramus cum flore claudatur, ne resiliat ligatus ad palum, tunc cooperta olla contra aquę muniatur incursus, autumno patefacta suæ magnitudinis poma uidebit. Multa in punico ait poma procedere si tithimali & portulacę succus æqualiter mixtus antequam germinet illiniatur arbor in trunco. Colliguntur autem cum suorum granorum rubedine completa maturitatem prętendunt. Seruantur si picatis appendiculis ordinate suspendas: uel aliter, lecta integra in aquam marinam uel salsam mittantur ut combibant, post triduum sole siccentur, ut sub diuo nocte permaneant, postea in loco frigido suspendantur, & cum eis uti uolueris, dulci aqua pridie macerabis. Item si induantur argilla, & ea siccata frigido loco pendeant. Item si olla sub diuo obruta quæ habeat arenas usq; ad medium, & mala cum tenacibus lecta imprimãtur cannis singulis, uel sambuci uirgultis, & ita separata in arenis figantur, ut quatuor digitis emineant ab arena, & hoc sub tecto in scrobe fieri potest, & utilius est ad seruandum si non ramo longiori tollantur. Aliter in seriola cui ad mediũ aquæ mittatur suspenduntur mala ne humorẽ tangant, & seria clauditur ne uentus irrumpat. Item in dolio sic ordinantur inter hordeum, ne se inuicem tangãt & dolium desuper operitur. Ex malisgranatis hoc modo fit uinũ, grana matura diligenter purgata in palmeã fiscellam mittas, & in corbea exprimis, & leniter coquis usq; ad medietatẽ, & cũ refrigerescerit picatis & gypsatis uasculis claudis. Alij succum non excoquunt, sed singulis sextorijs libras singulas mellis miscent & in prædicto uase custodiunt. Ex malispunicis fiunt optimæ sepes spissæ & spinosæ, fortes & multum ferentes fructum. Malapunica utiliora sunt medicinæ quam esui, nutrimentum quippe eorum & si laudabile est & bonum, tamen parum propter subtilitatem eorũ facilemq; digestionem. Hęc autẽ quatuor partibus composita sunt, quæ omnes stipticæ sunt, prima est cortex, secunda caro, tertia liquor, quarta grana. Liquor frigidus est, sed diuersis modis, secũdũ suos sapores & liquiditates. Sunt nam põtica, acida, muza, dulcia & insipida. Pontica impossibile est accipi secundũ cibũ, quia propter asperitatẽ & duritiẽ abhorret ab eis natura, nec recipit nisi secundum medicinã, proinde huiusmodi malagranata si parum in superficie excorticentur & ipsorũ succus aut cum uino aut cũ sirupo laxatiuo potetur, superiora stomachi exprimunt, & expellunt humiditatem putrefactam de inferioribus, & post mundificationes stomachum confortant absq; læsione neruorum eius, idcirco ualet ad febres diuturnas, quæ ex putrefactis humoribus procreantur, & ad pruriginem & scabiem de putrrdine salsi phlegmatis ortam. Acida in multis rebus propter paruitatem terrestris substantię, melioris sunt actionis quam cętera, calores epatis extinguunt, membra confortant, & præsertim os stomachi, epar & cor, unde ualent ad cardiacã cholericã, & ad dolorẽ qui nascitur in ore stomachi, ex cholera rubea, habet etiam hoc propriũ, quod in oculis ictericorũ stillatum citrinum ab eis abijcit colorẽ,

propterea si ablato cortice malagranata acetosa omnia pistentur, & succus extractus cum melle coquatur, ut unguenti similitudinem habeat, ualet ad expulsionem unguium, purificatq; oculorum aciem à grossis & uiscosis humoribus. Maligranati liquor dulcis grossior est & calidior & digestibilior, & propterea caloris aliquantulum stomacho ingerit, citoq; in choleram rubeam mutatur, & ideo febricitantibus est incõueniens, sed humectat uentrẽ, pectoris lenit asperitatem, & tussi mitigationem tribuit. Muzum uero quod est inter dulce & acetosum medium ad epatis calorem nõ minus ualet & stomachi quàm acetosum, sed uim uomitum compescendi ac uentrem constringendi nõ habet. Insipidum quoque quod quasi aquę saporem refert, propter sui liquoris & aquositatis copiam ad frigiditatem pertinet, unde est inconueniens & secundum medicinam & secundum potum, secundum cibum quia saporem non habet, ut membris attrahat, secundum medicinam, quia propter aquositatem nec stomachum confortat, nec uomitum, nec solutionem prohibet, idcirco fastidium facit stomacho, debilem & exilem mollemq; ipsum reddit, & cibum in stomacho digerere non permittit, unde fit causa rugitus. Malorum granatorum nuclei à succo expressi sunt utiles ad uomitum cholericum constringendum, & egestionẽ, prẹcipue si assantur, eorumq; puluis si bibatur, calorẽ etiam stomachi atque choleræ rubeæ acumen extinguũt, eorum uero cortices frigidę ac siccę & terrestres sunt, quod si in aqua coquantur, aut fiat clystere, ualet contra dyssenteriam & diarrœham. Item decoctio ex eis facta gingiuas confortat, & constringit fluxum sanguinis hæmorrhoidarum & mulierum. Item idem cortex in uino coctus & potatus lumbricos, ascarides & cucurbitinos ex uentre mortuos abijcit. Flos eorum quæ balaustia uocatur stipticior & siccior est prędictis omnibus, debet aliquantulum siccari, & uitreo uase recondi, est enim frigidũ & siccum in secundo gradu, & seruatur in multa efficacia per duos annos. Valet etiam contra uomitum cholericum & fluxum uentris ex debilitate uirtutis contentiuę, nam cõtra uomitum cholericum terantur balaustiæ, & coquantur in aceto, & spongia intincta ponatur super surcula pectoris, & contra fluxum coquatur in aqua pluuiali & fiat fomentum. Auicenna dicit, quod cortex maligranati & balaustiæ utrunq; retinet omnem fluxum sanguinis, & cõsolidat plagas & ulcera antiqua, & fortes efficit dentes motos.

De Moro.

Morus est arbor nota, plurimum uitis amica, quæ calidũ desiderat aërem aut temperatum, frigidum uero recusat. Loca autem quẹrit sabulosa & plerunq; maritima, & in mediocriter soluta prouenit, sed in topha uel argilla uix comprehendit, stercore uel terra pingui ualde lætatur, ideoq; inter domos in ciuitatibus ubi est multa pinguedo plurimũ lętatur, & magis uiridisq; efficitur. Seri potest locis temperatis mense Martio & circa finem Februarij, calidis uero mense Octobri & Nouembri. Seri autem

potest

potest semine, sed poma & uirgulta degenerant, melius autē seritur taleis & ca cuminibus, & melius taleis sexquipedalibus ex utraq; leuigatis & fimo oblitis, cum scrobem ante fecerimus, immergamus, & cinere terrę admixto tegamus, nec amplius quam quatuor digitis supra terram relinquamus. Plātam robustā transferas mense Octobri & Nouembri, teneram Februarij & Martij. Scrobes desiderant altas & interualla magna 50. pedū uel circa, ne una umbris prematur alterius, & in radicibus se impediat. Inseritur autem in se, & in persico, secundum quosdam & in ficu, ulmo etiam insita, ut ait Palladius, comprehendit. Morus ablaqueandus est, & radicibus eius uini feces ueteris recētissimæ infundendæ. Formanda est autem, ut uno stipite sit contēta, & rami principales circa octo pedes eleuentur à terra uel plus aut minus, secundum quod in læto fuerit solo uel exili: ut in lęto altiores, in exili depressiores formentur. Feracē latioremq; mori arborem aliqui fieri tradiderunt, si perforato hincinde trūco, singulos cuneos inseramus terebinthi, accidit præterea nocumentum magnum moro, ut eius impediatur augmētū & fructibus eius, ut omnino inutiles fiant, si suis folijs spolientur, & maxime si non fuerint quæ in summitatibus sunt ramusculorum in eis relicta, uel quod peius est, si sint ipsę summitates cum frondibus collæ, ut sæpe importunæ nimium faciunt mulieres, cum eas propter escas uermium colligunt, quæ uermibus sunt optimus cibus. Colliguntur statim cum uermes nati fuerint, usq; quo à cibo desistunt, & incipiunt opus facere. Fructus aūt cum sua nigredine & teneritudine maturitatem fatētur. Mora duobus sunt modis, acria non perfecte matura, aut perfecte dulcia maturata. Acria frigda sunt & sicca, uim habent stipticam, stomacho & intestinorum confortatiuam, & uentrem constipant, quare humore siccata ualent ad diarrœam & dissenteriā, maxime siccata si cholericę sint. Item eorum succus plurimum ualet ad gutturis & faucium & urinæ dolorē, & maxime cum sapa & modico saccharo coctus, matura autem & dulcia modicum ad calorem pertinēt, ad humiditatem uero multū, quare cito de stomacho eijciuntur, uentrem humectant, & urinam prouocant. Si tamen cibum in stomacho ante se acceptum inuenerint, commoratæ cibo resistente, in corruptionem conuertuntur, & stomacho ac epati & capiti nocent. Si uero stomachum uacuum inuenerint, bene digeruntur, modicum tamen nutriunt. Ieiunis accepta in aqua uel uino refrigeratiua sunt. Refrigerantia ualde sitim auferunt & incensionem caloris extinguunt. Radix mori cum aqua cocta & potata uentrē humectat, & lumbricos & cucurbitinos expellit. Si uero frondes simul cum radice coquantur, & aqua eorum retineatur in ore, ualet ad dolorē dentium, si autem cum uino coquatur, & gargarismus fiat, ualet cōtra humores ad uuā descendentē & guttur. Si pistata mori radix in aceto ponatur ad solē, & diebus 12. dimittatur, & desiccata redigatᷣ in puluerē, hic dentes perforatos & putridos euellit appositus. Auicenna dicit, quod morum est malum stomacho, nam corrumpitur in eo, & quando corrumpitur, stomacho uelociter nocet. Et

oportet quod comedantur omnes species ante cibum, & recipiantur in stomacho in quo nō sit corruptio, et morū quod salitū est & siccatum, retinet uētrem uehementer & prodest dyssenterię, & in cortice eius est mūdificatio, & solutio eius est plurima, & in omnibus speciebus mori est prouocatio urinæ, & cortex mori est theriaca hyoscyami.

De Muniaco.

MVniacus est arbor quædam, quę est quasi similis pruno, sed est magis nodosa, & eius fructus est magnitudinis cōmuniū prunorū, similis fructuum persicorū in forma, tamen est ualde odoriferū, & in colore aureum eius pomum, aërem & terrā desiderat ut prunus, solutū tamen solum desiderat non argillā, uel cretam. Serit̄ semine, mense Februario, & Martio transplantantur, in se uero, pruno & persico, & forsan amygdalo potest inseri. Circumfodi debet assidue, & siccis temporibus irrigari, atq; putrida & arida in ea recidi, atq; ut prunus formari. Minus sunt humida poma eius quam persica, aut pruna, magis tamē stomacho & cerebro confortatiua, cum optime matura existunt, quod eorum color, sapor, & odor aperte demonstrat.



De Mespilo.

MEspilus arbor nota. Et ex pomis eius quędā sunt grossa, domestica, media, pōtica: & quædā sunt syluestria parua, ualde pontica. Aërem calidū, temperatū & frigidū sustinent, & terrā desyderāt sabulosam, & pinguē, uel glareosam, cui arena permixta est, uel argilla cum saxis. Serit̄ mense Martio uel Nouembri taleis, sed solo stercorato, ita quod utrūq; caput stercus obruat. Seritur & semine, sed in longam speratur ętatē. Inserit̄ in se, in piro, & pomo, in spina alba, & citonio. Surculus aūt eius ex arbore media debet assumi, nā de summitatibus uitiosus est. In trunco fisso inserēda est, nam corticis materies ieiuna nō potest nutrire, & amat putari & circūfodi, fimus & uitiū cinis, si radicibus infundatur, eam fertilem reddūt, format̄ ut modicum supra terram, scilicet circa quatuor pedes habeat stipites siue ramos, & exteriora eleuati tendantur, ut altitudinem bonā excedant. Albertus aūt dicit, quod quando insitio fit de eis in truncum alterius generis, scilicet mali, uel piri, uel etiam alicuius spinę magnę, quæ est similis fago, in ligno ac cortice, & uocatur spina fagina uulgariter, crescunt mespila maiora, & meliora quàm sint alia, si autem defecerunt mespila in aliqua regione, expertum est, ut dicit Albertus, quod seritur fagrum persici in truncum spinę magnæ quæ est similis fago, crescūt mespila maiora & meliora, quę non producunt ossa. Ego autem sæpe inserui mespila in pirum, & malum in coctanum, & spinam albam & non inueni ossibus carere, nec in quantitate

augeri

augeri. Si uermibus occupatur stilo æneo secundum Palladium sunt purgandi, & amurca uel humana ueteri urina uel calce perfundēdi, sed parcius propter arboris noxam, uel aqua decocta cum lupinis. Sed putatur hęc arbor sterilis fieri, si formicæ infestæ sunt, rubrica cum aceto & cinere temperata necabunt. Si poma labuntur frustum de eius radice abscisum uel præcisum in media trunci parte figamus. Mespila ad seruandum legantur nondum mitia, quæ & in arbore diu durabunt, uel in uasculis picatis, uel in ordinem suspensa, uel cum pediculis semimatura & aqua salsa per quinq; dies macerata, ita tamē ne innatet. Die serena legantur ac media, & paleis obruātur discreta, ne ea uicissim tactus officiat. Seruantur & in melle, si nimis matura collegeris. Ex mespilis fieri bonæ sepes possunt, si spissæ plantentur, uel uirgis propaginentur, uel spinis albis sæpius inserantur. Mespila siue frigida sunt & sicca in primo gradu, proprietates habent stomachum confortandi, & cholericam egestionem ac uomitū auferunt, urinam prouocant, magisq; ad medicinam pertinent quam ad cibum, parum enim nutriunt & grossum faciunt cibum. Meliora sunt si ante cibū sumant̄ quā post, quia stomachi sunt confortatiua, & neruositati eius nō nociua.

De Myrto.

MYrtus est frutex in littore maris, super quo mare sæpe exūdat præcipue abundans. Aërem querit calidum aut temperatum aut frigidū, secundum Albertum. Terram autem desiderat sabulosam, solutam, macram, & heremi proprietates habentem. Seritur plantis ab ipsa matre euulsis. Myrtuli qui sunt fructus eius frigidi sunt in primo gradu, & sicci in secūdo, principaliter cōpetunt medicinę, secundario folia & flores, & quāto recētiores sunt fructus & flores, tāto meliores. Fructus post maturitatem collectus in magna efficatia per bienniū seruant̄, ad solē debent siccari, flores autem nō possunt diu seruari, sed sola folia diutius, uirtutē habēt constringendi ex ponticitate, & confortandi ex aromaticitate. Cōtra uomitū & fluxum uētris & profluuiū mulierū ex debilitate uirtutis cōtentiuę uel ex humiditate, dētur ipsi fructus ad comedendū uel succus expressus det̄, etiam sirupus ex succo eorū & saccharo addito, quod optimū est contra prædicta, & potest per annum seruari, si bene coquatur succus. Si uero non habes saccharū adde mel ex puluere uel fructibus decoctis, & albumine oui, fiat emplastrū circa os stomachi, contra uomitum, & contra dyssenteriam, circa renes, & pectinem, & umbilicum. Fiat etiā fomentum ex aqua pluuiali decoctionis foliorū eius circa inferiora propter fluxum & dissenteriam, & profluuiorū mulierum. Itē fomentum ex hac aqua circa frontē, & tempora & pedes, somnū prouocat in febre acuta, & soluit dolorē capitis ex caliditate. Et fasciculi summitatis eius in aceto uel aqua pluuiali cocti & super os stomachi positi refrenāt uomitum, & super renes, pectus & umbilicū, ualent contra fluxum uentris, & in acuta febre soluūt dolorē, qui fit ex acumine doloris dissoluentis. Sirupus ex frondibus factus miro modo ualet contra præ-

dicta, puluis etiam florum ipsius datus in cibis ad eadem ualet, & ulceribus superpositus consolidat. Item puluis myrtulorum & florũ eius mane ante cibũ datus, cõfert laborãtibus fœtore oris qui stomachi uitio factus est. Auicẽna dicit, quod retinet solutionem, & sudorẽ, & omnem fluxũ sanguinis, & omnẽ fluxum ad membra, & quando cum eo fit fricatio in balneo, confortatur corpus, desiccantur humiditates quę sunt sub cute. Itẽ oleum & succus & decoctio ipsius cõfortant radices capillorum, & prohibent casum & perlongant eos & denigrãt. Et proprie eius fructus semina & folia eius sicca prohibent fœtorem axillarũ & inguinũ. Item sedant apostemata calida, & adustionem ignis cum oleo, & similiter emplastrum ex ipso fructu & prohibet à morbis uesicæ. Item emplastrum factum ex fructibus eiusdem coctum cum uino, est cõueniens mollificationi iuncturarum. Et eius folia cum uino decoquantur, & fit inde emplastrum, sedant sodam uehemẽtem. Item sedat ophthalmiã, & cum decoquitur cum hordeo seu oleo, sanat eorum apostemata. Item confortat cor & aufert tremorem cordis. Item confortat stomachum, & proprie robur eius, & eius semina prohibẽt cursum superfluitatum ad stomachum. Item est bonus in prohibendo menstrua. Item eius succus confert puncturę scorpionis.



De Nuce.

NVx dicitur à nocendo, eo quod umbra eius nocet alijs arboribus. Hæc arbor nullũ recusat aërem, neq; genus terræ, licet in pingui soluto latior & maior efficiatur. Seritur extremo Ianuario nucibus suis, eo modo quo seruntur amygdala & eisdem mẽsibus. Sed quas Nouembri disponis aliquatenus sole siccabis, & exiccetur noxiũ uirus humoris. Quas uero mẽse Ianuario uel Februario positurus es, aqua simplici pridie macerabis. Ponentur aũt transuerse ut latus eiecto cacumine, id est, ipsa tarma figatur in terram. Cacumen ipsum cum in seminario uel alibi nucem cõponimus ad partem dirigimus aquilonis, lapis subtus uel testa, ut ait Palladius, ponẽda est, ut radicẽ nõ simplicet, sed repercussa respergat. Transplantatur in locis calidis & siccis mense Octobri, cũ casum foliorũ passa est, & melius mense Nouembri, in frigidis uero mense Februario & Martio, sed in tẽperatis satis cõmode utroq; tẽpore trãsplantatur, biennalis in frigidis, & triennalis in calidis regionibus transferat᷑. Radices aũt plantarũ in hoc resecare non debes, lætior fiet si sæpius transferatur, fimo bubulo planta est obducenda. Sed melius cinis in locis frigidis, & sabulum in calidis spargetur in scrobibus, ne calore stercoris aduratur. Nam & cinis

creditur

creditur corticem & teneritudinem procurare & fructuū densitatem, altis delectatur scrobibus pro arboris magnitudine, & interualla maiora desiderat, scilicet quadraginta uel quinquaginta pedum ad minus, quia stillicidijs foliorum suorum proximis uel sui generis nocebit arboribus. Inseritur aūr in se in trunco Februario mense, & in pruno, ait Albertus. Debet aliquando circumfodi, ne cana fiat uitio senectutis, & cānalis longus à summo trunco usq; ad imum tēpore ueris debet extendi, ut beneficio solis & uenti durescant quæ in putredinem transibant. Formatur autem ut sex uel octo aut decem pedibus stipes earū eleuetur in altū ibiq; diuidatur in ramos, qui primo sursum deinde procedente tempore flectentur inferius, & per magna latera se diffundent. Si dura nux erit, uel nodosa, stricta, ut inde nucleum facile auferri non possit, cortex circuncidendus est, ut uitium mali deducat humoris. Alij radicum summa præscindūt. Alij terebratę radici palum de buxo imprimunt, uel cuprinum clauum, aut ferreū figunt, sed ea inutilia puto, & omni ratione carere. Colligunt autem eas perticis excutiendo, cum inter nucleum & testam aliqua rubedo apparet, aut cū exterioribus corticibus incipiunt posse expoliari, ut in aceruum congregātur, ut quibusdam diebus elapsis possint cum lapidibus aut modico ligno ductis corticibus facile remoueri. Deinde duobus tribus uel quatuor diebus in aēra secundū quod sol magis uel minus calidus fuerit ponantur, ut siccentur & seruabiles fiant. Et si antequā ad solem ponantur aqua lauentur, pulchriores & magis uenales efficientur, & cum siccatę fuerint utile erit omnes perforatas & à uermibus occupatas eligere, & ab alijs segregare, ut statim rumpantur, & nucleis siccatis seruentur propter oleum faciendum, qui propter diuturnitatem temporis remanentes in testis à uermibus consumpti fuissent. Reliquas autem electas seruare, quas in arena seruādas obrues uel folijs suis aridis, uel in arca ex ligno suo facta includes, uel cepis miscebis quod etiam eis acredinem tollitur. Martialis autē expertū se ait, ut uirides nuces putaminibus suis liberatas in melle demergi, & post annum uirides esse, & ipsum mel medicabile fieri, ut ex eo facto & potio arterias curet & fauces. Ex ligno eius fiunt optima scrinia, & ualde pulchra, & diu durabilia, & cætera uasa ad res gubernandas, & fortes rotæ pro curribus, & tenaces diuq; perdurabiles, & in his operibus excedunt omnia ligna quę in nostris inueniūtur partibus. Ex fructu eius fit oleum cum instrumentis ad hoc paratis, quod est ualde pulchrū & delectabile, crudum in cibis sumptum. Ex uno autē corbe nucum fit tertia pars nucleorum, ex quibus fiunt 24. libræ olei, si bonę fuerint nuces. Quædam sunt uirides, quædam siccæ, uirides minus sunt calidæ siccis, aliquantulum enim humorem habent, & parū stomacho sunt nociuæ, quę manducatę cum ruta faciunt contra uenenum. Siccę uero nuces calidæ sunt secundum Auicennā in tertio gradu, & siccæ in principio secundi. Et sunt tripliciter, nam quędā sunt uicinę tēpori, quo fuerūt uirides, quędam remotæ, & quædā mediocres, uicinæ sunt humidę, modicū uētositatis habentes,

bentes, & quanto magis ab eodem remouentur tempore, tanto magis eorum humiditas consumitur, eisq́ue uentositas dominatur. Ideoq́ tunc comestæ cito in humores cholericos conuertuntur. Quibus itaq́ uetustioribus existentibus, & uentositate eis multomagis dominante, fit earum sapor quasi uetustissimum oleum, & cibi naturam amittunt. Nuces stomacho sunt contrarię, nisi cum inuenerint stomachum temperatum, aut tantam habentem frigiditatem qui calore nucum ualet repugnare. Idcirco tali stomacho sunt boni nutrimēti, bonæq́ digestionis. Sed calidum habentibus stomachum, putrescunt seu prēstant ustionē, & in cholericos mutantur humores, & furiosos, capitiq́ dolorem faciunt, & oculorum uertiginem, sed ut ab eis omne auferatur nocumentum mūdari eas est necesse & per noctem unam in calida aqua poni, ut partem humiditatis aquę acquirant, fiantq́ quasi uirides nuces. Si ante cibum cum ficubus edantur contra rem uenenosam corpus defendunt. Quod si ex eis cataplasma fecerimus cū cepis, melle, & sale proficiet morsui canis rabidi. Rursus cataplasma factum ex eis cum ruta & melle supra apostemata ex cholera nigra ea mire dissoluit, quæ etiā cum suis tritæ corticibus & super umbilicum positæ destruunt apostema intrinsecus corpori manens. Corticis quoque uel frondiū siue arboris unū exagiū esui datus cum uino stranguriæ optimæ subuenit. Et si cum aceto potetur, repugnat febris rigorem habentibus. Auicenna dicit quod folia & cortex nucis sunt constringentia fluxum sanguinis, & eius cortex adustus, est desiccatiuus sine moderatione, & eius medulla masticata, id est, nucleus uiridis ponitur super apostemata melancholicū ulcerosum & confert. Item cum melle & ruta confert torsioni neruorum, & facit sodam. Et oleum antiquum facit euenire dolorem gutturis. Et emplastrū nucis confert mamillæ apostemosæ, & mixta cum melle confert stomacho frigido, & cum ficubus & ruta est medicamen omnibus uenenis. Dios. præterea dicit, quod umbra nucis est ualde mala dormientibus sub ea, & diuersorum ægritudinū generatiua, & succus corticis eius & radicum eius potatus subuenit difficultati urinæ, ad quantitatem unius exagij, & cum aceto potatus repugnat febribus uenientibus cū rigore & frigore, crines tingit & mundat & prohibet casum capillorum.



De Olea.

OLea est arbor nota, & eius quidem multa sunt genera, quæ propter similitudinem earum uirtutis numerare non expedit, aërem calidū & temperatū requirit, & in modice frigido uiuit, sed ualde frigidū sustinere non potest. Terram desiderat cui glarea sit mixta, aut creta sabulonis admixtiōe resoluta, aut pingue sabulum, aut terrā naturæ depressionis uiuidę. Cretam figuli

tam figuli omnino repudiat,& uliginosam,& in qua semper humor existit, & macrum sabulonem,& nudam glaream,quamuis enim cōprehendat in eis non conualescit. Et situs quidem terrarum oleæ aptus est hoc modo: Quod locis æstuosis, septentrionali colle, frigidis meridiana gaudet, medijs cliuis delectatur, neq; imum neq; arduum patitur locum. In his enim continue propter deflexum stillat ad eam humor, quem multū requirit & satis retinetur circa radices eius, eo quod locus non est præceps, sed latæ deuexitatis, neq; imum neq; arduum patitur locum, quia in imo nimia est aquositas, in arduo pauca. Locis calidis & siccis Octobri & Nouembri, frigidis uero Februario & mense Martio plantantur, quæ uel pastino constituenda sunt, uel suum locum scrobibus tenere debebunt. Seruntur autem ex radicicatis plantis aut à stipitibus euulsis, & ad inferius laceratis, aut ex ramis pullulat, & ex nucleo suæ amurcę, sed à plātis euulsis & ramis in terram infixis melius cōualescit. Pro pter quod miratus fuit Virgilius, ramum oliuæ qui ferè siccus uidebatur pullulasse cum in terram fuisset infixus. Quę cum ponunt̄ in pastino aut scrobibus decisis capitibus & brachijs, & in truncū redactę usq; ad mensuram cubiti unius, & palmi in fermento terræ fossę defigantur, locum palo ante deprimente. Hordei grana secundum Palladium subtus iaceantur, & deputetur, & amputetur, quicquid putridi uel arētis inuentum fuerit, & tunc capita eorum luto uelantur & musco, uinculis quibuscunq; constricta, sed maximum beneficium est, ut proueniat incremento, si partes rubrica uel aliter notent̄, quibus oppositę steterint, & contra eas simili ratione ponantur. Cum plantantur in scrobibus, fiant quatuor uel tribus pedibus latæ, cum duobus profundæ, in quibus ubi lapides sunt glarea misceatur, & stercus si clausus est locus, modiceq; ponantur supra terram, ut emineant. Si uero pecora formidantur, altioris trunci esse debebunt. Si oliuetum constituas sint à se distincte uigintiquinq; pedibus subinde, circa eas herba uellatur, & quotiēs se imber infunderit, frequentissimis fossionibus sollicitent̄, & subinde ducta à trunco terra atque permixta in aliquanto altiores cumulos congregatur seu congeratur. Si autem frumentarius est ager & pinguis quem cōserimus, olìueta inter se quadrigenis pedibus distent, si macer uicenis quinis. Cui proderit si ordines in satione dirigamus. Si prouincia in qua plantare desideras indiget olìueto, & non est unde plantę sumantur, seminarium faciendum est, ut & ibi rami ferro incisi in modum sexquipedalem disponantur, inde in quinquennium poterit ualida planta transferri. Pleriq; autem quod facilius & utilius est radices oliuarum quæ in syluis plerunque sunt aut in locis desertis, in cubitalem mensuram diuisas in seminario, & postmodum in olìueta instituunt & disponunt & admixtione stercoris adiuuant. Quare prouenit & ex arboris unius radicibus numerosa planta nascatur. Inseritur autem in se, & rami quidem in trunco subtili insiti illico conualescunt, hęc insitio fit optime per uindemias, ut ait Cato, Colūtur autem ut in singulis mensibus, quæ sunt in seminario uel scro-

uel ſcrobibus nouellæ paſtinentur. Cum uero adoleuerint, ter in æſtate uel bis ad minus fodi eas oportet, & omnibus herbis circum naſcentibus liberari, in locis aridis aut tepidis menſe Octobri ablaqueandæ ſunt oleæ, ita ut ab eis ſuperiore parte poſſit humor induci. Omnem ſobolem Columella pręcipit cõuelli, Palladio autem uidetur dimitti paucas ſemper, aut ſolidas, ex quibus in uetuſtate matris loco noua ſuccedat, uel melius nutrita & aggeſtæ terræ beneficio etiam ſuas habens radices ad oliuetum faciendum ſine ſeminarij cura transferatur arbuſtula. Eodem Octobri menſe locis frigidis, & exilibus ſunt ſtercoranda oliueta. Columella dicit octo annorum ætate tranſacta, Palladio autem uidetur unoquoque anno ſicca infructuoſa cum aliqua debilitate naſcentia reſecare debere. Cui magis aſſentio. Ait etiã Palladius egregie quod hæc arbor amat mediocriter ab humore ſuſpendi, ſcalpi, aſſidue lætaminis ubertate pingueſcere, uentis clementer feracibus agitari, formatur ut paucos habeat ſtipites, & parũ eleuatos à terra, ut per latera quantum poterit diffundatur. Accidit oleis ex uicinitate aliarum plantarum plurimum nocumentum, eo quod ipſa olea plurimo humido indiget, & ideo quicquid iuxta eam plantatur ei nutrimentum ſurripit, & ipſam macilentam facit: quare oportet plantas propinquas euellere, nec ibi aliquas dimittere. Item uult diligenter cuſtodiri à beſtiarum acceſſu, quoniam corroſio eam plurimum lædit, nec radatur cortex eius, quia tunc exudaret & efficeretur ſterilis & arida. Similiter nocet ei plurimum tranſitus quorumcũq;, ea conculcata terra & indurata in tranſitu non permittit ad eam deſcendere ſufficienter humorem, quare fodienda & ſtercoranda eſt. Non uult autem hæc arbor irrigari fontibus uel riuis, eo quod talis aqua grauis eſt & cito fluit à radice deorſum. Sed potius pluuijs gaudet quę aqua uaporoſa eſt, & ſtatim fumat ad radices ipſius. Si ſteriles eſt olea, gallica terebra perforabis, tunc duos frugiferæ arboris ab auſtrali parte ramos eiuſdẽ magnitudinis tolles, & ſtricte in foramine utrunque concuties, uel lapide uel pini uel querci palo, & abſciſſo eo quod ſuperabit, luto paleato curabis occulere. Si ſine fruge luxuriant oleaſtri, palum radicibus eius infige, quod ſi fructus arbor læta non fert, terebratur gallica terebra uſq; ad medullam, impreſſo foramine cui oleaſtri in formis talea immittitur & ablaqueatæ arbori amurca infunditur, uel uetus infundatur urina. Hoc modo ſteriles arbores uberãtur, quas tamẽ durante malicia inſerere oportebit. Menſe Nouembri oliua tollitur, cum uaria eſſe cœperit uel manibus uel excutiendo perticis ſuauiter ne ramuſculi lædãtur. Ipſis enim lęſis ſequenti anno fructui plurimum derogabitur. Ex qua primum fiet oleum, ſed cum tota nigreſcit melior eſt, & illud quod ſpei merito derogauit fœcũditate compenſat. Ariſtot. autem dicit, quod nunquam perfecte in arbore matureſcunt, etiamſi per multos annos ibi eſſent, ſed ut ueram & perfectam conſequantur maturationem oportet ut collectę de arbore per plures dies in una congerie coaceruantur, ut ſic per preſſionem mutuã confortato calore & retento ad interiora

ad plenam

ad plenam maturationem producantur. Plinius uero dicit, quod quandiu in arbore dimittuntur eo meliores fiunt, semper enim nouas uires sumunt, & difficilius cadunt. Varro scribit, quod olea de qua fit oleum debet congeri & mundari seu aceruari per dies singulos in tabulato, ut ibi mediocriter fracescat, ac prius quisq; aceruus dimittitur in sex partibus seu uicibus ad uasa olearia, & trapetas, & submittitur molę oleariæ, quę est de duro & aspero lapide. Olea lecta si diu nimium fuerit in aceruis, calore fracescit. Itaq; si nequeas maturę conficere in aceruis iactando uentilare oportet. Item scribit Cato, quod oleum quanto ab amurca steterit tanto deterius erit. Item dicit quod olea purganda est à frondibus, & omni immundicia antequã oleum fiat. Item scribit Varro, quod amurca est huius uirtutis quod si de ipsa nimis ponatur in agro terram denigrat, & sterilem facit. Si modicum ad agri culturam uehementer pertinet, & circa radices arborum infundi solet, & maxime ad taleam & ubicunq; in agro herba nocet. Amplius scribit Cato uestimenta ne tineæ tangant, amurca decoquito ad dimidiam eo ungito fundum arce, & extrinsecus pedes, & angulos ubi ea aruerit, si hoc feceris tineę non nocebunt. Item ligneam omnẽ suppellectilẽ si unges non putrescit, & cum ea terseris splendidior fiet. Itẽ æ nea omnia ungito, sed prius extergito bene, postea cum uti uolueris extergito, splendidor erit, & erugo non erit molesta. Oleum si in uas nouum tarditurus es, amurca ita utenda est, calida uel cruda prius collinito, oppilato agitatoq; diu, ut bene combibat, id si feceris uas oleum nõ bibet, & oleũ melius & ipsum uas firmius erit. Oliuæ quędã sunt domesticæ, quædam syluestres, & domesticę quædam sunt acerbæ uirides, quædam mediocres, scilicet uariæ, & rubeæ, quædã nigrę & maturę. Acerbæ & uirides nihil habent adhuc unctuositatis, sed aquositatis tãtum, & hæ sunt terrestres, ponticę & frigidæ & siccę. Vnde sunt stomachi confortatiuę, & uentris constipatiuæ, & ad digerendum tardæ, & corpus nihil ferè nutriũt, sed has oliuas quidam præparant cum sale & aceto, alij cum aceto tantum, & hæc sunt frigidiores & tenuiores, quare choleræ acumen extinguunt, & uirtutem appetitiuam excitant, maxime si in medio prandij accipiantur, quæ uirtuti digestiuæ obedientes ualde stomachum confortant, & uentrem stringunt. Cato scribit eas optime usui conditas, si sale sint confricatæ diebus quinq;, & tunc sale excusso si biduo in sole fuerint positę, & manere idoneas. Et solere easdem sine sale in defrutum condere. Nigræ quidem maturæ calidæ sunt & tẽperatæ humidæ, quare cibus earum est multum nutribilis, & grossus, mollificans stomachum, tardus ad digerendum, & faciles ad egerendum. Et tardioris quidem digestionis propter unctuositatem, facientem cibum uacare in stomacho uel in ore stomachi. Facilitas uero egestionis propter unctuositatem accidit, quę facit stomachum lubricum unde priusquam digeratur de stomacho descendit, & nonnunquam in choleram rubeam conuertuntur. Mediocres uero minus nigris sunt nutritiuæ, propter uentositatem suęq; ponticitatis priuationẽ & paucitatem.

citatem. Oleum quidem quod de oliuis fit, aliud est recens, nouiter de olearum fructibus expressum. Aliud uetus quod diu de fructibus manauerit. Cognoscitur autem laudabile oleum in odore, si est odoriferum, in sapore si est optimi saporis, cuius scilicet ponticitas in lingua sentitur, acuminis indigens qualitate, quia ponticitatis quãtum habet tantũ frigiditati & siccitati pertinet, & ob hoc stomachum confortat, proinde antiqui assimulauerunt ipsum oleo rosato, illudq; in multis passionibus olei rosati uice dederunt. Oleum quidem recens ex oliuis nigris & maturis calidum & humidũ est, mediocriter stomachi & uentris mollificatiuum, citoq; in choleram rubeam conuertitur, quod uero longe ab oliuis maturis fluit omni carebit malitia, quo ad aliquid retinebit ponticitatis. Sed ablata penitus ponticitate fit nocibile, citoq; in malos humores cõuertibile. Quod si multomagis inueterauerit, ut saporis fiat asperioris & horribilioris inconueniens erit esui, tamen utile medicinæ.

De Piro.



Pirus est arbor nota, & eius quidẽ diuersitates infinitę sunt & in qualibet ciuitate diuersa inueniũtur pira. Ideoq; infinita & inutilia omissa, hoc solum hic dicere sufficiat, quod quędam maturatur in mense Iunio, quędam in mense Iulio, quædam Augusto, quædam Septembri, & quædam Octobri, & quædam si sunt collecta & seruata in sequenti tantum maturantur æstate, ut pira regina, hæc arbor omni cœli statum patitur, nam in calido, frigido & temperato aëre satis congrue conualescit, & fructum profert. In macra & pingui potest terra plantari, uerum in macro, arido & cretoso solo pira minora & duriora erunt, & ipsę arbores paruæ & quasi uetustate consumptæ, & maxime ubi salsedo est, uel amaritudo terræ ad ipsarum radices. In loco autem dulci & pingui solo ualidas arbores & fructus nobiles & plurimos consequimur. Et maxime si tale solum in lateribus montium uel in planis prope montes fuerit, in quo pirorum arbores sunt plantatæ, non enim in talibus locis degenerabit hæc arbor, nec in se aut in fructibus de facili patientur defectum. In locis autem multum à montibus remotis, nimium humidis & aquosis, erunt arbores magnæ & frondosæ, fructusq; ipsarum turgentes & uirides, ac uiuo calore carentes, & eorum odor & sapor quodammodo insipidus & obtusus. Plantari possunt rami pirorum, ut de oliuis dictum est, & eodẽ modo, sed quandoq; tardus est euentus, & non perfecte fructificant. Item plantantur pira & nasci quidem necesse est originem suam repetentia, sed quãdoq; hoc est huiusmodi

homini expectare longinquum, & non domestica sed syluestria nascentur. Melius ergo est ut pirorum plantas radicatas seruamus agrestium, & cum comprehenderint inserantur. Spacia uero inter ipsas arbores ut melius cōualescant 30. pedum esse debebunt. In aridis & siccis locis mense Octobri & Nouembri, frigidis Februario & Martio, temperatis utroq; tempore congrue pirus plantatur, aut etiam transplantatur. Inseritur conuenienter in piro agresti uel domestico & in malo, in quibus optime prouenit. Item in spina, sed in hac ad debitum augmentum peruenire non potest. Item in quibusdam alijs arboribus insita cōprehēdit, sed inutiliter, & ideo hoc omitto. Potest autem inseri hęc arbor sub terra, & supra eam iuxta terram & in altum secūdum distinctionem traditam in libro secūdo, cū in cōmuni de insitionibus locutus fui. Fit eius insitionibus sub cortice, & in trunco scisso. Itē in salicē pertica perforata & sub terra sepulta. Item per illum modum qui emplastratio nominatur. Item per illum qui dicitur ad bucellum. Horum autem nodorum doctrinam in libro secundo sufficienter ostendimus. Assidue gaudet fossione, ac lætaminis ubertate pinguescere. Formatur autem ut unum solum habeat stipitem, qui usque ad octo uel decem pedes aut plures eleuetur à terra, ibiq; ramorum diuisio procuretur. Accidunt piris multa nocumenta, quę cum eorum cura nominata sunt in principio huius libri, cum sermonem feci de arboribus in communi, & colliguntur sine periculo, si rami debiles altiores congruis funibus cum fortioribus alligentur. Hæc enim arbor ualde fragiles habet ramos & casui colligentium expositos, & maxime cum ad ætatem decrepitam incipit declinare. Pira colliguntur diuersis temporibus, secundum diuersitates maturationis ipsorum, ut cum ęstiua, tunc legantur cum odore & colore sibi proprio maturitatē pretendunt, quę si duobus aut tribus diebus ante legātur, uidelicet apparētibus primis maturitatis indicijs, pluribus seruabuntur diebus ad usum quā si sint ultima maturatione collecta. Quæ uero in fine autumni maturant per hyemem seruanda Octobri mense legātur, sicco tempore & in lunæ decremento. Seruantur pira si à caducis diligenter electa, integra & prope dura & aliquantulum uiridia obruta inter paleas uel frumenta ponantur, in loco tamen obscuro & sicco. Alij cum tenacibus suis statim lecta picatis urceis condiderunt, & oribus uasculorum gipso clausis aut pice ipsa sub diuo obruta sabulone texerunt. Alij pira diuisa & granis purgata in sole siccant, & in frigida aqua salsa manere permittunt. Postea in aqua puro biduo macerentur, deinde in fine in uino dulci mersa custodiuntur, uel in sapà uel passo usui reseruantur. Vinum fit de piris si concussa & sacco rarissimo condita ponderibus comprimantur uel prælo, hoc in hyemem durat, sed prima acessit æstate. Acetum de piris sic fit pira syluestria uel asperi generis in cumulo seruantur matura per triduum, deinde mittantur in uasculum. Cui fontana uel pluuialis aqua miscetur, & opertum uas per triginta relinquitur dies, ut subinde quantum sublatum fuerit ad usum aceti, tātum aquæ ad reparationem

reddatur. Liquamen de piris sic fit, pira maturissima cum sale calcantur, ubi carnes eorum fuerint resolutę, uel in capsellis, uel in uasis fictilibus paratis clauduntur, post mensem tertium suspensæ hæ carnes liquorem dimittunt, saporis iucundi, & coloris albiduli. Ex ligno piri pulchræ assides & tabulæ fiunt, quę optime leuigantur, ex quibus multa opera congrue fiunt. Pira quædam domestica, quædam syluestria sunt. Syluestria, frigidiora, duriora & sicciora & magis pontica sunt domesticis. Rursus pira quædam sunt acerba pontica, & quędam matura dulcia, acerba pontica omnia sunt de natura syluestrium, & stomachũ confortant, uentremq́ꝫ constipant, & sunt frigidæ & siccæ medicinę, non nutrimento conuenientia. Ideoq́ꝫ oportet operam dare ut mollescãt & asperitatem amittant, ut uidelicet elixentur, aut super calidam aquæ fumum suspendantur, aut operta pasta assentur, aut cum melle condantur. Pira siue cocta siue cruda sint, uentrem constipant, & si cocta sunt in aqua pluuiali posita super os stomachi compescunt uomitum ex cholera, & super pectinem posita fluxum uentris constringunt. Pira dulcia matura temperatæ complexionis sunt, quia minus cęteris frigida sunt, qua propter calefaciunt & augent digestionem, ualentq́ꝫ in his quoqꝫ quorum stomachi frigidi sunt & sicci, habent autem pira proprietatem, quod si cum fungis coquantur omnem auferunt læsionem, pręcipue si syluestria sunt, propter ponticitatem suam. Cinis arboris piri agresti bibitus in his qui fungorum sunt comestione suffocati multum ualet. Frondes pirorum & rami stiptica sunt, sed pirorum stipticitas cum aquosa dulcedine mixta est. Auicenna dicit, quod pira syluestria exiccata consolidant uulnera.

De prunis.

PRunus est arbor nota, & eius quidem diuersitates sunt, quia quædam est domestica, & quædam syluestris, domesticę quædam faciunt pruna alba, quędam nigra, quędam rubea, & rursus quędam mollia, quędã callosa & dura, & iterum quædam grossa, quędam parua. Aẽrem desiderãt tepidum principaliter, & frigidum satis commode sustinere possunt: loco gaudent læto & humido, & similiter lapidoso & glareoso iuuantur loco, lætamen recusant, quia ex hoc fructus uermiculosos & caducos faciunt. Seruntur ossibus suis autumno mẽse Nouembri, putri solo, & subacto duobus palmis uel minus obruantur ossa: eadem ponuntur & Februario, sed tunc sunt per triduum lixiuio maceranda, ut cito germinare cogantur. Cui rei proderit, si in seminario nutriant, ut postmodum elapso biennio transferantur, ponantur etiam eisdem mensibus & plantis quas sumemus de radicibus & cortice matris, radicibus cum ponuntur fimo oblitis. Hęc arbor non multum profundas quęrit scrobes, quia nõ multum in profundo radices figit, nec multa magna spacia, quia se inuicem parũ impediunt. Inseritur in se & in persico & amygdalo, sed eam degenerem reddit & paruam, & in se recipit amygdalum & malum, secundum quosdam, & optime persicum. Extremo Martij fit eius insitio, uel mense Ianuario antequã gummi eius in-

eius incipiat lachrymare. Sed ego etiam mense Februario expertus sum sæpe optime prouenire, iuuatur frequenti humore, & assidua fossione. Extirpandæ sunt soboles circa radices, exceptis rectoribus, quæ seruabūtur ad plantas, formantur autem ut unum solum habeant stipitem, non multum eleuatum à terra, si languida est arbor pruni, amurca cum aqua ęqualiter temperata radicibus debet affundi, uel cineres ex furno & maxime sarmentorum, si poma decidunt oleastri cuneum terebratæ infige radici. Si uermes aut formicas patitur, curetur ut supra in tractatu cōmuni de arboribus dixi. Pruna siccātur etiam in sole, scissa in tribus uel quatuor partibus circa ossa, alij in aqua marina, uel aqua feruēte recenter lecta pruna demergūt, & inde sublata in furno faciunt uel in sole siccari. Ex prunis fiunt optime sepes & utiles, quia sua spissa pullulatione eas spissas & fortes faciunt, & fructum abundanter præbent, & cū duobus uel tribus uel quatuor annis elapsis inciduntur, quibusdam rarioribus relictis multos præparant uinearum palos, & igni satisfaciunt abundanter. Sed ut diuersorum prunorum plantę pro sepibus faciēdis habeatur copia, nihil erit utilius quàm tempore maturitatis earum pueros ad forum plateasq; mittere ubi uendūtur, & à personis uilibus comeduntur, quia omnia ossa cuiuslibet generis inuenta colligāt, & hęc sicca supradictis temporibus plantanda seruētur, ex quibus quatuor usq; ad sex simul in seminario poni possunt, & postea in seminario nutriuntur, & cum conualuerint ad loca sepium transferantur & sulcos. Pruna parum nutriunt, & alba quædam dura sunt ad digerēdum, stomacho nociua, sed exiguum solutiua. Ideoq; cum sint grossa non debent comedi nisi grandia & perfecte in arbore maturata. Et pruna nigra quædam sunt domestica, quædam agrestia, rursus domestica, quędam sunt nigra, perfecte in arbore maturata, & dulcia nimis, sunt frigida & magis humida in secundo gradu, ut Auicenna dicit. Nam eius frigiditas est in initio primi gradus, humiditas uero in fine. Platearius tamē dicit, quod sunt frigida & humida in secūdo gradu. Auicēna dicit, quod sunt frigida in principio secundi, & humida in fine tertij, stomachum humectant, uētrem molliūt, & choleram rubeam soluunt & proijciunt, tamen si nimium utamur stomacho nocent. Cruda uero dura, uiridia & pontica pessima sunt in medicina & cibo, durum enim stomacho ualde nociuum est, & minime nutrit atq; fatigat. Rufa uero magis sunt frigida & humida. Nimis agrestia nimis stiptica sunt, ideoq; ualēt ad diarrhœam & dyssenteriam, & quidam ea matura colligunt, & scindunt per medium & ad solem siccant, aceto aspergunt, & in uase reponūt, & hæc magis sicca, habent uirtutē infrigidandi, & intestina leniendi, unde ualent in acutis ęgritudinibus, & ad uentris constipationem ex humore cholerico. Et si sunt uiridia, dentur ad edendum, si sicca coquantur in aqua, & pruna comedantur & aqua bibatur. Auicenna dicit, quod gummi eius est subtiliatiuum & incisiuum & conglutinatiuum & consolidat ulcera. Et cum ex folijs prunorum colluitur os, prohibet fluxum in uuam.

De Persico.



Persicus est arbor nota, quę parua est, cito tamen crescit, & paruo tempore uiuit, in locis quibuscunq; proueniunt, sed pomis & frondibus & durabilitate præcipua sunt, si cœlum calidum, solum arenosum, & humidum sortiantur. Frigidis uero & maxime uentosis intereūt, nisi aliquo defendantur obiectu. Mense Nouembri in locis calidis, cæteris uero Ianuarij persici ossa in pastinatis arenis sunt ponēda, binis uel uno à se pedibus separata, & cum ibi plantę excreuerint transferantur, & non amplius quàm duobus palmis uel tribus secundum Palladium obruātur, dum tenera sunt germina, herbis persępe circumfossa liberentur, plantā bimam recte transferimus breui scrobe, nec à se longe statuendę sunt, ut inuicem à se calorem solis excutiant. Ianuarij & Februarij in locis frigidis, Nouembri calidis persicus inseritur, maxime circa terram surculis plenioribus & prope arborē seu stipitem natis. Nam cacumina uel non tenebunt uel diu durare non poterūt. Inseritur in se, & in amygdalo, & pruno, Aprili mense uel Maij locis calidis. In Italia uero Maio existente & in Iunio persicus inoculari potest, quod emplastrari dicit', pręciso desuper trunco & emplastratis plurimis gemmis, eo modo quo dictum est. Ego aūt inueni eius insitionem in pruno factam mense Februarij optime cōualere, ablaqueandę sunt per autumnum, & suis folijs stercorandæ. Item putandi sunt, putrida & arida tantum uirgulta tollantur, nam si aliquod uiride auferatur arescunt, ut Palladius ait. Apud nos experientia contradicit, imò si rami uirides loco incongruo nati tolluntur pulchrior & melior efficit' arbor, sed forsan in sua regione loca erant arida nimis, hæc arbor ardore solis arescit. Et ideo cumulet' agestione frequenti, uespertino iuuetur humore, & obiectis defendatur umbraculis, ut idem Palladius dicit, quod intelligo in locis nimiū calidis & siccis, quia in nostris partibus tēperatis nō eget. Vnum solum stipitē habere debet à terra modicū eleuatum. Languenti arbori ueteris uini feces aqua mixtas oportet infundere. Contra pruinas stercus ingeratur persico, uel, ut modo dixi, uini feces cū aqua mixta, uel quod magis prodest faba in qua aqua decocta est, ut idem Palladius ait. Si uermes patitur, cinis amurcæ mixtus eos extinguit, uel bouis urina, cum aceti tertia parte confusa. Si poma caduca fiant, radices eius nudatæ uel trūco lentisci uel terebinthi cuneus infigatur, ut ait Palladius. Vel terebratę in medio palus salicis imprimatur. Si poma rugosa creabit aut putrida, circa unum truncum cortex rescindatur, & cum inde modicus humor effluxerit, argilla uel paleato luto tegatur. Contra uitia persici fertur proficere spartea ad ramos suspēsa. Persica seruantur si detractis ossibus in sole siccant'. Item detractis ossibus melle con-

melle condiuntur,& sic saporis iucundi fiunt. Item seruari dicũtur si umbilicum eius gutta picis calentis oppleueris,& in uase clauso reponas. Persica diuiduntur in duo, quædã enim sunt grossia mollia, hæc sunt magis aquosa, scilicet frigida & humida,& quędã sunt parua, solida, dura,& hęc sunt magis terrestria, scilicet frigida,& quodammodo sicca,& maxime si nõ fuerint perfecte in arbore maturata, aut fuerint omnino acerba & cruda. Frõdium eius succus potatus lumbricos & cucurbitiuos eijcit. Persica frigida & humida sunt in secundo gradu. Phlegma generant, ieiuno stomacho sunt edenda,& post uinum uetus odoriferum est potandum, idem facit si ex eo cataplasma feceris umbilico, secundũ Auicennam. Et succus foliorum eius in aurem missus uermes interficit. Matura sunt bona stomacho,& in eis est uirtus faciendi appetitum cibi,& oportet quidem ut non comedantur post alium cibum, quoniam corrumpũtur post ipsum,& corrumpunt eum qui præcessit,& sicca sunt tardæ digestionis,& non boni nutrimenti, quamuis sint multi nutrimenti,& matura leniunt uentrem,& immatura constringunt.

De Palma.

PAlma est arbor ferens dactylos, aërem desiderans calidum aut temperatum, nam in climate calido ante hyemem maturat fructum, sed in frigido, quod est quintum uel sextum clima, non maturat, nisi post hyemem ad principium ueris aut æstatis anni sequentis. Sed circa septimum uel quartum clima pullulat, sed propter frigus non conualescit, sed est uerius dicere quod nec in sexto climate uiuat, uel in quinto difficile. Terram solutam & sabulosam requirit, nam constat locum prope nullis fructibus esse utilem, in quo palmæ sponte nascuntur. Seritur plantis Aprili mense uel Maio, tamen quando planta ponitur circa eam uel sub ea pinguis terra fundatur. Item seritur mense Octobri semine siue ossibus dactylorum non ueterum, sed recentium & pinguium, in cuius seminario terræ cinis miscendus est, uel notandum est tamẽ quod ex uno nucleo uix unquam plãta crescens conualescit, sed potius ex multis simul positis,& hoc ideo est quia plãtula quæ ex uno oritur adeò debilis est, quod truncum qui arborem portare possit facere non potest. Sed multæ plantæ simul exortę, propter compressionem sibi inuicem cõtinuatę perficiunt illius arboris truncum. Porrò cum semina & nuclei aliarum plantarum habent uirtutem pullulatiuam, quædam in summo, quędam in imo, quędã in circuitu, quędam in medio, nucleus palmæ qui est os dactyli habet quasi in dorso suo,& ibi est foramen strictum aliquantulum longum, per quod germen suum egreditur. Quare optima plantatio eius est, quod hæc ossa in sacculo lineo in sabulo ponantur,& quanto fieri potest foramen unius foramini alterius applicetur, ut plantulæ unius coniunctę perfectiorem faciant arborẽ, palma enim unius uirtutis non proficit, tam propter sexum qui in ea districtior, quàm in alijs plantis, tum etiam propter ligni debilitatem. Item palma masculus nunquã facit aliquẽ fructũ, sed

plãtatus masculus iuxta fœminam inclinat se ad eam, ita quod tangũt se rami maris & fœminæ, & comprimit bifurcatio ramorum fœminę ramos maris, & tunc rectę palmæ decedunt à se inuicem, tunc fœmina concipit non substantiam aliquam emissam à masculo, sed uirtute ipsius. Similiter autem hæc ostendunt opera rusticorum, quoniam cum longæ sunt abinuicem plantatę masculus & fœmina abstrahunt masculi ramos, & ponunt super fœminam, & illa in furcis suis uel cõprimit eos, & cõcipit ex eis. Cum autẽ stat fœmina fructu onusta, per uẽtum qui spiritum & humorem masculi ducit super fructus fœminæ, & eius maturantur fructus. Non autem est arbitrandum quod ista in prȩgnatione & maturatione fœmina indigeat, quando ex pluribus seminibus planta cõualescit, quia tũc plures masculos in uirtute & substantia in se habet. Annua uel bima debet trãsferri mense Iunio, & Iulio inchoante, circumfodiatur assidue, ut irrigatio continua ęstatis uincat ardores. Aquis aliquatenus salsis palmę iuuãtur. Si ęgra est arbor, feces uini ueteris ablaqueatę oportet affundi, uel radicum superuacuam capillationem decidere, uel cuneum salicis interfossis radicibus imprimere. Hæc arbor difficillime crescit, & longissimo tempore uiuit, ante cẽtum annos fructũ non facit ut dicit Plinius. Et est sciendum quod fructus dactylorum non percutiliones depẽdent à ramis eius, sed potius habent sedes quasdam in quibus immediate super ramos existunt. Et quod mirabile est in una, si aliqua profert fructus suos & ramulos in quibus fructus sui consistunt, quæ si aliqua in superiori parte aperitur, sicut fit in siliqua rosæ & lilijs, & aliorum multorum florum, sed aperiuntur inferius ex parte rami super quos sunt, eo modo quo aperitur siliqua papaueris & porri. In summo autem cacumine habet hæc arbor cassam, in qua est substantia mellis, quæ multum accedit ad substantiam dactyli, hęcq; cum absc indit palma arescit. Dactyli calidi sunt & humidi in secundo gradu, grossi sanguinis generatiui, & difficilis digestionis, ficubus tamen siccis sunt digestibiliores, & magis urinam prouocantes, sed illis assuescentes epatis & splenis constipationem, duritiem atq; grossitiem & tumorem patiuntur. Gingiuis, & dẽtibus sunt nociui, & dolorem in ore stomachi faciunt.



De Pino.

PInus est arbor nota, quæ creditur prodesse omnibus quę sub ea sunt, amat locũ gracilem, sæpe maritimum, inter montes & saxa uastior & procerior inuenit̃, uentosis & humidis locis arborũ fiunt incremẽta lætiora. Sed huic generi deputabis ea spacia uel mõtes, quæ alteri utilia esse non possunt. Exarabis ergo ea loca dili-

loca diligenter atq; purgabis,& frumenti more semen aspergas, ac leni sarculo curabis operire,nec plusquam palmo debet abscondi, & nata non träsferantur,quia non facile comprehendunt,& uix crescunt,nec aliquo tempore incidantur,quia moriuntur,& loco rami siue radicis incisæ aliæ non nascuntur. Seritur igitur nucleis suis,aqua per triduum maceratis, calidis & siccis regionibus mense Octobri & Nouembri: frigidis uero & humidis Februario & Martio. Alij dicunt,fructum pineum translatione in multa semina duci,in colliculis terra & fumo repletis obruunt,quæ ubi creuerint relicto eo quod solidius est, auferunt alia. Vbi iustum ceperit nutrimentum,trinam plantam cum ipsis colliculis transferunt,in scrobe indulgent radicibus largitatem terræ, tamen equi stercus admiscent. Seruandum est autem ut radix eius quæ una & directa est usq; ad summitatem eius possit integra & illæsa transferri,defendenda est arbor tenera à pecore,solumq; ne calcetur inualida. Putatio nouellas pini arbores tantum promouet,ut paucis annis in iustam magnitudinē crescat. Item fert quod sub eius cortice nascuntur facile uermes,qui lignum corrodunt & destruunt,& ideo longiori tempore durat,si sæpe corticibus spolietur, nuces pinei usq; ad mensem Nouembris in arbore esse possunt. Maturiores pineæ legentur prius tamen quam putrescant nuclei,qui nisi purgati durare non possunt. Tamen aliqui in uasis fictilibus nouis & terra repletis cum testis suis asserunt custodiri. Pinea calida est & humida in secundo gradu,secundum Auicennam in tertio,uirtutem habet leniendi,humectandi,& aliquantulum aperiendi. Optimus cibus est laborantibus in instrumentis spiritualibus, & apostemate ex frigido humore, asthmaticis,id est,siccę tussiētibus,hectica febre laborantibus & cōsumptis. Sanguinem augmentat,libidinem incitat,per se potest dari,uel cum sirupo uel electuario,uel in cibis. Contra tussim ualet cortex exterior, cum primo pinea ab arbore sumitur,si decoquatur bene in aqua,& postea super carbones ponatur,ut patiens fumum recipiat.

De Pipere.

Piper est arbor parua,& nascitur optime,& fructificat sub cancro,& climate ubi est multa adustio solis,& pręcipue in monte Caucaso, ut dicit Isidorus,dicit etiam quod eius syluas serpentes custodiunt,sed incolę illius regionis tempore maturitatis syluas incendunt,& serpentes fugiunt,& ex incēdio grana piperis quæ naturaliter erant alba,efficiunt nigra & rugosa. Diascor. dicit quod Saraceni collectam ponunt in clibano,ut uirtus generatiua auferatur,& non possit in alijs partibus mundi seri,in locis etiam temperatis nascit, sed in eis fructum non facit. Ideo apud nos ipsius plātatio & industria nullius utilitatis est. Piper calidus est & siccus in tertio gradu,uirtutē habet dissoluendi & confortandi,puluis eius naribus appositus sternutationē prouocat, & cerebrū à superfluitate phlegmatum mundificat,uinū decoctionis eius & ficuū siccarū,

spiritualia

ſpiritualia mundificat à glutinoſo humore,& miro modo ualet contra frigidũ aſchma. Puluis etiã eius cum ficubus datus ad idem ualet, puluis etiam in cibis datus digerit,& confortat, ſanguineis & cholericis non eſt utilis uſus piperis, diſſoluit enim & quandoque inducit lepram. Item puluis eius ſuper carnẽ poſitus eam corrodit. Auicenna dicit, quod cum melle poſitus in palato eſt conueniens ad anginam,& pulmonem mundificat cum aceto bibitum,& linitum eſt bonum apoſtematibus ſplenis. Item prouocat urinam,& eijcit fœtum cum fortitudine.

De quercu, rouere,& cerro.



QVercus, rouer & cerrus ſunt arbores magnæ, quæ ſunt ferè eiuſdẽ naturæ, multamq́; ſimilitudinem habẽt in ſoliditate,& duritie lignorũ,& foliorũ forma & fructus, nam omnes producunt glandes, omnesq́; profundas multas & magnas radices faciunt, ſed in arborum forma differunt, nam quercus breuem facit ſtipitem,& ramos magnos, ab omni parte diffuſos. Cerrus eſt quę ſtipitem facit longiſſimum,& ualde rectum,& paucos ramos. Rouer uero facit ſtipitem directam & altum, cum paucioribus ramis. Hæ arbores terram ſolidam & durã ac mediocrem quærunt,& montuoſam uel montibus propinquam, reſolutam uero & aquoſam & pręcipue ſabuloſam refugiunt. Seruntur glandibus ſuis in ſeminario, uel in agro, uel ad ripas foſſatorũ poſitis. Menſe Ianuario uel Februario & etiam menſe Nouembri colliguntur glandes, tempore quo maturæ uel ab arbore cadunt,& ad ſolem ſiccatę ſeruantur pro cibo porcorum, quibus eſt cõueniens & bonus. Omnes prędictę arbores in aquoſis ſub terra diu durabiles ſunt. Supra terrã uero rouer melior cerro eſt. Glandes frigidæ ſunt in primo gradu, ſiccæ in ſecundo, non utimur eis in cibo hominum, ſed porcorum, quia ſunt digeſtioni inobedientes,& uentrium conſtipatiuę,& ideo ualent dyſſenterię,& ulceribus inteſtinorum,& fluxui ſanguinis. Sed tamen urinam prouocant,& corporis ſunt nutritiuæ, quaſi quædam grana, tardæq́; de ſtomacho deſcendunt,& capitis dolorem faciunt propter fumum earum ex ſtomacho aſcendentem, ſed eius ſuperficies multum eſt ſtiptica,& ſimiliter ipſarum arborum gallę, unde ualet ad ſanguinis fluxum mulierum. Item decoctio earũ conuenit inteſtinorum uulneribus, puluis etiam eorum combuſtorum in loco uulnerum immiſſis humores putridos fluentes deſiccat. Auicenna dicit, quod earum folia ſunt uehementis ſtipticitatis,& fructus quidem glandis confert apoſtematibus calidis in principio. Folia præterea glandis faciunt coërcere plagas

plagas cum teruntur & puluerizantur desuper. Et gallæ ipsarum liniantur cum aceto super impetiginem & auferunt eam. Et puluis earum spargitur super aquam & bibitur ad uulnera intestinorum & ad fluxum antiquum, & similiter quando ponitur in medicinis conueniens est ad hanc operationem.

De Sorbo.

SOrbus est arbor nota, cuius fructus duplex est, scilicet paruus, rotūdus, & hic ex fœmina producitur, uel maior parum longus & acutus qui ex mascula proceratur, amat loca humida, & proxima frigida, & in montanis uel montibus proximis locis magis quam in uallibus & remotis à mōtibus delectatur, solum pinguissimum desiderat, cuius indicium certissimū facit, quod in huiusmodi locis frequentes uidētur nasci. Mense Ianuario, Februario & Martio locis frigidis, calidis uero Octobri & Nouembri, sorba seruntur egregie, ita ut maturata in seminario ipso poma pangantur. Plantas etiā si quis ponere uoluerit, habebit arbitrium, dummodo calidis locis mense Nouembri, temperatis Ianuario & Februario, frigidis Martio disponat. planta est transferenda robustior, scrobem desiderat altiorem, & spacia longiora, ut quod illi maxime prodest à uētis frequentibus agitata grandescat. Mense Aprili uel ultimo Martij sorbæ inseruntur in citonia, spinam albā, licet in ea parua proueniat, sub cortice & in trunco, uel, ut puto, etiam in piro, & in malis competenter inseri potest. Gaudet irrigatione tēporibus siccis, & assidua fossione. Formanda est, ut unū solum habeat stipitē circa 10. uel 12. eleuatū à terra. Si uermes patiatur infestos, qui in ea rufi aut pilosi solent internā medullam secare, aliquos ex his ab arbore detractos, incēdio uicino cremare debere Palladius ait. Quo genere alij creduntur fugere uel perire. Sorba seruātur hoc modo, lecta duriora & posita ubi mitescere cœperint, fictilibus usq; ad plenū clauduntur urceolis, gypso desuper tectis, & in bipedanea scrobe loco sicco sub sole mergentur, ore peruerso, & desuper spissius terra calcat. Itē secta per tres partes siccant in sole, & seruant, uel per medium diuisa siccant. Cum uero uoles uti aqua feruenti macerata reuiuiscunt sapore iucundo, aliqui tamē pendiculis suis uiridia lecta supponunt locis opacis & siccis. Ex sorbis maturis fit uinū sicut ex piris. Lignum sorbi est solidū non corrigenum, sed facile frangibile, quare optime leuigatur. Ideo ualde est cōueniens operibus uasorum scrineorum, & idoneum ijs quæ superficiem tersam & politam requirunt. Rubeum tamen habet lignū. Sorba frigida sunt & sicca, uentrisq; constipatiua, etiam si sint perfecte matura.

De Zezulus.

ZEzulus est arbor quædam parua, multum scabiosa. Cuius folia multa, quasi in uno ramunculo sunt coniuncta, simulq; tempore hyemis ab arbore cadūt. Eius fructus similis est baccis rosarum, uel fructui oliuarū, unam tantū habēs os, aërem desiderat tēperatū, nec frigidū formidat.

Et in terra pingui & soluta lætatur, seritur nucleis suis in seminario mense Nouembri aut Februario, satis & diligenter nutrire oportet, quæ cum conualuerint biennio uel triennio transferantur. Seritur etiam plãtis super radicibus matris natis. Inseri eam posse putato in spina alba, & forsan in pruno mense Februario & Martio scisso trũco, & formatur ut unum solum habeat stipitem, per sex pedes eleuatus à terra. Colliguntur autem zezula uindemiarũ tempore, quando rubedinem uel uarietatem ostendunt, & quia satis sunt delectabilia, ad edendum tamen modicum nutriunt.

De Zanipro.

ZAniprus est arbustula satis nota, quę aërem calidum aut temperatũ desiderat, & terram arenosam, solutam & ferè sterilem, & maxime oritur & fructificat in littore maris, & in mõtibus ferè sterilibus, in quibus est soluta terra, quæ lima uocatur. In locis uero aquosis & uallibus non uiuit, quia nimia humiditate corrumpitur, & nutrimento sicco & modico sustentatur. Huius arbustulæ sunt duæ species, sed species mascula quæ in altum porrigitur, & ualde modicum fructum facit, & fœmina quę iuxta terram ramos quasi serpendo expandit, quę miro modo toto ferè tempore anni fructificat, & fructum maturat. Item est tertia species pulchrior & melior. Fructus superioris speciei est paruus, rubeus, & grossus, ut parua cerasa, sed fructus alterius speciei est paruus & niger. Hæc arbustula syluestris est, & in dictis sponte nascitur locis. Tamen si quis eam plantare desiderat nucleis suis serat, uel plantulas eradicatas de loco matris quo uoluerit transferat. Item eius radices multum sub terra demergat, quæ nec fossione lætatur, ubi locus nimis fuerit adustus, uel nimis siccus & durus, mense Februario & Martio est serenda, putari aut formari non eget nisi forte quis masculum uelit propter uoluptatem aliquam in altum extollere. Colligitur autem fructus, cum successiue eius nigredine uel rubedine maturitatem fatẽtur. Eius lignum rubrum, pulchrũ & quoddammodo uarium est, odoriferum, competitq; uerubus, quę suum saporem carnibus ex ipsis assatis conferre dicuntur, fiunt etiã ex ea coclearia satis pulchra. Fructus eius calidus & siccus est, & multum ualet contra frigidum tussim si comestus ædatur. Rami eius cum fructu & frondibus in aqua uel uino cocti, & in uasa ex muffa infecta, cum ipso uino uel aqua calidissima positi & obdurato uendone in eadem agitati, uasa mirabiliter liberant, ipsisq; saporem & odorẽ laudabilem præstant.

De arboribus non fructiferis & omni utilitate ipsarum.

SVfficienter dictum est supra de arboribus fructiferis, & de cultu & utilitate ipsarum. Nunc autem dicendum breuiter de omnibus arboribus & fructibus infructiferis quę reperiuntur in partibus nostris, & de utilitate ipsarum, secundum ordinem Alphabeti.

De abiete

De Abiete.

ABies & quæ uulgo uocatur piella & aresæ fere eædem sunt arbores, non enim coluntur, & in alpibus & locis niuosis magnæ ualde proueniunt, & omnes miro modo directe in altum extolluntur, frondes uirides omni tempore habent. Ex ipsis fiunt arbores, & antennæ nauiũ magnarum, quibus nullę alię arbores sufficere possunt, optimæ sunt in omnibus operibus siccis ædificiorum, quia lenes & rigidæ sunt & durabiles, & assides ex eis factę ubiq; plurimum domos exornant, fiunt etiam ex eis uasa uinaria, tam magna quàm parua, sed in eis facile uinum in acetum mutatur. Sed aresę præcipue competit situlis in quibus aqua defertur. Nam species per aquam facile uitiantur.

De Amedano.

AMedanus quæ alnus uocatur, arbor est quę non colitur, sed in locis palustribus & aquosis pręcipue delectatur, & fabricis inutilis est, sed necessaria si locus humidus fundamentis planandus est. Nam sub terra ilico radices infixa uirides emittit, & in grossata ex pluribus palis prope positis & in unum corpus redactus fortissimum & diu durabile fundamentum facit. Item ex ea conuenienter incisoria fiũt, & passides, quibus rarissime accidunt crepaturę.

De Azero.

AZerus est arbor satis magna, quæ in alpibus inuenitur, quę optime conuenit cyphis, & parapsidibus & incisorijs faciendis & uasculis, & omnibus delicatis operibus, quia eius lignum est magnum, albũ & solidum, & ualde politum efficitur, sed eius parapsides facile per calorem scinduntur, nisi factæ sint de quaterno, id est, de ligno in quatuor partes scisso aut de nodosa siue neruosa radice.

De Anoruo.

ANoruus est arbor parua, quę similiter circa alpes oritur. Cuius medianus cortex datus in cibis aut potibus, mirabiliter uentrem laxat.

De Agnuscasto.

AGnuscastus est frutex, id est arbustula parua, quę omni tempore uiridis reperitur in aquosis locis magis, & in siccis minus, & eius lignum est durum, & folia eius sunt sicut folia oliuæ, sed sunt leuiora. Calidus est & siccus in tertio gradu, secundum Auicennam est calidus in primo & siccus in secundo. Flores, folia competunt usui medicinę, & magis flores quàm folia, & flores quidem agnuscastus uocantur, qui in uere colliguntur, & per annum tantum seruantur, & uirides sunt maiores efficatię, quàm siccati. Dicitur autem agnuscastus, quia libidinem reprimendo castum facit, lectus enim ex eo factus libidinem stringit, prohibendo pollutionem, & uirgę erectionem, ut Auicenna dicit. Fomententur genitalia, etiam ex aqua decoctionis eius, & succus potest. Contra gonorrhæam decoquatur modicum castorij in succo eius, & detur in

potu. Item folia & flores eius decoquantur in aceto, addito castoreo, & genitalia cataplasmentur. Et nota quod quidem extinguũt libidinem inspissando sperma, ut semen lactucæ, citrulli, melones, cucumeres, cucurbitæ, portulaca, acetum, agresta, camphora, & similia, quędam muniẽdo spiritus & cõsumẽdo sperma, ut ruta, maiorana, agnuscastus, cyminum, calamentũ, & anethum. Hęc sunt calida aperitiua, & uentositatem exterminant & soluunt. Item fomẽtum factum ex aqua decoctionis agnuscasti matricis exiccat superfluitates, & ipsius angustat orificiũ. Contra Lethargiã ualet decoctio agnuscasti, apij, & saluiæ in aqua salsa, si ex ea fortiter capitis pars posterior fricetur. Auicenna dicit, quod suffumigantur mulieres, cum uehemens desiderium coitus adest, & liberentur, & eius folia fugant uenenosa.

De Buxo.



BVxus est arbor parua, quę solidissimũ, croceum & pulcherrimũ habet lignũ, pulchrisq́ frondibus & uiridibus semper uestita est, ex quibus domicellę serta faciunt. Plantari potest non solum si plantulę radicatæ de stipite matris euulsæ ponantur, sed etiam si rami eius denudatis frondibus infigantur in terram. Rasura huius ligni quia frigida est & sicca, decocta in aqua putæi constringit fluxum, ut dicit Diosc. Tingit etiam crines si eius decoctione sępius abluãtur. Ex ipsius ligno fiũt optimi pectines, & cochlearia, & manubria cultellorum, & calculi, & tabulæ cereæ, & omne opus paruum quod pulcherrimũ lignum sculpendum requirit, recipit enim & retinet commode omnem formã.

De Grillo.

GRillus est arbustula parua, quæ in arenis fluuiorũ oritur, quæ pulchras ualde uirgulas & multas emittit. Quę colliguntur mense Aprili, cũ succus in eis mouetur, & excoriantur. Deinde fiunt ex eis corbes, caueę auium, & casei siccandi & conseruãdi, & canistra, in quibus panes portantur & fructus. Item ex radicibus eius ligantur manubria falcium, & falcellinorum, & quæ ad incidendum ligna & putandas uineas sunt necessaria.

De Cypresso.

CYpressus est arbor nota, & pulchra, quæ uiridis semper existit, & ideo in claustris monachorum frequẽter plantatur. Eius lignum est ualde odoriferũ & pulchrum, & ex eo fiunt pulcherrimæ assides, quas homines libenter ponunt in fundis instrumentorum musicorũ, ut citharæ, & aliorũ,

& in omni-

& in omnibus operibus delicatis. Hæc arbor, ut ait Auicenna, calida est in primo gradu, & sicca in secundo. Et quidã dicunt quod est frigida, folia & nux eius stiptica sunt, & folia eius delent morpheam, & consolidãt uulnera, & nux eius confortat neruos, & roborant mollificationem, & stringũt etiam, & decoctio nucis cum aceto sedat dolorem dentium.

De Canna siue arundine.

CAnna siue arundo nota est, terram desiderat mediocriter humidã & pinguem. Canneta fiunt hoc modo, uidelicet quod pastinata æqualiter terra mense Februario & breuissimis scrobibus uno pede distantibus cannarum oculi per scrobes singulas obruuntur. Si calida & sicca prouincia est, ualles humidas irriguas opus est deputare cãnetis. Si est humida regio, locis medijs instituantur, sed succo uillarum subditis. Ligonizantur ut uineę, & ligonibus in æqualitatem terrę æquabimus mense Octobri & Nouembri. Sed si qua sunt antiqua canneta, mense Februario sarcientur, recisis quæ sunt in radice purganda, & putribus male porrectis, & si qua gignendi nõ habent oculos. Ex cannis fiunt pali, & perticæ uinearum, & scorea quibus intra se domus pauperum distinguuntur, & secundum Auicennam sunt uehementis infrigidationis. Et folia cannæ, radix & cortex conferunt allopeciæ, & abstergunt sordes, & radix cum cæpæ syluestrię extrahit carni infixa. Et lanugo quæ est flos eius quando cadit in aurem, facit euenire surditatem, qui inuiscatur in ea & non egreditur.

De Genesta.

GEnesta est quædam arbustula, adeò parua, quę plurimum ad herbæ naturam accedit, quæ in montibus & locis maritimis oritur, & flores facit ualde pulchros, quibus prosertis domicellæ utuntur ramusculis eius. Deficientibus iuncis possunt palmites uinearum ligari. Item ex genestis potest fieri stuppa, quę loco canapi uel lini succedere potest.

De Fago.

FAgus est arbor magna, nascens in alpibus, ex qua optime fiunt lanceę, & sellarum assides & librorum. Item fabricis utilis est in sicco, sed humore corrumpitur. Isidorus autem dicit, quod glans siue fructus fagi est multum dulcis. Et eius medulla est muribus amica, & glires impinguat, turdis & columbis conuenit, & eos nutrit, & eius carnes concoctu faciles facit. Eius ligni substantia multum operibus est apta, sed non multum durat, quia à uermibus corroditur. Item est necessaria uitriariæ arti, si nondum à uermibus corrosa est, quia ex eius cinere uitrum cum aliorum quorundam appositione per ignis conflagrationẽ artificialiter præparatur.

De Fraxino.

FRaxinus est arbor satis magna, quę in pinguibus & humidis nemoribus delectatur, eius lignum satis igni competit, & est optimum pro circulis uegetum & cadorum & scalis turrium. Item ædificijs idonea est hæc arbor exiccata, non uiridis, dum tamen terram non contingat, quia statim humore corrumpitur. Eius etiam sylua de tertio in tertium uel quartum annum incisa optimas pro uineis profert perticas. Plinius autem dicit, quod folia fraxini sunt utilia contra uenenum. Nam succo expresso potui dato contra serpentes, & eius umbra summe auxiliatur, tantaq; ei est uis contra serpentes, ut eius umbram uespertinam uel matutinam non attingant. Et si inter ignem & fraxini folia ponit serpens, in ignem potius quàm in folia fraxini fugit. Et eius cortices & folia uentrem stringunt, & uomitum ex defectu uirtutis contentiuę factum, si cum aqua pluuiali & aceto coquatur, & super stomachnm ponatur, sedat. Et est arbor calida & sicca in secundo gradu.

De Fraxinagulo.

FRaxinagolus est arbor fraxino in frondibus & in ligno similis, quę in locis domesticis seu cultis delectatur. Hæc arbor fructum quendã siue granula parua producit, quæ nigra sunt quando matura existũt, & ualde dulcia, sed ferè nihil super ossa ex pulpa habent. Item exiccata multis mensibus conseruantur.

De Fusano.

FVsanus est arbor parua quæ in sæpibus oritur, ex cuius ligno fiunt fusę optimę, & alia hoc genus.

De Oplo.

OPlus, id est, taxus, est arbor parua, quæ in alpibus & montibus eis proximis inuenitur, quæ optima est pro balistis ligneis & arcubus faciendis.

De Opolo.

OPolus est arbor satis magna, quę lignũ habet ualde album & pulchrũ, ex quo fiunt optima iuga boum, incisoriæ passides, & assides, pro delicatis operibus faciendis.

De populo & albaro.

POpulus & albarus sunt ferè similes arbores in magnitudine, & forma frondium, sed populus magis in altum extollitur, & eius lignum nõ politur. Albarus uero magis per latera ramos extendit, & est lignum eius albius & pulchrius pro assidibus faciendis, ędificijs in sicco satis competunt, licet longissimo tempore in eis nõd uret. Locis humidis & arenosis pręcipuè populus delectat, in montibus locisq; saxosis ac cretosis durare non possunt. Plantatur ramis annalibus uel biẽnalibus, uel etiam maioris ætatis in terrã infixis, & facilime comprehendunt. Item compertum, albarũ incidi & quocunq; inerint fragmina incissurę, inde quasi spissam syluam nasci, potest etiam hoc euenire ex pullulatione

pullulatione radicum, quæ circa pręcisam arborem uniuersam occupant terrã in superficie eius, propter quod etiam præfatæ arbores plurimum inueniuntur obesse uineis, & frumentarijs agris. Populus hoc habet proprium, quod si ęstiuo putetur tempore, aut perit, aut infirmatur, aut scabiosa efficitur. Dicitur autem populus, eo quod incisa pullulat ad modum populi, ut dicit Isidorus.

De Rosarijs.



ROsaria nota sunt. Ex his autem quædã alba, quędam rubea. Et iterum quędam domestica, quędam syluestria sunt, alba uero tam syluestria quam domestica fortes constituunt sepes, quia multas & fortes habẽt spinas, & omnes adeo retortas & uolentes ingredi retinent uiolẽter. Sed rubea rosaria debiles uirgulas producũt. Plantatur autem plantulis & uirgultis in paruas particulas diuisis, & in seminario satis seminibus. Et semina quædã sunt quæ in pomulo rubeo sunt collecta, quorum maturitas ad plantandum apta cognoscitur, cum post uindemias colorem fuscũ & mollitiẽ quandã habent. Si qua sunt antiqua rosaria circunfodiantur, & ariditas reciditur uniuersa. Item quæ rara sunt, possunt uirgarum propagine reparari. Rosa frigida est in primo gradu, sicca in secundo. Viridis & sicca competit usui medicinæ. Siccantur autem aliquantulum ad solem, & possunt per triennium seruari. Cum receptio rosarum inuenitur, siccæ ponendæ sunt in medicinis, quia facilius conterunt. Ex uiridibus aũt fit mel, uel saccharum rosatum, aqua rosata. Mel rosatum sic fit, primo mel spumatur, deinde coletur, postea addantur folia rosarum, abiectis stipitibus, & quibusdam albis, quæ sunt in parte inferiori, & minutatim incisa ponant, & fiat decoctio aliquantula, & signum decoctionis eius est odor & color ruffus. In septem libris mellis una rosarum ponatur, per quinq; annos seruari potest. Et habet uirtutem cõfortandi, ex aromaticitate, mundificandi ex melle, competenter datur phlegmaticis, cholericis & melancholicis, in hyeme & ęstate, debilitatis, cum mulsa facta ex aqua & melle rosato, & facit mundificationem stomachi ex frigidis humoribus mel rosatum cum aqua decoctionis fœniculi seminis tribus granis salis additis. Vel fit hoc modo: Succi recentium rosarum una libra ponatur in cacabo ad ignem posito, cum bullire cœperit uiridium rosarum cum forficibus uel cultello incisarum libræ quatuor addantur, & dum bullierint, semper agitetur, & in fictili uase repositis quantomagis tenebitur tanto melius erit. Cum aqua frigida stomachum confortat, & constipat, & cum calida mundificat, detur in mane & meridie. Eodem modo fit mel uiolatum, & ualet capitis doloribus, febricitantibus cum tepida datum. Saccharum rosatum fit sic, folia rosarum uiridi

um pistata conterantur bene, & ponantur in uase uitreo per uiginti dies ad solem, & quotidie moueantur, & bene commisceantur. In quatuor libris sacchari libra una ponatur rosarum, & potest per triennium seruari, uirtutem habet constringendi, & cōfortandi, & ualet cōtra dyssenteriam, & lienteriam, & diarrhœā ex debilitate uirtutis contentiuæ factam. Item ualet cōtra uomitum cholericum, contra sincopim, & cardiacam passionem, cum fit ex calefactione spiritualium detur cum aqua rosata. Electuarium de succo rosarum fit sic: Recipe sacchari, succi rosarum ana lib. 2. & drach. 4. sandali trium generū drach. 6. spodij drach. 9. diagridij drach. 12. camphoræ drach. 1. tempera admodū electuarij, cum sirupo facto ex saccharo, & succo rosarum, & detur cum aqua calida admodum castaneę in matutinali hora, ualet etiam contra guttam calidam & cholericam rubeam purgatur, & conualescentes tertianarios quotidie purgat, sine molestia, & reliquias malorum humorum, quæ ibi remanserunt potenter educit. Sirupus rosatus sic fit: quidam decoquunt rosas in aqua, & in tali aqua rosata addunt saccharum, & faciunt sirupum. Alij autem faciunt, ponentes rosas in alio uase, habentem strictum orificium, & superessundūt aquam feruentem, & dimittunt ibi stare donec aqua fit rubea, & inde faciūt sirupum, & hic est optimus. Et nota quod sirupus factus ex recentibus rosis prius aliquantulum laxat, postea constringit, factus uero ex siccis in principio & in fine constringit. Contra fluxum uetris, & uomitum cholericum, detur cum aqua pluuiali, uel rosata. Febricitantibus post minutionem cum aqua frigida potui detur. Cōtra sincopim similiter secundum Nicolaum sic fit: Accipe rosas recētes, & pone in uase per se & in caldario pone aquam donec bulliat, & bullientem super rosas prędictas infunde, & postea uas ipsum tege, ne fumus exeat, ex quo aqua ubi refrigerit, rosas eijce, & alijs recentibus aquam bullitam eandem iterū superinfunde, mutando rosas, donec aqua illa rubea fiat, de hac autem aqua quatuor libras accipe, & ibi libras quatuor sacchari infunde, cum autem bullire inceperit, album ouorum aliquod in aqua frigida multum concutias donec spumescat, & illam spumā in sirupo bulliēte spargendo infunde, & cū ferè nigrescere illa spuma inceperit, suauiter cū tacia remoue, & iterū aliam infunde, donec clarus fiat sirupus & cum cœperit sirupus quasi filum facere si cum digito tetigeris aut taciæ dependens adhæreat, coctus est. Valet calori & siccati febrium, sitim reprimit & cōfortat & constipat. Eodem modo fit sirupus uiolatus, & sirupus nenufarinus, qui ualet contra maximos calores in acutissimis ægridinibus. Oleum rosatum sic fit: quidam decoquunt rosas in oleo communi, & colant, alij terunt rosas uirides, & in oleo & uase uitreo soli exponunt per dies quinquaginta, & hoc est bonum. Sed secundum Nicolaum fit hoc modo: In duabus libris olei cōmunis abluti libram unam uiridium rosarum aliquantulū cōcuttarū ponant in olla plena, posita super ignem in caldario pleno aqua suspenso, & tam diu bulliāt donec aquę tertia pars inde minuatur, quod demum album pannū lini immissum tor-

culari

culari deprimatur, eodem modo fit uiolatum sabatinum & mirtinum oleum, & ualent ista olea contra acutas febres, inuncta super epar, & pulsus & tempora, et plantas manuũ & pedum, quoniam calorem extinguunt. Aqua rosata fit multis modis. Nam quidam sunt qui habent patellam plumbeam quam ponunt super quodam texto euerso, cui est ab una parte ostium, unde sub eo ponatur ignis, & inter textum & patellam est cinis, grossitudinis digitorũ duorum, ne aqua saporem fumi accipiat, & circa textũ est fornacella parua, de lapidibus ac luto facta, deinde patella rosis impletur, & capellum plumbeum ponitur super ipsum, ita quod uersus partem unde aqua rosata egreditur aliquantulum pendeat, & ignis continuo pendeat super ipsa patella, tantum quod rosæ dimittantur in ea, quod in eis humiditas sit consumpta, & tunc reijciuntur. Et aliæ recentes in earum locum ponuntur, & in alio uasæ uitreo super pipeo capellæ posito, aqua recipit, deinde in gestarijs ad solem positis, quibusdam diebus decoquenda relinquit, & seruatur. Alij uolentes succi omnem uaporem fumi & odorem euitare, in aqua rosata ponunt patellam prædictam ad capellam in cacabo aqua pleno, atq; in fornacella disposita, quod ab una parte possit in eo aqua immitti, quę loco eius quę ab igne consumitur succedere possit, hæc est optima. Quædam in filo folia rosarum posita in uasæ uitreo ut suspensa in uase ex aliqua parte adhęreat, soli exponunt, desuper adeo claudunt ut uapor rosarum exiri non possit. Et hæc est melior quàm ulla poterit esse, tamen ualde parum & cum nimio labore fieri potest. Habet autem uirtutem constringendi, & confortandi fluxum uẽtris, & uomitum cholericum. Detur rosata simplex uel aqua decoctionis masstichis & gariophilorum, & pręcipue contra fluxum ex debilitatę & uirtutis cõtentiuæ, uel acumine medicinę, & quando ipsa nimis ducit, sincopantibus & cardiacam patientibus detur in potu, & superaspergatur faciei. In collyrijs competenter ad oculos ponitur, & in unguentis ad faciem quia abstergit panum faciei, & subtiliat cutem. Rosę siccę naribus appositæ cerebrum confortant, & reparant spiritus, contra fluxum uentris ex cholera detur aqua pluuialis in qua rosæ sunt decoctæ, ad idem ualet emplastrum de rosis, & albumine oui & aceto posito super renes & pectinem. Contra uomitum fiat decoctio in aceto & spongia marina intincta ori stomachi superponatur. Contra sincopim detur aqua decoctionis rosarum, detur etiam puluis in ouo sorbili. Item contra ruborem oculorum, si sentiantur puncturæ, ualent rosę coctę in aqua & cataplasmatę. Flos rosæ, quę interius reperietur, ualet contra fluxum uentris & uomitum. Item puluis eius lineę superpositus humiditatem eius consumit. Et nota quod succus rosarum uiridium in uase uitreo potest seruari per annum. Auicenna dicit, quod rosa rectificat fœtorem sudoris, quando in balneo administratur. Et emplastrum de rosis coctis & contritis, & non expressis positum super apostemata calida soluit ea.

De Rosmarino.



ROsmarinus est quædam parua arbustula odorifera, quæ semper habet frondes uirides, & quę simulatur zanipro & scopæ, marinis locis præcipue delectatur, & ideo rosmarinus appellatur, plantatur autem plãtulis euulsis de matris radice. Item ramis in terram affixis, his mensibus quibus aliæ fiunt plantationes. Calidus & humidus est, sed excessus eius non determinat᷑ in gradu, flores & frondes eius medicinæ usui sunt. Et flos eius dicitur anthos unde dianthos electuarium fit ex eo, arbustula ipsa etiam lanotides dicitur, uel detrolibanos. Vnde cum istorum receptio inuenitur folia debent poni. Flores autem aliquantulum desiccatæ ad solem per annum seruantur, similiter & folia, uirtutem habet confortandi ex aromaticitate, dissoluendi ex caliditate, extergendi, mundificandi & cõsumendi ex siccate, & diaphoreticam ex caliditate. Contra syncopim & cardiacã detur dianthos cum uino. Item aliter fiat decoctio florum in uino, & tale uinum detur patienti contra frigiditatẽ stomachi & ad digestionem confortandam, detur dianthos uel uinum decoctionis florum & mastichis cõtra dolorẽ intestinorum & stomachi ex uentositate, detur uinũ decoctionis eius & cymini, & contra cerebri frigidatem fiat eius decoctio in uino & patiens capite cooperto sumũ recipiat. Contra humiditatem uuæ acetum uel uinum decoctionis eius gargarizetur. Contra stranguriam & dyssenteriã, flores uel saltem folia decocta in uino cataplasmentur. Ad mũdificationes matricis & conceptum iuuandum fiat fomentum circa pudenda ex aqua decoctionis eius, flores autem in oleo decoctos supponunt sibi mulieres.

De Rubo.

RVbus notus est, cõpetit sepibus faciẽdis, quia eas fortes ac spissas & pũgentes facit, sed per se non multũ, nisi plãtas arborũ uel aliarũ spinarũ admixtas habeat, quibus sustineat᷑, quę adeò sunt solidę, ꝙ nõ flectant᷑ & destruant᷑ ab eo. Plantat᷑ aũt plantulis suis, quæ facile inueniuntur, ubi capita tangunt terrã, quia ibi statim radices emittũt. Itẽ plantat᷑ seminibus suis mature collectis, & siccatis, usq; ad initiũ ueris seruatis, & tũc seminatis, fructus eius sunt mora, quę mulieres & pueri comedũt, sed optima sunt ꝓ porcis. Rubus calidus est & siccus, ut quidã dicũt. Cõstãtinus aũt dicit summitates eius esse stipticas, & ualere cõtra usturas, & calida apostemata, unde uidet᷑, ꝙ sit frigida & sicca. Contra ruborẽ oculorũ turiones eius cũ uitello ouorũ cõterant᷑, & addito croco supponant᷑ oculis. Cõtra quaslibet usturas cera mũda rosoluat᷑, postea addat᷑ oleũ rosatũ, deinde succus turionũ eius cũ maiori quãtitate. Cõtra calida apostemata folia sum-

folia summitatum trita cum aqua rosata superponantur. Contra dyssenteriam succus turionum eius cum aqua hordei pro clystere iniiciatur, uel ex turionibus cum albumine oui & aceto fiat emplastrum super pectinem & renes, si sit uitio superiorũ, lenticula aliquantulũ exusta in succo eius detꝰ ad manducandũ.

De Salice.



SAlix est arbor nota, sic dicta eo quod plantata facile salit in altum. Hæc arbor in locis humidis & arenosis & solutis delectatur, & non multũ radices profunde figit. Plantatur optime sine radicibus, si terra perforata cũ palo aut cum foratura. Planta biennalis in parte inferiori acuta foramini fortiter imprimatur, & usque ad superficiem foramen ex sabulo impleatur, uel terra soluta. Terra ubi plantatur cretosa sit, deinde creta superponatur, quod si soluta est terra in quo plantatur sufficit si ex eadem impleatur foramen. Cui multum proderit si eisdem cardinibus, quibus in salice steterat apponatur, fit autẽ eius plantatio mense Octobri & Nouembri aut Februario & melius mense Martio, cum iam ipsis plantis, super salice adhuc existentibus, uiridis succus se effunderit. Eis aũt planta mense Aprili & Maio abradatur quicquid in stipite præter superiorem oritur partem. Tertio quoq; aut quarto anno diciꝰ omnes æqualiter, sex pedibus supra terram, sed si duobus tantũ pedibus supra terrã ipsius formarentꝰ stipites, proceriores produceret perticas, & longiori duraret tẽpore, quia hæc arbor tanto in ramis erit fœcũdior, quãto est terrę propinquior, & est ad incidendũ aptior. Veruntamẽ si est in loco animalibus exposito magis timetꝰ corrosio ipsarũ, quę octo uel decẽ pedibus à se inuicẽ distare debebunt, ne si nimis spissæ fuerint superfluis umbris perimant ea quæ seminãtur in agris. De tertio in tertiũ annum perticę inciduntur, uidelicet subtiles iuxta salicẽ, & grossę tribus uel quatuor digitis remota ab ea incidantur rotundæ, uel non multũ oliquæ, & quicquid est in salice siccum uel mortuum amputetur, nec fiunt in eis cannatæ remotæ sed paulatim per omnia latera æqualiter diffundantur. Hoc enim modo perticas proceriores, & minus ramosas efficient, & tempore longiori durabunt. Et nota si eo anno quo non inciduntur & amputẽtur, nimię parua & inutilia remanentes uirgæ suscipient maius incrementũ. Ex ligna salicis solido pro perticis faciendo non exciso, fiunt trabes & materiæ domorum satis bonę, & ex grossis fiunt assides & conchæ, & incisoria, & uasa multa uinaria, ex concauis uero fiũt cochlearia & situlę & staria, & ramis fiunt uimina, & ex uiminibus fiunt sepes & clausuræ curiarum, & porticorum, & multa alia utilia. Hæc arbor competit usui medi-

usui medicinæ secundum corticem, folia & flores, habet uirtutem cōstringendi & cōsolidādi cōtra dyssenteriā. Succus expressus ex folijs, & potui datus ualet cōtra ulceratione intestinorū, ex dyssenteria factā. Puluis ulcerationem exteriorem partium consolidat, detur puluis eius corticis combusti in potu aliquo. Item puluis, ut testat Dioscor. cum aceto potui datus & cum aceto cataplasmatus, neruos & poros curat. Itē folia salicis respersa aqua ponenda sunt circa febricitantes. Isaac autem dicit, floris & seminis salicis hanc esse uirtutem, quod si qua illud in potu sumpserit prolē non generat, sed efficitur infœcunda.

De Sauina.



SAuina est arbor satis parua, quæ semper uiridis est, & habet folia cypresso similia. Hæc arbor satis commode uiuit in omni aēre & loco, & in uiridarijs & in claustris religiosorum, quia circulis & perticis circa eam positis ramos undiq; conueniēter expandit, plantatur autem ramus, sicut de buxo dixi in terram affixus. Hæc arbor calida & sicca est in tertio gradu. Cuius sola folia competunt medicinæ, & per biennium seruari possunt. Vinum decoctionis eius ualet contra dolorem stomachi & intestinorum. Item decocta cum uino ualet contra dyssenteriam & stranguriam, cataplasmata ualet etiam contra iliacum dolorem. Est enim diaphoretica & diuretica, fomentatio autē ex aqua decoctionis eius in uino ualet contra prędicta, & etiam menstrua prouocat, & fœtum mortuum educit. Item decocta cum oleo & superposita idem melius operatur. Contra tenasmon ex frigida causa ualet, si fiat decoctio eius in aceto & uino, & fumum patiens recipiat.

De Sambuco.



SAmbucus est arbor quędam quę in sepibus nascitur, & ramis in terram affixis plantatur, & facillime comprehendit. Ex cuius ligno grosso uel mediocri fiunt arcus & ex grossiori non nodosa fiunt optime sagittę. Itē fiūt canellę tinaciorū & uegetum ex eius ligno. Virtus eius est calida & sicca in secūdo gradu, medicinę cōpetit principaliter cortex eius, secūdo flores & folia, uirtutē habet diureticā & attractiuā & purgatiuā. Cōtra quotidianam præcedente purgatione, ante horam

te horam accessionis detur uinum decoctionis corticis mediani sambuci. Item succus sambuci per se datus uel cum melle, lumbricos interficit. Ad menstrua prouocanda succus corticis eius persarigetur uel folia cataplasmentur, fomentum ex aqua salsa decoctionis eius corticis tumorem pedum soluit & dolorem exteriorum partium.

De Sycomoro.

SYcomorus est quædam arbustula paruula similis sanguino, & forma ligni, quæ pulchras ualde producit uirgas, & eius cortex ualde pulcherrimus, adeò adhæret ligno, quod ex eo fiunt pulchra manubria cultellorum, & nascitur in nemoribus prope alpes.

De Sanguino.

SAnguinus est arbor quędam similiter paruaquę multum pullulat in sepibus, & eas ualde inspissat, sed spinis caret, & pulchras & solidas uirgas producit, ex quibus fiunt brenixelli ad auiculas capiendas, & uimina ipsius texendis telis optima sunt.

De Spina alba.

SPina alba est arbor satis parua, quę optima est pro sepibus, quia ualde acutas habet spinas, nec in radicibus per agros pullulat, & in se optime recipit insitionem, mespila & pirus & malus in ea facile cõprehendũt, sed ad debitum augmentum uenire non possunt, propter inæqualitatẽ magnitudinum earum. Lignum habet album & solidum. Ideoq; competit pyxidibus & cochlearijs. Frigida & sicca est in secũdo gradu, & eius decoctio cõfert instrumentis iuncturarum & podagræ, & confert ad mollificationem stomachi.

De Spina Iudaica.

SPina iudaica melior est omnibus prosepibus, quia in quolibet folio duas habet spinas, unam habet uidelicet magnam, rectam & acutissimam, & aliam paruam retortam, & spissam sua pullulatione constituit sepem.

De Spina ceruina.

SPina ceruina non multum sepibus competit, quia non est bene spinosa, sed ex ea pro uineis optimi fiunt pali, quia sub terra multa tempora durant.

De Scopa.

SCopa est arbustula ualde parua, similis Zanipro. Cuius radix est rotunda & adeò dura & nodosa, quod ex ea optimi fiunt cyphi.

De Tamarice.

TAmarix est arbor calida & sicca in secundo gradu. Vinum decoctionis eius ualet ad oppilationem splenis & epatis. Item stranguriã dissoluit, & plus in cibo cocta, ad idem ualet, frequens bibitio cum uase ex tali ligno facto, cortices autem maioris sunt efficatię quàm folia.

De Vlmo.

De Vlmo.

VLmus est arbor nota quę plantatur plantulis cum radicibus uiuentis quæ facile conualescunt, hæc arbor optima est ut uites super eam ascendant. Ex ligno eius fiunt trabes, & materia domuum, licet non diu durent in eis. Item fiunt mozoli rotarum, & fusoli molendinorum, & & scalæ turrium in his ualde competunt. Item fiunt mallei ad ligna scindenda & uasa uinaria stringenda, quia tenax est & non facile scinditur lignum eius. Item fiunt forcæ, & competenter omnia instrumenta quæ tenacitatẽ requirunt, ut potius curuentur quàm rumpentur aut scindũtur, & folia quidem eius optima fiunt pro pabulo boum.

De Vinco.

VIncus est nota, quę plantatur, ut salix, quæ eiusdem est naturę, & ideo conuenienter in eam seritur. Et quædam facit uirgas croceas, quædam nigras, quædam rubeas, item quæ in loco calido & exili oritur tenaciores uirgas producit, quę uero in umbris aut in loco pinguissimo minus tenaces facit. Item est alia species uincorum quę gorrę uocantur, quæ optimę sunt pro tinis & uegetibus, quia longis ramulis carentes & in summitate grossas & ualde tenaces uirgas producũt. Et hęc quidem facillime comprehendit, si ex uirgis fiunt frusta semipede minora, & in terram figantur duobus solum digitis supra terram relictis, quæ nullo tempore in stipite altius ascendere debet.

De Vindecto.

VIndectus est arbor nota quæ locis delectatur aquosis, ex qua fiunt pro uineis competentes pali.

De Subere.

SVber est arbor, cuius cortex grossus est, & optimus ad planellas & zinaros, qui singulis tribus annis uel quatuor ab arbore sua tolli dicitur & renasci, quod est contra naturam corticum aliarum arborum, quæ excorticatæ siccantur. Est enim cortex in arboribus sicut cutis in animalibus. Cuius si qua pars abscisa sublata fuerit non renascitur in eodem statu, sed cum de formitate & maxime cicatrice.

LIBRI V. FINIS.

PET. DE CRESCENTIIS, DE HORTIS ET DE NATVRA ET VTILItate tam herbarum, quę seruntur in eis quam cęterarum quæ in alijs locis sine hominum industria naturaliter nascuntur,

LIBER SEXTVS.



Ractaturus de hortis & de industria cultus ipsorũ, & de omnibus herbis quæ propter alimentum humani corporis seruntur in eis, dicam de his mixtim, secũdum ordinem alphabeti, quæ sine hominis ministerio ex ipsorum elementorum commixtione in alijs nascuntur locis, quibus frequenter utimur, ut earum uirtute corpora in aliqua ægritudine lapsa ad salutem pristinam reducãtur, uel ante lapsum sana seruentur, huiusmodi namq; cognitio ualde utilis erit omnibus & præcipue habitantibus rura, ubi medicinarum compositarum copia non habetur.

De uirtutibus herbarum in communi.

DIcimus quod arbor sola perfectam plantæ contingit naturam, & in ipsa qualitates elementares magis recedunt ab excellentijs, quas habent in ipsis simplicibus elementis. Herbæ autem & olera secũdum minorem satis rationem, accipiunt rationem & nomen plantæ, & qualitates elementales in seipsis magis sunt acutæ, & minus ab excellentijs simplicium elementorum recedentes, propter quod etiã sunt meliores, & quod à primo humore pinguescente in terra minus recedunt, nec alte eleuantur, propter debilem uirtutem animę uegetabilis in ipsis, quo autem uiciniores sunt elementis, eo uiciniores sunt materię. Et forma, quæ est uegetabilis animæ, minus uincit in eis, & propter hoc sunt efficatiores ad transmutandum corpora. Et ideo magis sunt adhibitæ medicinę, quàm aliæ, quod quasdam qualitates habent à componentibus, quasdam à compositione, quasdam autem à specie secundum sydera: à componentibus uero habent calefacere & refrigerare, humectare, exiccare: à compositione autem habent has qualitates fractas & aliquando adherentes, & aliquãdo subtiles, & penetrantes, quoniam multę earum nisi habent calores fractos in humido præcipue & frigido, absq; dubio ea quibus adherent exurerent & incenderent: idem autem est de frigiditate, quoniam nisi fracta esset mortificaret, similiter autem est de humido & sicco, atq; calor non staret adhęrens in floribus, nisi teneretur ab humido & sicco aliquantulum passo, nec siccum penetraret, nisi subtilitatem acciperet ab humido, & acumen à calido, & retinentiam à frigido, & detentionem à specie. Habẽt autem qualitates & operationes multas & mirabiles, sic quod aliqua uirtute purgat choleram,

ut scamonia: & aliqua uirtute purgat phlegma, ut ebulus: et aliqua melācholiā, ut sene, et sic de alijs. Has enim uirtutes non habent à componētibus elementis, neq; ab ipsa compositione, quoniam compositio non dat uirtutē, sed uirtus componentis ipsa dat modum agendi uel patiendi, sed sunt cōpositiones istę & qualitates à tota specie causatę, à uirtutibus cœlestibus & à uirtute animę, non enim unquā calidum purgaret, sed potius consumeret, nisi à uirtute cœlesti causaretur hæc operatio. Sicut enim in intellectu practica sunt formæ per se mouentes corpus eius in cuius sunt intellectu, & in exterminationibus animalium sunt formæ quæ mouent animalia, ita sunt formę quę à motoribus orbium per figuras stellarum influxæ generalibus, quæ sunt formæ per se etiam mouentes ipsas ad quædam qualitates elementares, per illum modum nullo modo mouēt. Experimento autem scimus formam fœminæ intra existentem, mouere ad uenerem per seipsam, & ipsa sibi mouetur in corpora instrumenta & membra per quæ exercet coitus, & similiter forma artis per seipsam mouet, & quęrit instrumenta conuenientia fini suo: & secundum hunc modum efficatiores sunt motores orbium mouentes formas influere suis materijs, quas mouent motus stellarum & cœli, quam sit anima ad influendum formas tales corporis sibi coniuncti. Hæ autem formæ obtinentes materias generabilium & corruptibiliū multis probantur effectibus, in lapidibus & plantis. Erunt enim multi effectus lapidū & plantarū, quę experimento accipiuntur in eisdem in quibus student magici, & mira per eas operantur, & istę operationes sunt quę nec componentium elementorum sunt nec compositionis ipsius secundum se, sed sunt formarū secundum quod influxę sunt ab intellectualibus & separatis substantijs. Amplius autem sciendum est, quod materia nihil agit per se, sed omnia patitur, & non sunt nisi tria formaliter in plantis, formæ enim sunt quæ sunt in eis aut sunt cōplexionales aut cœlestes, aut animales ex anima uegetabili quę est in eis. Et forma quidem complexionalis est in eis absoluta & comparata. Absoluta uero est ut calor, & frigus, humiditas & siccitas, & istæ absolutæ formæ uariantur maxime, secundum duo quæ sunt in planetis, quorū unum est elementi componētis quantitas secundū uirtutē, in una enim est plus caloris, in alia plus frigoris. Alterum autem per quod uariatur ista forma in agendo, est loci natura in quo crescit: plantę enim habent qualitates locorum in quibus crescunt. Et secundum diuersitates climatum uariatur actio qualitatum & plantarum. Plantæ radicitus terræ adhærent & habent plus de qualitate loci, quàm cætera quę sunt mobilia de loco ad locum, quamuis enim mutabilia sunt secundum locum, immobilia tamen sunt dura, nisi suggentia locorum proprietates quę etiam molles sunt primitus, & maxime herbę, & sugunt nutrimentum suum à locis, sicut à uentre quodam: compositæ autem istæ eadem qualitates & acuuntur & franguntur. Calor enim acuitur sicci dominio, frangitur autem & hæbetat & ab aquea humiditate, & inde fit, quod aliquando duę plantæ habent duas qualitates
æquales

æquales, secundum essentiam, & tamen inæqualiter agunt secundum eã, quod caliditas unius acuta est, & alterius fracta, inde etiam fit quod una fortius agit in profundum, altera fortius in superficie, quę enim est in subtili humido, fortius penetrat in profundo, & illi adhęret, & in eo congregatur uirtus eius, & quæ adhæret grosso sicco, forte maior est, & tamẽ non pertingit nisi ad superficiem, eo quod penetrare non potest grossa siccitas ipsius. Hoc autem modo etiam frigidum comparatur ad siccum humidum, quia licet omnis qualitas actiua fortificetur in grossa substantia postquam receperit eam, tamen ipsa grossities eius impedit penetrationem, & ideo minus agit in aliam, aliquando minor uel æqualis quæ est in substantia subtili. Atq; etiã qualitas illa actiua quæ est in substantia subtili, licet forte maior sit quàm alia quę sit in substantia grossa, tamen non perficiet operationem suam, quia euaporabitur cum subtili humido, in quo est antequam cõplet operationem suam, sed sic eam diutius agit, quia retinebitur in substantia grossa ipsa qualitas actiua.

De hortis & cultura ipsorum.

GEnerali sermone de hortis loquens, dicam in primis quod aërem desiderãt liberum & temperatũ, uel temperato proximum, quod patet ex eo quod tempora & loca nimiæ caliditatis aut frigiditatis formidãt, & in eis herbæ quasi ad ultimam ariditatẽ proueniunt, nisi tunc multis pluuijs aut irrigationibus adiuuent̃, & similiter uidemus quod loca & tẽpora mortificantis frigiditatis tollerare non possunt, item uidemus, quod in locis umbrosis nullius uel modicę utilitatis existunt. Terram desiderant mediocriter solutã, & humidam potius quã siccam. Creta enim & argilla sunt hortis & cultoribus plurimũ inimica, & herbæ in nimis soluta terra positę in principio ueris optime conualescunt, sed in æstate siccantur. Item irriguus esse desyderat, ut super se riuum habeat, quo possit per conuenientes sulcos cum opus fuerit irrigari, quod si hoc habere non potest, habeat in se piscinam, uel foueam, fontem uel puteum qui in loco riui succedant, & si nullum habere potest fiant foueæ multæ paruæ per hortum, in quibus pluuiarum humor aliquãdiu retineatur. Vnde Palladius egregie dicit, quod hortus qui cœlo elementi subiacet, & fontano humore percurritur, prope est ut liber sit, & nullam serendi disciplinam requirat. Itẽ requirit terram pinguissimã, ideoq; in altiori parte sui fimũ semper habeat. Cuius succus eum sponte fœcundat, & ex eo semel quolibet anno, si habetur copia eius, singula hortorum spacia impinguentur, eo tempore quo seri debebunt. Sit autẽ hortus domui proximus, longe tamen ab area situs, nam puluerẽ pallearũ (quia herbarũ folia perforat & exiccat,) patitur inimicũ. Felix autem horti positio est, cui leuiter inclinata planicies cursus atq; fluentis aquæ per spacia discreta deriuat. Si habet̃ copia terræ hortis expositę, partes eius sic diuidendæ sunt, ut hęc in quibus autumno seminabitur, uno tempore pastinemus, & quas semine uere complebimus, autumni tempore debemus fodere, ita ut utraque pastinatio de-

coquatur beneficio algoris & solis. In locis autem humidis seminandis in uere utile erit circa finem Nouembris multos imprimere sulcos concauos, ad quos labatur superfluus arearum humor tẽpore sationis, ut maturius talis locus tunc sulcis repletis seminibus impleat. Si uero penuria terræ habetur, quocunq; tempore anni terra inter humiditatem & siccitatem inuenitur ęqualis pastinari potest, & statim seri: sed si optime fiunt impinguata ea quę sata erunt, magis suscipient incrementum. Pastinum uero fiat profundũ prima uice grossum cum uanga, & super terram fimus spargatur, deinde cum ligonibus iterum minutatim pastinetur, & quantum fieri potest lætamen & terra misceantur, & in puluerem deducantur. Cum autem seminandum erit, cum fune fiãt areę decem pedes amplæ & longę quantum uolueris, super quibus iactabitur semen, & rastro operietur, & siquid terræ duræ in superficie remanserit conteratur, & iterum areæ fimo operiantur, maxime cum sit satio hyemalis, impinguat enim terram & à frigore semen defendit, herbæ autẽ, scilicet lactucę, betæ, borago, colliculi, & cæteræ quę in eo loco ubi fit seminarium prædictum erant euulsæ, cum fit pastinũ commode plantat circa sulcos arearum, ut in sequẽti habeãtur quadragesima, & seminario non auferunt nocumentum, ex quibus quas uolueris poteris ad semen producendum seruare. Potest aũt in hortis satio plurimum herbarum fieri toto tempore anni, quo aër & terra naturaliter seu hominis industria inueniuntur æquales, aut ab æqualitate non nimium discrepantes. Sed principalis & pręcipue satio duplex est, una uernalis quæ fit mense Februario uel Martio, altera autumnalis quę fit mense Septembri uel Octobri, ita tamen quod locis frigidis autumnalis satio maturius fiat, uernalis tardior. In calidis uero regionibus autũnalis serius fieri potest, & uerna maturius. Hoc tamen scias, quod in temperatis locis & etiam calidis præfata satio uerna melior inuenitur, si facta fuerit in fine Nouemb. uel in principio Decẽbris, quàm si Februario uel Martio mẽse fiat, licet ante aduentum Februarij semina non nascuntur. & porri & cepæ citius poterunt transplantari, possunt autem commode seminari herbæ separatim & mixtim. Nam si mixtim seminant, cum conualuerint euellent quæ fuerint trãsplantandę, ut porri, caules & cepę, & ex his quæ transplantari non debent, primo euellentur atriplices & spinachia, quę non durant in hortis, & remanebunt beta & petrosilinum, satureia & aliqui caules, & ex lactucis & fœniculis aliquę, quibus ad congruam raritatem deductis sarculabuntur, & ad debitum ueniant complementum, & herbę quidem quæ transplantari non debent raræ serendæ sunt, quæ uero transplantantur spissius seri debẽt. Et est notandum, quod ubi debent plantari porri, cepæ, & caules, phaseoli, milium, panicum, cucurbitę, cucumeres, melones, & citrulli possunt mẽse Decembri, Ianuario & Februario seri, omnes herbę quę cõsumunt ante prędictam plantationẽ, ut sunt spinachia, atriplices & lactucæ, caules porrinæ & cepæ & cæteræ similes. Cauendum est ne quæ seruntur semina sunt corrupta. Ideoq; eligenda sint quæ farinam interiut

habens

habent albam,& quæ magis fuerint ponderosa & pinguia, siue grossa, & in pluribus sunt utilia quæ non excesserint anni ætatem. Sepe tamen euenit quod semina quantumcunq; sunt bona, si iacta fuerint non nascantur ex aliqua malitia corporum cœlestiū impedita. Ideoq; utile est diuersa semina simul seri, ne tempus alicui seminum cõtrarium ex toto terram destituant, licet enim aliquando plantæ seinuicem impediant, ut supra probatum est in secundo libro, tamē herbas, ut plurimum uidemus, commode simul nasci & uiuere, ut aperte patet in pratis & in locis cæteris in quibus diuersis simul herbis & raro unius tantū generis natura suo naturali motu producit, quam quidem sequi debemus in omnibus tanquam ducem. Scias autem quod omnis herbarum satio est optima cum Luna fuerit in augmēto propter rationem quam supra dixi in libro secundo, & sæpe euenit ut non sit utilis satio cum Luna processerit in defectu. Fit autem transplantatio, ut sapor herbarum in melius commutetur & domesticet̃, & quę nimis spissæ natæ fuerint, adeò raræ ponantur ut sarculari possint, & ad debitum peruenire augmentum, nec est in transplantatione necesse firmari radices, sed in quibusdam est utile amputari radicum summitates, ut in tractatu cuiuslibet herbę patebit. Sarculantur autem quotiens herbæ nociuę nascuntur in eis, quæ tam sarculo quàm manibus optime auferantur, ne melioribus herbis surripiant nutrimentum. Fit etiam sarculatio cum propter pondus terræ, ac imbrium compressione & ambulantium conculcatione terra nimis fuerit consolidata, dum tamen scias, quod quando terra fuerit nimis mollis non tangatur, sed si fuerit nimis sicca, licet terra moueri non possit, herbæ nihilominus sarculo recidantur, quæ res multum proficit hortis. Accidunt hortis multū nocumenta, quandoq; autem necessitas nos cogit hortum facere in terra nimis solida & cretosa, cui multum proderit si sabulum misceatur uel lætaminis multitudo, & terra sæpissime moueatur. Et quandoq; terra est adeò soluta quod humor conceptus facile resoluitur, & hortus æstiuo tēpore nimiū exiccat̃, cui proderit si eidem misceat̃ letamen & creta, si non potest facile irrigari aut diu negat̃ cœlestis infusio. Si aūt hortus est omnino nimis aquosus, magnis cingatur fossatis & per ipsum hortū fiant etiā fossæ quod humor aquosus superfluus defluat ad partes extremas: si fuerit uero nimis siccus & aridus foueis non cingatur, quia horto subducūt humores, & altæ duobus pedibus pastinet̃, quia hortus sic cultus negliget siccitates, & tēpore magni æstus irriget̃, & plantę paruulę obumbrent̃. Hyeme uero frigida cooperiantur nouę seminationes, ne superfluo frigore quę sata fuerint corrumpant̃. Contra nebulas & rubiginē paleas & purgamēta pluribus locis per hortū disposita simul omnia cum nebulā uideris instare cõbure. Contra limaces qui eas de horto remoueant sint lectores. Cõtra formicas qui habent in horto cor nocuę foramini apponamus, ut Palladius ait, uel origano, uel sulphure tritis foramen asperge, si deforis ueniant, omne horti spacium cinere aut creta cingamus. Si feceris lineā de oleo, non audebūt intrare donec fuerit

exiccatum sed hoc est difficile, sed utile erit hoc facere contra arbores patiẽtes formicas & cõtra erucas: semina quæ spargenda sunt semper succo madefiant erucarum, per manus puerorum colligantur & occidantur cum hortũ infestãt. Cicer est inter olera propter multa portenta serendum, ut olera infesta nõ generet animalia in corio testudinis. Omnia semina quæ sparsurus es desicca, uel mẽtam locis pluribus & maxime inter caules sere. Contra mures & talpas prodest in hortis cattas habere, aut mansuetas mustelas. Alij foramina eorum creta & succo agrestis cucumeris implent, & alij foramen cum pastino usq; ad terrã solidam auferunt, deinde ponunt aquã in foramine in terra solida existente, & inde egrediens animal occidunt. Præterea omnia semina horti serunt & agri ab omnibus malis & noxijs animalibus aut monstris intacta seruari, si succo radicum agrestis cucumeris & erucarum mixta macerentur. Herbæ colligũtur propter cibum, ipsis recisis cultello modicum supra terram, & ex multis sola folia colliguntur, quæ ad debitum peruenerint augmẽtum, ut in beta, sclarea, boragine, petroselino, & in caulibus obseruatur, sed in hyeme caules totaliter incidũtur. Porrò in his omnibus excepto petroselino, fœniculo, & saluia, & quibusdã alijs, si sępe stipites cum nati fuerint uel creuerint auferantur, longiori tempore sine seminibus uirides habebuntur. Verum propter medicinam oportet colligere postquam integram incipiunt habere quantitatem, antequam florum alteretur color & cadant, sed semina colliguntur postquam eorum terminus figitur & exiccatur cruditas, & aquositas, & radices sumendæ sunt cum adest foliorum casus: flores colligere oportet post aperitionem integram, ante exterminationẽ & casum: sed tota herba colligi debet cum ad suam integritatem peruenerit. Et fructus quidem sunt colligendi postquam finitur complementũ eorum, & antequam sint parati ad cadendum, & quæcunq; colligõtur decrescente Luna meliora sunt, & magis seruabilia his quæ colliguntur crescente luna, & in eius augmento, & similiter quęcunq; colliguntur claro aëre, meliora sunt his quæ colligũtur in dispositione humiditatis aëris, & uicinitatis ipsius pluuiæ. Et syluestres quidem domesticis sunt fortiores & minoris quantitatis, secundum Plinium, & ex syluestribus montanę sunt fortiores, & illæ quorum loca sunt uentosa & sublimia sunt præter alias fortiores, & illę quarum color fuerit magis tinctus & sapor magis apparens, & odor fortior, erunt potentiores in genere suo. Atq; etiã scias, quod uirtus herbarum debilitatur post duos uel tres annos, sed plurimum herbę, flores & semina seruanda sunt in locis siccis, & obscuris, & in sacculis, aut in uasis constrictis melius seruantur, ne odor & uirtus eis exhaletur, & precipue flores, radices autem melius in subtili arena seruãtur, nisi sint radices quæ siccatæ seruantur, quæ similiter in loco sicco & obscuro melius seruabuntur, semina tamen porri, & ceparum melius, quàm aliter in suis siliquis seruabuntur.

De Allio.

De Allio.



ALlium mense Septembri & Nouẽbri optime plantatur, in terra maxime alba, fossa & subacta, sine stercore, licet in alia terra etiam stercorata proueniat: sed inseri potest mense Octobri, Septembri, Februario & Martio, & in locis calidis mense Decembri, & si dimittantur in terra quando matura sunt, reperiuntur eorũ radices & folia, & faciunt semen sequenti anno, quod seminari potest, & allia producit. Plantantur in areis uno pede seu palmo distantes. Item possunt poni in areis herbarum duæ aut tres acies in qualibet. Sarculanda sunt frequenter, ut melius eorum capita crescant, si bene capitata facere uolueris, ubi cœperint eorum stipites prodire, proculca, ita quod succus reuertatur ad ea. Colliguntur cum eorum stipites se amplius sustinere nõ possunt, in Lunæ defectu & claro aëre. Fertur enim quod si seruntur Luna sub terra posita, & sub terris Luna latente uellant̃, odoris fœditate carebunt. Item in paleis condita uel fimo suspensa durabunt. Allium siccũ & calidum est in medio quarti gradus, uirtutem habet consumendi, dissoluendi & expellendi uenenum. Contra morsus uenenatorum animalium, accipe allia & tere & cataplasmentur. Succus eius interius receptus discutit uenenum, ut theriaca dicitur rusticorum. Contra lumbricos accipe allium, parum piperis, petroselini succum, mentæ & acetũ, & inde fiat salsamentũ, & comede cum pane uel carnibus. Ad aperiendas uias epatis urinales meatus, fiat salsamentum cum uino & succo herbarum diureticarum, & detur patienti. Contra strãguriam & dysenteriam & dolorem iliorum accipe allia & coque in uino & oleo, & facias inde emplastrum & impone pectini et circa uirgam & loca dolentia. Allium uisui obest, quia desiccat, & toti corpori nocet, si ultra modũ sumatur, quia generat lepram, apoplexiam, maniam & multa alia. Auicenna insuper dicit, quod allium coctum clarificat uocem & guttur, & cõfert tussi antiquæ & doloribus pectoris ex frigore. Isaac dicit, quod parum dant nutrimentum, et sunt nociua cholericis, & calorem naturalem habẽtibus, frigidis & humidis seu liquidis naturaliter urinam prouocant, et uentrem humectant, et siccis natura cõtrarium faciunt, sed uolentes caloris eorum nocumentum uitare bis ea elixent, deinde condiant ea cum aceto.

De Atriplice.

ATriplex serit̃ mense Februario & Martio, et Aprili & cęteris mensibus, usq; ad autumnum, si poterit irrigari, et non desiderat transplantari, et à quibusdã serit̃ mẽse Decẽbri, in terra bene culta et stercorata, et melius



prouenit si raræ fuerint seminata, potest autem se ri per se in suis areis simul cum alijs herbis, & semper amputandus est ferro, quia pullulare non cessat. Sepe etiam irrigari desiderat, si tempus fuerit magnæ siccitatis. Semina eius per quatuor annos seruari possunt. Artiplex frigida in primo gradu, humida in secundo, parum nutrit, eius liquor est aquosus, & cito eijcitur, & non est uentris solutiuus. Cataplasmata super calidum apostema, ilico refrigerat & sanat. Semen eius est mundificatiuũ & colatiuum, & proinde utile est ictericiã habentibus, quæ nascitur de epatis oppilatione, ex quo duabus drachmis cum melle & aqua calida potui datus cholericis ualde prouocatur uomitus.

De Aniso.



ANisum desiderat terram bene pastinatã & pinguem, & optime prouenit si humore iuuetur & stercore, seritur mense Februario & Martio per se, & cum alijs herbis, ac semen eius suspensum per trienniũ durat. Anisum calidum & siccum est in tertio gradu, alio nomine dicitur cyminum uel fœniculum Romanum, & est semen cuiusdam herbæ quæ simili nomine appellatur, uirtutem habet dissoluendi & consumendi, potest autem conseruari per quatuor annos multa efficatia. Cum lauatur facies ex aqua ipsius clarificat eã, & similiter eius acceptio & usus cum mensura, sed nimis usus ipsius faciem citrinat. Contra uentositatem, indigestionem & acidas eructationes detur. Vinũ decoctionis anisi, fœniculi, & mastichis uel puluis ipsorũ in cibis, addito puluere cinnamomi, & dolorem intestinorum ex frigiditate mitigat. Contra uitium matricis ex frigiditate, ualet decoctio eius cum alijs rebus diureticis. Contra liuorem ex percussione, & præcipue si sit in facie iuxta oculos coquat̃ cum cymino, & supponatur cũ cera calefacta. Ad augmẽtationẽ lactis & spermatis ualet puluis eius sumptus in cibo & potu, & hoc operat̃ aperiendo meatus lactis & spermatis.

De Anetho.

ANethum desiderat cõmunem hortorum terram, & seritur mense Februario & Martio, Septembri & Octobri, & in locis clementibus etiã mẽse Decembri per se & cum alijs herbis, omnẽ cœli statũ patit̃. Sed in tepidiori lætat̃, rarius seratur, & irriget̃ si non pluat, aliqui semen eius obruunt, opinantes quod ab aue nulla tangatur. Anethum calidum est & siccũ in secundo gradu.



gradu. Eius semen principaliter competit medicinæ. Secundario radix recēs. Nam radix recēs habet uirtutem diureticam, calculi fractiuam, & uiarum urinalium aperitiuam. Sicca uero nullius est utilitatis. Tertio herba. Semen per triennium potest seruari, melius tamen est si singulis annis innouetur, decoctio herbę & seminis ualet ad stranguriam & dissenteriam, & lac augmentat. Contra dolorem matricis fasciculi anethi bulliant in uino, & cataplasmentur. Semen eius uentositatem tumorem & inflationem dissoluit, & similiter rami eius, & ipsum semen uentrem de humorum putredine mundificat, habet etiam proprietatem extinguendi singultum de plenitudine factum, quod si uratur, calidum & siccum est in tertio gradu. Etiam ualet contra uulnera putrefacta & diuturna in uentre nata. Auicenna dicit quod assiduatio comestionis anethi debilitat uisum.

De Appio.



APpium mense Februario, Martio, Aprili & Maio seri debet & multū multiplicatur in circuitu, & eius uetustiora semina citius nascuntur. Appium aliud est domesticum, aliud syluestre: domesticum aliud hortēse, aliud aquaticum. Quod in hortis nascitur calidū est, in principio tertij gradus, & siccum in medio. Ideoq; coctum uel crudū esui datum oppilationem aperit, urinā prouocat, & uentrem stringit, habet proprietatem constipationem membrorum soluendi, & uiam humoribus faciendi, unde nocet epilepticis & prægnantibus, eosq; ad stomachum, uuluam & caput attrahendi habet uirtutem, nocet epilepticis & pręgnantibus, & uomitum inducit. Vinum eius decoctionis torsionē uentris factam ex uentositate compescit. Semen est efficatię minoris, secūdo radix, tertio herba. Aquaticum autem ranum dicitur, eo quod in aquis nascitur ubi ranæ morantur, uel eo quod renibus opitulatur, parum est calidum, unde digestibilius est & calidis naturis conueniens. Cataplasmatio facta de eo & mica panis super stomachum positus eius ardorem mitigat, syluestre dicitur apium risus, eo quod melancholicum purgat humorem, ex cuius abundantia tristitia generatur. Apium risus in uino uel aqua decoctus stranguriā & dissenteriam soluit, & fumigium ex eo factum menstrua prouocat, uel succus eius suppositus. Et nota quod apium risus timore sumi debet, quia in quibusdam locis adeo uehementissimum inuenitur, quod si sumatur est causa mortis.

De Absin-

De Absinthio.



Absinthium calidũ est in primo gradu, & siccum in secundo, duas dicitur habere uirtutes contrarias, scilicet laxatiuam & constrictiuã, primam ex caliditate & amaritudine, secũdam ex grossitie & ponticitate substantię, unde non est dandum nisi materia existente digesta. Debet autẽ colligi circa mediũ Maij, & in umbra siccari. Cõtra lumbricos in inferioribus intestinis existentes detur cum puluere centaureæ, uel persicarię, uel nucleorum persicorum aut foliorũ. Ad menstrua prouocanda persarigetur succus eius, uel fiat suppositorium ex eo, & apio & artemisia coctis in oleo. Contra ebrietatem detur succus eius cum melle & aqua tepida. Contra suffocationem ex sanguine, detur succus eius cum aceto & aqua calida. Ad duritiem splenis absinthiũ coctum cataplasmetur. Contra liuorem & dolorem membrorum ex percussione ex absinthij puluere & cymini & melle fiat emplastrum. Contra duritiem & uermes aurium, instilletur succus eius. Succus eius potatus uisum clarificat, & oculis impositus ruborem & panum remouet, libros & pannos à uermibus & tineis tutos reddit, & tuetur & carthas à corrosione & corruptione.

De Artemisia.



Artemisia, quæ alio nomine dicitur mater herbarum, calida & sicca est in tertio gradu, folia eius magis quàm radix competit medicinæ, & uiridia magis quàm sicca. Valet cõtra sterilitatem, quæ fit à frigiditate. Nam si esset ex caliditate magis obesset, quod satis perpẽdi potest ex complexione mulierum, si sunt macræ uel pingues, detur ergo puluis eius cum puluere bistortæ, & nucis muscatæ, cũ melle confectus, uel sirupo simplici, in modum electuarij. Item balneatur in aqua in qua sit cocta artemisia, uel ex tali aqua fomentetur uulua, uel ex ea & oleo cõmuni fiat suppositorium. Ad menstrua prouocãda fiat pessarium ex succo eiusdem. Contra tenasmũ ex frigida causa, patiens recipiat fumum eius per anũ, & herba calefacta & super lapidem posita sedeat super eam.

De Aristo-

De Aristolochia.



Aristolochia duplex est scilicet lõga & rotunda, & utraq; calida & sicca est in tertio gradu, & quidam dicunt quod est sicca in tertio gradu, radix magis quàm folia cõpetit medicinæ. Radix colligitur in autumno, & exiccata per bienniũ potest seruari in multa efficatia. Et folia cũ floribus habẽt uirtutẽ dissoluẽdi & cõsumẽdi & expellendi uenenum, & morsum uenenatorum animalium, detur succus rutæ cum puluere eius, puluis etiam eius carnes corrodit in uulnere, & in fistula, ad expellendum fœtum mortuum coquatur bene in uino & oleo, & radix eius, & fiat fomentum iuxta femur, puluis eius aceto mixtus cutem optime & scabiem & saniem mundificat. Albertus dicit, quod habet mirabilem uirtutem in attrahendo spinas & alia carni infixa. Item dicit, quod mundificat sordes auris, & mundificat & confortat aurẽ quando ponitur ipsa cum melle, & prohibet saniem si generetur in ea, si linitur super splenem cum aceto confert ualde, & rotunda in omnibus est fortior.

De Abrotano.



Abrotanum est herba calida & humida primo gradu, & subtiliatiua & apertiua ualde. Cuius emplastrum prohibet attractionem neruorum ad membra. Item frangit lapidem in renibus, & prouocet menstrua sedẽdo super eius decoctionem, & cõfert ulceribus eius, & eijcit secundinam, & fœtum, & confert coadunatione oris matricis, & aperit ipsum, & duritiem eius bibitum, & more emplastri superpositum.

De Asphodelo.



Asphodelũ & centũcapita & albutiũ idem est calidum & siccum in secũdo gradu, folia eius sunt similia folijs porri, radix eius cõpetit medicinę magis quã herba, & uiridis melius quàm sicca. In radicibus eius inueniunt̃ quædam capita in modũ testiculorũ, diureticã habet uirtutem attrahendi, dissoluendi & consumendi, & ualet ad ea ad quæ ualet anethum, & eodẽ modo. Item ualet ad ea quæ ualent cõtra maculas & omne uitium oculorum, hoc modo, accipe unciã croci & uncias 3. mirrhæ, bullias in libra media boni uini rubei, & libra media succi asphodeli usq; ad medię partis consumptionem, uel ponatur ad solem in uase æneo, per totdies ut ad

dies ut ad medietatē reducat̃ miro modo prodest, si tali collyrio illiniant̃ oculi.

De Acetosa.



Acetosa frigida & sicca est in secundo gradu, in ipsa est stipticitas & superat cholleram, & eius humor est laudabilis, radix eius cum aceto confert scabiei ulcerosæ, & excoriationi inguinis. Ex ea fit emplastrum scrophulis, ita quod dicitur si radix eius suspēdatur in collo habentis ea iuuetur, & eius decoctio cum aqua calida confert pruritui, & similiter ipsa in balneo est perutilissima, & comeditur propter desiderium cibi.

De Blito.



Blitum desiderat terram pinguissimā, humidam, stercoratam & subactam, & optime proficiet. Seritur propter cibū mense Decembri, Februario & Martio pręcipue. Sed potest fere toto anno seri, si inueniat̃ terra æqualis, & optime quę spissa fuerit rarificatur, & alibi transplantat̃, cum aliquantulum creuerit, ut sit quinq; uel quatuor foliorū, radicibus suis fimo recenti obrutū, & quæ inuenitur in loco ubi sunt seminaria euulsa & seminatis areis, plātetur circa ipsa ab utraq; parte sulcorum. Itē potest seri in areis ubi sunt melones & citrulli aut cucurbitæ, cum incipiunt ramos extendere, siue sint ibi cepæ siue non, quæ remanebunt remotis melonibus, citrullis & cucurbitis. Sarculanda est sæpe, & ab herbis inutilibus liberanda, si per se sola fuerit. Sed blitum quæ propter semina colligenda seritur optima erit, si seratur mense Augusto, deinde mense Ianuario per sulcos hortorum uel per areas transplantetur, hæc enim postea nobiliora semina ferunt. Et nota, quod ex eodē semina bliti nascuntur nobiles, quędam quę primo anno non producunt, sed solum anno sequenti. Et hæc debent propter esum seruari. Et quædam nascuntur ignobiles, quæ prima æstate surgunt in stipitem, & semen producunt, & hæc extirpentur de horto, cum semē proferunt. Item seri potest & cum alijs mixtim quę remanebit & sarculabitur remotis quasi cęteris herbis. Eius semen per quatuor annos durat. Blitum frigida & humida herba est in tertio gradu, laudabilem chimum generat, uentrem humectat, & conuenit calidis natura uel accidentaliter calefactis, & sitim extinguit. Blitum lendes & alias immundicias capitis & faciei maculas emundat. Capillos capitis reparat, & conseruat, malos humores nutrit, si nimiū sæpe in usu habeatur,

habeatur, ut dicit Dioscor. Auicenna dicit, quod super eius radicem sicut & super caulem potest plantari surculus, qui tandem roborata radice in arborem transmutatur.

De Boragine.



Borago seritur mense Augusto, Septembri, Decēbri & Aprili, uel sola in areis, circa nouellas areas aliarum herbarum, nec apte alio tēpore seri potest, & transplantatur cōgrue ferè toto tempore anni: semina eius colliguntur semimatura, ne de siliquis cadant, & herba cum seminibus per duos uel tres dies ponitur in aceruū, ut semina maturitatis recipiant complementum, & super linteamine cōcutitur seu conteritur, super quo semen facillime cadit, aliter enim haberi non posset, semē per duos annos seruat. Borago calida & humida est in primo gradu, habet enim proprietatem lætitiam generandi, si in uino missa potui datur. Cor enim ualde cōfortat, unde ualet cardiacis cum aqua cocta, & cum melle, aut saccharo potui data. Cannales pulmonis, pectoris & gutturis optime mundat, optimum sanguinem generat, unde conualescentibus ex ęgritudine sincopem patientibus, cardiacis & melancholicis commesta cum carnibus uel condita cum sanguine. Cōtra sincopim detur sirupus ex succo eius & saccharo factus. Contra cardiacam addatur dicto sirupo puluis de corde cerui. Contra icteritiā comedatur frequēter cocta cum carnibus, item succo eius & scariolæ utatur patiens.

De Ocimo.



Basilicon quæ est Ocimum, calida & sicca est in primo gradu. Cuius tres sunt species, scilicet gariophilatum, quod habet folia minuta, & hæc maioris est efficatiæ. Itē est beneuentanum quod latissima habet folia. Hęc herba ex aromaticitate uirtutem habet cōfortandi, & ex qualitatibus dissoluendi, consumendi, extrahendi, extergendi & mundificandi. Contra sincopim & cardiacam ipsius herbę decoctio detur, cum aqua rosata. Ad idem ualet uinum in quo eadem herba per noctem steterit, & si in eo cocta fuerit, tale uinum multum confortatiuum & aromaticum erit, & ualet contra prædicta & contra indigestionem ex fluxu uentris ex frigiditate. Sed contra fluxū ualet pręcipue si herba uel semen quod est melius

decoquatur in aqua pluuiali cum modico aceto, & talis aqua detur patienti. Itẽ ualet ad matricem mundificandam & menstrua prouocanda.

De Betonica.



Betonica calida & sicca est in primo gradu, folia eius præcipue competunt usui medicinę uiridia & sicca. Ad dolorẽ capitis ex frigida causa fiat gargarismus ex colatura decoctionis eius cum straxigonia in aceto. Contra dolorem stomachi detur decoctio eius in succo absinthij cum aqua calida. Ad matricem mundificandam & cõceptum iuuandum fiat fomentum ex aqua decoctionis eius, fiat etiam suppositorium & detur electuarium confortatiuum ex puluere eius & melle.

De Branca ursina.



Branca ursina calida & humida in primo gradu, uirtutem habet molliendi, contra frigida apostemata conterantur folia eius cum axungia porcina ueteri & superponatur. Contra uitium splenis fiat unguentum ex ea contrita diu in oleo macerata & colaturæ eius addatur cera.

De Bistorta.



Bistorta est radix cuiusdam herbæ simile nomine appellatę, & quę frigida et sicca est in tertio uel secũdo gradu, uirtutem habet constringendi & consolidandi & confortandi. Contra uomitum ex debilitate uel feruore, puluis eius conficiatur cum albumine oui, super tegulam coquatur, & detur patienti. Contra dissenteriam detur cum succo plantaginis, ad mẽstrua constringenda fiat fomentũ ex aqua decoctionis eius & puluere ipsius.

De Cucurbita.

Cucurbita desiderat terram pinguem, bene subactam, stercoratã & humidam, plantatur in fine Aprilis, & principio Maij, tribus uel quatuor pedibus distantes, hoc modo, bina grana simul mittantur circa tres digitos in terra, & rami deorsum & acuitas sursum maneant eleuata, sed per noctem ante-

ctem antequam plantentur mittantur in uas aqua plenum, deinde grana eijciantur natantia, & plantentur alia quæ non natant in loco ubi ponuntur, misceant cum terra & letamine. Nec plantentur in foueis ne pluuię aggregētur in eis, & germen extinguant cum bene natæ fuerint, & eleuata modicum supra terram sarculantur, & circa eas terra ponatur, & cum opus fuerit paulatim irrigentur. Et si plantatæ fuerint in terra parum mota, cum augeri incipiunt, uniuersa terra circa eas posita fodiatur profunde, ut radices possint extendere per spacia uniuersa, & cum creuerit coopertura fiat desuper admodum uineæ ad staturā hominis, & rami foliati ponantur desuper propter umbram, & super ipsas cucurbitas propter calorem herba ponatur, ut melius crescant, uel sinantur ire super terram earum uites si placuerit, cui multum proderit, ut multa & citius poma faciat, si ipsius capita principalia & grossiora modicum in summitate rumpant, ut ramos faciant qui poma producant. Item inuentus est modus plantandi maturius cucurbitas & melones, & habendi maturius fructus, ponatur parum de terra trita super massam fimi calidi nuper extracti de stabulis mense Martio, & super dicta terra plantentur semina, hæc cito nascunt propter calidum fumum & fimum eius, & nata defendantur in noctibus à pruinis coopertorio aliquo, & tempore quo pruina cadere destitit, statim cum modico illius terræ & fimi transplantentur ubi uolueris eas esse, quę pro seminibus seruare uolueris grossiora, quæ de primo natis fuerint usque ad hyemē in uite sua indurare permitte, deinde ad paruum fumum suspende ubi semina optime seruabuntur. Et nota quod grossities appendentij futuram cucurbitæ magnitudinem indicat, & cum plantare uolueris aperias, & scias quod quāto in altiori loco cucurbitæ semina fuerint, tanto longiores creabuntur. Et nota quod semina prędicto modo seruata per triennium seruabuntur. Cucurbita frigida & humida est in secundo gradu, phlegmaticum chimum generat, unde competit calidis natura & proprie cholericis, nam ipsorum calorem mitigat, & sitim extinguit, & est eis optima, & maxime si cum cotonijs aut maligranati succo aut agresta aut aceto malorum granatorum detur. Phlegmaticis autem detur cum pipere, sinapi uel menta. Et si in pasta inuoluta assetur, & succus in pasta inuentus potui detur, calorem febris mitigat, & sitim extinguit. In acutis febribus datur aqua eius uel sirupus ex ea factus, & ipsa cum carnibus cocta cholericis in æstate confert. Semina eius frigida & diuretica sunt, propter subtilitatē substantiæ, & præcipue competunt medicinis. Contra oppilationem epatis, renum & uesicę, & contra apostemata pectoris semina mundata & à corticibus suis bene terantur, & in aqua hordei aliqualiter coquantur & aqua colata potui detur patienti. Si autem non potest bibere talem aquam fiet ex ea sirupus. Et nota quod maiorem habent efficatiam si non bullierint, sed ablactentur.

De Cucumeribus & citrullis.



CVcumer & citrulli desiderãt eandẽ terrã cum cucurbita, et eisdem mensibus, eodem modo plantãtur et circunfodiuntur, sed habere debet interualla maiora, & postquã nati fuerint omnino non rigẽtur, quia in rigatione facile destruuntur, & cum plantata fuerint, eorũ semina per sex uel octo dies inquirantur ne sint corrupta, quod scietur si dura sunt uel aperientur, quod si mollia, non sunt bona, ideo loco ipsorum alia sunt ponenda, & iterum post sex dies rimanda, & alia ponenda si inuenientur corrupta. Herbis iuuantur, & ideo sarculo et runcatione nõ indigẽt. Si semina omnino lacte & mulsa maceres dulces nascuntur, et candidi, longi & teneri, & si aqua in patenti uasculo sub eis ponas duobus palmis inferiores tales fiunt ut Martialis affirmat. Cucumeres & citrulli frigida & humida sunt in secundo gradu, & sunt ualde indigestibiles, & citrulli deteriores sunt cucumeribus, & in utroque pars exterior est durissima ad digerendum, sed medulla ipsorum perfectiorem generat chimum, habentibus calidum & fortem stomachum, & exercitãtibus in æstate conferunt cum substantia sua phlegmaticis, & otiosis nocent multũ, & specialiter stomacho & neruositati eius. Sed aqua siue succus eorum cõfert febricitantibus, & statim sedat, non comeduntur cocti, sed crudi tãtum. Sed cucurbitæ coctæ solummodo comedũtur. Citrulli quanto minores et teneriores et uiridiores seu acriores sunt tanto meliores, nec boni sunt postquam eorũ substantia ad duritiem & color ad citrinitatem accedit. Sed cucumeres meliores sunt, maturi existunt, quod cognoscitur cum molles sunt & leuiores fiunt.

De Caulibus.



CAules in omni aẽre proueniunt, & terrã desiderant pinguem mediocrem & stercoratam, et profunde fossam, et amãt potius terram mediocrem quàm sabulum aut cretam. Caulium quidam habent folia plana lata & grossa, & his communiter utimur in partibus nostris. Quædam sunt folia crispissima, & hi licet boni sint, tamen sunt minus mundi propter erucas & alios uermes qui nimis occultantur in eis. Sunt etiam caules quidam habentes folia magna,

magna, subtilia & aliquantulum crispa per totum, qui caules romani dicuntur, & hi meliores sunt omnibus magisq; coquibiles, si terram ualde pinguem habuerint, in macra meliores sunt. Seminari possunt & transplantari toto tempore anni, quo tempore terra non fuerit cõgelata, aut adeo siccata quod coli nõ possit, & durant eorum semina per quatuor annos. Et qui seruntur mense Decembri, Februario, Martio & Aprili & Maio habentur toto ęstate & hyeme, donec pruinis & nimio frigido destruantur. Quod si stipites eorum non euellantur, in uere producunt semina, quæ cum matura fuerint colligãtur, ueruntamen si plures, auferantur ab eis ramusculi seminum cum nascuntur, ita quod materia seminis consumatur, uinciuntur, & postea folia pulchra producũt, & per annos plures eorum uita durabit. Quidam tamen nimis facile semina producũt, & ij non possunt sic facile seruari. Alij uero sunt qui non sic facile semina proferunt, & his proprie competit hæc cautela: Et qui seminantur postmodum Augusto usque ad octo dies intrante Septembri, deinde plantantur de mẽse Septembri, uel Octobri, uel aliquãtulum creuerint erunt magis pulchri in quadragesima sequenti, & post ipsam, & semina non producunt & gelu & pruinam hyemis non timebunt. Si uero ante dictum tempus serantur semina producũt in quadragesima, & conuenientes erunt, quod si post dictum tempus serantur nimis teneri & debiles erunt, quod si post dictum, & ueniẽte frigore hyemis non durabũt, & hęc in partibus Tuscię Bonon. sunt probata. Spissi ualde seri possunt, & irrigari si tẽpus fuerit nimiæ siccitatis. Et nota, quod caulium semina per quinq; annos dicũtur posse seruari. Cum uero plantantur in foramine cum palo facto amputẽtur summitates radicum, ne cum ponuntur sursum plicentur, quod eis magnũ nutrimentum auferret. Et nota quod ponendæ sunt incrementi maioris quoque, quia licet serius comprehendant tamen fortiores sunt, nec est necesse quod radices fango uel molli lætamine liniantur, nec quod terra sit mollis. Nam & in mediocriter sicca plantæ uiuunt, licet arescant folia, donec ueniente pluuia prima confortabitur uigor eorum. Et non solum caules mense Martio uel Aprili plantatę, sed etiam quæ Iunio, Iulio, Augustoq; mense plantantur erunt in hyeme magnæ, plantentur autem soli in loco ubi nihil aliud est. Et optime & similiter proueniunt per sulcos omnium herbarum, ceparum & alliorum, scilicet una acies per sulcum uel duæ, si una in qualibet parte sulci per unum brachium uel minus ab inuicem sint separati. Sed quanto rariores plantantur, tanto maiores efficiuntur, & quanto spissiores tanto minores erunt. Item caules quoq; diximus pro quadragesima esse plantandas, optime plantantur inter magnos caules in duplo spissiores quam ipsi magni sunt, prius optime culta terra, & quasi in puluerem redacta, qui remanebunt maioribus resecatis poterunt rarificari, ut magni fiant & durant per totum annum, & tota illa ęstate semina nõ producẽt. Item plantari possunt per agros inter milium, panicũ, & fabas per sulcos frumẽti, & cæterorum granorum, & inter cicera & sulcos melonum & cucumerum.

Item possunt plantari in uineis & in his bene proueniunt, sed eas maxime lædunt. Compertum est enim caulem esse inimicum uitis, & debilitare plurimum, & adurere si fuerit iuxta ipsam. Item caue cum caulem plantas, ne tantum terræ submergas quod summitas stipitis plantulę non remaneat super terrā, quia statim planta periret. Caules sarculandi sunt & herbis inutilibus liberādi, & cū post incensionem, siccitatem æstatis ueniunt pluuię quibus renouari sperantur, auferantur & ab eis folia inutilia quæ sicca fuerint & perforata. Caulis frigida & sicca in primo gradu. Sed Auicenna dicit quod est siccus in secūdo gradu. Turbidum & melancholicum generat sanguinem, & eius nutrimentum paruū est. Cum uero coquetur cum carne pingui aut gallinis fit bonus, parum ius eorum uentrem humectat, & urinam prouocat. Eorū uero corpus est siccum unde constipatiui sunt, ergo simul recepti in hac actione temperati, sed solum ius datū soluit, & substantia sola constipat. Nocumētum eorum aufertur si elixent̃, & aqua proiecta coquantur in allia cum pingui carne pecudū, aut suis cum pipere aut cum cymino aut oleo dentur. Auicenna dicit, quod eius decoctio & semen ebrietatem tardant. Et ex proprietatibus eius est exiccatio linguæ, & facit somnum, comestio eius clarificat uocem. Galenus dicit si caules assati dentur pueris ad comedendum, faciunt eos citius ambulare. Plinius dicit quod folia caulium mire sanant uulnera canum. Item dicit, quod caulis parū coctus soluit uentrem, & multum coctus stringit eum: & dicit, quod caules confortant neruos, unde ualet paralyticis & tremulosis, lactis ubertatem præbēt, & eius succus ualet contra uenenum, & contra morsum rabidi canis.

De Cepa.



Cepa desiderat terram solutam, pinguē & optime subactam, eorum semina durāt per annū tantum. Sed in matri suspensa per triēnium seruantur illæsa. Seritur à quibusdam mēse Nouembri circa principium & maxime per uniuersam Tusciā, & fit super ipsarum seminarium uelut pergularium de aliquibus straminibus coopertum uersus aquilonem, per unū brachium, & per duos uersus meridiem eleuatum, & à multis seritur mense Decembri, Ianuario, Februario, Martio, cum primum possunt seri. Solę serunt̃ in areis, mixtimq; cum alijs herbis seri possunt, cum aliquantulum creuerint siue sit mēse Aprili uel Martio uel Iunio plantantur in areis per unum semissem uel spannam ab inuicem separata, & in area quatuor acies poni debent. Quas uero uis ante maturitatē comedere, plātabis in areis ubi sunt cucurbitę, cucumeres, citrulli uel melones. Et cum hęc creuerint sæpe colligunt̃, ubi etiā si dimittantur ad maturitatem perueniunt, licet non sint ita grossæ sicut hæc quæ in areis solę plantantur.

Cum plan-

Cum plantari debent, rescindentur radices usq; ad grossitudinem unius uel medij digiti iuxta cepam, & per unum digitum tantum sub terra mergētur. Hæc enim planta facile adeò comprehendit, quod si solummodo poneretur uel caderet super terram uel ad partes longinquas portaretur etiam discooperta in terra quasi arida, dum tamen optime puluerizata plantent͛ summa facilitate nascetur & augebit͛. Sæpe circunfodi desiderant & ab herbis quibuslibet liberari, quod si terra eodem anno stercorata non fuerit debet plātationis tempore stercorari, ut optime cōualescat. Collectis autem cepis maturis quod patet cum se sustinere non possunt & amplius non augetur. Meliores earum plantantur mense Augusto ut anno sequenti semen faciant, deteriores uero plantantur ut in quadragesima uiridia habeantur, mediocres uero seruant͛, quæ si in augmento Lunæ euulsæ fuerint claro uel sicco tempore existente, melius seruabūtur in loco obscuro & sicco. Cepæ calidæ sunt & humidæ in tertio gradu, proinde sæpius comestæ cum sui acumine humores malos in stomacho generant, & sitim, inflationem, uentositatē, dolorē capitis atq; insaniā faciunt, propter fumū ex eis ad caput ascendentem, & cerebrū percutientem. Vnde assuescentes eis, cadunt in maniam & terribilia somnia, & melancholica cernunt, pręsertim si ex egritudine exeuntes eas comederint, crudæ uero comestę nihil nutrimēti corporis tribuunt, sed si elixētur & in aqua proiecta inter alia coquant͛ dant nutrimentū bonum & plurimū, maxime si cum carne pinguissima & cum bono cōdimento odorifero condiant͛. Si autem cruda propter medicinam moderate secundū quod oportet sumantur, calorem inducunt, grossos & uiscosos humores incidunt, uenarum ora aperiunt, urinam & menstrua prouocant, & appetitum augmentāt, & uenerem suo calore & humiditate augent. Succusq; earum naribus intrusus, uel si odor earum patienti naribus fuerit attractus, caput optime purgat. Cruda uero comestæ incrementa capillorum pręstant. Auicēna dicit, quod in cepis est acuitas incisiua, amaritudo, stipticitas: & quod est longius est acutius, & rubeū est acutius albo, & siccum humido, & crudū cocto, & in ipso est attractio sanguinis ad exteriora, quare est rubificatiuum cutis. Cepæ præterea cum comedant͛ proprie prodest nocumento aquarum, & semen eius delet morpheam, & cum fricatur ex eo in circuitu alopeciæ confert ualde, & ipsum cum melle eradicat uerrucas, & plurimus usus eius nocet cerebro, & sunt ex eis quę nocent intellectui, propterea quod generat humorem malum.

De Cymino.

CYminum desiderat terram pinguem, & aërem calidum, & serit͛ mense Martio, siccum & calidum est in tertio gradu, per quinq; annos potest seruari, uirtutē habet diureticā & fumositatē subtiliādi, unde sumptum in cibis & potibus & salsamentis digestionē confortat, uinum decoctionis eius & ficuum siccarum & seminis fœniculi dolorem & torsionem intestinorū ex uentositate mitigat. Item uinum ualet contra frigidam tussim, cōtra tumorē



faucium cyminũ & ficus bene tritæ in uino coquantur & emplastrum factum super locum dolentem imponatur. Cõtra frigidum rheuma capitis puluis eius & baccarum lauri simul in testa calefactus, & in sacculo positus capiti superponatur. Contra stranguriam & dyssenteriam & alios dolores ex frigiditate cyminum cum uino coctum superponatur. Cõtra sanguinẽ oculorũ non in principio sed post puluis cymini cum uitello oui confectus super tegulã calidam ponatur, & diuisum per mediũ sæpius superponatur. Contra liuorẽ, & commixtionem, uel alio modo factũ, dum recens est puluis cymini subtilis bene confectus ad ignẽ, & sæpius appositus certum remedium est. Et nota quod ex frequẽti usu cymini fit discoloratio cutis, ideo fratres minores, quia multum eo utunt̃, sunt multum crocei sic uolunt uideri multum ieiunare & de hoc summe gloriantur.

De Croco.

CRocus est duplex, scilicet syluestris, qui seritur sicut aliæ herbæ, qui est modicę utilitatis, sed facit altum stipitem, & multas maculas in quibus nascitur crocus, qui cum apparet in ortu solis colligitur. Item est bonus crocus domesticus, qui non serit̃, quia semina nõ producit, sed cepulæ eius colliguntur mense Aprili uel Maio, & dimittuntur octo diebus in aceruo, ut maturent̃, & tunc mundant̃ & siccant̃ in loco calido, non tamen ad solem, ne coquantur, cum sint maturæ, quod cognoscitur quia tunc folia eorũ sunt sicca, & seruantur usq; ad mensem Augusti, & tunc uel ante aut post una separata ab alia in areis pastinatis plantentur cum radicibus quas habent per unam spannam distantes, quatuor digitis submergantur in sulcis uel duobus uel tribus annis dimittantur, & quolibet anno mense Aprili si fuerint tũc folia sicca, & mense Maio, Iunio, Iulio, si herba nascitur in areis immittãtur, superando terram per totam superficiem per duos digitos deorsum, ut non tangatur cepę. Et si plantantur circa finem Augusti aut mense Septembri raditur terra, ut area ab omni humiditate seu uiriditate mũdetur, deinde nascentibus floribus colligantur, & crocus siccus siccetur ad lentum ignẽ & aliquo loco clauso seruatur, & elapsis duobus uel tribus annis totus euellatur mẽse Aprili, & iterum plantat̃, ut dixi. Terrã desiderat cretosam uel mediocrẽ, & potest optime plãtari ubi fuerint cepę, ubi sunt euulsæ. Et est sciendum quod crocus nõ multum læditur umbris, sed plurimũ lędit̃ à muribus, qui sub terra corrodunt cepas eius, cõtra quos nihil qui sub terra tantũ ualet cõtra tendere, trapulas iuxta eorũ foramen, & sulcos inter areas concauos facere, qui eam defendunt ab humore aqueo, quẽ ualde timent, & propter hoc sunt impeditiones transitũ muriũ & talparũ, quę multũ appetũt cepas eius. Crocus est calida & sicca im primo gradu,

in suis

in suis qualitatibus temperatus, & ideo confortatiuus ualde, unde contra debilitatem & defectum cordis multum ualet. Ruborem oculorum ex sanguine uel macula tollit, si tritus cum rosis & uitello oui apponatur oculo, ut dicit Diosc. Item qui crocum prius bibit ebrietatem & crapulam non timebit. Item coronæ ex eo factæ non permittunt homines inebriari. Item somnum facit & stimulat uenerem, ut dicit Plinius. Item dicit, quod curat morsus serpentium & arenarum & puncturas scorpionum.

De Cepulis.

CEpulæ Malixiæ plantantur ut porri cum palo mense Iunio scilicet unà in foramen per unum pedem distantes, quę magnum, ut uulgo uocant, caspum faciunt. Quo postea utimur ęstate sequenti post pascha, & sunt ferè eiusdem complexionis cum alijs cepis.

De Carduo.



CArduus seritur mense Martio, terram stercoratam diligit & solutam, quãuis in pingui posset melius prouenire, & hoc illi prodest cõtra talpas, si nõ in solidori terra pangat̃, ne ab inimicis animalibus facile perforetur. Sũt in area iam peracta cardui Luna crescẽte serendi, semina discreta spacio semipedis. Cauendũ est ne semina immersa ponant̃, nam debiles & curuos creabunt & duros, nõ alte imprimẽda sunt, sed tribus digitis comprehensa mergantur, donec ad primos articulos digitorum è terra proueniat: herbis liberentur assidue, donec plantatura solidentur, & si æstas calidior fuerit, irrigẽtur, si acumina seminum constringas, spinulis carere Palladius affirmat. Mense Octobri cardui plantæ ponantur inter frumentum iam natum uel alias segetes cum palo, quod est utilius, quàm eas in crudo solo ponere. Quas cum ponemus radices summas eorum ferro resecamus, ac fimo cingimus, ternorum pedum spacio separamus, cum incrementi canna pedali scrobe depositas binas aut trinas. Cinerem sæpe sub hyeme siccis diebus fimumq́ꝫ miscebimus. Colliguntur autem non simul, sed successiue maturantur, nam tunc est colligendus carduus cum habet adhuc flores in parte inferiori, sicut fertur non ante nec cum flores omnes ceciderint, quia deterior esset. Sane singulis annis quotidie anserendæ sunt plantæ, ut nec macres fatigentur, & soboles per alia spacia dirigantur, cum tamen aliqua sunt radices parte uellendæ quas seruabis ad semina colligẽda liberatas omnibus pullis, testa supertegere debebis aut cortice, nam solent semina sole uel imbribus interire.

De Chamo-

De Chamomila.



CHamomila calida & sicca est in primo gradu, & est propinqua uirtuti rosæ in sui subtiliatione, & ipsius caliditas est sicut caliditas olei conueniens, & aperitiua & subtiliatiua spissitudinis, mollificatiua & resolutiua absque attractione, & hęc est eius proprietas in medicinis, sedat apostemata calida mollificãdo & resoluendo, & confortat membra neruosa omnia, & est ex medicinis plus conferentibus laxitudini quàm reliquæ. Et est cõfortatiua cerebri, quia resoluit materias capitis.

De Cuscuta podagra lini.



CVscuta, id est, podagra lini uel grungus, calida est in primo gradu, & sicca in secũdo, cũ floribus debet colligi, & per duos annos potest seruari, principaliter uirtutẽ habet purgãdi melancholiã, secundo phlegma, unde conuenienter ponitur, in decoctionibus purgantibus melãcholiam & phlegma. Aqua decoctionis eius ualet contra stranguriam & dyssenteriam, & etiam herba si poteris habere in magna quantitate, decoctam in uino & oleo renibus pectori & alijs partibus dolentibus cataplasmata. Auicenna dicit, quod aqua cuscutę est mirabilis ad icteritiam, sed Aristoteles dicit, quod de proprietatibus eius est expellere superfluitates antiquas à uenis.

De Calamentho.

CAlamenthum aliud est aquaticũ, & uocatur mẽtastrum, aliud est montanum & uocatur nepeta. Montanum melius est, quia est magis siccũ, cum florescit debet colligi, & in umbroso loco siccari, & potest per annum seruari, uirtutem habet dissoluendi, cõsumendi & cõfortandi. Contra frigidã tussim & cõtra frigidũ asthma, uinũ decoctionis eius pulueris & ficuum siccarũ ualet, nam ex eo & alijs quibusdã rebus fit diacalamenthũ, quod ad idem ualet. Item puluis eius in ouo sorbili & in farina hordei ad idẽ ualet. Cõtra dolorẽ stomachi ex frigiditate utatᷣ patiẽs puluere eius in cibis & in uino decoctio. Item cõtra frigidum rheuma ungatur occipitium ex melle decoctionis pulueris eius, postea fiat satellatio ex puluere calefacto in olla cruda, uel ex ipsa herba, multum enim cõfort. Contra relaxationẽ uuæ fiat gargarismus ex aceto decoctionis pulueris eius uel herbę, & ponatᷣ puluis eius & puluis rosarũ.

Contra

Contra tenasmon ex phlegmate, nitro, uel ex alio humore frigido iungantur renes ex melle & aqua decoctionis pulueris eius uel herbæ. Et sic etiam liberatur matrix. Vel fiat fomẽtum ex aqua decoctionis eius ad desiccandas superfluitates matricis, & multum ualebit.

De Centaurea.



Centaurea calida & sicca est in tertio gradu. Hęc herba amarissima est, & alia est maior, alia minor, sed maior est maioris efficatiæ, competit medicinæ principaliter, secũdum folia & flores, unde cum incipit flores producere debet colligi, & in umbroso loco siccari. Per annum in multa efficatia potest seruari, uirtutem habet diureticam attractatiuam & consumptiuã. Vinũ decoctionis eius ualet ad oppilationem epatis, splenis, renũ, uesicę, stranguriam & dissenteriam. Vnde Galenus, centaurea est ex melioribus & nobilioribus medicinis ad oppilationem epatis, & confert magnifice duritiei splenis emplastrata & bibita. Contra uermes aurium inijciatur succus eius cum succo porrorum. Ad lumbricos detur puluis eius cum melle. Ad uisum clarificandum succus radicum centaureæ maioris cum aqua rosata conficiatur, & oculi liniantur.

De Capillo ueneris.

Capillus ueneris frigidum & siccum est temperate, uirtutem habet diureticam ex subtili substantia, recens multæ est efficatiæ, parum potest seruari, quia subtilius herba est. Contra calefactionẽ epatis detur aqua decoctionis eius. Item ex ipsa aqua & saccharo fiat sirupus & sistit cum uitio splenis, addatur aliquid calidum diureticum. Item plagellæ intinctę in succo eius uel ipsa herba trita superponatur. Auicenna autem dicit, quod parum declinat ad caliditatẽ, & sic est subtiliatiuus, resolutiuus & aperitiuus, & in ipso est stipticitas, & quãdo permiscetur cibo gallorum & cothurnicũ facit eos fortes ad dimicandum & interficiendum. Cinis eius cum aceto & oleo confert alopeciæ, & cum oleo mirtino & uino & lixiuio prolongat capillos, & prohibet casum illorũ, & eius cinis cum lixiuio confert furfuribus capitis, & delet eas & eradicat ulcera humida in eo, & confert pulmoni purgando ipsum, ualde prouocat urinam, frangit lapidẽ, & prouocat etiam menstrua, & trahit secundinã & purgat mulierum fœtum, & abscindit fluxum sanguinis.

De Cicuta.

Cicuta calida & sicca est in quarto gradu, uirtutem habet attrahẽdi, dissoluendi et cõsumendi, ea tamen nõ utimur in interioribus medicinis, quia uenenosa est & in substantia & in suis qualitatibus, dissoluit enim tantum ut spiritus minuantur, & quorum inanitione membra mortificantur,

uirtutem



uirtutem habet potissimam secundum radices, deinde secundum folia, ultimo secundum semina, unde semen eius quandoq; ponitur in medicinis cõtra uitium splenis, talis fit usus: tota herba in aceto cũ bolo armenico per decem dies iaceat, deinde bulliant quousque resolutum fuerit armenicũ, & postea coletur per pannum, illa liquorositas bulliat bene ad ignem, & addita cera & oleo fiat unguentum, quod est potissimum contra splenis duritiem, & contra dura apostemata, & contra arteticam & epilepsiam si inungatur. Cõtra podagram & arteticam, tutissimũ remedium est. Contra iliacam passionem, stranguriam & dyssenteriam ex decoctione eius in uino forti & oleo dolentia loca cataplasmentur. Ad matricem mundificãdam ex frigidis humoribus & glutinosis, & ad menstrua prouocanda fiat fomentum ex uino & aqua salsa decoctionis eius. Contra scrophulas siccas fiat usus herbarum diureticarũ, postea fiat cataplasma ex duabus partibus cicutæ, & tertia scabiosę.

De Cataputia.



Cataputia calida est in tertio gradu, & humida in secundo. Sed sunt qui dicũt esse calidã & siccã in tertio gradu. Est autem semẽ cuiusdam herbę simili nomine appellatæ, quæ remoto exteriori cortice seruatˀ per annum, eligenda est quę uiridis non perforata interius, nec liuida, sed alba, uirtutẽ habet purgandi per superiora ex uentositate & lenitate quam habet, unde quãdoq; datur sanis ad conseruationem sanitatis, quandoq; ægris ad ęgritudinem remouendam. Contra quotidianam de phlegmate salso & scabie conteratˀ cataputia in magna quantitate, & postea caulium folijs inuoluta sub cinere ponatur, diuq; dimittatur, ut bene coquatur, deinde cõtracta comprimatur, & oleũ quod inde fluit seruetur, quod per annum seruari potest, et cum necesse fuerit detur patienti in cibis, uel aliquo alio modo, & ita possunt decipi multi, ut fiat claretum ex cataputijs bene contritis, & cum melle decoctis, deinde cõmisceatur uinum & fiat claretum. Et nota quod in 20. lib. uini debet esse cataputij una libra, idem in uncijs & alijs ponderibus minoribus. Itẽ possunt poni cataputiæ bene contritæ in iure carnium uel piscium uel aliorum ciborum, & commestæ multum ualent sanis & ægris. Gerardus tamen dicit, quod cataputia est mul-

tum laxa-

tum laxatiua & purgat superius & inferius laboriose, & cum angustia, unde cauendum est ne detur nisi facile uomenti, & nisi sit materia digesta, nec sunt dandæ habentibus stomachum debilem, & intestina, quoniã subuertunt ipsum, nec dentur nisi distemperatę, ne morã faciant in stomacho, nec est sumpto hoc medicamento dormiendum, nec quiescendum, sicut ne in cæteris uomitiuis medicinis. Et usus eorum est ut ex eis acuãtur medicinæ. Item dicit, quod per se possunt dari tritæ & distemperatæ cum aqua calida uel uino, & dicit, quod purgãt principaliter phlegma & uiscosos humores, & maxime à stomacho & intestinis, unde prosunt cholericis, cardiacis, iliacis, arteticis, febri quotidianæ, & ex uitrio uel naturali phlegmate. Diosc. autem dicit, quod dantur an. 5. granis usque ad 9. & quando stomachus fuerit fortis dentur integra, & si sit debilis dentur contrita. Item dicit, quod si folia catapuciæ dentur cocta cum pullis, aut cũ oleribus aut alijs cibis, laxant phlegma & choleram.

De Cartamo.



CArtamus, id est, rinci matrini, est calidũ & siccum in tertio gradu, herba est quæ locis marinis inuenitur, uirtutẽ habet ualde diureticã ex substantiæ subtilitate. Cõtra stranguriam, uitium lapidis & iliacam passionem, herba in multa quantitate in aqua bullita salinaria, uino et oleo, & in illa aqua patiẽs sedeat usq; ad umbilicum, & si tantam quantitatem habere non potest, cataplasma ponat ad loca dolẽtia, herba etiam commesta uel uinum decoctionis eius urinam prouocat.

De Chelidonia.



CHelidonia calida & sicca est in quarto gradu, cuius duplex est differentia scilicet indica, quę maioris est efficatiæ, & citrinam habet radicem, & est communis, quæ est in partibus nostris, & est minoris efficatiæ, una tamen pro altera ponitur, & cum in receptionibus inuenitur radix non herba debet poni, uirtutẽ habet dissoluendi, attrahendi, & consumendi. Contra dolorem dentium ex frigida causa radix inter dentes aliquantulum contrita, & allium superponatur ad caput purgandum, & uuę ex frigido humore ra-

dix in uino decocta patienti superponatur, & patiens fumum per os recipiat, deinde uinum gargarizet, quod uuam desic cat, & caput purgat. Plinius aūt dicit quod succo chelidoniæ oculi hirundinū eruti uel læsi ad statum pristinum reducuntur.



De Cherefolio.

CHerefolium seritur mense Augusti, & est bonum per totā hyemem, & post ipsam.

De Coriandro.



COriandrum est herba satis cōmunis, quę calida & sicca est in secundo gradu, cuius semen in receptionibus debet poni quod per duos annos seruatur, uirtutem habet confortandi ex aromaticitate, ad digestionem confortandam, & dolorē stomachi ex uentositate, detur semen eius in cibis & uinum decoctionis eius in potu. Item puluis eius seminis super carnes aspersus eas sapidas facit. Isidorus dicit, quod eius semen in uino datus dulci reddit homines ad uenerem proniores. Sed cauendum est ne nimis detur quia amentiam parit & furorem, cuius herba cum semine est canibus uenenosa, & eos interficit, si ab eis aliquotiens sumatur.

De consolida maiore.

COnsolida maior, id est symphitum, frigidę & siccæ complexionis est, sed proprie radix ipsius est medicinalis, uirtutem habet constringendi substantiam seu materiam grossam. Per quinque annos seruatur, puluis eius datur in cibis, ualet contra fluxum sanguinis menstruorum, & similiter fomentum ex ipsa herba factum.

De Cucumere.

CVcumer agrestis est herba sic uocata, ex cuius succo fit electuarium hoc modo: In canicularibus diebus colligitur fructus ipsius herbæ, cū est ferè maturus, & conteritur, & succus ipsius expressus soli exponitur & desiccatur, & quidam decoquunt succum cum melle ferè usque ad consumptionem succi, & dant ad modū electuarij, quod satis laxat per inferiora, per duos annos potest seruari, habet autem uirtutem purgandi phlegma & uiscosos humores, secundario choleram nigram, siue melancholiam, unde ualet contra paralisim ex phlegmate uitreo uel naturali, schiaticis, arteticis, podagricis



podagricis subuenit, attrahit enim maxime à remotis partibus & purgat. Itē coctū passionibus ex phlegmate medetur, non tamē per se solum datur, purgat per os & per uētrem, & usus eius quidem est ut admisceatur alijs cōfectionibus, & ex drachma medicina acuatur, & qui electuarium accipit non dormiat, sed moueatur sicut qui sumpserit helleborū, quoniam solet suffocationem inducere. In iliaca passione præcedat aliquod clystere mollitiuum, & postea fiat aliquod ex aqua maluarum, oleo & melle cum uncia 1. eraderij, & inijciatur, & erit contra iliacam & contra arteticam, chiragram, & podagram. Item herba ipsa si habere poterit conteratur aliquantulum, & decocta in uino & oleo dolenti superposita, strāgurię, iliacæ & podagræ subuenit. Ad mēstrua prouocāda puluis electuarij conficiatꝰ cum oleo mustelino uel rosato, & bombex intinctus superponatur, & apostemata frigida maturāda electuarij uncias 5. ex farina hordei conficiantur cum uitello oui, & superponatur. Ad apostemata rumpenda fit optimum ruptoriū ex electuario & therebintina. Ad uermes auris conficiatur electuarium in quantitate granorum quinq; cum modico aceto, & modicum infundatur tepidum. Ad omnem dolorem stomachi ex frigida causa inungatur ex confectione electuarij & aceti. Ad lētigines faciei & ad omnes superfluitates eius remouendas, accipe cerussam & camphorā & electuarij in quantitate illorum duorum, & conficias cum aceto in modum unguenti, & pista in mortario plumbeo uel pistello plūbeo, & ponatur in uase uitreo per quindecim dies, & postea in prædicto mortario cum pistello eodem moueatur addito aceto, si durum sit, ex eo ungatur facies, omnem enim panum abstergit, & lentigines.

De Dictamno.



Dictamnus qui alio nomine dicitur fraxinella, qui frōdes habet ad modum fraxini, calida & sicca est in tertio gradu, radix eius est similis cuiusdam herbæ simili nomine appellatæ, quæ in locis calidis, lapidosis & siccis pręcipue reperitur, habet autem pręcipue ipsa radix uirtutem attrahendi, cōsumendi & dissoluendi uenenum. Cōtra morsum uenenatorū animalium ipsa herba uel radix trita superponatur. Succus etiam eius cum uino detur, puluis eius cum succo mentę conficiatur, & superponatꝰ & potui detur. Isidorus insuper dicit, quod est tantæ uirtutis, ut ferrum à

corpore extrahat, unde & eius pabulo feræ percussæ eijciunt sagittas corpori infixas.

De Endiuia.



ENdiuia (quę alio nomine dicitur scariola) uel lactuca agrestis, frigida & sicca est in secundo gradu, semina & folia competunt usui medicinæ, & folia etiam usui ciborũ cõpetunt. Sed radix nullam habet uirtutem. Folia uiridia maximę sunt efficatiæ, sicca nullius: uirtutem habet confortandi & alterandi, unde contra oppilationẽ splenis & epatis ex cholerica causa prouenienti, ualet cõtra tertianam duplicem & simplicem, & ictericiã & calefactionem epatis, & apostemata calida curant comestę elixæ uel crudæ. Itẽ sirupus ex decoctione eius & saccharo ualet ad idem. Item succus eius uel sirupus cum rheũbarbaro datus in quarto uel sexto die materia existente digesta ualet. Itẽ cõtra dolorem epatis & calida apostemata ualet ipsa herba cõtrita & superposita, & ad idẽ ualet succus appositus. Et si non habes folia coque semen herbæ tritum in aqua & pone super eius locum. Albertus dicit, quod aqua endiuiæ cum cerussa & aceto est epithima mirabile ad infrigidandum quicquid infrigidari debet.

De Enula.



ENula non seritur, quia semen non habet, sed plantatur corona eius tota, uel maior pars eius in terra pingui & alte fossa, & bene subacta. Calida & humida est in tertio gradu, humida in primo. Cuius duplex est differẽtia, scilicet hortulana & campana quæ est maioris efficatię, secundum radices. Colligitur in principio æstatis, radix & sole siccatur ne humiditate corrumpatur. Radix in medicinis potest poni, per biẽniũ & trienium potest seruari. Item habet uirtutem leniendi & mundificandi, unde ualet contra neruos ex frigiditate indignatos, cõtra dolorẽ spiritualium ex frigida causa detur uinum decoctionis eius, secundum istud: Enula campana reddit præcordia sana. Contra dolorẽ stomachi ex frigida causa, & contra uentositatem & contra tussim frigidam detur uinũ decoctionis eius. Puluis cum puluere cinnamomi delicatis soluit uẽtositatem spiritualiũ. Herba tota decocta in uino & oleo & cataplasmata dolorem spiritualium, iliacum, cholicum, & stranguriam soluit. Contra frigidum asthma detur farina hordei in qua coctus sit puluis eius.

uis eius. Item nota quod inenula est uirtus rubificatiua, & abstractio ultima.

De Epatica.



Epatica frigida & sicca est in primo gradu. Herba est crescens in aquosis locis & præcipue lapidosis, habēs folia multa terræ ac lapidibus adherentia, uirtutem habet diureticam ex subtili substātia, & infrigidatiuam, unde ualet cōtra oppilationem epatis & splenis ex calida causa, & contra calorē epatis & ictericiam, & ideo detur epaticis. Sirupus ex aqua decoctionis eius addito rheumbarbaro in fine decoctionis, optimus est contra icteritiam.

De Eruca.



Eruca calida est & sicca in quarto gradu, domestica maioris efficatiæ quam syluestris. Semina præcipue competunt medicinę, secundo folia, uirtutem habet consumendi, & coitum incitādi, decocta cum carnibus ualet ad coitum incitandum, stranguriam & dyssenteriam soluit & paralysim. Item in uino decocta & renibus cataplasmata libidinem incitat, pectini supposita urinā prouocat. Semen erucę & maxime syluestris facit uirgę erectionem.

De Ebulo.



Ebulus est calidus & siccus in tertio gradu, cortices radicum & turiones pręcipue competunt medicinæ. Cortices radicum in uere colliguntur, & siccantur ad solem, per annum seruantur, habent autem uirtutem dissoluendi & consumendi & purgandi phlegma, & uiscosos humores. Succus eius purgat attrahendo superius & inferius angustiose, unde non debet dari nisi digesta materia & corpore fluxui preparato, ut in alijs uomitiuis medicinis. Valet febri quotidianę diuturnę, tertianę ex cholera citrina & uitellina, item epatis oppilationi & icteritiæ & colicæ & iliacę & aquam leucophlegmaticorum educit. Vsus eius est ut detur succus eius per se uel in eius decoctione distemperetur alia medicina, uel addat͛ sirupo uel oxymelli laxatiuis, uel coquatur cum melle ad con-

ſumptionẽ ſucci. Contra tremorũ extremitatũ, & arteticã, & leucoplegmaticã ſiat balneũ ex aqua ſalſa decoctionis radicum eius, & turionũ uel totius herbæ.

De Fœniculo.



FOeniculus ſeritur menſe Decẽbri, Ianuario, Februario & Martio, & toto tempore tranſplantatur. Calidus & ſiccus eſt in ſecundo gradu, uirtutem habet diureticam extenuãdi groſſam uẽtoſitatem. Comeſtũ poſt prandiũ cõfert acidis eructuationibus, quę fiunt ex indigeſtione, & hoc facit ex ſubtili ſubſtantia & qualitatibus ſuis. Semẽ eius, folia & flores & cortices radicũ uſui medicinæ cõpetunt. Semen colligitur in principio autumni, & ſeruatur per tres annos. Cortices radicum colliguntur in principio ueris, & ſeruantur per medium annum. Contra oppilationẽ epatis, ſplenis, ſtranguriã, dyſſenteriã, & uitium lapidis ex frigida cauſa detur ex aqua decoctionis eius. Item fœniculus coctus & commeſtus ualet contra prædicta. Item eadem aqua uel uinum ſoluit dolorem ſtomachi ex frigiditate uel uentoſitate, & digeſtionem confortat, idem facit puluis ſeminis eius. Contra panum oculorũ & pruritum ſuccus radicũ eius fœniculi in uaſe æneo per quindecim dies ad ſolẽ ponatur, & more collyrij oculis apponatur. Contra pruritũ oculorum certum eſt experimentum, conficiatur aloë optima cum ſucco fœniculi, & ponatur in uaſe ęneo ad ſolem per quindecim dies, deinde ponatur in oculis more collyrij.

De Flamula.

FLamula eſt calida & ſicca in quarto gradu, flamula quia uirtutem habet incenſiuam, eſt autem ſimilis uidallæ in folijs & floribus, ſed habet flores concauos, uiridis multa eſt efficatiæ, ſed ex ſiccitate nullius uel modicę. Ad cauterium ſiue ignem faciẽdum conteratur flamula & ſuper locum ponatur & dimittatur per diem, & poſtea inuenitur cutis combuſta. Ad apoſtema rumpenda quando uerſum eſt ad ſaniem, & caput eſt durum, conteratur cum oleo, & ſupponatur oleum, ponitur ad relaxationem ne flamula nimis exiccet.

De Fumo terræ.

FVmus terrę eſt herba nota, ſic dicta, quia generaliter à quodam groſſa fumoſitate terræ calidum eſt in primo gradu, ſicca in ſecundo, uiridis & ſicca à quadam magna efficatia. Principaliter purgat melancholiam, ſecundo phlegma ſalſum & choleram aduſtam, & eſt diuretica, contra ſcabiem uncias duas ſucci eius additio ſaccharo, fiat ſirupus, & cũ aqua calida detur, ut addantur ſemina fœniculi. Item fiat hoc unguentum cum oleo nucum, & ponatur



panatur puluis fuliginis subtilis, & conficiatur addito aceto & succo fumiterræ in maiori quãtitate quàm de alijs, & ungatur patiens in balneo, optimũ est. Et nota quod si succus eius detur ter in septimana, ut diximus, optime purgat humores inducentes scabiem. Item herba fumiterræ in uino cocta & posita super locum podagricum multum ualet.

De Fungo.



FVngi quidam sunt boni, quidã mortiferi, boni sunt parui, rotundi, ad modum pilei, qui in principio Veris apparent, & in Maio deficiunt, nũquam enim isti tales aliquem interfecerunt, aut multũ læserunt subito, sed tamen omnes malum generant nutrimentum. Mortiferi aũt sunt qui nascũtur iuxta ferrũ æruginosum. Alij autem sunt mortiferi licet non statim interficiãt, scilicet illi qui nascuuntur iuxta alias res putridas, aut iuxta habitationẽ alicuius reptilis uenenosi, aut iuxta quasdam speciales arbores, quę in proprietate habẽt fungos corrumpere, sicut oliua est. Signum autem mortiferi est, quod in superficie eius quædã humiditas uiscosa & corrupta est, & quod cito alteratur & corrũpitur, inter manus colligentium fungos. In nostris autem habitationibus inuenitur fungus qui latus est, & spissus aliquod ruboris habens in superficie & in illo rubore habet multas ampullas eleuatas, quarum quædam sunt fractæ, & quędã non, nam & ille mortalis est, & statim interficiens, & uocatur fungus muscarum, eo quod in lacte puluerizatus interficit muscas.

De Fœnugreco.

FOenum græcum calidum est & siccum, substantiam habet conglutinosam, unde uirtutem habet maturandi & laxandi. Ad apostemata exterius maturandum farina fœnugræci cum uitello oui conficiatur, & superponatur, maturat enim & extenuat. Ad maturãdum & rumpendũ conficiatur cum terebinthina, & superponatur. Herba etiã cocta in oleo superponatur ad maturandum. Ad apostema spiritualiũ farina fœnugreci in saculo posita & decocta in aqua cum maluauisco ponatur desuper. Ad apostema stomachi & intestinorũ ex farina fœnugræci & aqua prædicta fiant pultes & superponatur.

De Gabusia.

GAbusia sunt de natura caulium & habent formam cauliũ, donec clausa fuerint, sed postquam clausi sunt folia ipsorum fiũt quasi alba & grossa, sicut tunicæ ceparum, aërem desiderant frigidum, nam in aëre calido

uel temperato non clauduntur, sed aperta remanent sicut caules, terram uero desiderant qualem caules, ex eis fiunt composita sicut ex rapis. Item seminantur ut caules.

De Gramine.

GRaminis uirtus est stiptica, & uulnerum conglutinatiua, uentris cõstrictiua, uulnerum, renum & uesicæ sanatiua, & doloris splenis mitigatiua, & eius succus potui datus sua proprietate lumbricos occidit, hanc herbam noscunt canes & eam comedunt quando se purgare uolunt, ut Plinius ait.

De Gralega.

GRalega dicitur impinguare terrã si uiridis uertatur in eã. Item dicit quod eius semen mirabiliter facit ouare gallinas.

De Gentiana.



GEntiana est radix cuiusdam herbæ simili nomine appellatæ, cuius sola radix est medicinalis. In fine ueris colligitur, & exiccata per tres annos seruatur. Nascitur autem frequentius in mõtibus & in locis umbrosis & humidis, calida & sicca est in primo gradu, uirtutem habet dissoluendi, consumendi & aperiendi. Vnde diuretica est cõtra antiquum asthma, detur puluis eius cum uino addita aqua hordei, succus radicis eius abstergit morpheam, & sanat plagas & ulcera corrosiua. Bibita etiam multũ iuuat eum qui cecidit ex alto & collisus est, & ultima medicina est contra morsum scorpionis, serpentium & uermium uenenatorum, ac canis rabidi, si bibuntur ex ea cum uino duę unciæ.

De Gariophylata.



GAriophylata similis est nouellis folijs rubi, seu flaponibus, & eius redolẽt folia, calida & sicca est in tertio gradu. Recẽs maioris est efficatiæ quàm exiccata, & seruatur per annum, uirtutem habet dissoluendi, consumendi & aperiendi, & dicitur gariophylata quia odorem habet similem gariophylis secundum saporem uel effectum. Cõtra cardiacam passionem in aqua marina & oleo cocta parti anteriori & posteriori superponat. Ad digestionem cõfortandã, & dolorem stomachi & intestinorũ ex frigiditate uel uentositate detur uinum decoctionis eius.

De Humu-

De Humulo.



HVmulus, id est, lupulus & liatigo, flos eius propter siccitatē suā cōseruatur per longitudinem maximā temporis in uirtute sua, ita uulgaris opinio est quod nunquam putrescit, & est acuti odoris & fortis, & est calidum & siccum, dissolutiuus uiscositatū & incisiuus, & conseruat à putredine liquores quibus admiscetur.

De Hyoscyamo.



HYoscyamus est frigidus in tertio gradu, semen eius est cuiusdam herbæ quæ cassilago uocatur siue dens caballinus. Seminum autem triplex est diuersitas, est enim albū, rubeum & nigrum. Album & rubeum competunt medicinę, nigrum uero mortale est. Nota quod si hyoscyamus debet recipi per os interius, ponendū est semen, si exterius herba: & semen maioris est efficatiæ, uirtutem habet somniferam, constringendi & mortificandi. Ad somnum prouocandum in acuta ægritudine fiat fomentum ex aqua decoctionis eius herbæ circa frontem & tempora, & pedes, fiat etiam ablutio, postea fiat hoc emplastrum, puluis seminis subtilis cum albumine oui & lacte mulieris puellam nutrientis & modico aceto, & fronti & temporibus apponatur. Itē ad lachrymas constringendas fiat idem emplastrum ex ipsa. Contra dissenteriam fiat emplastrum ex ipsa herba & superponatur, dolorem eius tollit. Cōtra dolorem dentium semina super carbones ponantur, & patiens fumum per os accipiat & teneat super aquam, & apparebunt quasi uermes supernatantes. Semen superpositum denti & in causa calida dolorem tollit, & nota quod per decem annos seruatur.

De Hyssopo.

HYssopus est calidus & siccus in tertio gradu. Habet uirtutem secūdum folia & flores, non secundū radices, diuretica est dissoluendi, cōsumendi & attrahendi. Cōtra frigidā tussim ualet uinum decoctionis eius & ficuum siccarū. Item uinū decoctionis eius & seminis fœniculi, dolorē stomachi & intestinorum tollit; fomentum factum ex aqua decoctionis eius matricem



tricem, à superfluitatibus mũdificat, & abstergit. Idem faciunt suppositorium ex puluere eius & oleo mustelino. Puluis eius uel ipsa herba in testa calefacta & superposita capiti per se uel in sacculo ualet contra frigidum catarrhum, & casum uuæ. Contra uuam fit gargarismus ex aceto decoctionis eius. Item ipsa herba in uino decocta & cataplasmata tollit dolorem ex uentositate.

De Iruncijs.



IRuncij & saluida uel saliunca eadẽ est herba, multum spinosa, de quorum radicibus fit cincibarum, hoc modo: in duabus libris mellis, & una iruncio rum mundatorum ponantur piperis libra uel dimi dia & duę zinziberis uel medietas piperis tantũ, hoc modo lauentur iruncij & abijciat̃ lignum deinde minutatim incidantur, & posito melle ad ignem, & optime despumato ponantur in eo iruncij & zinziber siue piper, & usque ad spissitudinem congruam bulliãt. Et si in fine decoctionis addatur puluis seminis erucę & pinei erit optimum ad coitum & mẽbri erectionẽ.

De Aro.



ARus qui alio nomine dicitur barba Iouis, aliâs barbaron uel pes uituli, calida & sicca est in secundo gradu. In locis siccis & humidis montuosis & planis inuenitur, in hyeme & ęstate magnam habet efficatiam secundum folia, ma iorem secundum radices, maximam secundũ quasdam tuberositates quæ colliguntur, scindunt̃ & de siccantur, uirtutem habet dissoluendi, relaxandi & extenuandi. Contra tumorem aurium herba ipsa cum tuberositatibus decoquatur in uino & oleo, ad dito cymino, & fiat emplastrum, auribus superponatur. Cõtra frigida apostemata ipsa herba tota cũ tuberositate & axungia ursina terat̃, & postmodũ in testa calefacta superponat̃. Contra scrophulas nouellas herba ipsa cum axungia ueteri & scylla uel axungia ursina si potest haberi teratur, & superponatur & liberabitur, si recentes fuerint.

tes fuerint. Ad faciem depurandam, & cutim subtiliãdam ex tuberositatibus de ficcatis fiat puluis subtilis & cum aqua rosata conficiatur, & ponatur ad solem donec aqua consumatur, & ita fiat ter uel quater uel amplius ex illo puluere so lo, uel cum aqua rosata, puluis eius carnem superfluam corrodit.

De Iride.



IRis siue gladiolus, cuius folia sunt similia ensi, cum floribus purpureis uel albis. Nã iris purpuream habet florem, aut album, & sunt eiusdem uirtutis, radice tãtum utimur in medicinis, in fine ueris col ligitur & siccatur, per duos annos seruatur, calida & sicca est in secundo gradu, uirtutem habet diureticã, unde dissoluit & aperit. Contra uitium spiritualium, & contra oppilationem splenis, epatis, renum ac uesicæ, & dolorem ex uentositate uinum decoctionis ireos iuuat. Puluis eius leuiter superfluam carnem corrodit. Ad panum oculorum fiat collyrium ex puluere eius, & aqua rosata.

De Liquiritia.



LIquiritia est radix cuiusdã herbę, quæ desiderat terram bene solutam, & pręcipue sabulum, ut in eo facile multas & longas producat radices, quæ si plantatur faciliter comprehendit, & circa se multũ pullulat, & forte si hasta eius adhuc tenera flectatur ad terram & operiatur conuertetur in radicem, sicut accidit in mẽta, ruta & gramine, calida & humida est temperate. Eligenda est non nimis grossa, nec multum tenuis, interius crocea, non puluerizabilis, nigra uero & alba est abijcienda, succus eiusdem est efficatię & etiam fortioris, qui hoc modo fit: Cum uiridis est bene conteratur, & in aqua bulliat & decoquatur usque ad consumptionem ferè, postea exprimatur, ualet contra omnia uitia pectoris. Decoctio eius ualet contra tussim, & ad idem ualet electuarium confectum ex succo liquiritiæ & melle. Item liquiritia masticata & sub lingua retenta, sitim & asperitatem linguæ & gutturis mitigat.

De Lingua

De Lingua arietis.



LIngua arietis (quæ plantago uocatur) frigida & sicca est, folia eius sicca consolidant optime uulnera & ulcera, & ad hoc nihil est melius ea, ut dicit Dioscor. Et mirabile uidetur, quod si bibatur succus trium radicum eius, tribus uncijs uini aliquando curat tertianam. Et quatuor radicum succus cum quatuor uncijs uini bibatur, aliquando curat quartanam. Item dicit Dioscor. quod sanat uulnera canis rabidi. Hydropicos iuuat, ueneno repugnat, eius succus lumbricos necat, & uehementer eius solutionem uentris mitigat, menstrua constringit, & tumores apostematum in principio repercutit, & dissipat, gingiuas tumidas & sanguineas reprimit, & sanat.

De Lilio.



LIlium plantatʳ mense Octobri, Septembri, Nouēbri in terra pingui & bene subacta. Nam accipiūtur spici siue bulbi eius uirides, uel sicci ponūtur per unā spannam, uel unum pedem, quod est melius, separati sicut fit de alijs. Item dicit Aristot. quod si hasta lilij quando nondum apertum est, semen siue flos eius flectatʳ in terram, ita quod cepa non radicetur & cooperiatur terra, infra paucos dies emittit in qualibet nodo hastæ cepam paruulam sicut sunt bulli eius. Calidum & humidum est. Aliud est domesticū, aliud syluestre. Sed syluestre aliud gerit florē purpureum, quod efficatius est, aliud croceum habet colorem. Domesticum autem cum axungia ueteri tritum uel cum oleo coctum & superpositum frigidum apostema maturat. Contra splenis duritiem radix lilij in multa quantitate cum branca ursina & radice misce, ponatur in uino & oleo per decem dies, & postea coletur & colatura addita cera & oleo, & fiat unguentum. Ad faciem colorandum accipe tuberositates radicis lilij agrestis & sicca, & puluerem inde fac & distempera cum aqua rosacea, & desiccetur, quo facto ter uel quater illum puluerem solum & cū aqua rosacea confectum ducas super faciem. Item abluendo mundabit faciem & renouabit contractionem rugarum, item folia eius si trita cum oleo apponantur, quia uirtus eius mitigatiua est. Item educit purgationem menstrualem, quia est aperitiua ex uentositate, & est tumoris repressiua. Et ideo ualet contra apostemata ex uentositate, si radix eius trita cum oleo sepi-

oleo sæpius apponatur. Plinius dicit, quod cepæ cum uino decoctæ & oleo admixto clauos pedum & nodos soluunt, pilosq; locis adustis reddunt, in uino etiã coctæ addito melle uenis præcisis subueniunt, folia ipsius cocta in uino uulnera sanant. Ex floribus eius fit oleum & aqua sicut ex rosis, & sunt uere eiusdẽ uirtutis cum oleo & aqua rosata.

De Lingua auis.

Lingua auis calida & sicca est inprimo gradu, folia habet parua & acuta linguæ auis similia. Viridis multæ est efficatię, exiccata nullius. Virtutem habet incitandi libidinem, & humectandi. Herba ista cum carnibus cocta, uel oleo cocta, uel sanguine, libidinem incitat, ualet etiam de cocta, addito saccharo, consumptis. Cõtra siccitatem pectoris detur aqua decoctionis ipsius & addito tragacantho magis ualet.

De Lapatho.



Lapathum calidũ & siccum est in tertio gradu uel in secundo secundum Auicen. Est autem triplex lapathum scilicet acutum acuta habẽs folia, uirtutẽ habet dissoluendi & relaxandi, aperiendi & extenuandi. Contra scabiem succus lapathi acuti & oleum mustellinum & pix liquida simul bulliant, postea coletur & colaturæ addatur puluis tartari & fuliginis, & fiat unguẽtum quod satis competens est scabiosis. Auicenna dicit, quod radix eius cum aceto cocta confert scabiei ulcerosę, et impetigini, et eius decoctio cũ aqua calida prurituі. Et similiter ipsa met in balneo est optima. Contra impetiginem & serpiginem fiat decoctio succi lapathi & ex puluere auripigmenti. Ad apostemata maturandum lapathum rotundum tritum & in oleo decoctum uel cum axungia superponatur ad rumpendum, eodem modo superponatur acutum. Contra stranguriam & dissenteriam fiat decoctio lapathi in uino & oleo & pectini superponatur, urinam prouocat in multa quãtitate. Aqua uel uinum decoctionis eius soluit oppilationẽ splenis & epatis. Contra scrophulas nouellas fiat emplastrum ex lapatho acuto & axungia simul tritis. Contra lumbricos ualet succus eius datus cum melle. Contra phlegma abundans in cerebro succus eius cum succo rutæ in modica quantitate naribus iniiciatur in aëre calido uel balneo. Item lapathum crudum uel coctum commestum ualet scabiosis.

De Lactuca.

Lactuca seri & transplantari potest ferè toto tempore anni in terra pingui bene subacta per se mixtũ cum aliis herbis, & quę sata fuerit in autumno,



tumno, utiliter plantať mẽse Decẽbri, circa are as aliarũ herbarũ quę tũc serunť. Ipsa enim non timet gelu, sed roboratur ex eo, & erit bona post hyemem cũ alijs herbis, quousq; semen producet. Sed quæ de natura paruarum non transplantantur. Quæ uero sunt ex magnis quæ Romanę dicuntur, quæ habent alba semina transplantari debent, ut crescant & dulcedinem habeant, multum iuuantur irrigatione tempore siccitatis. Lactuca frigida est & humida tẽperate. Alij dicũt quod est calida & humida temperate, & ideo est melior cæteris herbis, & temperatissima respectu aliarum herbarum, sanguinem generat & lac, & urinam prouocat & choleram extinguit, sanguinis ebullitionem refrigerat, & somnum inducit. Item ualet contra calida apostemata, capitis dolorem de cholera rubea, sanguinem factum amputat cataplasmata. Sed cocta plus quam cruda fit esui conueniens, quia eius lac calore ignis minuitur, per quod fit somnum inducens, unde fit aperitiua. Sanguinem tamen pessimum generat, idcirco ea assuescentibus fit nociua, quia tenebrositatem oculis facit, & spermatis materiam corrumpit. Sed cum est adhuc tenera ualet multum in febribus elixata uel cruda in aceto cocta, addito croco, soluit oppilationem splenis & epatis. Ad prouocandum somnum semen conficiatur cum lacte mulieris puellam nutrientis & cum albumine oui, & fiat emplastrum super tempora. Item puluis seminis eius cum lacte somnum prouocat. Idem facit febricitantibus datus cum aqua calida. Contra calidum apostema cõficiatur cum oleo rosato & superponatur & destruunt ipsum. Item cataplasma frondiũ ipsius habentibus crispilam subuenit. Item semen eius datum in potu sæpe pollutionem patienti celeriter succurrit. Item est quædam species lactucæ agrestis quæ lõgiora & strictiora habet folia, subtiliora & asperiora & nimis uiridia, hęc est amara & est maioris caliditatis & siccitatis quam domestica. Item dicit Plinius, quod est quædam species lactucæ sponte nascentis quam caprinam uocant, quæ proiecta in mari protinus necantur pisces, qui sunt in circuitu uicini. Item est alia species lactucæ quæ nascitur in aruis, cuius folia trita cum polenta conferunt uisceribus, & hęc ἀγρία θρίδαξ gręcis uocať. Item est alia species quę crescit in syluis quam uocant uulgo scaricion cuius folia trita cum polenta uulneribus prosunt, sanguinem stringunt, & putrescentia uulnera sanant. Et est alia species lactucæ habens rotunda folia & breuia, quam multi etiam uocant uulgo acriam, cuius succum accipitres scalpando terram herbam extrahunt, & intingentes oculos, discutiunt obscuritatem, & caliginem cum senescũt. Cuius herbę succus sanat omnia uitia oculorum, & maxime quando ei lac mulierũ admiscetur. Serpentem morsibus & scorpionum ictibus medetur. Si succus eius cum

uino

uino potetur & folia trita super uulnus emplastrentur, omnem enim inflationem discutit & compescit.

De Lentisco.



Lentiscus calidæ & siccę complexionis est, uirtutem habet cōstringendi & consolidandi. Contra fluxum menstruorum & dissenteriā & uomitum ex debilitate uirtutis contentiuæ, fasciculi parui facti cum folijs decoquantur in aceto, & pectini & renibus cataplasma factum superponatur. Cōtra uomitum super furculam pectoris. Alius usus contra prædictas teneritates, lentisci bulliant usque ad aceti consumptionem, deinde siccetur, & fiat inde puluis, & detur in cibis & potibus. Contra ulcerationem uirgæ puluis factus ex folijs eius super testam calidam desiccatis & puluerizatis ulcera consolidat & sanguinem consumit, sed non debet poni nisi quando est sanies. Cōtra ulcerationem oris linguæ & labiorum in febre acuta, fiat decoctio eius foliorum in aceto, & patiens sæpe gargarizet.

De Laureola.



Laureola est herba multum laxatiua, calida & sicca est in secundo gradu. Cuius fructus siue semen eius est rotūdum, sub ruffum ad quantitatem piperis, quod est adhuc magis laxatiuū quàm laureola, & tamen ipsa herba multum est laxatiua, & purgat multum phlegma & uiscosos humores, principaliter à remotis partibus & iuncturis membrorum, secundario melancholicam, unde ualet ischiaticis, arteticis & podagricis. Item contra apoplexiam & paralysim. Vsus enim eius est cum alijs medicinis in oxymelle & similibus, datur etiam in apozematibus, per se non datur, quoniam habet naturam ulcerandi intestina, ex nimio suo acumine. Si tamen ea per se uti uolumus decoctionem eius damus, addito gummi arabico, & mastiche, ut malitia eius exprimatur, non autem eis est danda nisi eis qui difficiles sunt ad soluendum, & carnosum uentrem & intestina habentibus, eiusdem uirtutis est semen eius.

De Lappa.

Lappa est herba quæ habet in summitatibus capitella uestibus ualde adherentia. Lappę multę sunt species omnes medicinales. Nam Plinius



dicit, quod ictibus scorpionum medentur, nec feriũt hominem, si inunctus fuerit succo eius. Decoctio radicis eius confirmat dentes, si tepida in ore teneatur. Semen eius multa uitia stomachi curat, reijciẽtibus sanguinem prodest, dyssenteriæ subuenit. Nam radix cum uino sistit, & folia adiecto sale soluunt.

De Liuistico.



Liuisticum est calida & sicca in secundo gradu. Semen non herba uel radix in medicinis ponatur, uirtutem habet diureticam aperiendi, & extenuandi, unde uinum decoctionis eius contra oppilationem splenis & epatis ualet, contra dolorem stomachi, & intestinorum ex uẽtositate prouenientem aqua decoctionis eius ualet. Puluis etiam eius cum puluere cymini datus ad prædicta ualet.

De Melonibus.



Melones desiderant talem terram & aẽrem qualem citrulli, sed minus pinguẽ & stercoratam, ut saporiosiores & solidiores fiant, & citius maturentur, & eodem modo & tempore plantari debent, & cũ nati sunt irrigari non audẽt. Ex his quidem sunt longi qui comeduntur maturi, scilicet cum incipiunt redolere & crocei fieri. Ex quibus grossi qui habent semina ualde parua sunt cæteris melonum generibus meliores. Alij uero sunt subtiles, uirides ualde longi, & quasi omnes curuati, & uocantur melanguli, qui comeduntᵉ acerbi sicut citrulli, & sunt eiusdẽ saporis, sed sunt minus frigidi magisq́ꝫ digestibilis, & ideo meliores citrullis esse dicũtur. Melones sunt frigidi & humidi in secundo gradu, & qui dulces sunt temperate & frigidi. Auicẽna dicit, quod radix melonis eodem modo est uomitiua, quo dictũ est de radice citrulli, & cucumeris. Oportet aũt utentẽ melonibus, ut melo pręcedat aliquod aliud cibariũ, ne nauseam facit. Sed Isaac dicit, quod eo cõmesto oportet aliquantulũ expectare, donec sit

nec sit digestum, antequam alius sumatur cibus. Item dicit Auicenna, quod me
lo est tardę digestionis, nisi quando comeditur cum eo quod est interius eius, &
ipsius nutrimentũ est, & humor eius est conuenientior quàm citrulli & cucume
res. Sed cum melo corrumpitur in stomacho conuertitur ad naturã uenenosam,
oportet ergo ut cum grauat extrahatur uelociter. Et de his quę iuuant post eo-
rum commestionem in cholericis sunt exicara, marathrũ, mastiche. Phlegma-
tici uero accipiant oxymel, zingiber conditum aut zingiber solum, aut diacymi
num & purum uinum bibant. Semen autem melonum mundatum urinam pro
uocat, renes & uesicam mundificat ab arenis & lapidibus.

De Meliloto.



Melilotum calidum & siccum est in primo gra
du, herba est cuius semẽ simili nomen appel
latur, & dicitur etiam corona regis, quia for
matur ad modum semicirculi. Semen cum
ipsis corticibus in medicinis ponitur, quia adeò par-
uum est & cohęrens, quod uix separari potest. Virtu-
tutem habet confortandi ex aromaticitate, & diureti-
cam ex subtili substãtia, uinũ decoctionis eius digestio
nem cõfortat, uentositatem excludit, oppilationem ue
sicæ & renum aperit. Semen eius in brodio & cibis
positum eos boni saporis & odoriferos facit.



De Mercuriali.

Mercurialis frigida & humida est in primo
gradu. Viscosam habet substantiam, unde
lenificando educit choleram ab epate, stomacho
& intestinis. Datur autem succus eius cum saccha-
ro non coctus, quia uim laxandi amittit ex parte si
coquatur.



De Malua.

Malua frigi
gida & humida est in secũdo gradu. Cu
ius duplex est differentia, scilicet dome
stica quę subtiliorem & frigidorem ha-
bet humiditatem, & syluestris quæ dicitur uulgo
maluauiscus & bismalua crescẽs altius, quę minus
est frigida, & habet substantiã uiscosam. Cõtra ca
lidum apostema in principio folia maluę terantur,
& superponant̃ ad matuãrdũ, & terant̃ cum axun
gia porcina recenti, & super tegula calefacta ponã
tur, hoc etiam ualet cõtra duritiem splenis & epa

 tis. Fomen-

tis. Fomentum ex aqua decoctionis circa pedes ad prouocãdum somnũ in acutis febribus multum ualet. Malua cocta & comesta uentrem soluit, ualet etiam in febribus propter constipationẽ uentris, ex qua etiam aqua cõpetens fiat clystere, maluauiscus plus mollificat & maturat, secũdum folia sua, & magis radix cum axungia trita aliquantulũ calefacta apostemata maturat superposita, & duritiem mollificat. Herba etiam cocta cum radice usq; ad consumptionem aquæ apparebit quędam uiscositas, quæ superposita apostematibus ipsa maturat, & duritiem remollit & relaxat, & ex aqua addita cera & oleo fit unguentum cõpetens ad prædicta. Aqua decoctionis seminis eius & maluæ ualet contra tussim siccam, confert etiam hecticis. Semina etiam sacellata in oleo decocta duritiem soluit & mundificat. Isidorus & Plinius præterea dicunt, quod si aliquis se inunxerit succo maluæ admixto cum oleo puncturis apum lædi non poterit, nec patietur in membris inunctis puncturam, neq; morsum scorpionum nec araneæ.

De Menta.





Menta est calida & sicca in secundo gradu, cuius tres sunt species, est enim quędã domestica, quæ proprie hortulana dicitur, & hæc mediocriter calefacit, & cõfortat, & alia est syluestris quæ mẽtastrum dicitur & magis calefacit. Et est menta quę longiora, latiora, acutiora habet folia, & hæc menta romana uel sarracenica uocatur, uulgariter herba sanctæ Marię dicitur, & hæc magis diuretica est quam alia. Menta domestica est herba facile se multiplicans, & cito de terra pullulans, & ascendens & cum hastula in terram reflexa, & si humo tecta fuerit conuertitur in radicem, & cito ex se nouam producit prolem. Hæc esui magis quam medicinæ competit, & uiridis & exiccata magnæ efficatiæ est, debet autem siccari in loco umbroso, & per annum in multa efficatia seruantur. Virtutem habet dissoluendi ex proprijs qualitatibus, & confortandi ex aromaticitate. Contra fœtorem oris & putredinem gingiuarum & dentiũ abluatur os & gingiuæ ex aceto decoctionis eius mentæ hortulanæ, deinde fricentur ex puluere mentæ siccę uel cum menta sicca. Ad appetitum confortandum, quando impeditur ex frigidis humoribus in ore stomachi existentibus, fiat salsamentum ex aceto & menta, & modico cinamomo

seu etiam

ſeu etiam pipere. Contra uomitum ex debilitate uirtutis contentiuæ factum uel ex frigida cauſa, fiat decoctio mentę in aqua ſalſamentiua & aceto, & ſpongia intincta ori ſtomachi ſuperponatur, & etiam ipſam mentam coctam patiēs comedat. Contra ſincopim ex debilitate ex febre uel ſine febre, ſiue ex materia ſiue ex quacunque cauſa conteratur menta, cum aceto & modico uino, ſi ſit ſine febre, ſi cum febre ſolo aceto, & in eo pone panem aſſum, & aliquantulum dimittatur ut humectet & applicetur naribus, & ex eo fricentur labia, dentes, gingiuæ & tempora, & ligetur ſuper uenas pulſatiles temporum, & brachiorum, patiens etiam maſticet & humoſitatem trāſglutiet. Contra coagulationem lactis faciſculi coquantur in uino & oleo, & mammillis cataplaſmentur. Et nota cum aliqua medicina datur contra uenenū, debet dari cum ſucco mentæ, uel cum uino decoctionis eius, ſi non habeas ſuccum. Contra uenenum ſolus ſuccus mentæ romanæ uel uinum decoctionis uel ſuccus cum melle commixtus ualet. Item ualet contra oppilationem ſplenis & epatis & uiarum urinalium ex frigido humore, & ex calido ſiue febre. Succus etiam datus cum melle lumbricos interficit, auribus inſtillatus uermes necat decocta in uino & oleo. Herba ipſa & cataplaſmata ſoluit duritiem apoſtematum frigidorum. Mentaſtrum & carice & ſaluia decoquant in uino, & detur patienti, contra frigidam tuſſim uinum decoctionis ipſorum. Item eius fomētum infrigidatam matricem calefacit & mundificat. Sacellatio facta ex puluere eius frigidum rheuma capitis conſtringit. Et nota quod menta romana pro hortulana poni poteſt.

De Mandragora.

MAndragora frigida & ſicca eſt, ſcilicet eius exceſſus non determinatur ab autoribus. Cuius duæ ſunt ſpecies ſcilicet maſculus & fœmina, & utraque indifferenter utimur, & quidem ut Auicenna & alij dicunt fœminam eſſe formatam ad modum fœminæ, & maſculum ad modum uiri, quod falſum eſt, ſed maſculus habet folia longiora, fœmina uero latiora. Quidam tamen operantur tales inciſiones, ut decipiant mulieres. Radicum autem cortices competunt principaliter uſui medicinæ, ſecundo poma, tertio folia. Cortex radicis collectus per quatuor annos ſeruatur in magna efficatia, uirtutem habet conſtringendi, infrigidandi, ſomnum inducendi in acutis febribus. Ad ſomni prouocationem peluis corticis eius conficiatur cum lacte mulieris puellam nutrientis, & albumine oui & ſuperponatur fronti & temporibus. Contra dolorē capitis ex caliditate folia ipſius trita ſuper tempora ponant, inungatur etiā oleo mādragorato, quod ſic fit: poma mādragorę trita in oleo communi diu macerētur, poſtea fiat aliquantulū decoctio, & coletur, & illud poſtea erit oleum mandragoratum, quod ualet ad ſomnū prouocandum & dolorem capitis ex caliditate, ſi frons & tempora inungatur,

& calorem febrilem reprimit. Item ipsius oleum repercutit materiam apostematum calidorum in principio, fructus etiam uel folia cataplasmẽtur supra, uel saltem puluis eius cum succo alicuius herbæ. Contra fluxum uentris ex impetu cholerææ ex prædicto oleo uenter & tota spina ungatur & inijciatur modicum cum aliquo leui clistere. Auicenna dicit, quod maculę fricatę cum folijs eius delent lentigines. Item statim facit somnum, & posita in uino inebriat uehementius. Cura eorum & omnium nocumentorum mãdragorę est cum butyro, melle & uomitu. Item nota quod publice prædicatur mandragoram habere uirtutem imprægnandi mulieres steriles, si ex ea comedant, quod uerum non est, nisi forsan comedant cum sterilitas esset ex superflua matricis caliditate, tunc enim reduceretur ad temperamentum matrix, ut semen uiri non aduratur in ea.

De Meu.



MEu calidum & siccum est in secundo gradu, herba est cuius semen simili nomine appellatur, quæ præcipue medicinæ cõpetit, per duos annos potest seruari, uirtutem habet diureticam ex subtili substantia sua, uinum uel aqua decoctionis eius ualet contra oppilationem splenis & epatis ex frigida causa, & stranguriam dissoluit, aqua uero competẽtius potest dari in esca iuuenibus, uinũ in hyeme senibus. Puluis meu cum semine fœniculi in cibo uel potu datus uẽtositatem intestinorum & stomachi excludit, & digestionem confortat.

De Marrubio.



MArrubiũ calida et sicca est in tertio gradu, quę alio nomine dicitur uulgariter prasium, folia eius pręcipue competũt medicinę, secundario cortices & radices. Herba suspẽsa in umbroso loco per annũ seruatur, uirtutem habet consumendi & dissoluendi ex qualitatibus, dissoluendi & aperiẽdi ex amaritudine. Contra uitiũ pectoris scilicet asthma ex frigido & uiscoso humore detur diaprasium, uel fiat electuarium ex una parte sua, & quinta mellis dispumati, & fiat decoctio aliquãtula usq; ad spissitudinẽ, & postea ponatur puluis dragachãti & gummi arabici & liquiritiæ, quod erit optimum cõtra uitium pectoris, uel saltem puluis eius conficiatur

ficiatur cum melle dispumato, addito puluere liquiritiæ. Contra tussim ualet decoctio eius & ficuum siccarum. Contra stranguriam & dyssenteriam detur uinum decoctionis eius, & ficuum siccarum, fiat etiā emplastrum ex ipsa herba cocta in uino & oleo supra renes & pectinem. Item ualet contra colicā ex frigida causa. Contra hæmorrhoides inflatas & influentes fiat eucarisma ex aqua salsa & uino decoctionis eius, & postea suppositorium ex puluere eius cōfecto cum melle, uel fiat decoctio pulueris uel succi eius cum oleo mustelino & bombix superponatur. Contra lumbricos detur puluis eius confectus cum melle. Contra uermes aurium succus eius auribus inijciatur. Contra splenis uitium cortices radicum cum ipsa herba macerentur 15. dies in uino & oleo, postmodum fiat decoctio & colet̃, & colaturæ addatur cera & oleū & fiat unguentum.

De Maiorana.



MAiorana calida & sicca est in secundo gradu, alio nomine dicitur eseron, cuius flos & folia competunt medicinæ. Colligitur in æstate cum floribus, & in umbroso loco siccatur, & per annū seruatur. Virtutem habet confortandi ex aromaticitate, dissoluendi & consumēdi ex qualitatibus & etiam mundificandi. Puluis maioranæ in cibo datur, uel uinū decoctionis eius stomachum infrigidatum calefacit, & digestionem confortat, naribus aposita cerebrum confortat. Flores & folia in testa calefacta & in saculo posita & loco dolenti superposita dolorem ex uentositate prouenientem soluit. Item capiti superposita ualet contra rheuma capitis. Item nota quod mures insidiantur radicibus eius, inde medicinam quærentes.

De Napo.



NApus omnem ferè aërem patitur, terrā desiderat pinguē, & in solo sicco & tenui & prope riuum & desexo & sabuloso melius nascit̃ loco. Proprietas napi in rapam, & econuerso transmutat̃, sed ut optime proficiat subactū solū stercoratūq; & uersatū quęrit, & in illis locis optime prouenit in quibus segetes eo anno fuerunt. Si spissi sunt nimis interualles aliquos, ut alij roborentur, quos in locis uacuis trāsferre poteris. Serunt̃ circa finē Iulij & toto tēpore mēsis Augusti, si pluuiæ desunt, irrigatione iuuent̃, possunt etiā commode seri inter milium & panicum maxime serotanū, in secunda sarculatione ipsius sarculatione iuuantur napus & rapa, ex napis nobilioris saporis sunt illi, qui sunt longi & ferè rugosi, non grossi, multas radices haben-

ces habentes, sed unam tantum acutam & rectam. Ex napis fiunt optima cōposita cum raphano & modico sale, aceto, melle & sinapi & speciebus odoriferis, & sine speciebus possunt fieri satis bona. Calidi sunt in secundo gradu & multū nutriunt, sed duræ digeruntur, mollem & inflatam minus tamen quam rapę faciunt carnem, qui si in aqua coquatur & illa eiecta in alia recoquatur duritia eius substantię temperatur, & mediocriter inter bonum & malū generant nutrimentum, qui bene cocti sunt non difficile digeruntur, uentositatem faciunt, & in uenis & poris oppilationem. Idcirco utiles sunt si bis coquātur, & utraq; aqua proiecta in alia recoquantur, cum pinguissima carne.

De Nasturtio.



NAsturtium calidū & siccum est in quarto gradu, semen eius præcipue competit usui medicinæ, per quinq; annos seruatur, herba etiam uiridis multæ est efficatiæ, sicca modicę: uirtutem habet consumendi, dissoluendi ex qualitatibus suis. Contra paralysim linguæ cum oppilantur nerui & replent̄ ex humiditatibus, ut solet accidere in acutis febribus, semen nasturtij masticetur & superponatur lingue. Cōtra paralysim aliorum membrorum semē eius in saculo positum, & in uino coctum membro dolenti superpositum. Ipsa herba decocta cum carnibus & commesta ualet contra humiditatem superfluam cerebri, & in lethargo prouocetur sternutatio ex puluere seminis nasturtij naribus apposito. Contra relaxationem uuæ, fiat gargarismus ex aceto decoctionis eius & ficuum siccarum. Contra iliacam passionem calidam & ex frigida causa semen eius in saculo positum etiam in uino decocto superponatur. Ad idem ualet, & ad strāguriam, herba ipsa decocta in uino & oleo superposita. Contra tenasmon ex humore conglutinoso cum anus eminet puluis superponatur ano, renes etiā inungantur melle & superspergatur puluis seminis & cymini & colophoniæ.



De Nenuphare.

NEnuphar est frigida & humida in secundo gradu, herba est lata habens folia in aquosis inuenit̄ locis. Cuius duplex est differētia, una purpureos habēs flores, & alia croceos. quę nō est adeo bona, flos cōpetit usui medicinę, in Septēbri colligit̄, & per duos annos in multa efficatia seruat̄. Ex floribus fit sirupus præcipue cōtra acutas febres, & pro distēperato in calidi-

in caliditate. Flores coquantur in aqua addito saccharo, & fiat sirupus, contra dolorem capitis ex caliditate. Saraceni ponunt in aqua per noctem unam & mane talem aquam cum floribus naribus applicant.

De Napello.

NApellus est napus marinus, in littore maris crescens, & est uenenū pessimum & pernitiosum, quod in summo caliditatis & siccitatis est, linitum delet maculas cutis, etiam cum in potu sumitur rectificatū studio medicinæ, ualet contra lepram. Est autem uenenum homini bibere ultra dimidiam unciam, & minus hoc interficit hominem, & quod miraculosum est, ut quidam dicunt, mus paruulus qui pascitur & inuenit̃ iuxta ipsum & ille mus est theriaca contra uenenum ipsius napelli.

De Nigella.

NIgella calida & sicca est in tertio gradu, semen est cuiusdam herbæ, quæ in locis paludosis & inter frumentum reperitur. Semen per decem annos seruatur. Est autem rotundum & planū subruffum & subamarū, unde habet uirtutem diureticam ex amaritudine, dissoluendi & consumendi ex suis qualitatibus. Emplastrum factum ex farina nigellæ & succo absinthij circa umbilicum, & præcipue pueris, lumbricos necat, maioribus conficiatur cum melle & detur farina nigellę facta cum aceto tepido, & auribus inflata uermes necat. Vnguentum autem sic fit: nigellæ in multa quantitate fiat decoctio in forti aceto usque ad consumptionem, & ad aliquantulam spissitudinem, & tunc addito oleo fiat quasi unguentum, quod optimum est ad scabiem, & impetiginem facile tollit.



De Origano.

ORiganum calidum & siccū est in tertio gradu. Alio nomine dicitur uulgo gonella. Cuius duplex est differētia, scilicet origanū agreste, quod latiora habet folia, sed & fortius operatur, & est domesticū quod in hortis reperit̃, & minora habet folia & suauius operat̃, & est domesticū quod in hortis reperit̃ quod in medicinis ponitur. Colligitur autem in tempore productionis florum, debet in medicinis poni abiectis stipitibus, per annum seruat̃ & in umbra suspenditur, & siccant̃ folia. Virtutē habet dissoluendi, consumendi & attrahendi. Contra frigidū rheuma capitis folia cum floribus in testa sine liquore bene calefacta in saculo ponantur & saculum capiti superponatur, & patiens cooperiatur pannis, ut caput sudet, uinum decoctionis eius gargarizatum gingiuarum & faucium consumit humiditatem. Cōtra frigidum asthma detur uinum decoctionis

eius & ficuum siccarum, uel puluis eius digestionem confortat confectus cum melle detur cum aqua calida, uinum decoctionis eius digestionem confortat, dolorem stomachi & intestinorum excludit. Item fasciculi facti ex herba ipsius decocti in uino & renibus superpositi stranguriam & dissenteriam soluunt.

De Porris.



PORri sustinent ferè omnem aërem, & terram desiderant mediocriter solutã, ut optime proficiant, & pinguem & stercoratam. Seruntur autem in locis calidis & temperatis proximis mense Decembri & mense Ianuario, & Februario & Martio in temperatis & frigidis cũ terra fuerit ad æqualitatem redacta. Hæc autem satio fit aut sola aut in alijs herbis mixtim in terra optime culta, & desuper letamine cooperta. Hæc semina sunt spissa spargenda, deinde euellunt grossiores, primo nec aufertur aliquid de ipsarum radicibus, cum sulcis plantantur, sed quando cum palis debent plantari abscinduntur radices & summitas foliorum, & plantantur mense Aprili & Maio per totum mensem Iunij, sed plantari possunt mense Iulio, Augusto, Septembri & Octobri, & erunt utiles in sequenti mense Martio, & Aprili. Nec in plantatione porrorum quærenda est mollis terra, sed mediocris est optima, & satis bona est illa quę fuerit ferè sicca. Fit autem duobus modis porrorum plantatio, uno modo subtilis, ut Bononiæ moris est, ut scilicet per unam completam spannam unus sulcus ab altero distet, & sint ab inuicem in sulco iacentes positi quaternis separatis digitis, & cum sequens sulcus terra trahitur super porros & pedibus molliter conculcatur. Secundo autem modo palo plantantur, scilicet ut optime pastinatis & dispositis areis fiant foramina cum palo grosso, ferè ut lãcea & concaua per unam spannam, & ultra uno semisse distantia, in quibus ponunt̃ præparatæ porrectę,, foramina uero replentur, aut quicquid terrę in eis ponit̃, sed elapsis tribus septimanis cum herba in eis nascitur sarculant̃, & herbis mundantur. Et quod porri sic plantati sint meliores alijs, nec possunt facile furtim euelli, sed hic modus magis laboriosus existit. Item hoc modo plantatur optime inter cepas iam quasi grossas, & euulsis cepis sarculantur & inueniuntur optime prouenire, cum euellentur, aliqui in uno loco relinquentur, & pro seminibus reseruantur. Cuius quidem semina possunt per triennium illæsa suspensa seruari, calida & sicca est in tertio gradu, secundum cibum illaudabilis est, nocet enim stomacho faciens inflationem ac uentositatem, & cum sui acumine neruos eius mordet, habet etiam proprietatem faciendi fumum nigrum melancholiæ generatiuũ, qui ad caput saliens uisui tenebrositatẽ facit, atq; somnia terribilia & formidulosa

midulosa inducit, unde caueant ab ipso cholerici, maniaci, & oppilationẽ in capite habentes. Sed diligentes eos comedere accipiant post eos lactucas, & portulacas, endiuias, & similia, ut eorum calor temperetur ab istis, aut elixentur, deinde bis aut ter lauentur & esui postea dentur, ualent tamen secundum medicinam, crudi enim comesti pulmonem à grossis mundificant humoribus, & oppilationem epatis aperiunt. Item succus porri cum aceto, oleo & thure naribus immissus sanguinem ex eis fluentem stringit, eis scilicet qui frigidę sunt naturę. Item in aure distillatus dolorẽ ex frigiditate & humiditate factum placat. Item porrum crudum cataplasmatum super morsum serpentis bene prodest. Itẽ coctum cum oleo amygdalino conditum uenerem suscitat. Plinius autem dicit, quod porrum contritum cum melle emplastratum super uulnera, sanat ea. Cũ uino bibitus succus eius lumborũ dolorem soluit, cum sale mixtum uulnera cito claudit & sanat, duritias relaxat & rupturas cito consolidat. Item porrũ crudum commestum ualet contra ebrietatem, & stimulat uenerẽ. Item solo odore fugat serpentes, & scorpiones. Item ualet cõtra dolorem dentium, & eorum interficit uermes, sed aciem oculorum hebetat, stomachũ grauat, sitim creat, sanguinem incendit & inflammat, si ex eo nimium comedatur. Semen porri siccius est & fortioris actionis, de quo tres drachmæ potui datæ cum duabus seminis allij mire sanguinẽ de pectore screantibus fluentem stringit.

De Papauere.



PApauer seritur mense Septembri in locis calidis & siccis, temperatis uero & frigidis mense Ianuario, Februario & Martio & Nouẽbri, potest etiam cum alijs herbis seri, & est frigidum & siccũ in primo gradu, cuius duplex est differẽtia scilicet album & nigrum. Album frigidum & humidum, nigrum frigidum & siccũ, & magis fortificat. Semen eius collectum per decem annos seruatur, habet autem uirtutem inducendi somnum, leniendi & mortificãdi. Ad somnum prouocandum fiat emplastrum ex semine utriusq; uel alterius cum lacte mulieris & albumine oui circa tempora. Mulieres Salernitanę dant pueris puluerem seminis papaueris albi cum propria lacte. Semen autem papaueris nigri non debet dari, quia magis mortificat. Contra calida apostemata in principio & contra calefactionem epatis semen papaueris uel ipsa herba trita coniciatur cum oleo rosarum & superponatur. Contra siccitatem membrorum, ut est in hectica & in alijs infirmatibus oleum uiolatum calefiat aliquantulum, & puluis papaueris albi conficiatur cum eo, & inungatur spina per totum, idem contra siccitatẽ pecto

ris multum ualet. Dicunt Plinius, Dioscorides & Macrobius quod ex succo foliorum capitulorum eius fit opium, unde somnus febricitantibus prouocatur, quod cum cautela dari debet, quia multum oppilat, infrigidat & mortificat, & maxime nigrum papauer.

De Peucedano.



PEucedanus est herba quæ alio nomine dicitur uermiculus porcinus, quæ calida & sicca est. Et uinum decoctionis eius ualet contra stranguriam, dyssenteriam & oppilationē splenis & epatis. Herba eius etiam decocta in uino & oleo & cataplasmata spleni & epati duritiē eorum remollit. Contra frigidos humores in spiritualibus existentes, detur aqua decoctionis hordei, & si fuerit multum frigidum detur uinum decoctionis eius & succi liquiritię.

De Petroselino.



PEtroselinum seri potest mense Decembri, Februario, Martio & Aprili, & transplantari fere toto tempore anni solum & cum alijs herbis simul: semina eius per quinque annos possunt seruari. Est autem calidum & siccum in secundo gradu, diureticum est, & incidens urinam & menstrua prouocans, uentositatem & inflationem dissoluens, & pręcipue semen eius. Galenus dicit, quod cataplasmatum super pustulas scabiem & morpheam mire mundificat, unde cōfert hydropicis, periodicam febrem patientibus, renum dolorem & uesicæ placat, & corporis poros uiasq; rarificat, & humores extenuando cum sudore proijcit, & urinam, epar & uulnera mundificat, oppilationem eorū aperit, & apostemata eorum curat, maxime quæ sunt in renibus, uentositatem colicæ passionis dissoluit, tritum & in uuluam immissum menstrua prouocat, secundinam & mortuum fœtum educit, & expellit etiam potui datus, mundificat fœtus ab humoribus grossis & uiscosis.

De Psyllio.

PSyllium frigidum & humidum est in quarto gradu, herba est, cuius semen simili nomine appellatur, semen in medicinis debet poni, in æstate colligit, per duos annos potest seruari. Habet autem uirtutem infrigidandi & humectandi. Contra ariditatem linguæ in acutis febribus semen in subtilissimo panno ligetur,



ligetur,& in aqua infundatur,& tali aqua illiniatur lingua, prius tamen abrasa cum cultello ligneo. Contra siccitatem spiritualium & constrictionem uentris in acutis febribus ponatur psyllium in aqua & dimittatur aliquantulū, deinde aqua abiecta illa psyllium detur cum frigida in sirupo. Etiam contra acutas febres cōpetenter psyllium ponitur,& multa fiat decoctio,& postquam gutta adhæret taciæ, quæ cito adhæret propter uiscositatem ipsius psyllij. Contra dyssenteriam comburatur in aliqua testa,& puluis inde factus cum ouo sorbili uel melius cum aqua rosata detur, si fiat uitio superiorum intestinorum. Si uero uitio inferiorum cum athanasia puluis eius superponatur: ad idem ualet emplastrum ex puluere eius cum albumine oui,& modico aceto & aqua rosata super pectinem,& renes uel super umbilicum, si fit uitio superiorum. Contra fluxum sanguinis ex naribus ualet idem emplastrum super frontem & tempora positum, uel scutellum factum ex puluere eius & ex succo sanguinarię naribus imponatur. Contra calida apostemata saculus plenus ex semine psyllij prodest. Item sua frigiditate & humiditate conseruat camphoram, quia camphora nimis est subtilis substantia.

De Polipodio.



Polipodium calida est in quarto gradu, siccum in secundo, herba est similis filici, quæ crescit super quercus, muros & lapides, sed qđ crescit in quercubus melius est. Radix eius collecta & aliquantulum mundata,& ad solem per unum diem exiccata per biennium in multa efficatia conseruatur. Illa autem quę fracta interius apparet arida, abijciēda est. Habet uirtutem dissoluendi & consumendi & purgandi principaliter phlegma & melancholiam,& maxime à stomacho & intestinis,& est parum laxatiua. Et nota quod in decoctione polipodij debet poni aliud exclusiuum uentositatis ut anisum, fœniculus uel cyminum, quia polipodium solum mutat humores in uentositatem. Item utimur eo in apozematibus & cōfectionibus & in iure gallinę uel alterius carnis,& damus etiam puluerem ipsius ad laxandū,& ualet quotidianæ & tertianę, ex cholera uitellina & citrina, soluit etiā oppilationē epatis ex grossis & uiscosis humoribus: febri etiā quartanæ cōfert & iliacis & cholericis & habentibus phlegma mucilaginosum intestinis utiliter

 medetur,

medetur. Contra quotidianam & iliacam passionem & alopeciam & dolorē articulorum & ad conseruationem sanitatis talis fit usus, conteratur polipodium unc. 1. uel 2. ad plus si sit multum laxatiuū, & fiat decoctio eius in aqua cum prunis & uiolis, addito semine fœniculi & anisi in multa quantitate & colatum mane uel sero detur patienti.

De Pastinaca.



PAstinaca seritur mēse Decembri, Ianuario, Februario, & Martio in terra pingui, alte fossa & soluta, & optime pastinata. Alia est syluestris, alia domestica, et utraq; in radice duri est nutrimenti, & minus quam rapa nutrit, habet autē aliquid acuminis unde est extenuans & diaphoresim faciens. Ideoq; urinam & menstra prouocat, habet etiam aliquantulū inflammationis, unde coitus iuuatiua, quæ in frequenti usu laudabilem generat sanguinem. Igitur ut temperetur bis in aqua elixari oportet, & aqua eiecta, tertio coque. Pastinaca syluestris dicit̃ alio nomine daucus asininus, & domestica daucus creticus, earum radix secundum Isaac calida in medio secundi gradus, & humida in medio primi, & folia et flores secundum aliquos sunt calida & sicca in tertio gradu, & una pro alio in medicinis ponitur, quia sunt fermè eiusdem uirtutis, sed domestica melior est. Item est quędam pastinaca rubea, quæ cruda potest comedi, & cocta cum napis optima est composita, & rubicundo colore decorata, quæ seritur ut aliæ pastinacæ. Pastinaca syluestris habet efficatiam pręcipue secundum folia & secundum flores, modicam aut nullam secundū radices. Hęc herba debet colligi cum flores producit abiectis radicibus, & in umbroso loco siccari, & per annum seruatur, uirtutem habet dissoluendi, attrahendi ex qualitatibus, & diureticam ex subtili substantia. Contra frigidum rheuma sacelletur caput ex puluere facto ex ipsa herba bene calefacta. Ad dolorem stomachi ex uentositate uel frigiditate & cōtra stranguriam & dyssenteriam & iliacā passionem detur uinum decoctionis eius, & herba in multa quantitate in uino & oleo decocta, super locum dolentem ponatur. Contra stranguriam & dyssenteriam & uitium lapidis, detur uinum decoctionis seminis eius & saxiphragæ. Contra oppilationem splenis & epatis ex frigida causa, & contra hydroposim fiat sirupus ex succo fœniculi & decoctionis eius. Contra duritiem splenis, & epatis ponatur ipsa herba in multa quantitate in uino et oleo, maceretur ita per decem dies, in decimo die coquatur usq; redigatur in oleum, & exprimatur herba bene & coletur, & colatura postea ponatur ad ignem, & imponatur cera, et fiat cerotum quod contra prædicta et contra talia apostemata est multum conueniens.

De Portu-

De Portulaca.



PОrtulaca quocunq; fere tẽpore ſeminatᷓ. Naſcitᷓ adueniẽte calore, & pręcipue naſcitᷓ mẽſe Aprili, Maio & Iunio. Poteſt etiã ſeri per ſe cũ puluere mixta, & inter caules optime prouenit, & inter cepas et porrum, & in uineis congrue ſeminatᷓ. Terram tamen ualde pinguem deſiderat, ut optime conualeſcet, ubi ſemel ſata fuerit quolibet anno ſequenti naſcetur, & maxime ſi ibidem ad aliquam maturitatem prouenit. multum læditur nimia ſiccitate aëris, niſi frequenti irrigatione iuuetur, & ſub umbris arborum non facit ceſpites. Eius quidem ſunt duæ ſpecies. Eſt enim quędam portulaca ualde lata producens folia quę Romana ſeu Beneuentana dicitur, quæ multum eſt humida, ſed inſipida, & eſt alia portulaca communis parua producens folia, & hæc minus eſt humida, ſed plus ſapida, ſed ſi inter alias herbas ſpiſſe ſeminatis ſeratur in ceſpites non poterit dilatari. Portulaca frigida eſt in tertio gradu, in ſecundo humida. Viridis eſt multę efficatię, exiccata non tantum, uirtutem habet leniendi ſtomachum, humectandi & infrigidandi, optimus cibus eſt febricitantibus cruda uel cocta. Contra conſtrictionem uentris coquantur cum prunis in aqua & comedat patiens pruna & portulacas, & poſtea bibat aquam, non quod portulaca conuenienter cum diureticis ponitur. Item portulaca aliquid ponticitatis habet, & ideo confortat ſtomachum & inteſtina, & ualet contra uulnera in renibus & ueſica naſcentibus. Valet etiam fluxui ſanguinis, & undecunque manatum fuerit ipſum ſtringit. Item ſi in capite uel in frontibus uel temporibus inũgatur dolorem & calorem aufert. Item ualet commeſta contra dyſſenteriam, & confert cholericas egeſtiones habentibus. Auicenna dicit, quod ipſa ſua proprietate eradicat uerrucas, ſi ex ea confricentur, & delet ſtuporem dentium, abſcidit deſiderium coitus, tamen in complexione calida & ſicca addit in coitum.

De Papyro.

PApyrus dicitur quaſi pabulum, πῦρ, id eſt, ignis, quia deſiccatus ad nutrimentum ignis in lucernis & lampadibus eſt ualde aptus, eſt enim herba exterius ualde plana, habens interius medullam albam, bibulã & poroſam, & naſcitur in locis aquoſis, & dicitur uulgariter apud nos iunccus. Siccatur enim & excoriatur parum remanẽte de cortice in uno latere, ut medulla ſubſtet, & quanto minus habet de cortice tanto clarius ardet in lampade & facilius inflammatur, & ex eo fiunt ſportulæ pulchræ, & ex eo fiunt in aliquibus locis uaſa & naues, uidelicet in Memphi & India, ut dicit Plinius, & hęc teſtan

tur historiæ Alexandri. De papyris etiam fiunt chartæ in quibus scribitur. Item ex eis fiunt sportulę & pulchra sextoria, & uaria utēsilia, & ligātur ex eis uela nauium, & quidam ex eis faciunt uestimenta. Et dicitur Plinius, quod eius medulla multum ualet ad aquam de auribus extrahendam, quia eam naturaliter imbibit, & ad se trahit, & ideo cum papyro aqua de uino extrahitur.

De Pulegio.



PVlegiū calida & sicca est in tertio gradu. Colligitur tempore florum, & in umbra siccatur, & per annum seruatur. Folia cum floribus abiectis stipitibus in medicinis ponuntur. Virtutē habet assumendi & dissoluendi. Satellatio capiti facta ex pulegio calefacta in testa sine liquore, ualet contra frigidum rheuma, gargarismus factus ex decoctione pulegij & aceto & ficuum siccarum ualet contra frigidam tussim, quæ est ex glutinoso uel frigido humore. Item uinum decoctionis eius ualet contra dolorem stomachi & intestinorum ex uentositate uel frigiditate factum. Item emplastrum ex eodem factum in uino coctum & superpositum ualet ad idem. Item fomentum factum ex aqua decoctionis eius, humiditatem matricis desiccat, & uuluam coarctat, & ideo hac fomentatione mulieres Salernitanæ multum utuntur.

De Rapa.



RApa in omni aëre habitabili prouenit, & desiderat terram solutam ac pinguem: & adeò solutam quod ferè in puluerem sit redacta, ut optime conualescat. Seritur semen eius, ne nimis spisse spergatᷣ, cum puluere mixtum circa finem Iulij & usq; ad medium mense Augusti, uel parum post, & etiam per totum mensem Augusti, in principio Septembris, in locis calidis & siccis, & præcipuè cum terra fuerit rorida per pluuiam pręcedentem. Si rare seratur magis grandescit, & ideo ubi nimis spissæ plantulæ eius natę fuerint, cum aliquod robur acceperint euellantur aliquæ, ut cæterę roborentur, & in locis uacuis transferantᷣ, uel abijciantur. Frequēti sarculatione & herbarum liberatione multū iuuantur. Seritur in agris nudis, & in stipulis etiam egregie, seritur si optime fuerint exaratæ &

ratæ & solo opertæ, semen eius operiẽdum est ne nimium mergatur in terra. Possunt etiam conuenienter seri inter panicum & milium serotinum, quæ cũ panicum & milium sublata sunt, sarculari debebunt. Lætantur agro patenti, & ualde ledditur umbris, quod si tanta fuerit aëris siccitas ut tempore congruo seri non possint, potest in aliquo irrigabili loco & etiam umbroso spisse seri, ut caules, deinde cum cõualuerint plantæ eius, & pluuijs terra fuerit madefacta, trãsferri poterũt circa finem Augusti, & usque ad medium mensem Septembris in terra optime culta. Colliguntur mense Octobri, & quę pulchriores erunt sublatis frondibus plantentur, ut folia sequenti æstate producant. Ex rapis fiũt composita cum aqua ut pro coquina tempore hyemis & quadragesimę habeantur, hoc modo: Rapæ optime lauentur, deinde crudę componãtur in uase de solo ad solum, & in quolibet solo seminetur sal mixtum seminibus fœniculorum, & satureia, uel sal tantum, ultimo ponderentur & seruabuntur per octo dies & dimittantur, deinde ponatur aqua frigida tantũ, quod cooperiantur, & sic seruabuntur per totum annum. Item fiunt composita cum aceto & raphano, sinapi, fœniculis & sale hoc modo: uidelicet in quantitate duarum communium sitularũ accipiatur de rapis, una libra raphani uel plus si bene fortes habere uolueris, & una libra sinapis, & dimidia libra fœniculi, & tres libræ mellis, & una libra salis, & raphani incidantur subtiliter per longum & pistentur minutatim & cum illis semina & sal misceantur, mel liquefiat & cum sinapi distemperatio cum optimo aceto circa medietatem unius situlæ misceatur. Deinde rapis uel napis uel radicibus rubeis & pastinacis & piris & pomis si uolueris congruo modo coctis & optime infrigidatis & diuisis fiat solum de pręd ictis & seminetur desuper raphanum cum seminibus & sale prius posito sinapi usque ad ęqualitatem, deinde fiat aliud solum & ponatur sinapis & semina & sic fiat usque ad complementum & seruentur. Rapa secundum Isaac calida est in secundo gradu, multum plus ceteris herbis nutrit, dure tamen digeritur, mollem & inflatam carnem propter sui uentositatem & inflationem facit, proinde coitum suscitat, quæ si in aqua coquatur & illa eiecta in alia recoquatur, duritia eius substantię temperatur, & mediocriter inter bonum & malum nutriet. Quæ ut bene cocta est, difficile digeritur, uentositatem generat, & in poris oppilationem facit, idcirco utilis est & bis cocta & utraque aqua proiecta recoquatur, cum pinguissima carne. Præterea secundum medicinam est congrua podagris, si in eius iure pedes eorũ lauent.

De Raphano.

RAphanum non seritur, quia semen non habet, sed plantatur corona recens tota uel media, uel fiunt de radicibus eius parua frusta, & plantatur mense Nouembri & Decembri, Ianuario & Februario & Martio. Terram desiderat profunde fossam, solutam, pinguem



& optime pastinatam, sicut cæteræ herbæ quarũ radices grossas & longas fieri optamus. Raphano pręcipue utimur ad faciẽdum composita de rapis. Raphanum calidum & siccum est in secundo gradu, radix enim magis competit usui medicinę, uiridis & exiccata, sed magis uiridis, uirtutẽ habet incidendi & dissoluendi, & ex eo fit competens oxymel hoc modo: Cortex radicum aliquantulum teratur, & dimittatꝰ biduo uel triduo in aceto, postmodum addatur ei tertia pars mellis, & tamen oximel ualet contra quartanam & quotidianam, nisi sit de phlegmate salso, si frigidi humores & indigesti sunt stomacho. Cortices radicum raphani perfusas melle & in aceto comedat patiens usq; ad saturitatẽ, postmodum bibat aquam calidam & digitis in ore missis, uel penna uel inuncta oleo uomitus prouocetur. Contra duritiẽ splenis & epatis herba ipsa decocta in uino & oleo cataplasmetur, pectini etiam cataplasmata & stranguriam dissoluit. De proprietatibus eius est quod si frustum raphani ponatur super scorpionem moritur. Et ideo dicit Democritus, quod qui habet manum infectam maturato semine raphani, sine suo nocumento tractat serpentes. Hermes etiam tradit, quod si succus raphani misceatur cum succo lumbricorum terræ concussorum, & per pãnum expressorum, & in ipso extinguitur gladius, ferrum sicut plumbum incidet gladius ille. Et nota quod raphanum dicitur esse uitibus inimicum, & dicitur quod si prope serantur natura discordãte refugiunt, ut Pallad. peritus agricultor affirmat.

De Radice.



RAdix est herba cuius radix simili nomine appellatur. Cœli statu nebuloso lætatur, licet in omni aëre proueniat, amat terrã pinguẽ, solutam, diu subactã & profunde fossam, tossam & glaream reformidat. Seritur in mense Iunio & Iulio locis temperatis & siccis. Serendæ sunt radices spacijs grandibus, & alte fossis, melius proueniũt in arenis. Serantꝰ post nouã pluuiam, nisi forte possint irrigari. Quod satũ est statim debet operiri leui sarculo. Letamen non est ingerendũ sed potius paleæ, quia fumigosæ fiunt. Suauiores fiunt si aqua salsa frequẽter irrigẽtur. Radices fœminini generis esse putãtur, quę minus acres sunt, habẽt latiora folia, & cũ iucũditate uirentia, ex his ergo semina colligemus, maiores fieri creduntꝰ si sublatis folijs omnib. & solo tenui calidissimo sæpe terris operiantꝰ, unde optime plantantꝰ in sulcis, ut terra sæpius circa eas possit amplius cumulari. Si ex nimis acribus dulces

dulces fieri uelis, semina die ac nocte melle macerabis. Calidū & siccum est in secundo gradu, minus quàm rapa nutrit, propter suum acumen, quod est fortius acumine rapę, nutrimentū tamen eius est grossius durumq́ stomacho & indigestioni nociuum, & inconueniens oculis, dentibus & omnibus uulneribus & doloribus, sumpta secundū cibū, sed secundū medicinā cōuenit. Est enim lauatiua renū, & uesicę, & grossis humoribus, & urinā prouocat, & mādueata lapides frāgit, & si cocta comedatur tussi ex frigida & humida causa subuenit, & secūdum cibum comesta torsionem & inflationem generat, & stomacho fit illaudabilis, quod testatur ructus putridus, qui ex ea fit maxime ante cibum. Illa enim quæ ieiunis esui datur eleuat cibum, & cohibet ne ad locum decoctionis descēdat, unde fit causa indurandæ digestionis & prouocandæ uomitum, maxime eis qui naturaliter uētositatē in stomacho habent. Sed post cibū accepta minorē agit uentositatem superius ascendentem, & cum sua grauitate ad inferiora descendit, deponitq́ cibum ad locum digestionis, et digerit, ut oportet, proinde uolentes eam pro uomitu accipere, accipiant ante cibum. Item habet uirtutem similem raphano, & contra easdem causas et eodem modo datur, sed nō est adeò efficax, ut raphanum.

De Ruta.



RVta seritur mense Augusto, & melius propagatur de abruptis ramusculis in terrā positis, et si summitas alicuius ramusculi eius incuruati in terram statim in terra fixa radieatur & difficillime arescit. Hęc herba, ut Plinius dicit, odit frigidum hyemem & imbris humorem, siccis gaudet temporibus. Terra lateritia uel cinere uult nutriri, ideo diligit ficū quod melius sub eo uel iuxta eum quā alibi conualescit. uerno autem tempore transplantatur, aut in mense Septembri, & assidue irrigetur, si non habet imbrē. Si permittat̃ florere, arescit, antiquata & lignescit, si rami eius bis omni anno terra usque ad folia nō operiantur. Quando autem indurata est & lignea facta, non bene pullulat nisi abscindatur iuxta terram seu radices. Tunc enim renouatis ramis redit ad eam iuuentus. Calida & sicca est in secundo gradu. Cuius duplex est differentia scilicet domestica & syluestris, quæ πήγανον ἄγριον dicitur, folia & semina competunt medicinæ usui. Semina possunt per quinque annos seruari. Folia sicca per annum, uirtutem habent diureticam, dissoluendi & consumendi. Contra cephalæam & epilepsiam in balneo inijciatur parum succi eius calefacti per nares, quod phlegma & cerebrum mundificat. Item uinum decoctionis eius ualet ad idem. Contra defectum uisus ex fumositate collecta in dolio ponatur cum uino ruta, & patiens tali uino utatur. Item cum aqua

rosata mixta & super oculos lippos aut sanguinolentos posita, mirabiliter eos sanat & mundat. Contra dolorem dentiũ ruta cocta cum uino cataplasmetur super locum dolentem: uel aliter, accipe fustem eius & exure aliquantulum ad ignem & concauitatem eius cauteriza, & satis confert. Contra frigiditatem stomachi, & eius paralysim & aliorum membrorum detur uinum decoctionis eius & radicis fœniculi, uel puluis eius cum succo. Item contra stranguriã & dyssenteriam ruta in uino cocta & oleo pectini cataplasmetur. Cõtra tenasmon ex frigida causa, decoquatur in uino, & fiat ἔγχυσα uel calefiat bonum uinum, & fundatur super rutam, & patiens recipiat fumum. Ad menstrua prouocanda & secundinam & fœtum mortuum educẽdum, detur triphera magna cum succo rutæ. Idem operatur succus eius solus per os receptus, aut pessaritatus, aut teneritates eius in oleo frixę & superpositę. Contra exteriorem dolorem ex cõcussione uel alia causa, ruta calefacta sine aliquo liquore superponatur. Cõtra lippitudinem & dolorem oculorum, puluis cymini cum succo eius conficiatur, & in eo bombix intincta super oculos ponatur. Ruta etiam bibita ualet contra uenenum bibitum, & morsum uenenatorum animalium, & etiam cataplasmata. Et nota si quis esset totus circundatus ruta uiridi, secure posset trãsire ad basiliscum. Eius odore de hortis fugantur serpentes, & omnia uenenosa, & ideo plantatur conuenienter in locis ubi sunt aluearia apum. Item succo rutæ liniti à scorpionibus, araneis, uespis, & apibus, non punguntur.

De Rubula.



Rubula desiderat terram solutam & pinguẽ, ut optime proueniat, & in mediocriter pingui prouenit: quę cum uangis alte fodienda est mense Octobri & Nouẽbri, & sequenti mense Februario, Martio, uel Aprili. Seritur spissa ut frumentum uel spelta, & fiunt areolæ sicut in hortis uel quaterni ut in seminatione frumenti ubi rastris semen aperiendum est. Et ab omnibus herbis & radicibus maxime gramine optime liberentur cum uangatur, & cum areolę fiunt, deinde resecatur quotiẽs herbę nascunt̃ in ea manibus uel sarculo. Deinde in Augusto semina cum nigra fuerint colliguntur cum tota herba & bene siccata seruant̃ ad fumũ. Et postea mense Decẽbri, Octobri, uel mẽse Nouẽbri fodiunt̃ sulci ex ipsa terra, areę modicũ operiunt̃, deinde sequẽti æstate runcat̃ quotiens in ea herba nascuntur, & mẽse Augusti iterũ ut dictũ est semina colligunt̃, & ipsius herbæ radices, si placet effossæ terra paulatim sub radicibus colliguntur, & in sole siccantur, sed melius est quod usq; ad sequentem annũ dimittant̃ in terra, ut grossiores fiant & meliores, cauando iterum sulcos & operiendo areas ut dictum est. Cum radices siccatę fuerint, circuli uerberant̃ ut rumpantur, & à terra & à puluere liberentur, & clare fiant,

clare fiant, & si de ipsis fiat puluis, plus ualebit. Et nota quod terra ubi ponitur rubula solo aratro bene submerso fodi potest.

De Spinachia.

SPinachia optime seritur mense Septembri & Octobri pro hyeme & quadragesima sequente. Item mense Decembri in locis calidis, Ianuario, Februario, & Martio, pro mense Aprili & Maio, & alijs etiã mensibus potest seri. Seritur autem & sola in areis & cum alijs herbis mixta in terra pingui & bene pastinata, cum colligitur si una uice inciditur medietas cespitis & alia uice alia medietas diu durabit utilitas eius. Frigida est & humida in fine primi gradus, uentrem humectat, & ualet gulæ dolẽti de sanguine & cholera rubea & melior est stomacho quàm atriplex.

De Solatro.



SOlatrum, græcis est στρύχνος, frigidũ & siccum est, aliquantulum diureticũ, uirides secundum folia & flores multæ sunt efficatiæ, exiccatum nullius. Virtutem habet infrigidandi, cõtra oppilationem splenis & epatis, & maxime contra icteritiã, quãdo oppilata est pars superior cistis fellis. Succus eius detur in potu, aut fiat sirupus ex saccharo & succo eius, uel quod melius est, dentur lib. 2. succi eius cum unc. rheumbarbari. Contra apostemata in stomacho & intestinis & in epate detur succus eius cum aqua hordei. Contra calefactionem epatis petia intincta in succo eius superponatur, uel quod melius erit, si cum succo eius addatur acetum uel agresta, uel oleũ rosatum. Contra calidam podagram herba ipsa sæpius superponat. Cõtra calida apostemata in principio ad repercussionẽ materiei herba ipsa trita superponat.

De Semperuiua.



SEmperuiua est herba sic dicta, quia semper uiridis reperitur, frigida est in secũdo gradu, sicca in primo, uiridis multæ est efficatiæ, exiccata nullius, uirtutẽ habet infrigidãdi, plagellę intinctæ ex succo eius & aceto uel agresta & epati epithimatę multũ ualẽt cõtra calefactionẽ eius, & cõtra dolorem ex frigida causa. Itẽ herba ipsa trita & superposita ualet cõtra calida apostemata in principio ad repercussionẽ materiei. Contra usturas ex igne uel aqua fit unguentum ex succo eius, oleo rosato & cera, sed nõ debet poni in primis quatuor diebus, sed calida apponatur ut fumi tantum fiat euaporatio, unde prius ungimus sapone & similibus, deinde unguẽto prędicto.

Contra

Contra fluxum sanguinis qui fit per ebullitionem eius in epate & in renibus, in ęstate plagellę in succo eius aquæ rosatæ intinctæ frigidæ fronti & temporibus superponantur & gutturi.



De Satyrion.

SAtyrion dicitur esse apium syluestre, & est calidũ & siccum in tertio gradu, uirtutem habet attrahendi à remotis partibus, unde testiculi eius cum melle confecti coitum prouocant, melius tamen si fiat confectio ex eis & dactylis & pistacijs & melle. Item succus eius cum melle datus prodest arteticis.



De Sponsa solis.

SPonsa solis, cichorea, incuba, & solsequiũ, herba ipsa cõmesta ualet contra uenenum si fit ex morsu. Item succus eius superpositus ualet ad oppilationem epatis ex frigida causa. Item ualet etiam contra calefactionem eiusdem.



De Silermontano.

SIlermontanum, siue ut uulgo officinę uocãt, siseleos, calidum est & siccum in secũdo gradu. Semẽ eius collectum per tres annos potest seruari. Semen ponitur in medicinis, & habet uirtutem diureticam dissoluendi & consumendi & attrahendi. Contra asthma ex frigida causa detur uinũ decoctionis eius & ficuum siccarum, uel detur puluis eius cũ ficubus siccis & assatis. Contra oppilationem epatis, renum & uesicæ, stranguriam & dysenteriam, detur uinum decoctionis eius.

De Staphisagria.

STaphisagria calida & sicca est in tertio gradu. Semen eius herbæ simili nomine appellatur, magnę efficatie est, & dicitur etiam caputpurgiũ, quia ipsum à phleg-



à phlegmate purgat, uuam desiccat, & rheuma prohibet, & stomachum mundificat, uinum decoctionis eius & rosarum contra prędicta gargarizetur. Contra scabiem & pediculos unguentũ factum ex puluere eius & aceto ualet. Item ualet contra paralysim si ex eo fiat inunctio. Semen pulueris eius cum melle datus lumbricos necat.

De Scylla.



Scylla calida & sicca est in secundo gradu, herba est similis capulę, unde tuberosa magis competit medicinæ, quàm herba. Si sola reperitur mortifera est. Habet autem uirtutẽ diureticam, unde ualet ad digestionem materiæ tam in quotidiana quam in quartana, ualet etiam contra oppilationem splenis & epatis & contra dolorem iliacã & articulorum, ut testatur Isaac. Contra dictas passiones talis fit usus: scylla diuidatur per mediũ, & tot tunicæ ab inferiori parte abijciantur quot ab exteriori, & tot in medio reseruentur, exteriores debent abijci, quia uenenosæ sunt & multum calidę, interiores similiter abijciantur, quia mortiferæ sunt ex nimia frigiditate, medię tunicę sunt temperatę. Vnde istarum fiat decoctio in furno pasta inuolutarum, postea fiat decoctio in aceto & in colatura addatur mel. Si uis ut oxymel fortius operetur scyllę non fiat decoctio in pasta, sed tantum in aceto. Contra omnem dolorem exteriarum partium ex frigida causa ualet.

De Sinapi.



Sinapis seritur ante hymem & post, & terrã pinguem desiderat si rara seratur melior efficitur, quod si nimis spissa est poterunt aliquæ plantulæ inde transferri, & alibi transplantari. Hęc herba ita se multiplicat, quod ubi semel seritur, uix locus ille ab ea postea liberatur, & ubi semen eius cadit protinus uiret. Calidũ & siccũ est in medio quarti gradus, habet uirtutẽ dissoluendi, attrahendi & extenuandi, non herba, sed semen, quod collectũ est per quinq; annos potest seruari. Cõtra paralysim linguę semen eius masticatum & sub lingua retentũ, ualet. Cõtra paralysim

aliorum membrorũ ponatur in sacculo & decoquatur in uino, & super locum dolentem ponatur, & præcipue in principio ægritudinis. Puluis eius naribus impositus sternutationẽ prouocat, & cerebrum à superfluitatibus mundificat. Contra antiquum asthma ex glutinoso humore detur uinum decoctionis eius & ficuum siccarũ. Cõtra oppilationem splenis & epatis & leucophlegmatiam decoquatur in aqua cum radice fœniculi, aqua colata addatur mel, & talis confectio detur contra splenis duritiem. Herba ipsa cum axungia porcina bene trita superponatur. Fomentum factum ex aqua decoctionis eius menstrua educit. Item herba ipsa decocta in uino & cataplasmata dyssenteriam, & stranguriã soluit. Vinũ decoctionis seminis eius & dragachantũ, humiditatem uuæ, cerebri & faucium exiccat, dragachantũ ponitur ne uehemẽter exurat & excoriet. Pithagoras autem ultra omnes herbas sinapim comendat. Vnde Plinius dicit de ipsa quod humores grossos & uiscosos extenuat, & puncturas serpentũ & scorpionum ictus addito aceto sanat, fungorum uenena superat, dentium dolorẽ mitigat, ad cerebrũ penetrat, & ipsum mirabiliter purgat, frangit lapidem, & menstruis imperat, appetitum excitat, & stomachum confortat, epilepticos iuuat, & hydropicos curat, & lethargicos excitat & eos multum iuuat. Capillos mundat, & eorum casum compescit, incongruos aurium sonos & tinnitos tollit, & oculorum caliginem detergit, paralyticis subuenit, quia poros aperit & humorem prementem neruos dissoluit & consumit. Et dicit, quod maior est uirtus in semine quàm in herba.

De Scutio.

SCutium & culiculus agrestis idem sunt, calidum & siccum est in secundo gradu. Semen, succus & folia competunt usui medicinæ. Contra paralysim linguę semẽ eius masticatum in ore diu sub lingua teneatur. Et si aliqua in parte corporis fuerit, folia cocta in uino cataplasmentur. Contra lethargiam puluis seminis eius naribus insuffletur. Item fiat decoctio seminis triti ex succi rutæ agrestis in fortissimo aceto, & ex ipso fricentur posteriores partes capitis, tamen prius rasæ. Fomentatio ex folijs decoctis in uino & oleo si pectini et uirgæ superponatur meatus prouocat urinales.

De Scordione.

SCordion, id est, allium agreste, est calidum & siccum in tertio gradu. Solus flos eius competit medicinę, aqua uel uinum decoctionis eius spiritualia mundificat à phlegmate & ualet contra dolorem stomachi & intestinorum ex uentositate, & contra oppilationem splenis & epatis ex frigida causa. Item stranguriam & dyssenteriam soluit.

De Asparago.

ASparagus calidus est in tertio gradu, frutex & semen competunt medicinæ, frutices tenerrimi cocti scilicet cum carnibus siue cum aqua ualent contra oppilationem splenis et epatis, stranguriam, et dyssenteriam.

teriam. Item contra dolorem stomachi & intestinorum & contra iliacam passionem ualet. Item uinum decoctionis eius ualet contra prædicta.

De Sisymbrio.

Sisymbrium calidum & siccum est in tertio gradu, aliud est domesticum, aliud syluestre quod calamenthum dicitur, uirtutem habet diureticam consumendi & dissoluendi. Contra uitium pectoris fiant pultes ex farina hordei & aqua, addito puluere eius, & detur patienti. Contra frigidum rheuma folia eius in uase sine aliquo liquore torrefacta & in sacculo posita capiti superponãtur. Vinum decoctionis eius ualet contra dolorem stomachi & intestinorum ex frigiditate, & contra oppilationem splenis & epatis, & urinales uias aperit. Item herba in uino decocta & cataplasmata ualet contra dolorem stomachi ex uentositate, menstrua etiam adducit & matricem mũdificat, fomentatio eius conceptum adiuuat.

De Saluia.



Saluia plantatur plantulis aut ramulis iuuenibus mense Octobri, Nouembri, Februario & Martio. Calida est in primo gradu, sicca in secundo. Sola folia competunt medicinæ, uirida & sicca per annũ seruantur. Alia dicitur domestica, alia syluestris, quæ dicitur eupatoriũ, domestica magis cõsumit & fortificat, syluestris magis est diaphoretica. Vinum decoctionis saluiæ ualet contra paralysim, & epilepsiam in uino decocta & cataplasmata super partem paralyticam multum ualet, contra stranguriam, & dyssenteriã, mundificat matricem. Item in salsamentis conuenienter ponitur.

De Scabiosa.



Scabiosa calida & sicca est in secundo gradu, sicca nullius est efficatiæ. Succus eius cum oleo & aceto bulliant usque ad spissitudinem aliquantulum. Et hoc unguentum aliquantulum ualet contra scabiem, balneum ex aqua decoctionis eius ualet contra alopeciam, succus eius ualet ad idem, & lumbricos necat, & auribus cum oleo iniectus eas mundificat, fumus uini decoctionis eius ualet contra hæmorrhoides.

De Senetione.



SEnetion calida est & sic ca in secundo gradu. Alio nomine dicitur nasturtiũ, aquaticum, cocta in aqua uel cum carnibus spiritualia mundificat. Fomentum ex aqua salsa decoctionis eius ualet ad iliacam passionem, ad stranguriam & dyssenteriam in uino etiam decocta & cataplasmata ad idem ualet.

De Serpentaria.



SErpẽtaria, columbina, dragachãtea idẽ sunt. Dicitur aũt serpẽtina siue dragachãtea, quia hasta eius in modum serpentis maculis repleta. Calida & sicca est in tertio gradu. Radix eius per frusta minuta diuiditur & siccatur & puluerizatur, & per pannum cribellatur, & tunc conficiatur cum aqua, & ad solem siccetur, & ex tali unguento cũ aqua rosata uel sine facies illiniatur, ipsam enim reddit nitentem & claram, panum etiam deponit. Item si puluis eius conficiatur cum sapone, & fistulæ imponatur in tantum foramen eius dilatat, ut inde os fractum uel putrefactum extrahi possit, puluis etiam eius cum calce uiua confectus & aceto fortissimo, optimus est ad cancrum, ita ut pars tertia sit calcis. Dioscorides dicit, quod ipsa odore suo serpentes fugat, nec læditur corpus à serpente si eius succo corpus inunctum fuerit.

De Serpillo.



SErpillum calidum est & siccũ in secundo gradu, & aliud domesticũ, aliud syluestre. Domesticũ ramos per terrã diffundit. Syluestre crescit in longum & altũ flores & folia cõpetunt medicinę, quę in rudi olla calefacta et in sacculo posita, et capiti superposita, ualet contra frigidum rheuma capitis. Vinũ decoctionis eius & succus liquiritiæ ualet contra tussim, & contra dolorẽ stomachi ex uentositate. Item uinũ decoctionis eius & anisi ualet contra dolorem stomachi. Item fomẽtum ex aqua decoctionis ualet ad stranguriam & dyssenteriam, & mundat matricem & calefacit & cõfortat. Vinum decoctio ctionis eius stomachum infrigidatum & epar & splenem calefacit.

De Satu-

De Satureia.

SAtureia calida & sicca est in secundo gradu. Seritur mense Decembri & Martio mixtim cum alijs herbis. Et sola seri potest. Puls ex farina & aqua eiusq; pul uere spiritualia mundificat, puluis etiam confectus ua let ad idem. Dioscorides dicit, quod usus satureię est conueniens ad conseruationem sanitatis, & ponitur in cibis. Albumasar dicit, quod proprietas eius est expellere uentositatem & inflationes & torsiones, & digerere cibũ, & expellit superfluitates stomachi, & prouocat urinam & menstrua, & acuit ui sum debilitatum ab humiditate mala.

De Sclarea.

SClarea seritur mense Decembri, Ianuario, Februario, Martio, & Aprili. Talem desiderat terram qualem aliæ herbæ communes. Optima herba est & est perpetua, quia postquam est in ordinibus transplantata, sicut cepæ plantatur cum fecerit semen & maturum collectum fuerit, si incidatur per tres uel quatuor digitos supra terram reuiuiscit, & pulcherrima efficitur in autumno. Et si incidatur stipes arescit, & nihilominus in Septembri pullulat, uel in æstate sequenti sicut fœniculus, & optime uiuit in umbra.

De Scalonijs.

SCaloniæ plantantur mense Februario, sicut allia per se in areis, & in areis aliarum herbarum, & unaquęque facit multas filias, & maxime si terra fuerit bene pinguis cum plantatur. Item dicit, quod si spicula allei ponatur in cepa factis in ea foraminibus in quibus ipsius spicula possit poni, & sub terra plantentur fient scaloniæ. Sunt autem de natura ceparum, sed sunt minus humidæ, appetitum confortant & malitiam ciborum uenenosorum emendant, nocent uisui & dolorem capitis efficiunt, & fœtorem oris inducũt, & non competunt habentibus calidas complexiones, sed cum carnibus pinguibus ędi possunt, quia malitiam ipsarum emendant.

De Tetracta.

TEtracta, id est, herba Iudaica, calida & sicca est in tertio gradu. Vinum decoctionis eius digestionem procurat, & dolorem, confortat stomachum & intestinorum dolorem ex acetositate curat. Crispellæ ex eo & farina & aqua factę, naturalem calorem confortant, urinam prouocãt. Emplastrum ex ipsa herba decocta in aqua stranguriam soluit. Item fomentum ex aqua decoctionis eius matricem calefacit & mundificat.

De Thapsia.



THapsia est calida & sicca in tertio gradu, per tres annos seruatur, & inuenitur in Arabia, India, & Calabria. In uomitiuis medicinis ponitur. Caute poni debet. Si autem inflationem inde fieri contingit, fricetur cum panno aceto infuso, uel pars tumens inungatur cum populeo & aceto addito.

De Tapsa.

TApsa est herba tunicanorum contrita, facit enim inflare faciem & corpus ac si esset leprosus, & curatur ut hic cum succo semperuiuę.

De Tapso barbato.

TApsus barbatus calidus & siccus est. Fomentatio ex uino decoctionis eius contra hæmorrhoidas ualet, ad idē ualet si anus patientis inde post assellationem tergatur. Valet etiam eius decoctio in aqua ad tenasmon & contra fluxum uentris.

De Testiculo uulpis.

TEsticulus uulpis est bona & dulcis in gustu, facit autem in uino sumptus appetitum coitus, & adiuuat ad ipsum, & est calidus & humidus, & est species satyriæ.

De Testiculo canis.

TEsticulus canis est alia species satyrię, & est in folijs & stipite similis testiculis uulpis, & radix ipsius est duorum modorum, habet enim unū globum superius, & alterum inferius, & unus est mollis, alter durus & plenus, & in illo est humiditas superflua. Et si ante coitum masculus sumat maiorem testem, id quod concipitur ex coitu erit frequenter masculus. Si autem fœmina sumat minorem & concipiet, fiet magis fœmina, dicitur autem quod maior auget coitum, minor uero abscidit ipsum, & sic uterque amborum destruit operationem alterius, & hoc dicit Albertus de plantis.



De Thimo.

THimus est herba ualde aromatica, cuius flos dicitur epithimum, & est flos medicinalis, habet enim uirtutem purgādi melancholiam & phlegma, & ideo ualet contra quartanam & alias melācholicas passiones, & ex eo debemus acuere medicinas, nō ipsum per se dare, quia naturam habet inducendi sincopim & angustiam præcordiorum.

De Viola.



Viola est frigida & humida, de uiolis fit sacharum uiolaceum. Sirupus autem uiolaceus fit deinde de uiridibus & siccis. Sacharum uiolaceum fit eodẽ modo quo rosaceum. Sirupus sic fit: uiolæ in aqua decoquantur, & ex colatura & sacharo fit sirupus. Si autem ex ipsarũ succo & sacharo fieret, melior esset. Oleum uiolatum ualet interius receptum contra discrasiam laboris totius corporis. Item inunctio ipsius facta super frontem & tempora remouet dolorem frontis ex calore factum. Violæ habent uirtutem leniendi, humectandi, infrigidandi, laxandi, sed parum sunt laxatiuæ, & purgant principaliter choleram rubeam, unde ualet febri tertianę, & contra distemperantiam epatis, & in calore & contra oppilationem epatis & icteritiam, contra defectum appetitus ex cholera. Item uiolæ cõtritæ positæ super calida apostemata in principio conferunt, idem facit ipsa herba. Fomentatio ex aqua decoctionis ipsius herbæ facta secundum pedes & frontem in acutis ægritudinibus somnum prouocat. Sirupus uiolaceus est magis coquendus quàm rosearius alioquin cito corrumperetur.

De Virga pastoris.



Virga pastoris est carduus syluestris, & est frigida & sicca, solũ folia eius competunt medicinę uiridia & sicca, sed uiridia maioris sunt efficacię, uirtutem habet constringendi repellendi & infrigidandi. Emplastrum ex puluere eius & aceto & albumine oui super pectinẽ & renes ualet, & contra fluxum uentris. Puluis etiam datus in ouo sorbili ad idem ualet, & ad profluuium mulieris. Item ad idem ualet fomentatio ex aqua decoctionis eius. Trita ualet ad calida apostemata in principio ut ad erisipelã, & cataplasmata capiti abraso ualet contra phrenesim & dolorem ex calida causa. Item hæc herba multum est consolidatiua recentium uulnerũ. Semina & uermiculos quæ sunt in carduis super radices siccatis quærunt auiculæ & cantant cum dantur eis. Isidorus dicit, quod radix eius in aqua decocta cupiditatem potatoribus administrat. Item quod matrici utilissimus est carduus, & iuuat mulieres ut filios masculos generent.

De Volubili.

Volubilis est herba inuoluens se super plantas proximas. Est autem parum calida, sed multum sicca, quod ostendit eius tortura. Quædã autem species eius quæ uocatur funus pauperũ, & hæc terrestris est & aquea. Habens ex terrestritate sua constrictionẽ, & ex aquositate mundificationem & lenitionem, folia autem eius sunt cõsolidatiua uulnerũ magnorum, nec est eis par in illo effectu, coquuntur autem in uino & emplastrẽtur super ea cum aceto, sunt etiam medicina adustionis ignis. Est etiã alia species quæ dicitur uolubilis maior, & lac ipsius abradit pilos, & interficit pediculos.

De Vrtica.



Vrtica dicitur, quia tactus eius corpus adurit. Est enim igneæ naturę, ut dicit Macrob. hæc duplex est, nam quædam est pungens, & quædam mortua, quæ non pungit, & eius folia sunt albiora & molliora & magis rotunda, & utraque est medicinalis, nam succus eius uino bibitus ualet contra ictericiam & contra colicam passionem, cum melle curat antiquam tussim & mũdat pulmonem & uentris inflationem, & tumorem sedat. Folia eius cum sale contrita uulnera sordida mundant & curant. Similiter morsum canis atq; cancros sanat. Radix eius contrita in uino & cocta in oleo ualet contra tumorem splenis. Succus eius fluxum sanguinis de naribus sistit, semen eius cum uino bibitum præcipue mixtum melle & pipere mouet uenerem, uentrem mollit si comedatur, & præcipue mense Martio cum oleo cocta.

De Vitriolo.



Vitriolũ quod alio nomine dicitur parietaria, est herba calida & sicca in tertio gradu, & dicitur uitriolum quia exeo optime uitra mundant. Exiccata nullius est efficatię, uiridis multæ. Virtutem habet diaphoreticã & extenuatam. Contra frigiditatem stomachi & intestinorum & eorundem dolorem, & contra stranguriam & dyssenteriam parietaria calefacta in testa sine aliquo liquore superponatur loco dolenti, uel etiam decocta in uino albo aliquantulum acido cum furfure. Contra stranguriam & dyssenteriam coquatur in aqua salsa & oleo pectini cataplasmetur. Cocta & comesta multum ualet contra dolorẽ stomachi ex frigiditate uel uentositate. Item contrita aliquãtum calefacta cum uino & furfure tumorem minuit.

PET. DE CRESCENTIIS, DE PRATIS ET NEMORIBVS, LIBER VII.



POstquam in libris superioribus sufficienter dixi de cultu cāpestrium agrorum, uinearum, arborum & hortorum, quę multā requirunt industriam, dicam nunc de pratis & nemoribus, quę non tantam quærunt doctrinam, sed fere sponte idonea proueniunt à natura, & primo de pratis, quare creata fuerint, & qualem aërem, terram, aquam, & situm desiderant, ad ampliorem copiam & ubertatem herbarum, & qualiter fiant, & qualiter procurentur & renouentur, & de fœno quod est eius fructus qualiter colligat᷑, & cōseruetur, & de utilitate ipsius.

Qualiter prata creata fuerint, & qualem aërem, terram & aquam desiderant. Caput I.

PRata fuerunt à natura diuinoq; mandato creata, ut terra quæ primo nuda fuit uestiretur & ornaretur. Et ut ipsarum herbæ tam uirides quam siccæ nutrimentum conueniens animalibus herbis utentibus præstent. Nascuntur autem in ipsis diuersarum herbarum genera, ex diuersitate humorum in superficie terræ contentorum, quam quidem sagax natura, quæ nusquā in necessarijs deficit, operata est, propter diuersitatem animalium nutriendorū ex eis, quorum appetitus in omnibus est diuersus. Aërem uero desiderant temperatum, aut frigiditati & humiditati proximū, si enim superflua fuerit in loco rigiditas erunt ibi perpetuo niues & glacies, quę omnino impediunt generationem herbarum. Et similiter si caliditas aut siccitas superflua fuerit omnem uigorem consumit, nisi ei succurratur irrigatione frequenti. Terram desiderāt pinguem ad herbarum copiam, uerum si non fuerit multę pinguedinis saporosiores & magis odoriferas & subtiliores creabit herbas. Si fuerit nimis macra, modicas aut nullas producit, talis enim terra & similiter salsa uel amara, sua imbecillitate aut malitia se uestire non potest. Aqua cōpetens magis pratis est aqua pluuialis quę calida coruscatione descēdit. Et similiter aqua mense Aprili & Maio subtilis descendit, & quæcunq; in æstate de cœlo prouenit bona est, dū tamen gelida nō existat ex natura grandinis liquefactę. Secūdi meriti est aqua lacualis, quę clara, calida & pinguis est. Tertio aqua fluminū. Vltimo aqua fontium, & quanto magis à suo elongatur principio, tanta melior, quia minus frigiditatis in se habet. Prata desiderant sitū depressum ubi cōtinuo sit humor inclusus, uerū si adeò sit profundus talis locus quod ibi quasi semper aqua operiat superficiē terræ, non erat aptus ad aliquas herbas, sed erit accedens ad naturā paludis, producetq;

ducetq́ iuncos & pannias, quadrellum, & similes herbas paludales grossas, insipidas, aquaticas, & fere omnibus animalibus inutiles. Et si fuerit adeo eminens quod irrigari non possit, facile siccitatem & ariditatem patietur, nisi fuerit in alpibus & locis frigidis, in talibus enim locis & si paucas proferūt herbas, subtiles tamen sapidas & odoriferas ferunt, felix autem prati positio est, quæ super se riuum fluentem habeat, quo possit quotiens opus fuerit irrigari.

Qualiter prata fiunt & procurantur & renouantur, Cap. II.

PRata quidem naturaliter proueniūt ubicūq́ terra solis radijs illustratur, & fiunt etiam opere manuali, aut ex locis agrestibus nemorosis, aut ex campestribus agris. Et primo quidē modo extirpandus est locus mense Septembri uel Octobri, & impedimentis omnibus liberandus, non solum spinetis & uirgultis, sed etiam herbis latioribus & solidis, deinde cum frequenter excultus fuerit, ac multa ratione solutus, submotis lapidibus & glebis confractis stercoretur luna crescente, recenti letamine. Ab ungulis iumentorum summa intentione seruetur intactus, pręcipue cum humescit, ne inęquale solum redant multis locis impressa uestigia. Si uero ex campestribus locis fiant ęquandus est omnis locus, & glebis confractis, tam huic quam superiori semen uicię cum fœni semine spargendus est. Rigari uero antequam durum solum fuerit nō debebit, ne eius ętatem minus solidam materia superflui corrumpat humoris. Qui uero uolunt quibusdam annis habere pratum, & alijs segetes, etiam ex terris macris cum irrigatione optime faciunt, hoc modo: immittunt in agrum aquam turbidam, ut ex terra noua sulci repleantur, & ager æquetur, & fiet optimum pratū sine herbarum satione, & si taliter dimittatur per quatuor uel quinque annos, & postea aretur omni anno usq́ ad quinq́ uel sex, poterit congrue de frumento seri, & melius si post duos annos genus segetis transmutetur. Qui autem uolunt uno anno habere frumentum, & sequenti pratum conuenienter hoc modo procurant, immittūt enim aquam in agro extracta blada ibiq́ dimittunt in æstate, & in autumno, si aëris fuerit siccitas, sequenti uero ęstate cum fœnum secauerint terram arumpunt, & secunda & tertia uice arant, & seminant. Sed si etiam uolunt granum habere non arant, nisi circa finem Augusti extracto gramine, & tunc arant, secūdo reiterant & seminant, & tamen bonum frumentum ibi prouenit. Et quidam omni anno seminant, & tamen herbam graminis fœniseca colligunt, hoc modo, scilicet quod existente frumento in campis uel statim post extractionem eius mittūt aquam in agrum potius claram quàm turbidam, & à pecore custodiunt, deinde gramen cum stipula secant, & hyeme animalibus præbent, quæ herbas secernunt, & de stipulis sibi lectum & fimum facient, stipula autem & herba secata, arant semel, & bis, & tertio seminant, & ibi bonum

ibi bonum frumentum nascitur. Procuratur autem ut ex pratis euellantur omnia impedimenta quot nascuntur in eis, & etiam herbę pratis incongruæ, precipue post magnas pluuias quæ terrā adeò mollificauerint, quod herbæ nociuę radicitus euellantur. Plurimum etiam confert pratis si tempore hyemali recenti fimentur letamine ad ubertatem herbarum, amplius si statim cum secata fuerint copiose irrigentur ter aut quater fructificabunt in anno, sed cum uetusta fuerint musco cooperta radantur, ad muscum autem necandum, ait Palladius, sæpe cinerem ingerendum. Quod si sterilis omnino factus est locus aretur pluries, & denuo æquatus formet pratum.

Qualiter fœnum colligatur & conseruetur, & de utilitatibus eius. Caput III.

SEcanda sunt prata cum herbæ ad debitum augmētum peruenerint, floresq; compleuerint, nam si maturius, antequam ad casum florum & foliorum & siccitatem peruenerint, secentur, erit fœnum aquosum, non præbens solidum nutrimentum equis & bobus laborem tollerātibus, & si nimis fuerit maturum calore & humiditate naturali cōsumptus, erit insipidum & modicum, & abominabile nutrimentum animalibus præbens. Sunt autē secanda tempore sereno cum aëris caliditas & siccitas duratura speratur, secatū uero in pratis dimittendum est per unum uel duos dies antequam uoluatur, deinde uoluendum & conuenienter siccandum, demum colligendum, portandum & reponendum sub tectis, quibus deficientibus sub diuo ponatur, taliter præparatum, ut aqua in illud intrare nequeat, quod si eo nouiter in partis secato pluuia superuenerit antequam uoluatur modicum uel nihil lęditur. Sed, ut ait Palladius, post pluuiam non debet conuerti antequam pars ipsius summa siccetur, siue iam fuerit siue non fuerit reuolutum. Si uero eo reuoluto superueniat, omnino destruitur, nullius utilitatis fœnum erit. Et toto anno seruetur, quod etiam per biennium seruari commode poterit, & bobus, equis, asinis & quibusdam alijs animalibus nutrimentum congruum præbet, ut possint sustinere labores, qui eis propter necessitates hominum iniungantur. Ouibus uero tempore niuium subuenit, quo de terra nutrimentum sumere nequeunt. Si quod fœnum subtile, frondosum, odoriferum & laudabile fuerit, erit quasi annona solum animalibus, tam calido quàm frigido tempore sufficiens ad laborem. Si uero fuerit fœnum grossum, paludale aut nimis mature uel serò secatum, non erit sufficiens animalibus multum laborem tollerantibus, nisi eis annonę auxilio aliquando succurratur, uel nisi tempore magni frigoris in quo animalia non laborant & omne pabulum auidius appetunt.

SECVN-

SECVNDA PARS LIBRI HVIVS DE NEMORIBUS & primo de his quę naturaliter proueniunt.

Dico in primis, quod nemora uel naturaliter proueniunt, uel hominum industria instituuntur, & quæ à natura producuntur, fiunt ex humore & semine in matrice terræ contentis, quæ uirtutæ cœlesti erumpunt ad superficiem terræ, & eriguntur in stipites diuersarum plantarum, secundum diuersitatem humoris, seminis, & locorum, in quibus proueniunt, fiunt etiam sine hominis ministerio ex seminibus, quæ à propinquis arboribus in terram decidunt, aut ab auibus uel fluminibus de longe feruntur. In alpibus uero naturaliter nascuntur siluæ pinorum maximarum & fagorum, castanearum, quercuum, cedrorum & similium, in locis uero depressis & paludosis sponte nascũtur salices, populi, & alni, cannæ syluestres, uindectæ, & similes plantę. In pluribus autem locis nascuntur spineta, & arbores paruæ tortuosę, & infinitę spinetę diuersorum generũ, & piri & mali, sorbi, ulmi, fraxini, populi & similes arbores, & quanto pinguior erit terra tanto proceriores proueniunt arbores, in macra uero & salsa uel amara nascuntur spineta, & arbores paruæ, tortuosæ, spinosæ, scabiosę & hyspidę. Hęc autem nemora procuranda sunt diuersimode. Nam ea in quibus sunt castaneæ, piri, mali & similes arbores fructum ferentes extirpanda & purganda sunt ab ominibus spinetis, & plantis extraneis. Et fructiferæ arbores rarificandę, ubi nimis spissæ fuerint, & incidendę in altiori loco, quã bestiæ attingere possint, & ex plantis domesticis & nobilibus inserendę secundum doctrinam traditam in libro secundo cum de insitionibus locutus fui. Ea uero quæ alijs arboribus & spinetis occupata sunt si arbores nobiles & pulchras habuerint ędificijs & alijs operibus aptas similiter sunt extirpanda, & ubi nimis spissa fuerint sublatis turpioribus lignis rarificanda paulisper ut omnis humor conuertatur totaliter in substantiam meliorem. Et uero in quibus sunt arbores igni solummodo congruæ non sunt mouenda nisi forte spinis purgentur & tribulis, quæ quolibet quinto aut sexto uel rarioribus annis sunt incidenda, & ligna ad focum paranda.

De Nemoribus quę hominum industria fiunt, Cap. IIII.

Qui cupit nemus seu syluam plantare uel serere, consyderet primo situm & naturam terræ in qua facere syluam constituit, & ubiq; tales conserat arbores quæ illi loco conueniant, & tantum uotum instituentis adimpleãt. Nam si fiunt in altis alpibus aut earum uallibus, si quidem soluta terra est, congrue recipiet plantas & semina castanearum, quę ad minus 40. pedibus ab inuicem distare debebunt. Si uero terra cretosa uel lapidosa in talibus locis extitit, ei competunt precipue quercus, rouer & cerrus. Quod si talis terra fuerit in montibus calidis, remotis ab alpibus, amygdala ei conuenienter aptantur. Quod si loca sint pinguia congrue recipient piraria & pomaria,

pomaria, & in locis calidis oliuetũ & siccetum & malorũ granatorũ syluã, in frigidis uero & temperatis auellana, scoctana & mespila: si uero locus fuerit humidus & depressus, solutus, conuenientius recipiet salicetũ, albaretum, alnum, & populum. Et si cretosus talis locus extiterit, ei cõueniet ulmetum, fraxinetũ, opulus & rouer. Quod si locus marinus arenosus & ferè sterilis extiterit, deside rabit pinetum, & in calidis climatibus palmam fœminam & masculum. Instituuntur autem prędicta omnia uel ex plantis aliunde translatis, uel seminibus satis, aut manu in congruis locis plantatis, non tamen ignores quod castaneę 40. pedibus ad minus quaq; uersum distare debebunt, ut in ramis possint cõgrue dilatari & plurimũ fructũ ferre, quercus uero nõ minus distare cõueniet, quia naturaliter plurimũ per latera se diffundit, rouer & cerrus uiginti pedibus aut paucioribus distare sufficiet. Hęc enim tria genera arborũ glandẽ ferunt, quę cibus optimus est porcorũ. Piraria uero & pomaria 20. pedibus uel usq; ad 30. distabũt. Oliuetũ, ficus, malagranata, auellanæ, coctana & mespila 12. uel usq; ad 20. pedes distare poterunt. Salicetũ uero aut ꝑpter perticas minimas aut ꝑpter naturam ædificiorum plantat. Primo quidem modo decem pedibus ab inuicẽ distent, secundo uero per duos uel tres aut quatuor pedes distare sufficiet, quia eius spissitudo in altum procurabit rectitudinem & augmentũ. Populus aũt & alnus qui non multũ diffundunt se, in altum uero naturaliter extolluntur, nõ sunt rarę ponendæ. Sed albarus utilior est si ingrosset in stipite, propter assides quæ multis operibus congrue ex ipso fiunt, & propterea ramos plurimum per latera spargit. Ideoq; non inconuenienter usq; ad 20. pedes uel amplius separate plantetur, quę etiam ex quibusdam ramis aliquid corticis habentibus summa facilitate nascet, possunt etiam spisse poni ut ramos faciant subtiles & longos, ulmus aũt oplus & fraxinus non incongrue spisse rareq; poni possunt, quia tam grossæ quàm subtiles & lõgæ tales arbores diuersis diuersis operibus adaptantur. Pinus uero & palma circa triginta pedes distare ab inuicẽ satis cõgrue possunt. De singulis autem arborum generibus prædictorum plene tractatum est in libro quinto, prout disponunt in campestribus agris, nunc uero prout ex eis nemora fiunt & syluæ breuiter de ipsis tetigisse sufficiat.

PET. DE CRESCENTIIS, DE RE VIRIDARIIS ET REBVS DELEctabilibus ex arboribus, herbis & fructu ipsorum,

LBIER VIII.



IN superioribus libris tractatũ est de arboribus & herbis secundũ qđ utilia corpori humano existũt. Nunc uero de eisdẽ dicẽdum est, secundũ quod animæ rationali delectationẽ afferunt, & consequenter corporis salutem conseruant, quia complexio corporis animi semper adhæret affectui.

De Viridarijs herbarum prauis. Cap. I.

Viridaria quædam ex herbis tantum, quædam ex arboribus, quædam ex utroq; fieri possunt, & quæ de herbis solummodo fiunt desiderant terram macram & solidã, ut herbas subtiles capillares creare possint, quę maxime uisum delectant. Oportet igitur locum qui ad uiridariũ tale parat̃ primo bene liberari ab herbis & radicibus adulterinis & magnis, qđ uix fieri poterit, nisi primum effossis radicibus optime planetur locus, & ubique fortiter infundatur aqua feruentissima ut reliquiæ radicum & seminum in terra latentium germinare nullatenus ualeant, & deinde cespite macro subtilis graminis totus locus impleatur, & ipsi cespites fortissime comprimantur ligneis malleis & cõculcentur gramina pedibus, donec uix de ipsis aliquid appareat, & tunc enim paulatim erũpent capillariter & superficiem ad modum pãni uiridis operiẽt. Sit aũt locus uiridarij quadratus tantæ mensurę qđ sufficiat his qui in eo stare debebũt, in circuitu uero eius herbæ aromaticæ omniũ generũ plantent̃, ut sunt ruta, saluia, basilicon, maiorana, menta, & similes, & similiter omnis generis flores, sicut uiola, liliũ, rosa, gladiolus & similia. Inter quas herbas & cespitem planũ sit cespis eleuatior, & quasi per modum sedilium aptatus, florẽs & amœnus, in cespite etiam contra uiam solis plantandę sunt arbores aut uites deducendæ, ex quarum frondibus quasi protectus cespis umbram habeat delectabilem & refrigerantem, in arboribus autem illis plus queritur umbra quã fructus, & ideo nõ curet̃ de eorum fossura & fimatione quæ cespite nocumentũ afferrent. Cauendũ est aũt in his ne sint arbores nimis spissę aut plurimæ secundũ numerum, quoniã ablatio auræ sanitatem corrumpit, & ideo uiridarium liberũ aërem desiderat, & superflua umbra infirmitates generat. Amplius nõ sint arbores malæ sicut nux & quædã aliæ, sed sint dulces, aromaticæ in flore, & iucũdę in umbra, sicut sunt uites, piri, mali, malapunica, lauri, cypressi & huiusmodi. Post cespitem sit magna herbarum medicinaliũ & aromaticarũ diuersitas, cum nõ modo delectẽt ex odore secundũ olfactum, sed & flores diuersitate reficiunt uisum, in quibus ruta pluribus locis admisceat̃, eo quod pulchre est uiriditatis, & ipsa sua amaritudine fugat extra uiridaria animalia uenenosa. In medio autem cespitis nihil sit arborũ, sed potius ipsa planicies libero gaudeat aëre & syncero, quia ille aẽr salubrior est, & etiam aranearũ telę extenso de ramo arborũ ad ramum impedirent & inficerent uultus transeuntium, si arbores in medio uiridarij siue cespitis plantatas haberet. Si aũt possibile sit fons purissimus deriuetur in medium, quia ipsius puritas multam affert iucunditatem. Ad aquilonem & etiam ad orientem uiridarium sit patulum, propter illorum uentorum sanitatẽ & puritatem. Ad oppositos autem uentos scilicet meridionalem & occidentalem sit clausum, propter eorum uentorum turbulẽtiam, impuritatem & infirmitatem, quamuis etiam aquilonaris impediat fructus, miro tamẽ modo cõseruat spiritus, & sanitatẽ custodit, delectatio enim querit̃ in uiridario & nõ fructus.

De uirida-

De uiridarijs mediocribus & mediocrium persona-rum, Cap. II.

SEcundum facultates & dignitatem mediocrium personarum mensure-tur spacium terræ uiridario deputandæ, uidelicet duo uel tria aut qua-tuor uel plura iugera, cingatur fossatis & sepibus spinarum uel rosarũ, & desuper fiat seps de malispunicis, in calidis locis, & in frigidis de nu-cleis seu prunis uel malis citonijs. Item aretur, & ligonibus planetur undiq; lo-cus, deinde funiculo uniuersus signetur locus, ubi arbores sunt plantãdæ, plan-tentur in eis acies pirorum & malorum & palmarum, in locis calidis & citonio rum. Item mororum, cerusorum, & prunorũ, & similium arborum nobilium, ut ficuum, nucleorum, amygdalorum, citoniorum, & similium, unum quodq; ui delicet genus in suo ordine. Distent autem ordines uiginti pedibus ad minus, aut pluribus pro domini uoluntate, in acie distent arbores ab inuicem magnæ uiginti pedibus, paruæ decem. Inter arbores ab inuicem in aciebus plantari poterunt uites nobiles diuersorum generum quę delectationem & utilitatẽ affe rent, ligonizentur acies arborum & uites melius conualescunt, & uniuersa spa-cia deputentur pratis, atq; sæpe de ipsis adulterinę siue magnæ euellentur her bæ. Secantur bis in anno prata uiridarij, ut pulchriora permaneant, planten-tur & formentur arbores, ut supra libro quinto dictum est per ordinem de u-noquoque genere. Item fiant in eo pergularia in conuenientiori parte ad mo-dum domus uel papilionis formata.

De Viridarijs regum & aliorum illustrium & diuitum do-minorum, Cap. III.

QVoniam tales personæ propter eorum diuitias & potentiam possunt in huiusmodi uiridarijs, rebus integris suæ satisfacere uoluntati, nec deest eis plerunq; nisi industria ordinandi, sciant quod uiridariũ mul-tam delectationem habens hoc modo facere possunt. Eligant igi tur planum locum non paludosum, neq; impeditum ab insufflatione bonorum uentorum, in quo sit fons per loca fluens. Sit autem locus 20. iugerum aut plu-rium pro domini uoluntate, cingatur muris conuenienter altis, plantetur in eo ex parte septentrionis nemus arborum diuersarum, in quo fugiant & lateant a-nimalia syluestria in uiridario posita, ex parte uero meridiei fiat palatium specio sum, in quo rex uel regina morentur cum uoluerint graues cogitationes effu-gere. Ab hac enim parte faciet estiuo tempore umbram uiridario, et ipsius fe-nestræ ad uiridarij temperatum habebunt aspectum, non feruore solis infectũ. In eo fiant in aliqua parte uiridaria supradicta. Fiant etiam in eodem piscinæ, in qua diuersa genera piscium nutriantur. Atq; etiam terrestria ut lepores, cer ui, capreoli, cuniculi, & similia, rapacia ponantur in eo supra quasdam arbustu-las prope palatium positas. Fiat sicut domus quædam tectũ & parietes habens de folio rameo spissæ reticulatus, in qua ponantur phasiani, perdices, philo-

menę, merulę, cardilinum, fumelli, & omnia genera auicularum canẽtium. Sint autem acies arborum uiridarij à palatio ad nemus non ex transuerso, ut facilius de palatio uideantur quęcunque agunt animalia quę in uiridario posita sunt. Fiat etiam in dicto uiridario palatium cum caminatis & cameris de solis arboribus, in quo possunt rex & regina cum baronibus & dominabus esse tẽpore nõ pluuioso, huiusmodi autem palatium fieri commode poterit tali modo: Mensurentur & signentur spacia uniuersa caminatæ & camerarum, & in locis parietũ plantentur arbores fructiferæ, si placet, quæ facile crescant, ut sunt cerasa & mali, uel, quod melius est, plantentur salices uel ulmi, & tam insitionibus quã palis & perticis & uinculis per plures annos eorum procuretur augmentum in tantum, ut parietes & tectum ex eis fiant. Velocius uero & facilius poterit palatium siue domus prædicta fieri de lignamine sicco & undiq; circa ipsum plãtari uites & uniuersum ædificium operiri. Poterunt etiam in ipso uiridario fieri tentoria magna de lignamine sicco uel arboribus uiridibus & uitibus operiri. Atq; etiam multam affert delectationem si in uiridario fiant insitiones mirabiles, & diuersę in eisdem arboribus, quas diligens uiridarij cultor facile scire poterit ex his quæ infra in eodẽ libro dicẽtur. Propterea scire oportet quod omnia genera arborum & herbarum in tali uiridario sunt ponenda unumquodq; separatum ab alio, & distinctum ne aliquem inueniatur habere defectum. In tali autem uiridaria non semper delectetur rex, sed aliquando cum serijs necessarijsq; satisfecerit rebus, renouetur in eo, glorificans deum excelsum, qui omniũ bonorum delectationem autor principium est & causa.

De his quæ ad delectationem fieri possunt in munitionibus curiarum & uiridariorum, Cap. IIII.

Circa tumbas & curias siue circa uiridaria cõgrue fieri possunt munitiones ex arboribus uiridibus, similes munitionibus murorum, seu palangatæ uel stictatæ cum turribus, modo in summitate riparum cingentium locum, liberatum optime ab omnibus spinis & arboribus uetustis, profunde plantentur salices uel populi, si solum competat eis, uel ulmi si diligant talem terram spisse per unum pedem, uel minus, & linea recte ducta. Hæc cum optime conualuerint incidantur iuxta terram, & sequenti anno surculorum proles per loca linee quaternis digitis inspissentur, & cum palis perticis & uinculis sursum directe ducãt donec augmentũ 8. uel 10. pedũ susceperint in ea altitudine, cum aliqualiter ingrossatæ fuerint incidant, infra locum uero munitionis per quinque pedes uel circa similes plantę tempore priorũ primarũ ponant 10. pedibus æque distantes, quę cum prędicta fuerint altitudine incidantur, & cum auxilio perticarum uersus proximas & uersus posteriores plicentur plantas & exteriores, similiter circa eas, & sic totiens quolibet anno fiat donec quasi cratis quædam fortis effecta sit, super quã possint homines secure morari, deinde pars exterior dimittatur augeri ad modum muri super cursorium positi, quę in altitudine

tudine congrua quolibet anno incidi cum forma merlorum super mures posito rum poterit,& tali modo teneri. Circa talem munitionem in angulis,& alibi si placuerit poterunt quatuor arbores plantari,& sursum directe conduci,& singulis 10. pedibus incidi,& uersus seipsas plicari cum auxilio perticarum,& uelut solaria ex eisdem fieri, & iterum in altum extolli,& eodem modo formari, & tandem desuper plicari ad modum tecti domorum,uel cum merlis formari, supra ianuam uero optime stabit domus,& ante ipsam solarium arborum prędictarum. In curijs etiam siue uiridarijs fieri potest domus cum columnis uiridibus ipsis iam grossis optime transplantatis,& trabibus super ipsis affixis & tecto cannarum uel palearum opertis,dum tamen aliquis ramus ex singulis columnis emineat supra tectum,qui ipsam columnam semper ab ariditate tueatur, & domum ipsam mirabiliter ab æstiuo feruore defendat.

De his quę in campestribus agris ad delectationem fieri possunt, Cap. V.

IN agris plurimum delectat pulcher ipsorum situs,quod non sint plures deformes agelli,Sed magna quātitas in unum sine interuallo redacta directos habens confines. Et ideo procurare debet diligens paterfamilias prope suos agros potius quàm alibi emere,& in alijs partibus agellos uendere,& cum uicinis permutare partes superfluas,& tortuosas agrorum,& suum agrū cum uicino rectificare,& omnem locum fossatis & sepibus spinorum uiridium cum arboribus conuenientibus permixtim aquę distantibus cingere,atq; fossata parua scolatoria quæ in planis necessaria sunt intrinseca recte formare,quantum possibile est,seruata semper utilitate agrorum,delectationem enim utilitas præcedere debet in agris: licet in uiridarijs oppositum sit seruandum,& ideo quæcunq; in eis maiorem frugum pollicentur ubertatem sunt meliora,& magis eligenda. Atque etiam procuretur pro posse quod per agros aquarum riui decurrāt,quibus possint cum opus fuerit irrigari,& ab eis cum necessarium sit auerti,per spaciosos agros formentur etiam itinera cōgrua,quibus paterfamilias eques & pedes & coloni cum plaustris & bobus commode accedere possint,ad omnes partes agrorum,hæc enim omnia plurimum cum utilitate delectant.

De his quæ circa uites & fructus ipsarum delectationem præbent, Cap. VI.

PLurimū delectat habere pulcherrima uineta in planis siue in paruis mōtibus orienti exposita,diuersorum generum uuas ferentia, & ideo diligenter procuret dominus ea in congruo situ plantare,& in locis pinguibus in arboribus & pergularijs ea formare,in exilibus uero iuxta solum in directis aciebus disponere, atque plurium generum bonorum uuas in his conserere,insitionesq; mirabiles in eisdem experiri, quæ ab antiquis sapientibus, & præcipue Palladio,posse fieri prædicantur,quarum unus modus est,ut plantetur uitis iuxta cerasum uel aliam arborē,& cum optime apprehenderit & cōua-

luerit perforetur arbor acuta terebra, & per foramen uitis ducatur, & luto ab utraq; parte obturetur foramen, ne sol aut pluuia uel uentus consolidationem impediat. Deinde cum lignum uitis optime cum ligno arboris unitum fuerit, iuxta corticem arboris incidatur uitis, ut deinceps succo arboris nutriatur, sic enim uua fertur tempore fructuum arborum maturari. Est quidem modus faciendi uitem & uuam theriacam aut muscatam uel gariophylatã uel laxatiuam, uel alterius qualitatis, quod sic fit: Sarmentum quod pangandum est in una parte scindatur, & sublata medulla loco eius theriaca uel muscus puluis gariophylorum uel alterius rei ponatur, & terrę mandetur, uinculo diligenter astrictum, quo facto uua quę nascetur uirtutem eius quod in uite positum est tenebit. Sane si sarmentum de hac uite sumet̃ & plantetur materni medicaminis potentiam non tenebit. Oportet autem theriacę uel alterius rei assidua infusione senescentis succi uim reiterare. Sed in hoc idem breuius fieri posse puto, si in initio maturitatis uuarum scindatur sarmentum uuæ pendentis, & medicamine immisso ligetur. Est quædam pulchra species uuæ quæ granis interioribus caret, quæ Græcis autoribus sic, recitante Palladio, fit. Sarmentum quod obruendum est quantum placebit in terra debemus tantum findere, ut omni medulla subtracta ac diligenter exculpta membra iterum diuisę partis adunare & uinculo dimissa constringere, & deponere. Vinculum autem de papyro asserunt esse faciendũ, & sic in humida ponendum, diligentius quidem sarmentum reuinctum quantũ excisum est inter scyllæ bulbum demergunt, cuius beneficio asserũt sata omnia comprehendere posse facilius. Alij tempore quo uites putant sarmentum frugiferum putatæ uitis in ipsa uite quam possunt de alto sublata medulla excauãt non diuisim, & calamo affixo alligant, ne possit inuerti, tunc τενακὸν. quod Grę ci sic appellant in excauata parte suffundunt ex aqua prius ad sapę pinguedinẽ resolutum. Et hoc transactis octo diebus semper renouant, donec uitis germina nouella procedant. Vt uites botriones ferant albos & nigros, sic fieri Gręci asserunt: si uicinæ sunt uites alba & nigra cum putantur sarmenta utriusq; sic diuisa inter se coniunge, ut medios utriusq; oculos æquando possis reddere unitati. Tunc papyro stricto ligabis, & molli, atq; humida terra linire curabis, & interiectis trinis diebus ad aquare, donec germẽ nouæ frondis erũpat, & sic cũ tempore poteris hoc genus efficere per plura sarmenta. Quidam expertus mihi asseruit, se inseruisse surculum album & nigrum in una uite continuatis summitatibus gemmarum, corticula tãtum gemmarum de medio sublata, & optime comprehendisse. Vel potest hoc fieri exceptis duobus surculis, & diuisis iũctis oculis diuisis simul & optime ligatis tanquam sit unus surculus inseratur, uel duabus gemmis diuisis & coniunctis cum modica quantitate ligni, & in loco gemmę insertis. Plurimum etiam delectat habere uina diuersorum colorum & saporum, & ideo diligens paterfamilias tempestiue quasdam colligat uuas, ut uinũ habeat acerbum, quasdam bene maturas, ut potens, quasdam nimiũ maturas, ut dul

ce, faciat etiam uina diuersorum colorum cum rebus colorantibus & saporem non corrumpentibus, facit etiam ea diuersorum saporẽ cum rebus odoriferis, & saporem nouum tribuentibus, in quibus delectetur odor & gustus, quę in aliqua parte mixti in caldario ad ignem mittantur, & demittantur donec optime unum in illo sapore uel odore infectum fuerit. Et tunc in uas in quo fit simile uinum, uel alterius generis immittatur, seruetur usui mox futurũ. Bonum est etiã habere uina medicinalia quibus utatur corpus, cuius ad aliquam ægritudinem facile sit declinans. Hoc quidem fiet cum medicinæ simplices uel compositę cõtra illam ęgritudinem habentes uirtutem prædicto modo miscebunt uino. Procuret etiam semper habere in domo agrestum, sapam, uuas passas, acetum & similia, quæ facias secundum modos supra in libro quarto notatos, multũ enim delectat animum tam pro se quàm pro amicis, quæ appetit facile inuenire. Si botrio postquam defloruerit mittat in uasculum terreum uel uitreum paruum tamen, ex toto botrione dicitur fieri unum granum.

De his quę circa arbores delectationem augent, Cap. VII.

EX his quæ patremfamilias delectant, est habere in locis suis copiam bonarum arborum, & generum diuersorum, & ideo procurare debet ubicunq; inuenit arbores nobiles afferentes fructus inde ad loca sua transferre, & plantare siue inserere de eisdem, & non inordinate, ut fere omnes faciunt, eas disponat, sed in congruis ordinibus, uidelicet magnarũ arborum generare ut in ramis dilatari possint, & superfluis umbris non consumant fertilitatem agrorum, eas uero quæ paruę natura proueniunt spissiores ponere potest, & unumquodq; genus formare secundum naturam ipsius, maiores à partibus septentrionis & occidẽtis ponere debet, minores uero ab oriente & meridie, hoc ęnim modo frumenta quæ patenti campo lætantur minorem sentiẽt læsionem, propterea incisiones faciẽt mirabiles & diuersas, in eodem uel diuersis truncis, quę ualde admirabiles se ostendunt, his qui experimenta in talibus probant, nam infinitorum priorum & malorum genera, citoniorum & sorbarum & similium in eodem trunco inseri possunt. Inseritur etiam malus in salice & populo, & uitis in ulmo & moro. Item si persicus inseratur in spinam uel faginam proueniunt maiora & meliora alijs. Et si amygdalus & persicus coniunctis oculis inserantur in pruno erunt eorum poma carnem persicorum habentia, & ipsorum ossa mutabuntur in amygdalarum naturam. Morus etiam inseri potest in ulmo, sed magnę parturit infelicitatis augmenta. Asserit Martialis candida genera in malispunicis fieri si argillæ & cretę quartam partem gypsi misceas & toto triennio hoc genus terræ radicibus eius adiungas, idem dicit mirę magnitudinis eius poma fieri, si olla fictilis obruatur circa arborem punici, & in ea ramus cum flore claudatur, ne resiliat ligatus ad palum. Tunc cooperta olla cõtra aquam quæ minatur incursus autũno patefacta, suæ magnitudinis exhibebit poma. Sed etiã mense Maio & Iunio posse fieri cõmodius affirmatur.

matur. Varro autem aliter specificat modum dicens: Si mala punica immatura cum hæreant in sua uirga, demerseris in ollam sine fundo, eāq; si posueris in terram & operueris circa ramum ne extrinsecus spiritus afflet, ea non modo integra eximi, sed etiam maiora quàm in arbore unquam penderint. Vt uarios fructus ficus exhibeat, ramos duos nigrę & albæ ita inter se uinculo constringes ac torques ut germina miscere cogātur, sic obruti & stercorati & humoribus adiuti, ut prodire cœperint, germinantes oculos aliqua adiunctione conglutina, tunc germen adunatum parturiet duos colores quos unitate diuidet & diuisione coniungat. Rosas nōdum patefactas hoc modo seruabis, in canna uiridi stante scissa recludas, ita ut patiaris coire scissuram, & eo tempore cannam recidas, quo rosas uirides habere uolueris. Aliqui olla rudi cōditas ac bene munitas sub diuo obruunt & reseruāt. Cerasa ut sine ossibus nascantur, sic asserit Martialis, arborem teneram ad duos pedes recides, & eam usq; ad radicē findes, medullam partis utriusq; abradere ferro curabis, & statim utrasq; partes uinculo stringes, & oblinis fimo summam partem & laterum diuisuras, & post annum solidatur dicta cicatrix, in hanc arborem surculos qui adhuc fructum non attulerint inseres, & ex his sine ossibus poma nascentur. Si ramus paruus cerasi scindatur & loco medullę ponatur scamonea, fructus illius rami eo anno laxandi uirtutem acquirit. Affirmantibus Græcis persicus scripta nascetur, si ossa eius obruas, & post septem dies ubi patefieri cœperit apertis his nucleos tollas, & hos cinnabari inscribas, mox ligatis simul cum suis ossibus obruas diligentius adhærētes. Sine ossibus persica fiunt si persicus & salix propè plantentur, deinde inclinato salice ad modum arcus perforet in medio, & per foramen persici planta ponatur, & cera uel luto perfecte obturet foramē, & usq; super ipsum terra cumuletur, & cum anno uel biennio transacto persici & salicis lignum unitum fuerit, sub arcu salicis persicus incidatur, ut ex solo salicis humore alatur.

De delectationibus hortorum, Cap. VIII.

QVoniam multum delectat hortum bene dispositum & industria sufficienti cultum habere. Ideo paterfamilias diligenter procuret habere hortū in solo pingui & soluto. Cui fons uel riuus si fieri potest per spacia decliua defluat, ut possit irrigari tempore magni æstus, ibi omnia genera herbarū bonarū tam cōmestibilium quā medicinaliū nutriat, unūquodq; secundū quod requirit natura eius, in areis rectis, & cū extēso fune & latitudinis modo formatis ęqualiter prout in hoc sexto plene traditum est. Fimum in eo semper habeat abundanter, ne propter macredinem tędio conspicientem afficiat. Et ut plenius delectetur, res musicatas operetur in eo, possunt enim in eis quædam naturalia fieri, quæ quibusdam miraculosa uidentur, nam si caprini stercoris baccam subtiliter subula excauaueris, & in eam semen lactucæ, nasturtij, erucæ, radicis immiseris, & tunc inuolutā fimo baccam terræ optime cultæ breui scrobe demerseris. Raffanus nititur in radicem, cætera semina in

summo,

summo, lactuca pariter emergēte, prosiliunt, singulorum sapore seruato. Si plura semina porrorum in unum ligata deposueris grandis ex omnibus nascet porrus. Item si capiti eius rapæ semen immittas sine ferro, & pangis multum increscere fertur, uel plantas semina in unum strictum foramen posita, omnium pullulatio in unum grande porrum concrescit. Si aqua in patenti uasculo sub cucumere uel citrullo aut cucurbita ponas in flore tales fiant. Aliqui florem cucumeris cum uiticulæ suæ capite abscisso cannæ inserunt, cui prius omnes nodos perforauerunt ibi cucumer nascetur nimia longitudine tensus. Oleam sic metunt, ut si iuxta posueris uelut arcus plicetur. Si eius florem sicut in uite sua est in forma fictili clauseris, ac ligaueris qualis uultus formam hominis uel animalis habuerit, talem cucumeris figuram præstabit. Hæc enim omnia Virgilius, Martialis asseruit. Rem mirandam de ocimo Martial. affirmat, quod modo purpureos modo albos flores modo roseos afferat, et si ex eo semine frequenter seratur modo in serpillum modo in sisymbrium mutetur. Hermes autē dicit, quod cucurbita in cineribus ossium humanorum plantata & oleo rigata nono die habet fructum. Et quod mirabile est, semina quę in uase cucurbitæ sunt, in sublimi nata, faciunt cucurbitas longas & exiles, quę autem in medio eius nascuntur, faciunt grossas, & quæ in profundo iacent, faciunt latas.

PET. DE CRESCENTIIS, DE RE PECVARIA ET OMNIBVS animalibus quę in rure nutriuntur, LIBER IX.



IN superioribus libris dictum est de cultura agrorum, uinearū, hortorum, arborum, pratorum & nemorum, & de omni utilitate ipsorum, & etiam de his quæ ad delectationē spectant tam in uiridarijs quàm in mirabilibus ex herbis & arboribus artificiose agendis, in hoc aūt nono libro dicetur de animalibus quę propter utilitatem & delectationem nutriuntur in rure. Verum ne antiquitas ignoretur, sciendum est (ut ait Varro egregius philosophus) quod primis temporibus fuerint animalia semper quę naturaliter uiuebant ex his rebus quas inculta terra ferebat, ex hac uita in secundam descenderūt, agriculturam uidelicet & pastoricam, & propter utilitatem cœperunt colere agros, & fructus percipere, plantare arbores utiles & colligere fructus: Item deprehendere animalia, concludere & mansuefacere ipsa. Et primo cœperūt oues propter utilitatem & facilitatem, hę nanq; maxime natura quiete sunt, ad uitam hominum aptissime, ad cibum enim lac & caseum competunt, ad uestitum uero pelles & lana. Deinde aūt cœperunt & domesticauerunt animalia cætera quę humano generi utilia esse

lia esse perpenderunt, & ad hęc ex omnibus generibus domesticatis multa syluestria esse affirmantur in locis diuersis. Nam in Phrisia multi dicuntur esse ouium ferarum greges. In Samotrace capræ. In Italia multas esse sues feras nemini est ignotum. In Dardania, Media & Thracia multi boues feræ. Asini feri in Phrigia & Caonia. Equi feri in Hispania citriore. Dicam itaq; de animalibus nutriendis quæ scire potui ex doctrina prudentium antiquorum & experientia neotericorum. Et quia non omnes per omnia, sed certi & per certa peritiores uel minus periti inueniuntur. Supplementum huius operis relinquo uiris maxime expertis in talibus, nam ut ait Philosophus, experientia facit artem, & plenius eã cui naturalis ratio est annexa. Verum quia inter cętera animalia equus censet̃ nobilior & magis necessarius regibus & alijs principibus tẽpore bellorũ & pacis & cęteris, dicã primo de ipsis plenius, de cęteris sub cõpendio, quibus de genere equorũ dicta multa poterũt aptari, ꝓpter affinitatẽ naturę ipsorum.

De ætate equorum & equarum, Cap. I.



GReges equorũ & equarum qui habere uoluerit primũ, ut ait Varro, spectare oportet ætatẽ, uideat ne sint minores trium annorum, maiores decem annorum. Aetas cognoscitur equorum & ferè omnium quæ ungulas indiuisas habẽt, & etiam cornuta sunt, ut idem ait, & similiter Pallad. quod equus in triginta mensibus primum dentes medios dicit amittere, duos superiores, & totidẽ proximos, & primis eiectis, totidẽ inferiores incipientes quartũ agere annũ eijciunt, & totidem proximos, & primi eiecti renascunt̃. Quinto anno incipiẽte amittũt similiter alios quatuor, scilicet duos superiores, & duos inferiores prędictis ꝓximos, qui renascentes sexto anno implere incipiunt. Septimo omnes habere solẽt relatos & cõpletos. Cum aũt sunt maiores cuius ętatis sint intelligi negãt posse, prę terquam cum dentes sint facti plicati & supercilia cana, & sub eius lacus, id est, cõcauitas, quod cum apparuerit dicitur habere annos sedecim. Vir autem prudens & expertus nostris temporibus ait, quod equus habet duodecim dentes, scilicet sex superiores, & sex inferiores, qui omnes sunt anteriores, cum quibus cognoscuntur ætates & tempora equorum, deinde habent scalones, & post illos habent molares. Et potest esse quod quidam equi plures habent, & tũc dentes sunt dupli, & potest esse quod equus eijciat ex his aliquos, & amplius nõ renascuntur, & non nocet equo nisi ad pascendum, quoniam ipsi per dentes anteriores

teriores pascuntur. Et ideo erit minoris pretij, & masticare equorum est per dentes molares, dentes autē primi quos ibi mittant sunt duo superiores, & duo inferiores, qui uocantur primus morsus, & uocatur pullus primi morsus, quod quidam dicit fieri secundo anno, & postea mutat alios quatuor dentes proximos, scilicet duos superiores, & duos inferiores, qui uocātur medij, id est, secundus morsus, & tunc uocatur pullus secundi: morsus deinde mutat alios quatuor, scilicet duos superiores, & duos inferiores, qui uocantur quadrati, id est, tertius morsus, & quando pullus nascitur cum anterioribus nascitur, & postea nascuntur scalones, & quando isti scalones nascuntur nimis longi adeo quod equū impediunt annonam molere & impinguare, propter quod marischalchi quos uocant, scalones resecant, & quando pullus factus est equus dentes eius fiunt rariores, & capita dentium fiunt nigra & elongantur, & per aliquos annos stabūt cani, & cum incipit senescere color dentium reuertitur ad albedinem, & transit ad colorem mellis, & post hoc fiunt albi ut color pulueris, & fiunt longiores. Sed ipsa dentium longitudo est aliquādo per naturam absq; senectute, propter quā causam resecentur senibus dentes, ut iuuenes esse credantur.

De forma bonarum equarum & admissarij & qualiter teneri debent, Cap. VII.

FOrmam esse oportet, ut ait Varro, magnitudine media, quia nec uastas nec exiles decet esse equas, clunibus ac uentribus latis: equos quos propter admissurā uelis habere legere oportet amplo corpore, formosos, nulla parte corporis incongruos, equorum pecus pascendum in pratis potissimum herba, in stabulis ac præsepibus arido fœno cum pepererint hordeo adiecto, bis in die data aqua. Horum fœturæ initium admissionis facere oportet ab æquinoctio uerno ad solsticium, ut partus idoneo tempore fiat, scilicet multarum herbarum, ut mater habeat abundantiam lactis. Ex hoc enim corpus & membra pulli grandiora fient. Duodecimo enim mense, die decimo nasci dicuntur, qui ante ipsum tempus nascuntur inutiles existunt. Admitti oportet cum tēpus anni uenerit bis in die scilicet mane & uespere, sed alternis diebus equa alligata celerius admittuntur, neque equi frustra cupiditate impulsi, semen eijciunt. Satis autem concepisse significatum cum se defendūt. Si fastidiū saliendi est scyllę mediū conterūt cum aqua ad mellis spissitudinē tum natura equę cum ea tangunt, & postea cum eadē nares equi. Sciendum etiam quod equus debet gigni à stellione quem gnaragnū uocamus uulgariter, diligenter custodito, parum uel nihil equitato, & cum minimo labore poterit, quia quanto magis cupiuerit equam, tanto plus & completius sperma emittet, & maior in uentre matris gignetꝰ pullus. Amplius, mater cum fuerit pręgnans nō nimis pinguis nec nimis macra existat, sed mediū teneat, quia ex nimia pinguedine intrinseca locus pulli arctatur, ut corpus & membra pulli sufficienter dilatari non

tari, non possint, nimis aũt macra non potest sufficiens nutrimentũ filio ministrare, quapropter macilentus & debilis nascitur. Iterũ, ut ait Palladius, equa prægnans non urget, nec famẽ frigusq́ꝫ tollerat, nec inter se locis comprimatᷓ angustijs. Item equas generosas & quę masculos nutriunt alternis annis submittere debemus, ut pullis copiam puri lactis infundant, cæterę passim replendæ sunt. Item dicit quod admissarius quinqꝫ annorũ ad minus esse debet, sed semina recte bima concipiet, quæ si decennium excedat iners ex ea nascetur soboles. Itẽ scribit Varro, quod equas prægnantes cauere oportet ne laborẽt plusculũ, neqꝫ frigidis locis sint, eo quod algor maxime prægnãtib. obest. Ideo in stabulis humũ aut ab humore prohiberi oportet, clausaq́ꝫ habeat ostia ac fenestras, & in præsepibus inter singulas ponantur longarij, id est longa ligna quę eas discernant, ne inter se pugnare possint. Item dicit prægnantem neqꝫ impleri cibo neque esurire oportet.

De natura equi & natis qualiter teneri debent, Cap. III.

CVm pullus nascitᷓ utile est quod nascatᷓ in loco petroso & duro & montuoso, eo quod ex loco petroso & duro fiunt ungulæ duriores, ex loco montuoso fiunt crura meliora, propter exercitium eundi superius & deorsum. natus pullus per bona pascua matrem sequatur duobus annis, non amplius, eo quod tunc naturaliter incipit se habere ad coitum, & uolens matrẽ uel aliam equam ascendere & ascendens deterior redderetur, & de facili possit in aliqua parte lædi, uerum si sine matre ac cæteris equabus stare usqꝫ ad triennium posset in pascuis plurimum sibi confortet ad crurium & totius corporis salutem. Quinqꝫ mensium pullis factis cum reuertuntᷓ ad stabulum dandã farinam hordeaceam mollitam, & furfures & si quid aliud terra natum libenter edent, ut ait Varro, anniculis iam factis dandum hordeum & furfures donec erunt lactantes, nec prius biennio sunt remouendi à lacte, donecq́ꝫ stant cum matribus interdum tangendi sunt manibus ne cum seiuncti erunt exterreantur, eademq́ꝫ causa ibi frenos suspendentes ut simul consuescant hominum uidere facies & frenorum audire strepitus.



De captione & domatione equi, Cap. IIII.

CVm pullus est duorum annorum laqueari debet molliter, laqueo grosso & forti de lano cõposito, eo quod lana propter suam mollitiem ad hoc habilior est lino uel cannabi. Debet autem laqueari recenti uel nubilo tempore, nam si tẽpore calido insueta captione nimium laborent, possent facile lædi. Ipso aũt capto & laqueato

& laqueato ad societatem cuiusdam equi domiti conducatur. Tum enim salubrius conducetur, quia similia similibus gaudent. Varro autem dicit, meliorem fieri equum qui triēnio completo domatur, à quo tempore dari farrago, id est, farina, solet, quæ propter purgationem equino pecuri maxime necessaria est, quod diebus decem fieri debet, nec pati ullam alium cibum gustare. Ab undecimo uero die usq; ad quartumdecimum diem & decem diebus ultra dandū hordeum quotidie adijcientem minutatim, deinde mediocriter extergendum & extrahendum, & cum sudarit oleo perungendum. Si frigus erit, faciēdus in stabulo ignis erit. Ad domandum binis retinis de forti corio, & humili præsepio alligetur, ne propter suam sæuitiam fractis retinis lædatur in cruribus, uel alia sui parte, & donec in sua perseuerauerit sæuitia semper sui similis domiti societatem obtineat, & cum manu sæpe tangatur leniter & suauiter, nec unquā cum eo grauiter indignetur domans, ne ob indignationem uitium aliquod sibi assumat, sed enim cum magna perseuerantia lenitatis mansuescat, donec mansuetus efficiatur, ut decet, & pedes lauari & percuti patiatur ad modum ferrandi. Imponendus est etiam super eum bis in die puer aut ter uel pluries.

De custodia equorum, Cap. V.



Equo talis prębeatur custodia, capistrum factum de corio forti, primo in equi capite imponatur, & binis retinis alligetur prępesio, ut superius est expressum, & eius pedes anteriores pedica de lana facta uinculentur, & uni pedum posteriorum alligetur, ne ante ire aliquo modo possit, inde quidē fit pro sanitate crurium conseruanda. Locus prætere a ubi equus moratꝰ bene mundus existat in die, nocte uero fiat eidem lectus de palea uel grossiori fœno usq; ad genua pro quiete, summo mane inde tollatꝰ & tergatꝰ eius dorsum & crura & omnia membra equi, decenti tersorio, deinde pro potu ducatur ad aquam paruo passu, teneatur autem equus tam mane quàm sero usq; ad genua uel paulo supra spacio trium horarum in aqua dulci frigida uel marina, eo quod aquæ naturaliter equis conueniunt, uel propter frigiditatem dulcis, uel siccitate marinæ coartando humores descendentes ad crura quę sunt ægritudinum causæ. Postea uero cum equus redit ad stabulum nō intret ullo modo donec eius crura tergātur & desiccentur ab aqua, quia fumositas stabuli ex sua caliditate solet adducere gallas & malos humores cruribus madefactis. Est etiam utile ualde quod equus assidue comedat in terra iuxta pedes anteriores, ut uix possit fœnū ore capere, ita quod collū cogatur extendere pro cibo sumendo, quia ex hoc collum efficitur

gracilius & pulchrius. Comedat equus iuuenis fœnum, herbam, hordeum, auenam, speltam & similia, nam fœnum & herbam propter humiditatem ipsorum uentrem & corpus totum dilatant & augent. Cum uero fiunt in completa ætate comedat etiam paleas hordei, ex quibus non superflue impinguatur, sed in competentibus carnibus retinetur, & sic potest securius fatigari, nam equus esse debet nec nimis pinguis, nec nimis macer, sed medius inter ea. Si enim fuerit nimis pinguis, humores superflui facile ad crura descendunt, & ægritudines creant, quę solent in equorũ cruribus euenire, & præcipue accidunt eis facile cum subito aliquibus laboribus uexantur. ex nimia uero macie deficiũt uires eius, & redditur turpior ad uidendum. equus præterea perfectæ ætatis in ueris tempore circa messem herbas solum comedat ad purgandum, non foris, sed sub tecto permanens, grosso tegmine laneo coopertus, ne ex frigiditate herbarum infrigidetur, uel morbos grauiores incurrat. Aqua præterea pro potu equi aliquãtulum salita sit suauiter, currens uel parũ turbata eo, quod tales aquę sunt calidę & grossæ, ideoq; nutribiliores & magis congruę sunt equorũ corporibus. Nã quanto aqua frigidior & uelocior est in motu, tãto minus equũ nutrit & reficit. Ferrari debet equus ferris sibi conuenientibus rotundis admodum ungulæ leuibus, & ungulis in circuitu strictis, & bene adhęrentibus nam leuitas ferri reddit equum agilem ad leuandum pedes, & ipsius strictura ungulas maiores & fortiores facit. Equus præterea sudatus uel fortiter calefactus nõ debet aliquid comedere uel potare, donec coopertus uel paulisper ductus à sudore & calore fuerit liberatus. Est sciẽdum quod insueta equitatio serotina nocet equo, sed matutina plurimum commendatur. Oportet præterea equum habere cõtinue coopertura m lineam tempore calido, propter muscas, & laneam, tempore frigido, propter frigus. Et nota, quod propter sanitatem equi seruandam, de uena colli consueta quater est phlebotomandus in anno, scilicet uere, æstate, autũno & hyeme. Notandum est etiã quod equus bene & diligenter costoditur, & moderate, ut conuenit equitatus, ut in plurimũ circa spatium uiginti annorum ualidus perseuerat.

De doctrina & morigeratione equi, Cap. VI.

IN equi morigeratione primum adhibeat̃ ei frenum leuissimum & ualde debile, cuius morsus sit melle uel alio dulci liquore perũctus, nam tale frenum facilius & acceptabilius sustinebit, & propter dulcedinem ipsum libentius iterato recipiet, & postquã frenũ sine difficultate recipiet, aliquibus diebus mane & sero ducatur ad manum, donec optime ductorem sequatur. Deinde absq; strepitu sine sella quàm suauius & leuius potest fieri potum equitet̃ paulisper, et paruo passu, & à dextris & sinistris sæpe uoluatur: & si oportuerit pedester cũ aliquibus antecedat, & omni die per loca plana nõ saxosa mane tempestiue usq; ad mediam tertiam equitetur: cum uero spacio unius mensis sine sella fuerit equitatus, eidẽ sella suauiter & sine strepitu imponatur, & cum ea ducat̃ leuiter, donec

donec tempus uenerit hyemale. Cum autem equitator equũ ascenderit, eũ non moueat, donec sibi pannos aptauerit, nam equus ex hoc quietum usum assumit ad commodum equitantis, post hoc aũt frigido tempore accedente modus instruendi equũ talis sequaẽ, uidelicet quod equitator faciat ipsum per agros aratos summo mane moderate trotare, ut uulgus loquitur, tam à dextris quàm à sinistris sæpe uoluendo habena freni dextera per unum pollicem ex transuerso curtiore alia existente, quia equus naturaliter est pronior ad sinistram, & si expedierit mutet sibi frenum fortius, adeò quod pro uelle facile teneatur. Trotare iubeo equum per terram aratam & non aratam & per ęqualem & inæqualem, ut assuescat pedes & crura leuius eleuare, & idem fiat per loca arenosa eadẽ ratione, & cum bene trotare sciuerit per eadem loca, & eadem hora breuiori saltu quo poterit calopetur, hoc autem non fiat nisi semel in die, nam ex superfluite calopandi sæpe retrogradi fiunt. Obseruet etiã equitator in principio cursus & in trotando, & calopando, ut manibus teneat freni habenas inferius iuxta dorsum, itaq; equus paulatim curuãdo collum caput inclinet in tãtum quod os semper deferat iuxta pectus, ex hoc enim clarius uidet gressus suos, & melius ad utranq; partem uoluitur, & facilius retinetur ad libitum equitantis. pręterea considerari & cognosci debet durities & mollities oris equi, & secũdum eius duritiem & mollitiem imponatur eidem frenum, quorum multa sunt genera, nam sunt ualde leuia, & quædam minus, & quædam sunt asperrima & durissima, quædam minus & quædam media inter prædicta, sed ipsorum formas scriber e omitto quia nota sunt apud frenorum artifices, nec possunt sic apte scribi, quemadmodum possunt oculata fide uideri. Est etiam plurimum utile per ciuitates equitare frequenter & præcipue ubi ars exercetur fabrilis, uel fit strepitus uel tumultus. Ex hoc enim desinit esse pauidus, & securitatem atque audaciam sumit, quod si prædicta loca transire trepidat, non cogatur acriter calcaribus, aut uirgæ uerberibus, sed leue uerbere blandiendo ducatur. Oportet etiã sæpe ascẽdere equum & de ipso descendere leuiter, ut assuescat in ascensu & descensu stare pacifice & quiete. Et prędicta omnia seruanda sunt donec dentes equi perfecte fuerint immutati, quod fit per spacium quinq; completorum annorum, mutatis dentibus quam salubrius poterit sibi de maxilla inferiori quatuor extirpentur dentes, duo uidelicet ex parte una, & totidem ex altera, qui scaliones & plani nuncupantur à pluribus, freni morsu continue aduersantes, & ante quam frenum imponatur eidem permittanẽ uulnera solidari paulisper, & tunc frenum bene sibi adhibeatur. Et nota quod os equi debet esse nec nimis durum, nec nimis molle, sed mediũ inter ea. Item nota quod equus propter dictã dentium extirpationẽ fit pinguior, eo quod ex hoc amittit ferociã & furorem, post extirpationẽ dentiũ equiteẽ, ut dixi remouendo eum ad saltus paruulos, & sępe obuiando ut assuescat intrare in eos, & discedere ab eisdem. Cum frenũ inuentum est conueniens equo, non muteẽ, ne ipsa mutatione os deuasteẽ equi. Et cu-

retur summo mane, semel qualibet hebdomada per uiam bene planã circa spatium quartę partis milliarij unius in principio, & deinde usq; ad unũ milliare cursus poterit augmentari & amplius, si placebit. Et est sciendũ, ꝙ quanto frequentius moderate curat tanto fit celerior & agilior, propter usum. Est tamẽ cõtrarium frequentato usui currendi, quod equus ex hoc fit flagrãtior de facili, & impatiens, si nimis festinatur ad cursum, & suæ assuetæ affrenationis maximã partem perdit. Sciendum est etiam quod postquã equus perfecte doctus & consuetus fuerit affrenandi, equitator freqũeter ipsum debet facere calopare, currere, & salire, moderate tamẽ, quia lõga quies desidiã parit equo, & ea in quibus fuerat instructus facile obliuiscet. Quæ dicta sunt de instructione equorũ locũ habent in equis ad rem militarẽ pertinẽtibus tantũ, nam alij deputant ad uecturã, alij ad admissurã, alij ad cursurã, ut qui ad prędicta parant, alij ad quadrigã, qui diuersimode sunt ad sua officia instruendi. Itẽ quidam equos habere uolunt placidos & quietos, & tales castrandi sunt, quia demptis testiculis quietiores fiũt.

De cognitione pulchritudinis equorum, Cap. VII.

EQuus pulcher habet corpus magnum & longum & suæ longitudini proportionaliter omnia membra respondent. Caput eius sit gracile, siccum & conuenienter longum, & magnum & laceratum, habeat nares inflatas & magnas, oculos grossos uel non occultos, auriculas paruas & aspideas deferat. Collũ habeat longum & gracile, uelut caput, crines paucos & planos, pectus grossum, & quasi rotundũ, dorsum curtũ & quasi planum, lumbos rotundos grossos, costas grossas & bouinas, uentrem longum, anchas lõgas & densas, crinem longum & amplũ. Caudam habeat longam cum paucis & planis crinibus. Cropas latas & bene carnosas. Gareta satis ampla & sicca. Falces habeat curuas, ut ceruus. Crura bene ampla & pilosa, iũcturas crurũ grossas & curtas ut bos, ungulas pedum amplas, duras & cõcauas, prout decet. Sit etiam equus altior aliquantulũ in parte posteriori quã in anteriori, ut ceruus, collum deferat eleuatum, & sit in eo grossities circa pectus. De pilo diuersi diuersa sentiunt, sed pluribus uidet quod bouinis sturus super omnibus est laudandus. Sciendum est deniq; quod pulchritudo equi melius potest cognosci in macie quã pinguedine equi existente.

De signis bonitatis equorum, Cap. VIII.

MElior equorũ est ille qui habet uisum amplũ, & acute uidet in longinquũ, & habet quadratum corpus & fortes aures, & lõgas comas, & curtas gambas de retro, & subtile musellũ, & caput fastũ, & suaues pilos, & amplas grappas, & collũ grossum, & comedit bene. Equus habens nares magnas & inflatas, & oculos grossos, non concauos, audax naturaliter reperit: equus habens os magnũ, maxillas graciles & macras, & collũ longum & gracile uersus caput, ad frenandum est habilis. Equus habens costas grossas, ut bouinas, & uentrẽ amplũ pendentem laboriosus & sufferẽs indicat.

Equus

Equus habens garecta quę uulgo uocant ampla & extensa, & falces extensas & curtas, quod garecta interius respiciãt in gressu celer & agilis debet esse. Equus habens garecta curta, & faces extensas & anchas firmas debet naturaliter ambulare. Equus habens iuncturas crurium naturaliter grossas, & pasturalia curta uelut bouina fortis esse censetur. Equus tenens ad se truncum caudę stricte inter coxas, fortis & sufferens est, ut in pluribus, sed non celer. Equus habens crura & iuncturas crurium satis pilosas, & pilos in eisdem longas, laboriosus existit, sed agilis non de facili reperitur. Equus habens clunem longam & amplam, & anchas longas & extensas, qui sit altior posterius quam anterius, uelox in longo cursu, ut in pluribus reperitur.

De signis malitię & utilitate equorum, Cap. IX.

EQuus habens maxillas grossas & collum curtum non facilis affrenatur decenter. Equus habens albas ungulas uniuersas uix uel nunquã duros pedes habebit. Equus habens auriculas pendentes & magnos, oculos concauos lentus & remissus existit. Quando supremum nasi equi est multum crassum, non potest respirare per nares, & ideo minus ualet. quando equus uidet in die & non in nocte dimidiatur pretium eius, hoc autem cognoscitur si ducis equum in nocte ad rem quã timet in die & tunc non timet, & quando non mouet pedes in die, sicut in nocte. Si oculi equi sunt albi minoratur ualde pretium eius, quia ductus ad niuem uel locum frigidum non uidet, sed in loco non lucido & tempore calido bene uidet. Equus iactans aures suas retrorsum in omni tempore minoris est pretij, quia surdus est. Quando equus nõ hinnit neq; clamat nec aliquem sonum cum ore facit surdus est. Equus habens durum collum & ipsum est semper extensum, & cum ambulat non leuat caput & non mouet ad collum ad dextram uel sinistram est pessimi uitij, & est magnũ periculum equitantibus, quia non potest uolui pro uoluntate eius, ideoq; pro milite non est bonus. Equus cui uadũt genua intra ut arcus, parui est pretij, quia pessime uadit. Equus cuius anteriora crura torquentur, ut arcus, teneri non debet cum sit pauci ualoris. Equus cuius anteriora crura mouere uidentur semper malorum est morũ. Equus leuans caudam superius & inferius mali est uitij. Equus cui semper est inflatio super genu breui non poterit ire. Si equo uidetur inflatio dura in pedibus anterioribus uel postremis in sua operatione non nocet, & dicũt quod si in pedibus anterioribus est inflatio dura securus est, quod aliud malũ non descendit ad ea. Equus habens in omnibus pedib. rapas & non potest curari, minoris est pretij, quia turpioris aparitionis existit. Equus cuius pili de iuncturis reuersantur & insursum in sua operatione, & non læditur, & ungulæ eius fortiores existunt. Si equus mouet pedes alio modo quã alij equi, læditur in sua operatione, ideoq; minuitur pretiũ eius. Si unus pedum de retro eundo aliũ tangit multũ in sua operatione nocet eidẽ. Si testiculi equi sunt multum magni turpior est, & in operatione nocent. Et si eius uirga semper est pen-

dens turpior est, & non est ab honesto homine equitandus. Morphea, id est, albedo in collo mustellino uel supra oculos turpiorem facit equum, sed in operatione non lædit.

De ægritudinibus equorum & cura eorum. Cap. X.



Viso superius de pulchritudine & bonitate equorum, uidendũ est de ægritudinibus & morbis eisdem ueniẽtibus tam naturaliter quàm accidentaliter. Et primo de his quę eis obueniunt per naturam, quæ quãdoq; defectu uel occasione aliqua minutis, uel augmentat, auget tamen raro, ut tamẽ nascitur, habens maxillam inferiorem superiore longiorem & similia. Et quando nascitur cum aliqua superfluitate in pedibus uel aliqua corporis parte, quæ murus uel callum dicitur uulgariter, qui murus sine corio efficitur. Et quandoq; accidit q̃ in aliqua parte corporis quæ murus uel callum dicitur fiunt superfluitates carnium, uelut glandulæ subtus corium. Minuit uero cum nascitur habens oculũ uel auriculam aut nares alijs minores, uel habens unam ancham alia curtiorem, unde totum crus aliquibus minuitur. Præterea natura & fallit quãdo equus nascitur obliquis cruribus tam in anteriori parte quam posteriori, simili modo de ungulis & pedibus, qui quandoq; naturaliter obliquantur, & quandoq; nascitur cum zardis & garectis & gallis in crurib. ꝓuenientibus, ex patre uel matre habentibus eas. Est enim zarda quędã inflatio ad modũ oui uel maior uel minor, quæ tam in parte inferiori quã exteriori nascit̃ in garectis. Galla est quędã tumefactio ad modũ paruæ uesicę magna ut nux, quæ circa iũcturas cruriũ iuxta ungulas generat̃. Cura. In prædictis morbis qui nascunt̃ equo in uẽtre matris ex defectu naturę, nõ potest medicina cõgrua inueniri, nã cũ equus nascit̃ obliquis crurib. posterioribus, ita q̃ ipsa crura obliquant̃ interius percutiendo uel intus ferrendo unũ pedẽ ad aliũ in egressu, equo in parte interiori coxarũ iuxta testiculos ferris ad hoc decentib. decoquat̃, faciendo ex trãsuerso tres lineas in utraq; parte coxarũ, deinde quotidie more solito equitet̃. Tũc enim in suis gressib. una coxa uel alia fricabitur, & ex frequenti tactu coxarũ excoriabitur per cocturã, uelut plaga, ex quo equus crebros ardores sentiẽs perget apertius solito, simili modo fiat in cruribus anterioribus faciendo cocturas prædictas interius in lacertis obliquis ungulis uel pedibus, hoc remedium inuenitur, nam ferrando equũ frequenter possunt unguli aptari decenter, & ad modũ rotunditatis ferri dirigi quoquomodo. Solet etiam equus aliquando infirmari de uno pede ad alium propter maciei debilitatem cui potest adiuncta pinguedine subueniri.

De infir-

De infirmitate muri curanda, Cap. XI.

CONtra infirmitatē muri dico q̄ illa superfluitas carniū quā prędixi usq; ad supficiē corij cautius incidat̄, deinde si locus neruosus nō fuerit ferris rotūdis calefactis decenter coquat̄. Si uero locus fuerit neruosus resalgarū puluerizatū pondere unius careni super aspergatur aut plus uel minus ponatur, ut expedire uidebitur. Nā resalgarū uelut ignis corrodit, deinde corrosis muri radicibus funditus, intromittat̄ in uulnere stuppa in oui albumine madefacta, ex ea tota impleatur uulnus & ad tertiū diē mutet̄ semel in die, ab inde in antea pro solidatione festina, accipiatur calx uiua & tantundem mellis & simul misceantur & ponātur in aliquo panniculo incendātur lēto igne donec ex eo fiant carbones, & puluerizētur subtiliter, & in uulnere ponatur cū stuppa inuoluta in dicto puluere mane & sero, donec carnes fuerint solidatę, semper prius abluto uulnere cū uino forti aliquantulum calefacto in defecto resalgari ponatur cū calce uiua tartarū, auripigmentum & uerderamus, puluerizata simul ęquali pōdere ter uel quater, donec radices muri fuerint cōueniēter cōtusę, prius optime abluto uulnere cum aceto, qui puluis est minus uiolētus alio supradicto, sed uix aut nunquā ibidē pili nascuntur, sed de his nascendis aliquid infra scribetur.

De glandulis & scrophulis, Cap. XII.

DE cęteris supfluitatibus carniū quę nascunt̄ inter coriū & carnes quæ dicūtur uulgariter glādulę siue testudines siue scrophulæ, dico quod scisso corio p longū nisi est aliqua glādularū extrahatur manib. eā prius ungulis excarnando, uel scisso corio supaspergat̄ puluis calcis resalgarū tritum, uel ferro cādēti coquatur, uel supaspergatur puluis calcis uiuę, auripigmēti & tartari quā in proximo capitulo muri dixi, deinde utatur cura in cap. muri scripta. Si uero post prædictā incisionē uel excarnationē aliqua uena prumpit in sanguinē cōstringatur hoc modo: accipiātur thuris duæ partes, & tertia aloēs epaticæ & puluerizata subtiliter cū oui albumine agitētur, & misceant̄ & cū pilis leporū ponātur in uena, ad idē ualet gypsum cū calce tritū, & cum granulis uuarū. Itē ualet ad idē stercus equi recens mixtū cum creta, & cum aceto fortissimo agitata. Et nota quod prædicta super uenā cōstringendā posita nō debet usq; ad diē secundū uel tertiam remoueri. Itē sciēdum est quod salubrius est prędictas glandulas destruere super dictis pulueribus corio prius scisso per longū quàm ustione uel manuū extractione, si locis neruosis uel uenenosis existāt.

De ęgritudinibus accidentibus equis, & cura eorum, Cap. XIII.

SVpra dictū est de morbis & ęgritudinib. naturalibus, sequit̄ tractatus accidentaliū, dicā ergo primo quæ accidūt eis in capite, & intra corpus, secūdo de his quæ accidūt eis in capite, & in tergo. Tertio de his morbis quę accidūt eis in membris, à pedibus supra. Quarto de læsionibus ungularum & pedum.

De infirmitate, quę uulgariter dicitur uermis, & cura eius, Cap. XIIII.

HAec infirmitas euenit equo in pectore prope cor, & in coxis prope testiculos, ex malis humoribus calidis congregatis in quibusdam glan-

dulis quas habent in pectore & in coxis, qui concurrunt ad loca illa, propter aliquem dolorem ibi accidentaliter uenientem, deinde descendunt ad crura, & in eis faciunt inflationes, & ea crebris ulceribus perforant, & quandoq; occasione uermis prædicti fiunt in equi corpore, præcipue in capite diuersa ulcera, plurimum tamen parua, ipsum caput inflantia, & quandoq; per nares faciũt emittere humores uelut aquam, & tũc dicitur uermis uolatiuus. Cognoscitur autem hæc ægritudo ex inflatione quę fit ex dictis humoribus in locis prędictis, & ex ulceribus quæ dicti humores faciũt eum exire conant. Curatur aũt hac uia: Cũ dictæ glandulæ tumefieri uel plus solito augmentari uidentur, statim de cõsueta uena colli iuxta caput & in utraq; parte pectoris uel coxarum consuetis uenis usq; ferè ad debilitatem equi minuatur, & superflui euacuentur humores, deinde ponantur decentes setones in pectore uel in coxis, qui humores assidue attrahunt per crebram & congruam agitationem setonũ, ex tali enim agitatione fit dolor, & inde propter dolorem exeunt humores, nec ad crura descendunt, dicti uero setones agitari non debẽt nisi duobus diebus elapsis, deinde mane & sero quotidie agitentur in tantum, quod duo iuuenes fatigentur, equo prius paruo passo, non modicum equitato, deinde non cesset equus die qualibet fatigari, & caue ne comedat herbas, de rebus alijs adeo parũ sumat, quod uix uires retineat & in locis frigidis in nocte quiescat. Si uero glandula illa uel uermis per supradictas curas non decrescat, sed per abundantiam humores tumefacientes superflue grauent tibias, tunc illę glandulę uel uermis extrahatur hoc modo, scindatur coriũ & caro per longum usq; ad inuentionem glandularũ uel uermis, deinde uero illæ glandulæ ungulis excarnent, & extra manibus extirpentur, ita quod ipsis nihil ibi remaneat, uerme aut glandulis radicitus extirpatis, ex stuppa munda & albumine oui infusa, uulnus totaliter impleatur, & uulnus suat, ne stuppa possit exire, quod si uulnus sit in pectore ligetur ante pectus pecia linea, propter uentum, deinde uulnus usq; ad diem tertiam mutari non debet. Sed ab inde semper bis in die mutet, stuppa madefacta cum oleo & albumine oui agitato, uulnere tamen prius cũ uino abluto, & 9. diebus talis adhibeat cura. Postea uero bis in die abluatur uulnus cum uino aliquantulũ calefacto, & intromittatur in uulnus, stuppa in tali puluere inuoluta, ut in muri cap. dicit, quod fit de melle & calce uiua, & prædicto utatur puluere donec uulnus fuerit solidatũ, setonibus nihilominus agitatis, & equo quotidie fatigato, ut superius est expressum, nota tamen q; equus equitari nõ debet usq; ad diem tertiam, postquã uermis fuerit extirpatus, sed postea sic curet die qualibet, ut prædixi. Aliud medicamen fortius ad dictum uermem omnino tollendum, scisso corio per longum & carnibus usq; ad denudationem uermis, ut dixi resalgatum bene tritum & puluerizatum ponat super uerme prędicto, postmodũ bombyce os uulneris sanat, ne resalgarum possit exire, quod uermem in nouẽ diebus potẽter corrodit quo corroso uel destructo curet uulnus, ut superius est expressum. Si prędictis omnib.

humores constringi uel exiccari non possunt, quin ad crura descendant foramina uelut uesicas paruas uel ulcera facientes, tunc statim ferro rotundo in capite illa uel ulcera uel uesicę funditus decoquantur, prius coquẽdo magnam uenam pectoris ex transuerso, quæ tendit à loco uermis inferius usq; ad pedẽ, postea uero decoctis foraminibus cruriũ, ut dixi, super aspergatur in lateribus calx uiua solummodo in die bis separata prius coctura foraminũ ibi facta. Quod si ex uerme remansit crus inflatum, tali subueniatur cura, ponantur sanguisugę ad crurium inflationes abraso prius loco tumefacto uel etiã toto crure, deinde sanguine quantũ poterit cum sanguisugis extracto, totũ crus cum aceto & creta alba simul agitatis emplastret̃, uel teneat̃ in aqua frigida quotidie mane & sero, & hæc fiant donec crura gracilia reddant̃. Contra uermẽ uolatiuum, ut humores à capite subtrahantur, de ambabus consuetis uenis temporum sufficiẽter minuatur sanguis, deinde setones sub gutture imponantur, & agitent̃, & nutriatur, & equitetur, & in loco teneat̃, & omnia fiãt, ut supra in alio uerme dixi. Si uero uermis uolatiuus in hæmoagrã conuertatur, quod sæpe accidit, danda sunt ei calida panno laneo, capite cooperto & in loco calido, pro quiete morante, ne fatigetur aliquo modo, & semper comedat calida ut fœnum & auenum, quia hic morbus frigidus est.

De morbo qui auticax uulgariter nominatur, & cura eius, Cap. XV.

ACcidit aliquando quod illa glandula dicta quę circa cor extat & in tantum augetur propter humores ad eũ decursos more solito non descendentes ad crura, quod augmentatio & inflatio eius facit apostemata, quę quia propinquum est cordi crudeliter aduersatur ei, & hæc infirmitas auticax uulgariter à pluribus antiquorum uocatur. Cura. Cum dicta glandula uidet̃ cum furore subito augmentari uel plus solito ingrossari, absq; mora de pectore radicibus extirpetur, ut in cura uermis supra expressum, & cum sit cordi propinqua, cautissime & cum summa diligentia extirpetur. Si uero in extirpatione uel excarnatione ipsius aperiatur aliqua uena, & prorũpat in sanguinem, tũc statim capiatur & stricta manibus filo serica stricte ligetur, quod si propter sanguinis abundantiam uena capi non posset, ponantur in uulnere medicinę stringentes sanguinem scriptę supra de cura glandularum.

De cognitione strangulionis & cura eius, Cap. XVI.

SVnt & aliæ aliquot glandulę circa caput equi quarũ aliquę sunt sub gutture, quæ accidentaliter augentur propter humores equi infrigidati ad eas de capite descendentes, ex quarum augmentatione totum guttur inflatur, & constringuntur meatus flatus exeuntes per gutt̃, propter quod equus uix respirare potest. Cura. Cum dictæ glandulæ uidentur subito crescere, uel plus solito augeri statim setones duces sub equi gutture imponantur, & mane ac sero sufficienter ducant̃, ponatur etiã in equi capite lanea cooperta &

guttur pluries ungatur butyro, præcipuæ strangulonis locus, & in loco calido teneatur. Si uero dictæ glandulæ per setonum agitationem non detumescāt, extirpentur radicitus, & uulnera curētur, ut in cura uermis prædixi. Sed in appositione resalgari diligēs adhibeatur cautela, quia si immoderate ponatur, nimium carnes corrodit.

De morbo uuularum & cura eius, Cap. XVII.

SVnt & alię glandulę quæ nascūtur inter caput & collum sub utraq; parte maxillarum quæ similiter augentur ex fluxu rheumatis à capite, coarctantes adeò meatus gutturis, quod equus uix poterit comedere uel potare, & hæc ęgritudo uocatur uuulæ. Cui nisi succurratur instanter subito morietur. Cura. Cū dictæ glandulę subito uidentur augeri & tumefieri uelut oua coarctantes gutturis arterias ferro decenter calido in cuspide decoquātur, uel acuta lancea cautius incidantur, uel quod melius est, modo dicto in uerme tantum ex una parte quantum in alia si expedire uidebitur, & uulnus eodem modo curetur, & nisi medicinis prędictis succurratur respirare impeditur & moritur.

De doloribus & ipsorum curis, Cap. XVIII.

DOlores accidunt equis multis modis, primo ex superfluitate humorum malorum in uenis sanguinis interclusorum: secundo ex uentositate ingrediente in corpus equi calefacti per poros, uel orta in intestinis ex humoribus uiscosis in eis existētibus: tertio ex superflua cōmestione hordei uel alterius similis tumefacti in stomacho seu uentre: quarto ex superflua retentione urinæ uesicam inflantis, fit etiam, sed raro, ex nimia potatione aquę frigidissimæ, cum equus fuerit multum calefactus. Cura. Si dolor sit ex superfluitate humorū uel sanguinis, quod cognoscit̄ quia torquet̄ & mouent̄ ilia sine tumefactione aliqua, & frequenter cadit in terrā & iacet & uenę plus solito tumefiunt, statim à uena cingularia quę est prope cingula ab utraq; parte sanguis minuatur. Et ex quacunq; parte corporis sanguis haberi potest usq; ferè ad debilitatem corporis minuatur, deinde ducatur ad manū paruo passu, nec comedat, neq; bibat, donec ex toto cessauerit dolor. Dolor ex uentositate cognoscitur, quia dolet intra corpus, & habet continue ilia tumefacta, & ferè totum corpus plus solito tumefactum. Cum hæc apparent, canolus unus de canna quā grossior poterit inuenire longitudine unius palmi unctus oleo superponatur in aluum equi, pro parte maiori, & optime ligetur cum aliquo spacio in capite caudæ, ne possit extra exire, deinde statim cum festinantia equitetur diu, trotando uel ambulando uersus montuosa, & si tempus frigidum fuerit cooperta lanea teneatur coopertus: & cum manibus oleo unctus fricentur ilia fortiter, ex his enim calefit equus & per canolum extra uentositatem emittit, deinde danda sunt ei calida pro commestione & potu, bibat enim aquam cum cymino & semine fœniculi coctū æquali mensura in bona quātitate, cum fuerit aliquantulū infrigidata

infrigidata & farina tritici ei admixta, & tam diu sitiat quo ad huiusmodi aquam bibat, similiter comedat calida, & moret in loco calido tegmine laneo coopertus. Si autem dolor fuerit ex superflua cõmestione hordei uel alterius similis tumefacti in uentre equi uel stomacho, quod cognoscit quia uentrem habet durũ & ilia tumefacta, fiat decoctio maluæ, mercurialis, branchæ ursinæ, uiolarum, paritariæ, & aliarũ herbarũ laxatiuarũ in aqua, & addat de melle sale & oleo & surfure tritici & tepefacta ponat in quodam uentriculo habente canolũ de canna conuenienter longum & grossum ad modum clysterij, & per illud instrumẽtum mittatur dicta decoctio in uentrem equi per anum, & tunc quando mittitur stet equus ualde altior posterius quàm anterius, & aqua immissa oppiletur congrue anus, ne aqua possit exire, postea uero ligno rotundo bene polito uenter ducatur à duobus hominibus existentibus ab utraque parte, qui à parte anteriori incipiant & usq; posterius premendo uentrem ducant, eo prius uncto cũ oleo, uel re alia liquida unctuosa. postquã autem uenter bene fuerit ductus deoppiletur anus, & per loca montuosa equitetur paruo passu continue, donec egerit omnia quæ in uẽtre sibi missa fuerint & de alijs magnam partem, & sic dolor cessabit. Si uero dolor fuerit ex retentione urinæ uesicam inflantis, quod cognoscitur, quia sub uentre uel circa loca uirgæ aliquãtulum tumere uidetur, & sæpe se iactat in terram, tunc accipiantur senationes, curtania, paritaria & radices asparagi quãtitate æquali, & simul coquantur, & decoctæ cum quodam fascia longa & ampla calidæ circa loca uirge ponantur, & hoc sepe fiat calefaciẽdo emplastrum cum fuerit infrigidatum. Quod si ex hoc non prouocatur urina experimẽtum tale fiat, uirga equi manibus unctis oleo extrahatur, oleoq; fricetur, deinde teratur aliquantulum piperis cum oleo, & inter foramẽ uirgæ auriculari digito imponatur, uel quod melius est tinices triti aliquantulum cocti in oleo imponantur, quod si hoc non profuerit, equus cum quadam equa per stabulum libere permittatur abire, sicq; necessario prouocabitur ad urinam. Et nota quod hoc remedium de iumento quod dixi ad omnes dolores utile reperit, quia uoluntas coitus ualde naturam corroborat & confortat.

De morbo infunditi & cura eius, Cap. XIX.

Hic morbus accidit equo ex superflua cõmestione uel potatione, ex quibus sanguis superflue augmentat, & ad crura descẽdens per ipsa spargitur & impedit gressus eius. Itẽ accidit ex immmoderato labore faciente sanguinẽ & humores ad crura et pedes descẽdere, gressus eius impediẽtes, ex quo ungule mutari cogent, nisi succurrat eidẽ. Accidit etiã quandoq; ꝓpter dolores ex nimio labore & calefactione ueniẽtes et humores ad crura descẽdere faciẽtes, & hec ægritudo uulgariter infusio nominat. Cura. Cum equus uidet uno uel duobus aut pluribus pedibus claudicare & ingressu crura grauiter mouere, in sua etiã reuolutiõe grauiter se habere, ea enim sunt infũditi

signa,

ſigna, ſi eſt pinguis & ætatis perfectæ, potus eidem ad eius libitum præbeatur, & poſtea de ambobus temporibus & ſingulis cruribus, de uenis ſolitis uſq; ad debilitatem corporis minuatur, deinde in aqua frigida currenti uſq; ad uẽtrem equi ponatur, uelociter & aſſidue teneatur in ea, nec aliquid comedat donec integer fuerit liberatus. Si uero fuerit iuuenis aut macer, non detur ei potus prædictus, ſed in tantum cum freno in aëre frigido teneatur, quod collum & caput cogatur extendere quantum poteſt, deinde rotũdi lapides groſſitudinis pugilli ſufficienter pedibus equi ſupponantur, ac ſi ei ei fieret cubile ad ſtratum, nam ex aſſidua appoſitione lapidum rotundorum pedes & crura in motu exiſtũt, ex quo nerui crurium indignati propter humores grauitatem expellunt, ſed prius pãno lineo in aqua infuſo ſit coopertus, nec comedat neq; bibat, nec in ſole moretur, donec fuerit ad ſtatum primum reductus. Et nota, quod hæc ægritudo parum uel nihil nocet iuuenibus equis, nam ex ea ipſorum tibiæ ingroſſantur.

De morbo pulcini ſiue mulſini & cura eius, Cap. XX.

AEgritudo iſta fit ex calore liquefaciente pinguedinem, quæ oppilat pulmonis arterias taliter quod equus uix reſpirare poteſt. Et cognoſcitur quia fit narium magna ſufflatio & iliorum crebra pulſatio, & hæc ęgritudo pulſiuus uulgariter appellatur. Cura. Fiat potio de gariophylis, nucibus muſcatis, zingibere, galanga, æquali pondere, cymino, ſemine fœniculi, æquali pondere puluerizatis cum bono uino, & addatur crocus in congruo quantitate, & tot uitella ouorum quanta eſt quantitas pędictorum, & dicta potio ponatur in quodam cornu bouino, & equo tenenti artificialiter os apertum, & caput altum ſine freno propinetur. Ita quod in guttur eius deſcendat, equi capite ſpatio unius horæ ſuſpenſo, ut potio in inteſtina deſcendat, deinde ducatur ad manum uel breui equitetur paſſu, ne ipſam uomere poſſit, qui per unum diem uel noctem nihil comedat, ut dicta potio non impediatur exequi ſuum effectũ. Die uero ſecunda comedat recentes herbas, uel cãnarum frõdes aut ſalicis uel frigidarum herbarum, ut potionis temporetur calor, ex dicta nanq; cura liberatur equus, ſi paſſio recens exiſtat. Si uero fuerit antiquata, incurabilis eſſe cẽſetur, tamen hoc modo curari tentetur: Vtraque ilia duabus lineis una ſuper aliam ab utroq; capite coquantur, ut coarctatione ignis iliorum pulſatio minuatur, nares etiam decenter per longum ſcindantur, ut leuius aërem attrahat & emittat, uel tempore uindemiarum cibetur uuis maturis, uel dulci muſto potetur. Et ſic curabitur à pulcina.

De morbo infeſtati & cura eius, Cap. XXI.

ACcidit etiam hęc ægritudo cum equus ſudauit uel ſuperflue calefactus ponitur in loco frigido uel uentoſo, nam per poros apertos uentus per os & membra ſubintrat, unde ſequitur neruorum attractio, parum tumoris habens, dolores inducens, ac impediens greſſus equi, & uocatur hæc

ægritudo

ægritudo equi uulgariter infestatus, quę cognoscitur quia equus uidetur habere collum parum extensum ita quod digitis uix potest capi uel astringi, & in suo motu uelut infunditus impedire uidetur & eius oculi lachrimantur. Cura. Tūc ponatur in loco calido, deinde aliquod uini lapides fiāt calidissimi prout potest, & ponantur in terra sub equi uentre, prius tamen sit coopertus de panno lanæ longo & lato in tantum, quod in qualibet parte satis super totam equi personā, cuius medium stet super dorsum equi, & extremitates ab utraq; parte deorsum pendeant, quę à duobus hominibus inferius teneātur, & dicti lapides paulatim & sępe aspergantur aqua calida, donec totum corpus & membra equi redacta fuerint in sudorem, & tunc inuoluatur equus in dicto panno, & cinguletur, & sic tam diu teneatur quod sudor cesset, & tūc butyro uel oleo calido, uel aliquo alio liquido unctuoso sæpe in die singula equi crura fricentur, uel fiat decoctio paleæ frumenti, aristarum, allij, cineris & maluarū, & cum ipsa decoctione tantum calida quantum pati potest, crura, & specialiter nerui, madefiant, & semper in loco calido teneatur, & pro commestiōe utatur cibis calidis, donec ad statum pristinum reducatur.

De morbo scalamati & cura eius, Cap. XXII.

HAec infirmitas interiora equi desiccat, & corpus macerat, & fimum eius plusquam homines fœtere facit, & accidit eis ex diuturna macie, proueniente ex pauco cibo exhibito, & multo labore calefaciente, ac membra exiccante, adeò quod non potest impinguari, neq; assumere carnes, nec etiam comedere curat. Cura. In hac ægritudine quæ scalamatus uulgariter dicitur, instandum est uniuersaliter, ut corpus equi humectetur, fiat ergo decoctio herbæ uiolariæ, paritariæ, maluæ & surfuris hordei, quibus bene decoctis, coletur, & in hac aqua ponatur butyrū in bona quantitate, & pondus septem drachmarū cassiæ fistulę liquæfactæ, ac cum instrumento supra scripto admodum clysterij parum calida immittatur in anum equi, & fiat per omnia ut in capitulo dolorum supra dixi, eo excepto, quod hæc aqua tenenda est quantum potest in equi uentre, postea fiat de uitellis ouorum, croco & oleo uiolarum, agitatis decenter cum bono uino albo, & ponatur in corno bouino, & bis uel ter ei detur, ut dictum est in tractatu pulcini. Aliud exprimentū: equus in stabulo solus ponatur, & per duos aut tres dies nihil comedat neq; bibat, postea detur ei ad comedendum lardum, uel carnes porcinæ salitæ ad libitum eius, nam ipsa propter famem & lardi salsedinem libenter comedet, & detur statim ei ad bibendum aqua calida quantum uolet, deinde equitetur paulisper donec uentrem de prædictis euacuet, quo euacuato detur ei frumentū bene mundum, & cum pauco sale coctum, & ad solem siccatum. uel aliter, bis in die antequam bibat, nam tale granum adeo nutrit & reficit, quod equus ex eo facile impinguatur.

De morbo aragaici & cura eius, Cap. XXIII.

HAec infirmitas aragaicus uulgariter dicitur, fit in equi uentre adducēs ei torsiones, & intestinis rugitum faciens, equū emittere indigesta cogens stercora, & liquida, uelut aquā, quando uix potest equus aliquid comedere quin emittat antequā digeratur in uentre eius, quę quando que accidit ex comestione hordei uel alterius similis rei comestæ neq; digestę, aliquando ex potatione aquę frigidę, post comestionem hordei facta sine aliquo interuallo, & aliquādo propter festinum cursum seu galoppū factum statim post aquam pro uelle ab equo potatam, quæ agitatur in uisceribus propter cursum, fit etiam aliquando ex nimia inflatione corporis equi, dolorem habentis, ex quibus causis equus debilitatur in tantum, quod uix potest à cruribus sustineri. Cura. Cum uidetur equus bis uel ter stercus longe emittere, uelut aquam & hordeum indigestum, statim auferatur ei frenum & sella & liber per pascua dimittatur ab ire, donec fuerit constipatus, nec ante moueri debet, quia motus uētrem agitat, & facit ut cibum emittat antequam digestus existat. Item quantū potest cauetur à potu, nam in hac ægritudine aqua ei nocet, propter liquiditatē ipsius. Quandoq; etiam ex dicta ægritudine infundetur equus, & tunc curetur ut in dicto morbo docetur.

De cimona & cura eius, Cap. XXIIII.

EST alia ægritudo quæ cimona uocatur uulgariter, quę accidit cū equus diu stetit infrigidatus in capite, in qua fluxus rheumatis fit per nares cōtinue, uelut aqua, fit etiam aliquādo ex infirmitate quę uermis uolatiuus dicitur, unde sequitur ut equus per nares fere totam capitis humiditatem emittat. Cura. Fiāt equo in capite cooperta, & semper in loco calido teneat, & pro cibo calida dentur. Prodesse solet assidue paruas pascere herbas, quia cum pro ea extirpanda diu teneatur caput depressum maxima pars ipsorum humorū per nares discurrit. Valet etiam si fumus peciarum uel bombicis per nares ad cerebrum mittatur, nam humores antiquitus coagulatos dissoluit. Sed ut plurimum hæc infirmitas incurabilis reperitur.

De frigiditate capitis & cura eius, Cap. XXV.

CApitis frigiditas dolorem equo facit in capite, & sternutationes, & tussim adducit & prouocat guttur, quę leuiter accidit cum equus in stabulo satis calido ponitur, & postea subito ad frigidum uentum producit, & plurimū quæ ex alijs frigiditatibus occasione aliqua iam recepta unde equus tussire aliquādo cogitur, & potationis atq; comestionis partem maximam perdit. Cura. Cum oculi equi uidebuntur paulum inflati, & aliquādo lachrimantes, aures frigidę, flatus narium frigidus, & ilia, plus solito comedere & bibere satis & minus, & tussire ac sternutare sępius, frigiditas capitis esse censetur, propter quam coquentur glandulæ quæ mulæ uocantur, existētes inter collum & caput sub maxillis cum ferro cuspido glandulas perforāte, & similiter

coquentur

coquentur in medio frontis ut humores frigidi calefacti extrinsecus uaporare cogant. Setones etiã ei sub gutture ponant, ut per eas humores uiã habeãt exeundi. Teneat insuper laneam coopertam in capite, ac decenter fiat inter auriculas fricatio cum butyro. Ad idem ualet oleum laurinum in pecia linea positũ, & morsu freni decenter ligatũ, equo semper cum freno bibente. Et idem operatur sauina in freno ligata, ad idem ualet fumus panni linei combusti, per nares receptus. Item ualet frumentum bene coctum positum in sacculo calidum, quantum pati poterit, & in capite equi ligatũ, ita quod positis ore & naribus inter sacculum per nares fumum recipiat, & de grano comedat ualet, cui proderit si dictum frumentum coquatur cum pulegio & sauina. Itẽ ualet si pecia stricta ligetur ad bacculum, & sapone saracenico liniatur & quantũ cõmode potest mittatur leuiter inter nares, & post paulum extrahatur, quia ex hoc equus sternutabit, & humores frigidos & liquidos uelut aquam emittet. Item ualet butyrum cum oleo laurino mixtum, & positum inter nares. Item ab omnibus caueatur frigidis & utatur calidis & assidue bibat aquam coctam & calidam, ut in doloribus capitulo continetur, & sic poterit liberari.

De morbo qui auticax uulgariter nominatur & cura eius, Cap. XXVI.

ACcidit aliquando quod ex dicta ægritudine capitis humores descendunt ad oculos, facientes eos lachrimare, uel in eis panum uel turbulentiam, ac ruborem uel caliginem, propter quę non ualet equus, ut decet respicere uel uidere. Cura: Si oculi lachrimãtur fiat strictorium de olibano & mastiche puluerizatis, & cum oui albumine agitatis super una pecia quatuor digitis lato positis & longa, quæ posita super frontem sub temporibus possit ligari, abraso tamen prius loco, ubi strictorium poni debet, & in tantum dimittatur ei strictorium, quod oculi desierint lachrimari, & quando lauari uoluerit cum aqua calida & oleo, uel alia re unctuosa agitata simul eleuetur. Ad idem ualet si ambæ uenæ utriusq; temporum intendantur cum igne. Si uero caliginati sint oculi astoleti sub ambobus oculis imponatur, quatuor tamẽ digitis dorsum & sal subtiliter pistus cum quodam cannalo in oculo sæpius infletur uel insuffletur. Si uero panus in oculo recẽs uel antiquus, accipe tartarum & sal gemma æquali mensura subtilissime trita, bis in die oculis cum cannalo insufflet. Ad idem ualet sal nitidum cum stercore lacertarum tritum, & in oculos inflatum. Sed cauendum est ne superflue ponatur in eis ne oculi destruantur. Si uero panus uetustus fuerit cum pinguedine gallinæ bis uel ter prius ungatur.

De corio & cura eius, Cap. XXVII.

DIcto de infirmitatibus quæ accidunt equo in capite, & intra corpus dicendum est de his quæ eueniunt eis iuxta tergum, fit igitur quęlibet læsio in equi tergo, rumpẽs aliquando aliquam partem corij dorsi in tergo, & quandoque fodens dorsum usq; ad ossa, quæ ex nimia oppressione sellæ uel alterius ponderis efficitur, quæ lesio cornus à pluribus nuncupatur.

Cura. Folia caulium cum axungia porci trita superponatur, & sella uel pannellũ supponatur, ut prematur medicinam super ipsum cornu continue, ad idem ualet scabiosa cum axungia porcina simul trita. Item, ad idem ualet cinis suppositus cum oleo agitatus. Item, ad idem fulligo cum sale & oleo agitata. Item, ad idem stercus humanum recens superpositum multum ualet. Et nota quod cornus citius curatur radicitus, si equus equitet supposito aliquo medicamine prædictorum, & medicinis sæpius renouatis deuulso cornu & radicitus extirpato, locus stuppa minutissime incisa & postea inuoluta in puluere de calce & melle, ut dictum est de uerme capitulo, impleatur, abluto tamen prius decenter uulnere cum aceto uel cum forti uino aliquantulum calefacto, & hoc fiat bis in die, donec fuerit solidatum. Cauendum tamen est ne aliquod pondus superponatur in tergo donec carnes uulneris corio fuerint adæquatę.

De morbo pulmonis & cura eius, Cap. XXVIII.

FIt & alia læsio in equi dorso faciens inflationes in eo, deinde generat ibidem carnes putrefactas, quæ accidit expressione incidentis sellæ uel alicuius superflui oneris frequentati. Nam talis inflatio cum ueterascit putrefactionem inducit, quandoq; putrefactione antiquata iuxta ossa efficitur quędam coagulatio carnis infectę, eijciens cõtinue putredinem, uelut aquã, & hic morbus dicitur læsio pulmonis uulgo. Cura. Hic morbus circumquaq; funditus incidatur, postea supponatur stuppa in albumine oui infusa, & usq; ad tertiam diem semel tantum in die mutetur, deinde fiat, ut de cornu dictum est supra. Salubrius uero curatur cum puluere resalgaris, ut in infirmitate uermis dixi, nam sine incisione aliqua medicatur equo dolorem minimo patiente.

De morbo spallatici & cura eius. Cap. XXIX.

FIt & alia læsio in tergo, tumefactionem inducẽs in summitate spallarum equi, faciens quandam callositatem carnium circa spallas equi, superficiem superantem tumefactione supra dicta, eidem antiquitus imminente quę accidunt similiter ex nimia oppressione, ut dixi, & hęc spallatiæ dicuntur nomen ex opere sumentes. Cura. Curatur per omnia, ut dictum est in præcedenti capitulo de pulmone. Si uero spallatiæ durę fuerint, mollificent cum maluauisco, & canalibus tritis cum axungia porcina ueteri, additis etiam absinthio, paritaria, & branca ursina, & simul bene tritis. Et postmodum decoctis in olla & suppositis, hoc autem mollificatiuum, fiat antequam spallatiæ incidantur, uel resalgarũ super aspergatur, ut dixi.

De diuersis ægritudinibus quæ tergo accidunt, Cap. XXX.

FIunt & alię multæ læsiones in dorso equi, propter oppressionem prędictam, ineptę sellę, uel ponderis uel oneris in humeris. Et quandoq; fiunt ex superfluo sanguine, uel humore uelut uesicę paruulæ plenæ sanguine putrido, quę rumpunt corium, & carnem equi in dorso, deinde efficiuntur

uulnera paruula siue magna quæ omnes dicuntur uulgariter læsiones. Sed est sciendum, quod læsiones prædictę quãto propinquiores sunt ossibus dorsi, tanto deteriores existunt, periculum aliquando inferẽtes. Cura. Omnes ferè lęsiones quæ tergo accidunt, habent principium à tumore, unde cum principijs sit obstandum, statim cum uidetur tumor fieri in aliqua parte dorsi cum rasorio illa tumefactio abradatur, deinde fiat emplastrum cum farina tritici comminuta decenter, & cum oui albumine agitetur, & ea super linea pecia posita, super tumefactionem ponatur, nec remoueatur inde uiolenter emplastrum, sed cum leuiter uidebitur tolli posse tollatur, & si putredo erit ibi congregata, coriũ cum ferro cuspideo aliquantulum calido in parte inferiori tumefactionis perforetur, ut inde egrediatur putredo, post hoc uero sæpe ungatur in die cũ aliquo liquido unctuoso, fiunt etiam quandoquidem rupturæ uel excoriationes in dorso equi ex oppressione oneris, ut prędixi, uel occasione alicuius baroli uel carbunculi ex superfluitate sanguinis generati, quæ ilico debent radi, & superaspergi assidue puluis calcis uiuæ cum melle combusto, ut in tertio capitulo edocetur, ablutis prius uulneribus cum uino calido uel aceto. Et caueri debet à sella, uel alio simili semper donec liberatus existit. Sciendum est tamen quod ubicunq; fiunt tumefactiones in dorso uel in tergo equi, subuenire debet cum emplastro farinæ tritici agitatæ cum oui albumine, ut supra dixi. Et in omnibus planis lęsionibus solidandis, supponuntur ij pulueres scilicet myrtum siccum puluerizatũ, uel gola leuis puluerizata uel pecia lini combusta, uel corium aptatum combustum, uel putredo ligni putrefacti, quæ carolus uocatur, & super omnibus alijs supradictis dictis puluis de calce & melle mirabiliter operatur, ante tamẽ appositionem puluerem prædictorum læsiones semper ablui debent decenter cum uino calido uel aceto. Et ut pili post consolidationem carnium renascantur, testa auellanæ uel testudinis cõbusta teratur, & cum oleo agitato sępe ungatur, ad idem ualet charta bombycina, uel bombyx combustus, & cum oleo agitatus. Item nota, quod sal in aqua sufficienter infusum, uel in aceto, quod est melius, multum ualet contra omnem tumefactionem incipientem in dorso.

De morbis qui accidunt in cruribus equi & alijs quibusdam, & de morbo maleferruti & cura eius, Cap. XXXIII.

COmpleto tractatu lęsionũ tergi, sequitur de his qui accidunt in cruribus & pedibus & quibusdam alijs membris. Et primo de morbo maleferruti, qui ueniens in lumbis equi, dolores in eis uel in renibus equi infert attrahens neruos lumborũ & renum incessanter, qui subito accidit ex superfluitate malorum humorum, & aliquãdo ex frigiditatę diu assumpta, & sæpe accidit propter superfluum & immoderatum põdus in equi tergo improuide positum, unde equus uix potest se ex parte posteriori erigere, uel crura decenter leuare, & hic morbus uulgariter dicitur maleferrutus. Cura. In hac ægritudine renes uel lumbi equi patientis optime abradantur, deinde fiat ibi stricto-

rium tali modo, accipiatur pix noualis, uel liquefacta decenter in quadam pellicula, extendatur ad longitudinem & latitudinem lumborum uel renum, deinde accipiatur bolum armenum, ammoniacum, pix græca, galbanum, olibanũ, mastiche, sanguis draconis, galla, æquali pondere, & omnia ista terantur & decenter puluerizata superaspergant super picem prędictã aliquantulum calefactam, & ponatur super renibus patientis, pilis abrasis, & inde non moueat donec leuissime poterit remoueri. Ad idem aliud strictorium melius, accipiatur consolida maior, bolum armenum, galbanum, ammoniacum, pix græca, mastiche, olibanum, sanguis draconis, sanguis equinus recens uel siccatus, tantum uero domesticæ picis grææcę, & olibani, quantum de alijs omnibus, & pulueri zentur simul uel per se uel cum albumine oui, & bona quantitate farinæ tritici misceantur, & super una pecia forti de lana bene extensa ponantur, & fiat per omnia ut de precedenti lumbi dixi emplastro. Item ad idem remedium ultimum renes uel lumbi patientis decenti ferro calidissimo coquantur, crebras & multas lineas per longum & ex transuerso faciendo, ab una parte renum, usq; ad aliam procedentes, nam supradicta emplastra renes consolidãt, humores desiccant, neruos mitigant, & ignis carnes desiccat, attrahit, & coarctat.

De morbo scalamati & cura eius, Cap. XXXII.

ACcidit hæc ægritudo quæ uulgo dicitur scalamatus, quæ mouet uel separat caput anchę de loco ubi stare naturaliter debet in motu uel cursu equi, cũ pes labitur ultra uelle, uel cum uersus terram premitur indirecte. Accidit etiam quando pedes posteriores equi retinis mutilantur. Cura: Ponatur astalata conueniens per unũ semissem sub lęso capite anchę, ut humores ad locum concursi per astalatum uiam habeant exeundi, & locus circũ circa manibus sępe prematur, ut egrediatur putredo, & paruo passu moueatur equus, ut humores facilius exeant propter motum, deinde fiat strictoriũ tali modo: Accipiatur pix naualis & græca, olibanum & mastiche & aliquantulum sanguinis draconis, & tantũ de pice nauali quantũ de omnibus alijs, & puluerizentur, & cum pice nauali simul omnia liquefiant, & tantum calida quãtum pati poterit ponatur in capite anchæ læsę extensa, & super ea ponatur stuppa minute incisa, ad idem ualet si ponantur in loco læso setones, qui assidue humores ibi uenientes expellãt. Ad idem quod ultimum est remedium, locus lęsus anchę tam per longum quàm ex transuerso decentibus lineis decoquatur, ut restringatur humores.

De læsione spallati & cura eius, Cap. XXXIII.

ACcidit in spalla læsio, ut in ancha, ex eisdẽ causis, & etiã ex ictu calciũ alicuius equi, qui curat eodẽ modo, ut in ancha, ut in eius lęsiõe prędictũ est.

De grauedine pectorali & cura eius, Cap. XXXIIII.

ACcidit item quandoq; quod pectus equi ex superfluo sanguine uel labore uel onere aggrauat, in tantum quod equus uidetur in motu anterius aliquan-

aliquantulum impediri. Cura. Cōsuetę uenę sufficienter ab utraq; parte pectoris minuantur, deinde setones ponantur sub pectore, quibus agitentur in die, ut in capitulo uermium dixi, & usq; ad quindecim dies.

De morbo zarde & cura eius, Cap. XXXV.

LIcet supra dixerim morbum zarde naturaliter equo euenire, tamen etiā accidentaliter ei contingit, cum immoderate oppressus est & crebris equitatibus festinatus, propter debilitatē & teneritatem ipsorum, citius tamen accidit in cruribus equi superflue impinguati, cum oportet equitādo subito fatigari, quoniam dissoluuntur ex dictis causis humores superflui, & ad crura descendunt, unde fiunt zarde in garecto, ut supra dixi. Cura. Cum equus uidetur in garectis tumefieri admodū nucis uel amplius exterius uel interius, statim subueniatur cum decenti decoctione per longum & obliquū in tumido loco. Alia cura. Zardis decoctis stercus bouinum calidum cum oleo superponatur, semel tantum non amplius, deinde retinis & prædictis tam anterius quàm posterius taliter alligetur, quod equus cocturas ore nullo modo carpere possit, nec ad alium pedem fricare, nec in aliquo loco duro pedē fricare, ne possint excoriari cocturæ, nam per assiduas cocturas plurimum equus auide fricat, uel locum mordet decoctum, & à die decoctionis usq; ad dies II. erit hoc diligenter seruandum. Excoriato uel separato corio cocturarum, quod in 9. uel in 10. diebus cōtingit, equus in aqua frigida uelocissima teneať, à summo mane usq; ad mediam tertiam, ita quod aqua superet & tanget cocturas pręfatas, eo uero ab aqua remoto, super lineis cocturarum puluis terræ subtilissimus uel cinis aspergatur, idem etiam in sero fiat, ut teneať in aqua ab hora uespertina usq; ad solis occasum, & puluis superaspergatur, ut dixi, & cōtinuetur hoc omni die & mane & sero, donec ignis fuerit solidatus decenter. Nam aqua uelox & frigida humores desiccat & ulcera, ignis consolidat & constringit. Et nota, quod in omni coctura debet equus diligentissime custodiri, ne cocturam possit mordere, uel in aliquo loco fricare, quia ex nimio pruritu locum dentibus usque ad neruos & ossa morderet.

De morbo spaneni & cura eius, Cap. XXXVI.

HIc morbus fit circa garectum intrinsecus ex latere garecti paulo inferius inflationem adducens, circa uenam magnam qua dicitur fontanella, trahens humorem per uenam assidue prædictam, unde equus fatigatus cogitur dolere, & hæc læsio contigit equo per omnia, uelut zarda, quę uocatur spanenus. Cura. De prædicta uena trahatur sanguinis tantum, ut per se sanguinem non emittat, deinde tumefactio spaneni per longū & obliquum decentibus lineis decoquatur, fiat per omnia, ut in dicto Zardæ capitulo.

De morbo tubæ & cura eius, Cap. XXXVI.

FIt ægritudo hæc subtus caput garecti in magno posteriori neruo, aliquam putrefactionem faciens per longitudinem ipsius nerui indignans,

continue ipsum & lædens, & quia idem neruus quasi totum corpus equi susti-
net, cogitur necessario claudicare. Accidit autem hæc ęgritudo cum equus ę-
tate minor equitetur indebite, sępiusq; cōtingit ex onere superfluo imposito ei,
tunc enim propter teneritatem ętatis incuruatur neruus, ex quo nominatur tur
ba, ex opere nomen assumens. Cura. Cum dictus neruus qui incipit à capite ga
recti & inferius tēdit iuxta pedes in posteriori parte cruris uidetur aliquid in-
curuari, uel plus solito ingrossari, statim ingrossatio illa tam per longum quam
per obliquum decenter coquatur, deinde fiat per omnia, ut supra de cocturis
expressi. Et est notandum, quod ubicunq; fiunt cocturæ in cruribus equi, fieri de
bent per longum & obliquum, sicut pilus equi descendit inferius, quia melius
cooperiuntur à pilis, & minus apparent quam si fierent ex transuerso, & minus
læderent equum, si neruus aliquis crurium tāgeretur ab igne.

De spinellis & cura eius, Cap. XXXVIII.

HIc morbus qui spinella uocatur, fit subtus garectum in iunctura ossis
eiusdem garecti in utroq; latere, & quando in uno tantum, creans os
ad magnitudinem auellanæ, uel magis reprimens iuncturam in tan-
tum, quod equus multotiens cogitur claudicare, & accidit equo his
causis, quæ supra sępe dictæ sunt. Cura. Dictæ spinellæ sunt decenter coquen-
dę atq; curandę diligenter, ut prædictę cocturæ in omnibus curantur.

De morbo suppressi & cura eius, Cap. XXIX.

FIunt in eius cruribus multa & diuersa suppressa, uel cum mordet uel cal-
ce percutit, uel ipso de crure percutit rem aliquā duram quę non in tan-
tum nociua quantum indeformia sunt in equo. Quæ etiam in alijs parti-
bus corporis, nō solū in cruribus sæpe fiunt. Cura. Cum omnia suppres-
sa incipiāt fieri ex quadam callositate carniū, ex percussione aliqua adueniente,
statim cum fiere uidebit callositas abradat, & accipiat absinthiū parietaria, &
branca ursina, scilicet folia tenera, & terantur simul cum axungia porcina uete
ri, & coquantur, & cocta tantum calida quantum pati poterit super callositatē
ponantur, & bene ligentur. Et nota, quod mollificatiuum multū ualet ad omnes
inflationes crurium ex percussione aliqua uenientes. Item ad eandem callosita-
tem omnino dissipandā ualet radix maluauisci & radix lilij & thapsi barbati trita
axungia, & decocta, cum pecia superposita admodū emplastri, & pluries remo
ueatur. Item ualet cepe assatū cum lumbricis terrestribus tritū, & cum oleo cō
muni agitatū, & coctū & calidū superpositū & renouatum in die. Si uero callosi
tas illa fuerit antiquata & dura effecta, ea prius abrasa, scarificet minute ad san-
guinē, deinde sal tartarū æquali pondere subtiliter tritū, super callositatē ponan
tur, & ligentur stricte, nec usq; ad diem tertiū dissoluantur, & tunc dissoluta lo-
cus ungatur butyro uel aliquo unctuoso. Item ad idem omniū usq; duritiē de-
coctum & mundatū calidum super callositatem abrasam ponatur, admodum
placentulę, & ligetur usq; ad diem tertium, non mouetur si uidetur expediens.
Item

Item ualet stercus caprinum cataplasmatum cum farina hordei, & creata in aceto fortissimo agitatum, & postea superpositũ ad modum emplastri. Si uero callositas illa dura non decrescat, sed suppressum redigatur antiquum, decentibus cocturis, quod est ultimum remedium, sucurratur.

De attractione & cura eius, Cap. XL.

FIt & alia ægritudo in parte cruri anteriori tumefaciens & indignans neruum, & faciens claudicare, quę facile accidit equo in cursu, in motu, cum pes posterior percutit neruum anterioris cruris, quæ passio attractio uocatur uulgo. Cura. Cum neruus prędictus tumescit, statim de uena consueta quę est parum super genua in parte anteriori minuatur, deinde fiat hoc mollificatiuum ualens contra indignationem & tumorem neruorum, accipiatur fœnumgræcum & semen lini, scylla, cẽtaurea & radices maluauisci, ęquali mensura, & cum axungia ueteri porcina decenter terantur, & simul incorporentur, postea bullient & semper agitentur cum spatula, & sufficienter cocta ponantur calida super longitudinem nerui læsi, & cum fascia lata ligẽtur, & bis remouentur in die. Ad idem etiam ualet satis cepe assatũ cum terrestribus lumbricis & limacijs & butyro liquefacto simul agitatis, & usq; ad spissitudinẽ decoquentur, & semper agitentur cum spatula, & fiat sicut unguẽtum, & de ipso abrasis pilis ter in die neruus læsus per lõgum ungatur. Si uero cruris attractio sit uetusta phlebotometur de consueta uena, quæ posita est inter iuncturam & pedem ex latere interiori, & fiant postea medicinę quas supra narraui. Si dicta medicamina per aliquos dies parum uel nihil proficiant, tunc neruo læso & circumquaq; abraso fiat strictorium de puluere rubeo uel albumine oui & farina, ut docui in cap. Maleferruti. Crus ubi læsio est cum canabo uel lino & prædicto strictorio inuoluendo, nec inde remoueatur usq; ad nouem dies, & postea cum aliqua calida strictorium à crure caute leuetur, & neruus ungatur cũ aliquo unctuoso, & si prædicta omnia nõ profuerint cocturis decẽtibus succurrat.

De morbo scortilati & cura eius, Cap. XLI.

ACcidit quandoq; quod iunctura cruris iuxta pedes lęditur ex percussione, quam facit in aliquo loco duro, uel ex præcipitatione eius in cursu uel motu, aut quia quandoq; pes indirecte premitur uersus terram, quę passio uulgariter dicitur scortilatus. Cura. Fiant pultes de furfure tritici & aceto forti ad spissitudinem bulli, aut agitata decenter & calida quantum pati poterit ponantur super locum lęsum, & cum pecia congrua bene ligentur, in quolibet die sæpius remoueatur. Si uero iunctura tumefacta patitur indignationem neruorum, fiat emplastrum fœnugræci, seminis lini & scyllę & aliorum, ut in præcedenti capitulo dixi. Sed si occasione scortilati prædicti os à suo loco mouetur, pes equi sectus claudicantis eleuetur in altum, & cum equi cauda ligetur, deinde ducatur ad manum uersus loca montuosa, quia ex necessaria

cessaria oppressione iuncturæ uersus terram os disiunctum aliquod ab alio uel aliquo modo motum instanter ad suum locum reuertitur, sicut debet, sed tamen prius fieri debet mollificatiuum, quod prædixi. Accidit quandoq; quod unum os ab alio sic disiungitur, quod uix aut nunquam commode ad suum locum potest reduci, ex quo iūctura tumefieri cogitur inflatione durissima cui cocturę beneficio succurri oportet. Nota quod omnium curarum notarum superius, coctura ignis ultimum est remedium.

De lęsione spinæ uel ligni & cura eius, Cap. XLII.

CONtingit aliquando quod spina uel lignum intrant in iūcturas pedum uel genua uel in aliam partem cruris, & inter carnes remanet, propter quod uulnus uel totum crus tumescit, & maxime si neruum tāgat, unde cogitur claudicare. Cura: Abradantur undiq; circa ipsum pili, & super linis trita capita lacertarum, aliquantulum trita ponātur super uulnus, & cū pecia fascietur. Ad idem ualent radices arundinis, & radices dictamni tritæ & superpositæ. Idem faciunt limaciæ cum butyro tritę & coctæ & postea super positę, quæ sæpe renouatę lignum uel spinam infixa carni mirabile exteriora deducunt. Et nota, quod ad omnem inflationem mollem & recenter factam, quę fit præter naturā ex percussione aliqua in genubus, uel iuncturis, uel in aliqua parte crurium, satis ualet decoctio mixturæ supra scripta, uidelicet accipiatur paritariæ, absinthij, brancæ ursinæ de folijs quod deterrimum est, & cum axungia porcina ueteri tamdiu tereantur, donec optime misceantur, & postea in aliquo uase bulliant, continue agitata & cocta & calida quantum pati poterit super loco læso ponantur, & cum pecia fascientur, & sæpius remoueantur.

De gallis & cura ipsorum, Cap. XLIII.

FIunt gallę naturaliter iuxta iuncturas & sępe accidentaliter ex fumositate fimi stabuli, cruribus madefactis, ex quo humores facile dissoluuntur, fiunt etiam quādoq; in equo iuuene ex superfluo equitatu. Cura: Sunt aliqui qui curare uolentes gallas, & cum lanceta scindunt corium, & deinde gallas trahunt, uel resalgarium intus ponunt, quod malum est, quia talis locus nimis neruosus existit, & ideo in tantū dolor augetur, quod superflui humores ad locum cōcurrunt, ideoq; melius est, ut equus gallosus usq; ad genua mane & sero in aqua frigidissima & uelocissima teneatur, totiens quod gallæ minuantur propter coarctationem aquę frigidæ, deinde circa iuncturam gallarum, fiant tam per longum quā per obliquum cocturæ decentes, & postea curētur, ut pluries est expressum.

De garpis & cura eorum, Cap. XLIIII.

FIunt garpæ in iuncturis crurium circa pedes, & in parte posteriori rumpentes sibi corium, & carnes ex trāsuerso incidentes, & quādoq; per longam sæpe proijcientes, per scissuras putredinem uelut aquam, ardere equū assidue affligentes, quę accidunt ex superfluitate malorū humorū ad crura

descen-

descendentium. Cura. Pili iuncturæ sunt depilandi prius hoc modo: Accipiantur calcis uiuę tres partes, & auripigmenti quarta, quæ trita decēter cum aqua calidissima agitentur, & tamdiu coquentur, quod penna immissa subito depiletur. Et læsa iunctura garparum ex ea tantum calida quantum pati poterit inungatur, & spacio unius horæ dimittatur ibidem. Postea uero cum aqua calida locus garparum lauetur, ut pili cadant in totum, quibus euulsis lauentur garpę cum decoctione maluarum & fursurum & ipsorum substantia cum panno ligentur circum circa iuncturas, & ibi dimittantur, à sero usq; ad mane, & ecōuerso. Postea uero fiat unguentum de seuo arietis, cera & resina æquali mensura, & inuicem decenter bulliant, & assidue agitentur, & de tali unguento aliquantulū bis in die garpæ ungantur cum penna gallinæ, & hoc unguento utatur donec scissuræ & rupturæ garparum fuerint solidatæ, semperq; caueatur ab omni sorde & aqua. Cum autē fuerint solidatæ ablaquetur & incidetur uena magna sursum in coxa interius, ut in spanenæ cap. dixi. Sanguine autē, ut decet, detracto, garpæ coquentur, & cocturę curentur, ut dictum est supra. Sciendum est tamē quod garparum infirmitas raro perfecte curatur.

De crepatijs & cura eorum, Cap. XLV.

Fiunt similiter ægritudines inter iūcturam cruris & ungulam, coriū rumpentes & carnem, ad similitudinem scabiei, aliquando putredinem emittentes, & ex ardore multotiens equum dolere facientes, quæ solent euenire pluries ex sumositate stabuli, cruribus madefactis. Cura. Curentur ut dictum est in capitulo præcedenti excepto quod uena magna non laqueať, nec crepatione eis coctis aliquibus sunt coquendi, in præcedenti tamen capite additur quod euulsis prius pilis, modo pręscripto hoc unguento utatur: Accipiatur de fuligine de uiridi ramo, de auripigmento, & tantum de melle liquido, ut de omnibus supradictis, quę trita & simul agitata usq; ad spissitudinem decoquantur, & misceatur cum eis aliquantulum calcis uiuæ, semperq; misceanť cū spatula, donec fiat unguentum de quo aliquantulum calido bis in die ungantur crepatię, ipsis prius ablutis cum uino albo, & aliquātulum calefacto, cauendo semper eas à sordibus, ut prædixi. Hoc enim unguentum crepatias mirabiliter consolidat & constringit. Ad idem ualet satis fricatio fortis & frequēs crepatiarum, cum puerili urina. Item ualet si equus patiens diu teneatur in aqua marina, fit etiam quædam alia crepatia longa & magna ex transuerso in bulesis inter carnē uiuā & ungulam, quę deterior est alijs, & magis equos affligit, quæ non curatur unguētis nec alijs medicaminibus, nisi cocturis, & ideo ipsa crepatia in extremitatibus suis cum ferro in capite rotundo funditus est coquenda, nam beneficio ignis ipsa crepatia non potest augeri, scilicet minui.

De fistula & cura eius. Cap. XLVII.

Cancer fit iuxta iuncturas crurium circa pedes, & quandoq; in alijs partibus cruriū uel corporis ueniēs ex aliquo uulnere ibi facto, & postmodum

dum per negligentiam cum equus habens uulnus in iunctura prędicta equitat per turpitudines aut aquas. Cura. In quacunq; parte sit corporis, hoc modo curatur: Accipiat succus asphodelorum in bona quātitate, & agitetur diu, cum duabus partibus calcis uiuæ, & tertia auripigmenti subtiliter triti, deinde ponatur in quodam uase fictili oppilato, postmodum ne fumus uel uapor inde possit exire, & tantum dimittatur bullire ac coqui, quod in puluerem redigatur, & de tali puluere ponatur in uulnere. Mortificato cancro curetur uulnus cum albumine oui, & alijs, ut superius continetur, abluto semper prius cancro cum aceto. Signum autem mortificationis cancri est, cum uulnus circūquaq; tumescit. Ad idem ualet stercus humanum puluerizatū & mixtum cum trataro combustum æquali mensura. Item ualet ad idem tartarum combustum cum sale minute mixtum, & superpositum. Item aliud medicamen melius mortificās cancrū, allium bene tritum cum pipere & pirethro, & aliquantulum axungiæ porcinæ tritis adinuicem mittatur in uulnus cancri, & stricte liget, & bis in die mutet donec cancer mortificetur, deinde curet uulnus, ut dixi. Et nota, quod prædictæ medicinę sunt bonę in locis neruosis, & in arterijs undiq; intricatis & uenis, nā in talibus locis non est utendum cocturis, sed in carnosis eis uti nullatenus est uitandum, imò cum cocturis facilius curatur in ipsis.

De fistula & cura eius. Cap. XLVII.

SI uulnus prædictum cancri, & ipse cancer antiquetur & non curet, conuertitur in fistulam, quæ est deterior & difficilior ad curandum, sed solent curari aliquando cum asphodelorum puluere, immiscendo eidem tantum de puluere auripigmenti, quantum de calce uiua, ut uiolentior fiat. Itē aliud ad sanandum uiolentius fistulam, accipiatur calx uiua & tantundem auripigmenti, quæ puluerizata decenter agitentur cum succis allij, cepæ & ebuli, æquali mensura & sufficienter bulliant in melle liquido, & aceto, & agitentur continue donec fiat unguentū, de quo mittat in fistulam, bis in die uulnere cum aceto fortissimo prius abluto. Itē aliud uiolentius omnibus alijs prędictis resalgarū puluerizatū, ad idem accipiat auripigmentū uiride ramū, calx uiua, ęquali pondere & de atramento & pirethro cū aceto & melle aliquātulū decoquantur, & semper agitentur, & de illo magdaleones bis in die mittat in fistulam donec mortificata erit, abluto semper uulnere cum aceto fortissimo. Est autem signū mortificationis eius quando tumescit & rubet, mortificata uero fistula curetur, ut in alijs uulneribus continetur. Si uero in locis carnosis creat fistula, fiat per omnia ut in cura cancris continetur.

De morbo malpitio & cura eius, Cap. XLVIII.

EST & alia ægritudo quæ uulgariter dicit malpitio, quę fit proprie in bulletis ungularū equi, ut carnes uiuæ iungunt ungulis, quæ uelut infusio impedit gressus equi, & quandoq; in uno pedum, & quandoq; transit ad omnes, si non curet instanter, & quandoq; facit ulcera euenire in lingua equi,

equi, accidit autem de leui ex malis humoribus ad ipsum locum decursis, & sę pius ex stabuli fumositate, pedibus ab aqua & sordibus non siccatis. Cura: Primo equi patientis ungulæ usq; ad subtilitatem præparentur. Deinde diligenter senecta ferrea bullesia pedis usq; quasi ad unum ungulæ adnihiletur, ut bullesia possit undiq; uaporare: deinde ab utraq; parte bullesiæ sic phlebotometur, ut inde euacuentur humores ad locum concursi: uel cum ferreo cuspideo ab utraq; parte funditus decoquatur, & semper caueatur à sordibus ab aqua, & non debet fatigari. Postea uero fiant pultes de fursure & aceto, quæ in simul bulliant, & continue agitentur, quæ tantum calida quãtum pati poterit super quadam pecia bene ampla extendatur, & circa pedem læsum ponatur, & bis in die mutetur. Et ab herbarum comestione caueatur omnino, & etiam de alijs rebus parum comedat, donec fuerit liberatus. Nam herbæ cęteraq; cibaria multa humores augmentant.

De furma, id est, furmelli & cura eius, Cap. XLIX.

FIt autem quædam infirmitas quæ furma uulgariter dicitur, inter iuncturam pedis & pedem, super coronã prope in pastura, quæ accidit ex percussione mala, in aliquo duro loco, & etiam occasione mala & indecenter impedita solent sæpius euenire, quæ nisi cum adhuc sit recens curetur, efficitur super os durissimum cum ueterascit, extendens se aliqualiter super coronam, cui uniuersaliter subueniendum est, siue sit recens, siue fuerit antiquatum, ut prædictum est in cura suppressi. Et nota, quod hęc infirmitas plurimũ impedit gressus equi, quia locus ubi furma oritur neruosus & plenus uenis & arterijs undiq; intricatus.

De ęgritudinibus pedum & ungularum, Cap. L.



COmpleto tractatu de læsionibus membrorum equi & crurium, restat uidere & dicere de infirmitatibus ungulorũ pedũ, & primo de fica quę fit in equi ungula siue pedis ungula, usq; ad tuellum intrinsecum per medium scindens. Et quandoq; incipit in corona pedis, & incedit per longum inferius usq; ad extremitatem ungulæ uel pedis, emittens aliquando uiuum sanguinem per scissuram, Accidit aũt cum equus est ex læsione tuelli intus ungulã existentis. Cum hæc infirmitas initium & caput habeat à tuello, & quandoque accidit cum equus est iuuenis propter ungulę teneritatem. Nam percutiendo uel acriter premendo in aliquo loco duro lęditur tuellus tenerrimus, ut prædixi, propter quæ claudicat equus, cum sæpius ęquitat. Cura; Inquirant radices

ficę uersus tuellum iuxta coronam pedis inter uiuum & mortuum unguli cum rosuecta, & desuper incidatur donec ungula incipiat sanguinare, deinde accipiatur serpēs & ad minutum incisus, abiectis cauda & capite in quodam uase, oleo communi pleno decoquatur in tantum, quod carnes serpentis in oleo liqueant, & ab ossibus separantur, & de his fiat unguentum, ex quo aliquantulum calefacto radices ficę bis in die ungantur, donec mortificetur fica, & ungula in statū pristinum iterum ducatur. Semperq; cauendū est ne pes patiens à sordibus uel aqua tangatur, & quod equus herbas ullo modo comedat.

De morbo superpositę & cura eius, Cap. LI.

FIt hæc lęsio quæ superposita dicitur inter carnem & ungulam, faciēs rupturam carnis ibidem, sed si antiquatur sæpe cancer efficitur, & accidit cum casu equi pes ponitur super alium pedem. Cura. Statim cum uulnus fit occasione prædicta, incidatur rosuecta tantū de ungula circa uulnus, quod ungula carnem uiuam non premat, nec tangat eandem, nam si premeret consolidatio impediretur omnino. Abscisa autem ungula circūquaq; ablutoq; uulnere cum uino calido uel aceto curetur, & consolidetur uulnus, ut in pręcedenti capitulo cōtinetur. Semperq; caueatur uulnus à sordibus & aqua, donec fuerit solidatum. Si uero per negligentiam redigatur in cancrum, curatur ut in capitulo cancri continetur, si autem conuertatur in fistulam, curatur ut in capitulo fistulæ continetur.

De infusione descendente ad ungulas, Cap. LII.

ACcidit aliquando quod equi infusio non curata, descendit ad pedes sub ungulis, cui si recens est, succurratur hoc modo: Extremitates ungulæ in parte anteriori rosuecta parua cauentur funditus, donec uena magna quę illuc tendit rosuecta rumpatur, & sanguis fluat usq; fere ad debilitatē equi. Et si expediret in alijs pedibus claudicantibus idem fiat, post extractionē fere sanguinis impleatur uulnus sale minuto, & super ipsum ponatur stuppa in aceto perfusa, deinde ligetur fascia, nec dissoluatur usq; ad diem secundum, deinde curetur uulnus cum puluere gallæ uel myrti uel lentisci, bis in die abluto semper uulnere prius cum aceto, & à sordibus & aqua caueatur, donec fuerit liberatus.

De dissolutiua ungularum & cura eius, Cap. LIII.

SI uero humores decursi ad pedes unctione infusionis iam dictę inter ungulas ex incongrua cura fuerint antiquati, oportet pedes claudicantes penitus desolari, ut humores & sanguis ibidem inclusi euacuentur in totum, incidatur ergo subtus ungula circa extremitatem ungulæ rosuecta, deinde uiolenter extremitates ungulæ extirpentur extrinsecus, & stuppa in albumine oui sufficienter infusa ponatur in uulnus, & pes totus optime fascietur, & sic dimittatur usque ad diem sequentem. Postea uero aceto fortissimo aliquantulum calido abluatur uulnus, & de sale minuto & tartaro impleatur & supponatur

natur & superaspergatur de puluere gallæ, myrti aut lentisci, qui carnes conso lidant & humores constringuntur, abluto semper prius cum aceto uulnere. Et talis curatio fiat usq; ad carnium consolidationem, & ungulę renationem, & semper caueatur pes læsus à sordibus & ab aqua. Ad idem aliud unguentum utendum post appositionem salis & tartari, consolidationem carnium prohibens fluxum humoris. Accipiatur puluis olibani, mastichis & picis græcę, & aliquantulum sanguinis draconis misceantur, cum cera noua liquefacta, & tantundem de sæuo arietis, & bulliant simul, ut fiat unguentum. Calido utatur in cura prædicta. Et nota quod multæ sunt infirmitates in quibus oportet ungulas desolari, in quibus omnibus est prędicta cura utendum. Item ad humectandum singulas ungulas ut leuius præparentur, accipiantur malua, parietaria, sursur & fenum, & omnia in simul bulliant, & agitentur continue, ac de ipsa coctione sufficienter calida ungulę cum pecia inuoluantur.

De mutatione ungularum & cura eius, Cap. LIIII.

SAepe accidit quod desidia marischalci humores concursi ad pedes & diu inclusi tantum inter ungulam antiquantur, à tuello intrinseco separat, exeundi uiam quærentes. Accidit etiam aliquando quod ungula penitus & subito separatur à tuello, & cadit propter furorem multorum humorũ ad ungulam discursorum, & quandoq; paulatim ungula se diuidit à tuello, & nascit̃ sequens noua ungula separantem quod accidit propter paucitatem humorum, cui sic subueniat̃. Cura. Statim cum rosuecta circum circa uetus ungula inciditur aliquantulum, ubi iungitur cum nouella, ita quod uetus ungula dura nouam non premat, nec in aliquo lædat, deinde accipiantur duę partes seui arietis & tertia ceræ, bulliant simul agitando, & addendo aliquantulum olei, donec fiat unguentum, de quo aliquantulũ calido bis in die noua ungula ungatur. Et nota quod hoc unguentũ ualet ad renouationem & augmentationem omnium ungularũ, sed caueatur semper à sordibus & ab aqua. Vngula uero quæ subito diuiditur à tuello & cadit, incurabilis creditur, sed talis cura probetur. Accipiatur pix græca, olibanum, mastiche, bolum, sanguis draconis, & galbanum æquali mensura, puluerizata subtiliter cum duabus partibus seui arietis, & tertia cerę agitando coquant̃, deinde pannus lineus infundatur in eis, & de tali panno fiat capellũ seu subcellare ad modũ tuelli, in quo tuellus ponatur, & bis in die extracto capello tuellus abluatur cum aceto fortissimo tepefacto, & iterum in capellum mittatur, & est ualde cauendũ, ne tuellus ab aliquo duro tangatur, & quandoq; equus propter ungulæ amissionem recte stare non potest, & tũc fiat eidem stratum de longis paleis super quo pro uelle quiescat, & quia graue & tædiosum esset equo semper iacere, accipiat̃ fortis pecia panni, uel fortificet̃ cũ cingulis, & in capitibus optime liget̃ cum funibus, à medietate corporis usq; ad pectus sub eo ponat̃, & funus ligent̃ ad trabes, taliter quod equus pedibus terram tangat, & sustineat̃ ab eis, & in tantũ eleuetur. Et nota

quod hoc artificio potest equus iuuari, quando propter aliquod impedimētum recte stare non potest.

De diuersis inclauaturis & cura eorum, Cap. LV.

FIt quædam species inclauaturæ lędens funditus tuellum intrinsecum, fit & alia, quę transit inter tuellum & ungulam, intrinsecus tuellum minus lædens. Fit etiam tertiū, non lędens tuellum in aliquo, sed uiuam ungulā attingit & lædit. Prima species satis periculosa est pedi, quia tuellū lædit, quę est quædam teneritas ossis ad modū ungulæ factę, ungulam nutriens & radicem ungulę in se tenens. Cura. Si tuellus fuerit funditus nimis læsus, subuenitur ei salubriter, cum ungulæ dissolutione. Si uero fuerit parum lędens, discooperiatur cū ferreo instrumento, sola ungula circa uulnus & in tantum circumcirca læsionem de ungula funditus incidatur, quod læsio attingat & discooperiatur decenter. Quod discooperta subtilietur ungula sola circa lęsionem, in tantum quod spacium conueniens sit inter lęsionem & ungulā, ita quod ipsa non premat, nec adhæret læsioni. Quo facto uulnus cum stuppa & albumine oui impleatur, deinde curet̃ uulnus cum sale minuto, & aceto forti, & puluere gallę ac myrti aut lentisci, ut dictum est in Cap. præcedenti. Si uero clauellus inter tuellum & ungulam transierit minus periculosus existit, quia tuellus non lęditur nisi ex latere. Sic autem curatur in clauatura prius usq; ad uiuum funditus detegatur, incidendo per longum ungulam, & ampliando circa uulnus decenter, & circuncidatur ungula læsioni propinqua, ut uulneri nō cohæreat ullo modo. In clauatura autem discooperta uulnus abluatur, cum forti aceto & impleatur de sale minuto, & cooperiatur cum stuppa in aceto posito, & cum pecia fascietur & curetur læsio bis in die, ut supra narraui. Si uero fit tertia species quæ non lædit tuellum, sed uiuum ungulam tangit & lædit fiat omnino idem, ut in secunda specie dixi, adiungitur tamen ei, quod discooperta prius in clauatura decenter exterius ungula incidatur, usq; ad læsionem clauellæ, ut nihil turpitudinis uel alterius rei inter læsionem modo aliquo retinetur. Et nota quod omnes aliæ inclauaturę quę non tangunt neque lædunt tuellum intrinsecum, possunt leuiter curari, attentis prius læsionibus prout debet, hoc modo seuum uel cera uel oleum uel aliud unctuosum calida cum sale uel tartaro tritis fortiter mittatur in uulnus. Item ualet uligo cum oleo agitata. Item ualet ad idem albumen oui cum aceto & oleo agitatum. Et nota, quod omnes lęsiones pedum & ungularum, quæ accidunt occasione clauelli uel ligni uel alterius rei intrantis in uiuum ungulæ, antequàm ungula uel pes tangatur inclauatura, inquiratur ut conuenit. Fiant etiam pultes de furfure seui & maluis, quæ omnia bulliant cum aceto usq; ad spissitudinem, & calida quantum pati poterit in quadam pecia posita super pedem læsum ligent̃, & sic à sero usq; ad mane uel econtrario dimittantur. Nam hæc dolorem mitigant, & poros ungulæ temperant & humectant, ut facilius ungula incidat̃, semperq; ab equitatu aqua & sordibus

caueatur. Accidit etiam aliquando inclauatura ex imperitia medicātis quę non bene attingitur, nec curatur. Vnde contingit quod putredo lęsionis inclusa inter ungulam facit sibi uiam inter carnem & ungulam, ut exterius egrediat̄ rumpens carnem super pedem, ibiq; efficitur quoddam uulnus emittens putredinem, quod uulnus curari debet, ut scilicet in capite eodem dixi. Inclauatura tamen iterum requiratur & attingatur usque ad uiuum, deinde curetur ut in alijs clauaturis dixi.

De morbo qui dicitur ficus & cura eius. Cap. LVI.

ACcidit quandoq; quod pes lęditur subtus ungulam in medio solę ex ferro uel alia re dura intrantem usq; ad tuellum, ex quo tuellus læditur, ex qua læsione cum ungula non inciditur circunquaq;, ut debet, nascit̄ super tuello quædam carnis superfluitas, quæ superat solæ superficiē ficus uulgariter nominatur. Cura. Prius de ungula quæ circa uulnus incidatur in tantum quod fiat conueniens spacium inter solam pedis & ficu, postea usq; solæ superficiem incidatur ficus, extracto sanguine, spōgia marina super ficū ligetur, ut ipsa ficus usq; ad tuellū funditus corrodatur. & spongia non moueatur donec ficus fuerit in totum corrosus, postea uero curetur læsio, ut dictum est in alijs lęsionibus pedum. In defectu tamen spōgiæ ualet puluis asphodelorum uel rei alterius corrosiuæ, prędicto resalgari excepto, quod immoderate uiolentum existit. Et est cauendum ne ibi coctura omnino fiet, nam tuellus propter teneritudinem suam posset taliter lædi quod ungula diuideretur ab ipso.

De generalibus ægritudinibus equorum, Cap. LVII.

EQuus claudicans de pede anteriori, si non premit terram nisi cum puncta pedis in ungula patitur. Equus claudicans si non plicat postucalia uel iuncturas, circa iuncturas est lęsio. Si equus claudicans anterius in reuolutione à dextris uel à sinistris fit claudicatior, in spatulis dolor existit, si equus posterius claudicans in sua reuolutione fit claudicatior, in ancha fit passio. Si equus portans dorsum depressum uersus terram facit passus in gressu minutos & crebros, pectoris læsione grauatur. Si equus anterius claudicans, cum quiescit ponit pedem claudicantem ante alium subsistens super posteriorem, non sustineat se nisi in puncto pedis posterioris & in suo motu iuncturā non plicat, in iunctura est lęsio. Si equus habens anticar, flatum narium emittat frigidum, & habeat oculos quotidie lachrimantes quasi mortuus iudicatur, equus habens infirmitatem cimorræ uel uermis uolatiui in capite emittens per nares humores contin̄e uelut aquam pinguem & frigidam uix euadit. Si equus habens infirmitatem aragaici, emittat in tantum per stercora liquefacta, quod nihil in eius uentre fimi remaneat, & per effusionem nō cessat infirmitas, in proximo morietur. Si equus habens ægritudinem uuularum subito & utiliter redigitur in sudorem, & membra eius omnia tremant, non uidetur euadere posse. Si equus habens ægritudinem frigiditatis, caput inflatum, & habet oculos

tumidos, & caput defert ualde deorsum pendens, extremitates auricularũ pendentes & frigiditas, & nares etiam frigidas, uix aut nunquam euadet. Si equus patiens morbum strangulonis cum difficultate aut sonitu narium, aut gutturis spiritum emittat, & totum guttur inflatum, difficillime liberatur.

De mulis, Cap. LVIII.



SI quem mulorum genus creare delectat, equã magni corporis solidis ossibus, & forma egregia debet eligere, in qua non uelocitatem, sed robur exquirat, eius ætas à quadriennio usq; ad decennium existat. Ex eo quo & asina uel asino & equa muli creantur, sed generosius nullum est huiusmodi animal, quã qđ ex asino & equa nascetur. Admissarius ergo asinus sit huiusmodi, corpore amplo & solido, musculoso, strictis & fortibus membris, nigri uel murini coloris aut rubei, qui tamen si discolores pilos in palpebris aut auribus gerit, uariabit sobolis plurimũ colorem, minor triennio, maior decennio, non debet admitti. Si asinus uisam equam fastidit, ostensam prius asinam donec uoluptas sollicitetur postea subducimus. Et tunc equam incitata libido non spernet & raptus illecebris sui generis in permixtione consentiet alieni. Aetas muli cognosci, ut equorum dicitur. Si nascantur & morantur in montibus ungulæ duræ fiant, si uero in plaustribus aut uliginosis nati sunt ungulas habent molles, & ideo tales cum anniculi sunt debent à matre repelli, & per minores asperos pasci, ut eorum ungulæ durescant, & ne itineris laborum in ætate tenera solidatæ contemnent. mensibus duodecim ut equi, moratur in uentre matris. Accidunt illis ægritudines aliquæ, sicut equis, quæ cognosci & curari possunt, ut satis plene dictum est in tractatu equorum.

De asinis, Cap. LIX.



ASinorum genus qui uult facere bonum, primo uidẽdum est ut mares fœminasq; bona ętate sumat, firmas omnibus partibus corporis, amplo semineo bono, ex his locis in quibus optimi existunt. Horũ genera sunt duo, unum ferum quod uocant onagros, in Phrygia & Licaonia, ubi sunt greges multi feri, alterum mansuetum, ut sunt in Italia omnes. Ad seminationem onagri idonei eligendi sunt, masculus & fœmina. E fero fit mansuetus facile, è mansueto ferus nunquam, semper

semper enim similes parentibus nascuntur. Cōmode pascuntur farre & furruri bus hordeacijs, admittuntur ante solstitium æstiuum ut in eodem tempore alternis annis pariant, 12. enim mense conceptum semen reddunt pregnantes. Opere alleuiandę sunt pregnantes ex labore, eo quod nationem deteriorem reddit: mares uero labori alleuiandi non sunt, eo quod remissione laborum deteriores fiunt, in pastu fere eadem seruanda sunt quæ in equis. Remouēdi a matre proximo anno, noctibus patiantur esse cum eis, & leuiter campestris laqueati habeantur iuncti, tertio anno domari incipiunt & instrui ad eas res quas quisque eos uult habere in usu, nam aliqui eos non eligūt nisi ad hoc ut onera portant, alij ut molas ducant, nonnulli eos ad uehendum disponunt, & pleriq; ad arandum ubi leuis est terra. Accipunt eis aliquæ ægritudines quæ cognosci & curari possunt, ut in equis curantur.

De bubulis & grege boum quales debent esse tauri & uaccæ, Cap. LX.

IN bubulo genere gradus ætatum quatuor esse dicuntur, prima uitularum, secunda iumentorum, tertia boum, quarta uetulorum. Qui gregem armentorum emere uult, obseruare debet primum, ut sint uaccæ ad fructus ferendos ætatis potius integræ quam imperfectæ, bene compositę, ut omnia membra sint grossa, inuicem sibi respondeant, altissima forma corporum, uteri capacis & longi, lata fronte, oculis nigris & grandibus, pulchris cornibus, & præcipue nigris, pilosis auribus, compressis malis, palearijs maximis, apertis naribus, ceruicibus grossis & longis, & collo latis, cruribus nigris & paruis, cauda profusa usq; ad calces, in inferiori parte frequentibus pilis subcrispis, rectis genibus, uirgulis breuibus, & paribus, corio ad tactum nō aspero neq; duro, sed grosso, potissimum nigro, inde rubeo, tertio caluo, quarto albo. Mollissimus enim hic est, primus durissimus. Cęterū medij ætatis, maxime triniæ, quia usq; ad decennium fœtus procedit, ex his utilior. Tauri cognoscuntur his signis, ut sint alti atq; uigentibus membris, ætatis mediæ, & magis qui in iuuētute minor est, quā qui declinant ad seniū, parua facie, paruis cornibus, tortosa uastaq; ceruice, uentre substricto, & qui ex his orti sunt respondent ad parentum speciem, ex quibus regionibus nati sunt, refert, meliores enim in una, deteriores inueniuntur in alia, ut experientia docet.

Qualiter uaccę ad tauros submitti debent, Cap. LXI.

HIs armētis hyeme maritima, ęstate opaca & frigida paremus montana maxime, quia melius frutecis & internascente herba saturātur, quamuis circa fluuios recte propter amœna loca pascantur: fœturæ tamen aquis tepidioribus adiuuātur, unde utilius habētur ubi pluuialis aqua tepentes format lacunas, ut ait Palladius. Stabula utilia sunt saxo uel glareis aut aranea uel lapidibus strata, deuexa aliquantulū, ut elabi possit humor. Parti meridianę aduersa, ꝑpter flatos glaciales, quib. aliquibus obsistere debet obiectis.

Cauere oportet ne aut angustius stent aut feriantur aut concurrant, & quia eas æstate tabani concitare solent & bestiolę quædam minutę sub cauda, ne concitentur, includantur septis. His substerni oportet frondes uel stramen, aliudue in cubilia, quo mollius quiescant, ęstate ad aquam bis appellãdę sunt in die, sed hyeme semel, cum parere cœperint quod fieri solet mense Aprili, iuxta stabulum pabulum seruari oportet integrum, quod regredientes degustare possint, ut sufficere possint tributo laboris & lactis, fastidiosæ enim propter partum fiunt. Et prouidendum quo recipiant se ne frigidus locus sit, algor enim & fames eas macrescere cogit, & nocte lactantes cum matribus nõ cubent, obterunt enim, ad eas mane adigi oportet, ut cum redierint à pastu. Custos diligens debet uetulis & sterilibus amotis reparare nouellas & steriles aratro & laboribus deputare. Si quæ amiserunt uitulos, eis supponere oportet eos, quibus non satis prębent matres.

Qualiter & quando uaccę submitti debent, Cap. LXII.

PRopter fœturam hoc seruare debere ait Varro, ante admissuram per unũ mensem cibo & potu se non impleant, quia æstimantur facilius macrę concipere. Contra tauri duobus mensibus ante admissuram herba, palea & fœno debent fieri pleniores, & secerni à fœminis, deinde in gregem redigi mense Maio circa finem uel toto Iunio & initio Iulij, secundum Palladium, ut quæ tunc concipiunt temperatissimo tempore anni pariant. Vaccę enim decem mensibus sunt prægnantes, ante binam ętatem eis taurus non debet admitti, ut triennæ pariant. Asserunt græci si mares creare uolueris sinistrũ tauri in coitu ligandum testiculum, si fœminas dextrum, eo quod semen dexter generet masculum, sinister fœminam. Tauri diu ante admissurã sunt abstinendi, ut cum tempus erit admittendi acrius in causas feruoris incumbãt, sexaginta uaccis duo tauri secundum Varronem, sed Palladius ait quod quindecim uaccæ sufficiunt uni tauro. Si abundantia pabuli est in regione quã pascimus potest annis omnibus in fœtura uacca submitti, sed si deest sunt alternis annis onerandæ, maxime si alicui operi consueuerunt seruire.



Qualiter uituli debent teneri, & quando castrari & domari, Cap. LXIII.

CVm creuerint uituli leuandæ sunt matres, pabulo uiridi obijciendo in præsepijs. Item his ut ferè in omnibus stabulis lapides substernendi sunt, uel quid aliud ne ungulæ putrescant, ab ęqui noxio autumnali unà pascuntur cũ matribus. Castrare nõ debẽt ante bienniũ, quia difficulter si ante feceris se recipiunt, qui autem postea castrantur duri & inutiles fiunt.

Castrantur

Castrantur autem secundum modum Palladij sic: alligato enim uitulo, ac deiecto testiculo, scissa pelle clauduntur, ignitis securibus aut dolabris, uel quod est melius formato ad hoc ferramento, ut gladij similitudinem teneat, ita enim circa ipsam regulam ferri acies imprimitur, unoq; ictu moram doloris beneficio celeritatis assumit, & ustis uenis & pellibus à sanguinis fluxu cicatrix quodammodo cum ipso uulnere nata defenditur. Vulnera uero castratorum cinere sarmenti & spuma liniantur argenti. A potu castratus abstineatur, & cibis pascatur eximijs & sequente triduo ei præbeantur arborum teneræ summitates, & fruteta mollia, & herbæ uiridis coma. Pice etiam liquida mixto cinere puto uel sine, ferro ignito castrantur, sed si cum ferro acuto ignitus fiat non est necessaria presens cura. Semestribus uitulis dentur surfures tritici & farina hordei, & tenera herba, & ut bibant mane & uespere curentur. Circa finem Martij uel Aprilis initium domandi sunt boues trimi, nam post quinquenniũ domari non possunt, ætatis duritia repugnante. Capite ergo statim domentur, qui quidẽ prius cum teneri sunt frequenti manus attrectatione mansuescant, sed stabulũ noui boues largioribus spacijs habere debebunt, ad stabula ducãtur, quorum si nimia fuerit asperitas uno die atq; nocte uinculis & ieiunijs uincẽtur seu mitigentur. Tũc appellationibus & illecebris oblatorum non à latere neq; à tergo pertractet, sed à fronte accedens bubulcus, admulceat nares & terra pertractet, si tamen ne aliquem calce uel cornu percutiant, quod uitium si in primordijs affectauerit obtinebit. Aliqui eos inter se iungũt & docent eos onera leuiora portare, & quod utile est si arationi parandas subacto prius solo exercendi sunt in arena. Quos ad uecturam paras fac primum inania ducere plaustra, & si possis per uicum aut oppidum ubi sit strepitus ducas, & quem feceris dextrum fac etiam sinistrum, & sic laboranti requies erit. Vbi terra leuis est non fortibus bobus, sed uaccis & asinis uti possumus. Et in leui plaustro similiter & ad molã olei facile, ut nouus labor adhuc tenera colla non quasset. Expeditior autem domandi ratio est, si asperum bouem mansueto & ualido boue iungas, quo ostendente, facile ad omnia cogetur officia. Si post domituram decumbet in sulco non afficiatẽ igne uel uerbere, sed potius cum decumbit pedes eius ita ligentur uinculis, ut non possit progredi aut stare uel pascere, quo facto siti uel fame lassatus, carebit hoc uitio.

De bobus qualiter debent emi & de cognitione ætatis eorum, Cap. LXIIII.

IN bobus emendis hęc signa expectẽtur, ut sint nouelli, quadratis & grandibus membris, solidi corporis, musculis ubiq; surgentibus, magnis auribus, lata fronte, & crispa, labijs oculisq; nigrantibus, cornib. robustis, ac sine curuaturæ prauitate, limatis patulis naribus, & summa ceruice coriosa atq; cõpacta, palearib. largis & genua circa fluẽtibus, pectore grãdi, armis robustis, uen

tre non

tre nõ paruo, porrectis lateribus, latis lumbis, dorso recto & plano, cruribus solidis & neruosis, & breuibus ungulis, magnis caudis, longis & setosis, pilo totius corporis denso & breui, rubei maxime coloris & fusci. Melius autem boues & de uicinis locis comparabimus, qui non illa soli aut aëris uarietate terrẽtur, uel si hoc deest de locis similib. ad similia trãsferemus. Illud est enim ante omnia curandum, ut uiribus ad trahendum comparentur æquales, ne ualẽtioribus robur alteri procuret exercitium, in moribus autem hæc consideranda sunt, sicut arguti, mansueti, hortamenta timentes, clamores & uerbera, cibum appetẽtes. Sed si regionis ratio patitur nullus cibus est melior quam uiride pabulũ, ubi uero deest, ex ordine ministretur quo pabuli copia, & laboris coget accessio. Tenendi sunt boues in talibus stabulis, ut de uaccis dictum est supra, uidelicet stratis & bene clausis, ut pedes ungulæ conseruentur illęsi, ac ipsi defendi possunt à zentalis, mustis & tabanis. Aetas ipsorum cognoscitur quando mutant dentes anteriores post annum completum ante decem uel octo mẽses, deinde post sex menses successiue mutant proximos, donec in tribus annis mutauerint omnes, & tunc in bono statu existunt in quo perseuerant usq; ad decem uel duodecim annos, & uiuũt usq; ad quatuordecim uel quindecim annos, & cum sunt in statu dentes habent pulchros, longos & ęquales, & cum senescunt minorantur & denigrantur ac corroduntur.

De infirmitatibus boum & cura ipsorum. Cap. LXV.

SCiendum est quod ægritudines multæ accidunt bobus, quarum una est quod in capitibus ipsorum multiplicatur rheuma, quę uulgariter dicitur gutta robea. Et fit ex superflua commestione, & potu, proprie nimis humidarum herbarum, ex nimia requie & aëris humiditate superflua. Et cognoscitur quia inflatur eorum uultus & oculi. Ex quo bos moritur, si non curetur, sed curatur, quia statim phlebotomandus est bos infirmus, de uena quę est sub lingua, scilicet quod duæ glandulæ quę sunt ibi signentur in pluribus locis cum puncta cutelli bene incidentis, ita quod multus egrediatur sanguis, & cum thure fiat fumigium ad nares eius. Item accidunt eis febres ęx immoderato labore aut calore. Et morborum causę in bobus, ut ait Varro, hæc ferè sunt quod laborant propter æstus, aut propter frigora, aut propter nimium laborem, uel econtra, propter nullam exercitationem, aut si cum exercueris statim sine interuallo cibum aut potum dederis. Et cognoscuntur cum febriunt, quia sunt calidi tactu & maxime in lingua & auribus, & anhelitus ipsorum est spissus & calidus. Quibus subuenire debet cum regimine frigido, scilicet qđ à labore omnino cessent, & in loco frigido teneantur, de frõdibus salicum & uitis cooperti, comedant frondes salicum, & frigidas herbas & hordeum infrigidatum, & si uidebuntnr nimis repleti de ipsorum sanguine minuatur. Item bibant aquam malorum acrium & prunorum & ipsa mala & pruna edant, uel secundum Varronem curetur hic morbus, quod perfunditur aqua & perungitur

gitur oleo & uino tepefacto, & sustinetur cibo & inijcitur aliquid ne frigidus, cedat sitienti aqua frigida, datur, si hoc non proficitur, demitur sanguis maxime à capite. Item oppilatur & ingrossatur splen ipsorum de quo non liberantur, sed diu sic infirmi existant. Et cognoscuntur quod bulliunt siue tussiunt & maxime cum trotare coguntur. Item inflantur boues constipatione uel uẽtositate in ipsorum uentribus generata, & cognoscũtur quod si manu uel digito superfluo uel lis, quæ sunt iuxta posteriores anchas percutiuntur, sonat ut tympanum uel uisu inflati apparent & dolore torquentur, & quandoq; in terram se prosternũt & libenter iacent. Curantur autem cum clysteri uel canulo, de quibus dictum est supra cum tractabatur de doloribus equorum, uel cum manu pueri oleo uncta extrahãtur feces, uel incidatur uena caude cum acuto cultello, per quatuor digitos longe ab ano de subtis. Item læduntur in collo ex nimia oppressione indecentis iugeris, & maxime cum pluuiæ ceciderint super collum. Et quandoq; fit ibi ruptura propter humores ibi concursos quæ curatur cum medicinis cõsolidatiuis carnium, & generatiuis cutis stipitis in curis ægritudinum quorũ in pluribus locis & etiam cum alijs quibus marischalci boum utunt̃, & præcipue cum unctione agrippæ intrantibus in pedibus ipsorum, uel alibi casualiter ex quibus claudicare coguntur, & curãtur ut extrahatur quod intrauit in pedem uel in aliam partem, cum radicibus arundinis tritis, uel cum radicibus dictamni superpositis, & pecia fastiatis, uel cũ alijs medicinis de lęsione spinę scriptis in tractatu equorũ, & curãtur ut plene dictum est ibi. Item accidunt eis multæ aliç ægritudines occultæ & aliquæ manifestæ, & laxitudines quæ proueniunt ex nimio labore atque calore, quæ cognoscuntur ex eo quod non comedunt, uel solitum modum comedendi mutãt, & libenter iacent, & ex calore linguam extrahunt, & multę alię mutationes possunt in eis uideri ab his qui eos sanos & incolumes cognouerunt. Boues autem sani fortes & agiles cognoscũtur. quia facile se mouent cum tanguntur uel punguntur, & habẽt membra grossa, & auriculas eleuatas, pulchri, fortes autem generaliter cognoscuntur si omnia membra grossa sunt, & sibi inuicem bene respondent, possunt etiam aliæ infirmitates accidere bobus, quas cognoscere possunt & curare nouerunt optimi marischalci boum, qui multis annis in talibus sunt experti. Ego autem ea quę ferè scire potui fideliter scripsi.

De diuersitate & uarietate boum & uaccarum & de omni utilitate ipsorum, Cap. LXVI.

EX genere boum aliqui sunt nigri, magni, fortes & quasi indomiti, qui bubuli uocantur, non bene habiles ad plaustra & aratro, sed in trahendis per terram magnis ponderibus exercentur, ligati artificialiter quibusdam cathenis, libentur morantur in aquis. Eorum coria non sunt adeò bona, ut aliorum boum, licet ualde grossa sunt. Et eorum carnes nimis melancholicę sunt, & ideo non multũ bonę, neq; boni saporis, & licet

crudæ

crudæ ſatis ſint pulchræ, tamen coctæ turpes efficiuntur. Item alij ſunt boues quibus communiter utimur, quorum quidam ſunt maiores qui propriȩ locis planis conueniunt, quidam minores qui magis proprie exercētur in montibus: & quidam ſunt in magnitudine ac paruitate medij, qui utriſq; conueniunt locis. Amplius quidem ſunt minores, quorum carnes temperatȩ complexionis ſunt, ideo humano corpore nutrimentum bonum præſtant, & in eo robur, & ſanitatem conſeruant. Alij ſunt ȩtatis perfectȩ, qui proprie propter eorum uires ſunt laboribus deputandi, eorum coria pro ſoleis calciamentorum ſunt optima, & eorum carnes mediocriter melancholicæ non multum conueniens, niſi habentibus ſtomachum fortem & calidum, & in his qui grauibus laboribus exercentur, ſunt & alij ſenes qui ad labores ſunt pigri, & minus utiles quàm perfecti, eorum carnes nimis melancholicæ & indigeſtibiles iudicantur, ſed eorum coria bona ſunt, & præcipue ſi ſunt groſſa cornua boum, ſunt pectinibus apta, oſſa taxillis, & paruorum cultellorum manubrijs & eorum ſimus ſtercorandis agris & arboribus ac uineis, & imbuendis gernarijs & quibuſdā uaſibus & caniſtris. Item uaccarum quædam ſunt magnæ uel mediȩ, quæ ab omnibus hominibus tenentur propter utilitatem generandorum & nutriendorum uitulorum & boum, qui plauſtris & aratris humano generi neceſſarijs deputantur. Quarū carnes & coria ſunt ſimilia maſculinis, ſed earum lac licet ad eſum & caſeū bonus ſit, non tamen eis tollendus ſed pro nutrimento uitulorum, quorum uita uires & augmentum optat, matribus dimittendus. Aliȩ uero uaccæ ſunt paruæ, quȩ ſolum propter lac & caſeum retinentur, & ideo poſt partum quindecim diebus elapſis occidendi ſunt uituli & eſui hominū deputādȩ quorum carnes temperatȩ ac digeſtibiles ualde ſunt, & optime his qui in quiete morantur. Lac uero & caſeus ſatis humano eſui competunt, licet non adeò perfecta ut bouina exiſtunt. Eligendæ autem ſunt tales uaccæ quæ non nimis paruȩ ſunt, & ubera magna habent.

De ouibus quales emi & eligi debent, & de cognitione ſanitatis ipſarum ac infirmitatis, Cap. LXVII.

OVes bonȩ cognoſcūtur ab ætate, ſi neq; uetulæ ſunt, neq; meræ agnȩ, nam alere nondum poſſunt, nec dare fructum. Sed ea melior ætas eſt quam ſequitur ſpes, quàm ea, quam mors. Item cognoſcitur à forma, nam ouem eſſe oportet corpore amplo, quæ lana multa ſit & molli, uillis altis & denſis toto corpore, maxime circa ceruicem & collum, uentrem quoq; ut habeat piloſum eſſe oportet. Cruribus humilibus, caudis prolixis, in Italia, ſed in Siria breuibus. Item cognoſcuntur ex progenie ſi agnos ſolent procurare formoſas. Sanitas & infirmitas earum cognoſcitur, nam ſi aperiantur earum oculi & uenȩ ſint rubicundæ & ſubtiles, ſunt ſanȩ. Si albȩ uel rubicundȩ & groſſæ, ſunt infirmæ. Item ſi capite in pelli colli & ante tractæ uix trahi poſſunt ſunt ſanæ, ſed ſi ſequuntur facile, ſunt infirmæ. Item ſi manu capiuntur

piuntur in schina prope anchas & stringuntur, nec flectuntur, sunt sane & fortes, si flectuntur sunt infirmæ. Item si audacter uadunt per uiam, sunt sanæ. Si moleste capite inclinato, sunt ægræ.

Qualiter debent teneri & pasci ac in quibus locis, Cap. LXVIII.



De pastione primũ uidendũ est, ut per totũ annuum recte pascantur intus & foris. In stabulo idoneo sint, non uentoso, q̃ magis ad orientẽ quã ad meridiem spectet, ubi stent solũ oportet esse uirgultis aut paleis aut alijs straminibus stratũ atq; decliuum, ut mundari ac purum fieri ab humiditate urinę facile possit, non enim solum ea uligo lanas corrumpit ouiũ, sed etiam ungulas scabras fieri cogit: cũ aliquot dies steterint, subijcere oportet alia uirgula uel paleas, quo melius requiescant, puriores q; sint, libentius enim ita pascunt. Faciẽdum quoq; infirmis, & his qui agnos paruos habent secreta septa ab alijs, quo eas recludere possis, hęc autem magis in uillaticis gregibus sunt seruanda, nam in his quę pascuntur in saltibus, custodes secum portant crates aut retia, quibus cohortes in solitudine faciant, cæteraq; utensilia, longe enim & late & uarie in diuersis locis pasci solent. Pascua ouili generi utilia sunt quę uel in noualibus uel in pratis siccioribus excitantur. Palustria uero noxia sunt, & syluestria damnosa, sal uero crebro oblatus in canalibus, debet pecoris leuare fastidium: nam per hyemem si penuria est fœni uel paleæ, uicia uel facilior uictus ulmi uel fraxineis seruatis frondibus præbeatur. Aestiuis autem mensibus pascãtur sub lucis initio, cum graminis teneri suauitatem roris mixtura comedat, quarta horta calescente potus puri fluminis præbeat, uel putei aut fontis: medios solis ardores aut uallis aut arbor umbrosa declinet, deinde cum ardor infringitur & solum primo umbræ uespertini & hora roris humescit gregem reuocemus ad pascua. Prouidendum est in hoc genere ut pabuli ubertate saturent, & longe pascuntur à sentibus quę etiam lanam diminuunt, & corpus incidunt, sed canicularibus & ęstiuis diebus ut pascendæ sunt oues ut capite gregis auertantur semper à solis obiectu. Hyeme aũt uel uere non solutis gelicidijs ad pascua prodire non debẽt, nam pruinosa herba huic generi morbos creat, & tantum semel aquare sufficiet. Cum messes sunt factę teneãtur in stipulis, quod est utile duabus ex causis, nam & caduca spica saturantur, & obtritis stramentis & stercorationem faciunt in annum sequentẽ, & segetes meliores. Per totã æstatem aurora surgente festinanter mulgeant, ne solitũ pastum perdant, & cũ dies

incaluerit, ducantur ut calor solis aut uentus urens non possit nocere eis. In uespere autem tam diu foris sint, quod recuperent pastum quem perdiderunt in die, & cum redierint semper prospiciatur ne sint calidæ cum in ouilibus includuntur. Si autem magnus feruor fuerit eant in proximis pascuis, ne si longius abierint nõ possint recurrere ad umbracula, nec pastores sinant eas importune aggregare tempore caloris, si semper moderate dispergãt, & cum adducant calidæ non mulgeantur. Cum aurora apparuerit, mox agniculi ducantur ex umbraculis, ubi solicite custodiantur, cum uiderint mane telas aranearum oneratas aqua, non permittant pascere. Si feruor fuerit & pluuia ceciderit, non finantur iacere, sed ad celsiora ducantur ubi tangantur à uento semperq; moueãtur. Cauendę aũt sunt ab herbis, in quas uenit arena. Et dicit pastor expertus, quod mense Aprili, Maio, Iunio, & Iulio non sunt dimittendę multum pascere, ne nimium impinguent, sed mẽse Septẽbri, Octobri, Nouembri post mediã tertiam sunt tota die dimittendę in pascuis, ut impinguent quantũ possint, autũno debiles pretio quoq; mutent, ne imbecilliores eas hybernum tempus assumat.

Quando debeãt submitti arietibus, & qualiter, & quanto tempore sint prægnantes, & quales debent esse arietes, & quod oues sufficiunt uni, Cap. LXIX.

Mense Aprili prima est arietum admissura, ut agnos iam maturos inueniat tempus. Hybernum: fit etiam mense Iunio, & etiam si fiat in mense Iulio nati ante hyemem conualescũt. Secũda fit admissura post medium mensem Octobris, ut pariant circa principium ueris, nascentibus herbis. Aristoteles asserit, si masculos creare uelis admissurę tẽpore flatum septentrionis eligendũ, & contra eum uentũ greges pascendos. Si fœminas generare uelis, austri captandos flatus, & in eum pascua dirigenda. Aliqui duobus mensibus ante arietes à coitu reuocant, & facem libidinis auget delectatio uoluptatis. Quidam coire sine discretione permittunt, ut ei per totum annum fœtura non desit, quamdiu admissura sit, eadẽ aqua uti oportet, quia cõmutatio aquę & lanam uariam, & corrumpit uterũ, ut ait Varro. Cum oues conciperint arietes secernendi sunt, quia cum sunt molesti obsunt, nec oportet pati minores quã bimas saliri, neq; natum ex his idoneum est, nec non ipsæ fiũt deteriores. Ouis prægnans est centum quinquaginta diebus, itaq; admissura fieri debet tali tempore, quod partus nascatur circa finem autumni. Cum aër est modice temperatus, & primitus oritur herba imbribus prioribus euocata, eligendi sunt arietes candidissimi in regionibus illis, in quibus sunt oues albæ. Item mollibus lanis, in quibus non solum corporis splendor cõsiderandus est, sed etiã lingua, quæ si maculis fuscatur, uarietatem reddit in sobole, & si nigra est, nigros creat. De albo quoq; nascetur coloris alterius, de nigris nunquã potest alius creari, ut ait Columella. Eligemus aũt arietẽ altum, procerũ, uentre promisso & lanis candidis tecto, cauda lõgissima & lata, curtis cornibus, pronis ad rostrũ lana, apertis auribus,

auribus, amplo pectore, scapulis & clunibus latis, uelleris depressi, frõte lata, magnis testibus, ætatis primę quæ tamen usq; ad octo annos utiliter possit sufficere. Fœmina debet bima submitti, quæ usq; ad quinquẽniũ fœtura necessaria est, anno septimo deficit. Itẽ ex progenie animaduertatur, aries si agnos procreat formosos, centum ouibus unus aries sufficere fertur, & quotq; sunt centenaria tot arietes sufficere, ait Varro.

Qualiter debent tondi & qualiter signari & quando, Cap. LXX.

MEnse Aprili locis calidis tondeãtur oues, & serotini fœtus signentur, temperatis uero mense Maio celebranda est tonsura, & præcipue cũ sudare incipiunt, quandocunq; id fiat ab æquinoctio uerno ad solstitium, ut ait Varro, sed tonsas oues hoc modo iuuabis: Succum decoctum lupini, fęces uini ueteris, eisq; miscebis amurcam, quibus in unum corpus redactis, tonsas oues linire curabis, post triduum, si mare uicinũ est, littori mergantur extremo. Si uero alijs locis pascimus, aqua cœlestis cum sale paululum decocta, sub diuo debebit ouiũ tonsarũ & uncta membra diluere, hoc enim modo si curatur pecus anno toto, nec scabrum fieri dicitur, & prolixas lanas creare fertur, & molles, sed tribus diebus per annum lotas oues oleo & uino ungere oportebit. Propter serpentes, qui plerumq; sub præsepibus latent, cedrũ uel galbanum uel mulierum capillos, aut ceruinum cornu frequenter uramus, sed quæ in tonsura plagam accipit, his locis pice liquida liniatur, quidam in anno bis tondent, ut in Hispania, ac semistres faciunt tonsuras.

De cognitione ætatis ouium, Cap. LXXI.

DEntes ouium mutãtur post unum annum & dimidium, scilicet duo anteriores, & postea per sex menses mutãtur duo proximi, & postea mutant cæteros, ita quod eijciãtur in tribus annis uel quatuor ad plus, & donec sint inæquales sunt iuuenes, quando æquales sunt in statu, quando discalcantur, & minuuntur, & corrumpuntur sunt senes, & tunc in usus earũ fit bissus gressus, & stant in bono statu usq; ad octo annos, & quędam usq; ad decem, si copiose pascantur, sed quę famem patiuntur necessario cito senescunt.



Quando & qualiter debent mulgi & casei fieri, Cap. LXXII.

VSq; ad festum sancti Michaẽlis bis in die mulguntur oues, & postea semel lac elici potest, ne nimis pingues cum arietibus mittantur, ne importuno tempore fœtus emittant, sed post coniunctionem arietum ut pingues fiant custodiantur, ut hora congrua ducantur ad pascua, & custodiantur per totam ęstatem, se-

tem, festinanter mulgeantur aurora surgente, ut hora congrua ducantur ad pascua, omnes silentium teneant dum mulgeant oues, excepto magistro qui tantum necessaria loquatur. Caseũ coagulamus sincero lacte, coagulis agni uel hœdi ad pellicula, quæ solet pullorum uentribus adherere, uel agrestis cardui floribus, uel lacte ficulneo, cui serum debet omne deduci, ut ex ponderibus urgeatur: ubi cœperit solidari opaco loco ponatur, aut frigido, & pressus subinde adiectis pro acquisita soliditate pro pōderibus trito & torrefacto sale debet aspergi, & iam durior uehementius præmi potest. Post aliquos dies solidatæ iā formulæ statuantur, ita per crates ne inuicem se unaquæq; contingat, sit autem loco clauso, & à uentis remoto, ut teneritudinem & pinguedinem seruet. Vitia casei sunt, si aut siccus aut fistulosus est, quod euenit, si aut parum præmatur, aut nimium salis accipiat, aut calore solis utatur. Item recenti caseo cōficiendo aliqui uirides nucleos pineos terunt, atq; sic lacte mixto congelant, aliqui cymini tritum frequenter colatum congelant, qualecunq; etiam sapore uelis efficere, poteris adiecto quod elegeris cōdimentis seu piperis cuiuscunq; pigmenti.

De morbo ouium & cura eius, Cap. LXXIII.

NAscitur eis gossum sub gula ex fluxu humorum à capite descendentium, & perforatur ibi pellis, & inde quasi aqua paulatim egreditur, & curantur. Item patiuntur grossitiem splenis, & inflantur, & hoc sępe de mense Maio & Aprili ex multitudine sanguinis grossi & uiscosi, ex quo sæpe subito moriuntur, & confert eis unum stetum, ut uulgo uocant, duorum digitorum, ponetur inter nares, & facere quod multum egrediatur sanguis, ex quo quædam liberantur, & quædam nihilominus moriuntur. Item patiuntur febres quæ cognosci & curari possunt, ut dictum est de febribus in tractatu boum, possunt etiam eis aliæ accidere ęgritudines, quas cognoscere & curare pastores nouerunt expertissimi, qui eorum temporum in sola custodia ouium exercentur, in talibus solummodo student.

De agnis qualiter teneri debent, & quomodo castrari, Cap. LXXIIII.

CVm nascuntur agni unaquaq; septimana per mensem sal detur eis, deinde postea omni tempore quintadecima die. Quādo autem separantur à matribus, mox tondētur propter pediculos, uel quia melius crescunt, & unaquæq; hebdomada sal detur eisdem, circa natiuitatem domini iunguntur cum matribus, ut hoc de agnis Palladius dicit. Varro autem ait: Cum parere incipiunt oues, pastores eos inijciunt in ea stabula, quæ ad eam rem habent seclusa, ibiq; agnos recenter natos ad ignem apponunt, & per biduum aut triduum retinent cum matribus dum cognoscūt matrem, & pabulo se saturāt, deinde cum matres ad pastum cum grege prodeūt, retinent agnos, qui cū creati ad uesperum fuerint, aluntur lacte, & rursus secernuntur noctu à matribus ne conculcentur. Hoc idem faciunt mane antequàm matres ad pabulum exeant,

ut agni fiant saturi lacte circiter decem dies, cum præterierint palos affigunt, & ad eos alligant libro & corice, aut qua alia re leni distantes, ne tota die cursantes inter se teneri delibent aliquod membrorum. Si ad matris mãmam non accedent, admouere oportet, & labra agni ungere butyro, aut adipe suillo, & olfacere labra lacte: diebus post paucis, obijcere his uitiam mollitam, aut herbam teneram antequã exeant pastum, & cum reuertuntur & sic nutriunt quoad facti sunt quadrimestres, interea matres eorum his temporibus non mulgent donec depulsi sunt agni à matribus. Diligentia est adhibenda, ne desiderio senescant, itaq; deliniendum in nutricatu pabuli bonitate, & à frigore & ęstu ne quid laborent curandum. Cum obliuione iam lactis non desiderant matrem, tum deniq; compellendi in gregem ouium.

De utilitate ouium & agnorum, Cap. LXXV.

VTilitas ouium magna est, nam ex pilis earum fiunt indumenta necessaria & delectabilia ad hominum salutem & uitam, qui quanto sunt subtiliores, tanto meliores & maioris pretij, ex pellibus cum pilis fiunt pelliceę pãnorum tempore frigoris opportunæ, & ex ipsis depilatis fiũt calceamenta, & carni ipsarũ lac adiunctũ est conueniens, & satis salubre, qui quanto recentior est, tanto melior est, & quanto spissior, tanto amplioris est nutrimenti. Et ipsius aquositas quę est serũ, est solutiua uẽtris & choleram educit ab eo. Caseus autem qui ex eo fit nutrimentum est corporis humani, qui quanto recẽtior est, tanto melior est, & quanto uetustior & durior tanto peior, & qui ex eo est nimis salitus uel nimis uiscosus uel nimis frangibilis nõ est bonus, ut ait Rasis, sed ille bonus est qui tenet medium inter utrũq;. Caro autem huius pecoris est indelectabilis saporis & humida nimis, atq; inconueniens est nisi forte uilioribus rusticis assuetis, qui continuis laboribus exercentur, agnorum uero caro satis est conueniens cum fuerit à lacte remota, sed castratorũ optima, nutrimẽtum bonum & multum prębens, si annalis fuerit ut ait Auicẽna. Sed si eam ætatem excesserit fit deterior, & quanto uetustior, tanto peior, & ad digerẽdum durior. Pelles autem & lanę agnorum sunt optimæ, atq; ad operimentum humani corporis aptiores quàm matrum.



De capris, hircis & hœdis, qualiter debẽt eligi, & quanto tempore sint prægnantes & de ipsorum utilitate & ętate, Cap. LXXVI.

QVi caprinum gregem cõstituere uult, in eligendo animaduertere oportet, primo ætatem, ut eam paret quæ iam ferre possit fructum, & de his eam potius quę diutius, nouella quã uetus utilior est. In

forma uidendum, ut sint formæ magnæ, corpus leue, crebro pilo, sub mento duas ut mammillas pensiles habeant, quia hę fœcundiores sunt, ubere glandiore sint, & lac multum & pingue habeāt. Hircus cum similibus sub mento mammillis, gurgulione longi, breui plenaq; ceruice, auribus flexis & grandibus, paruo capite, nitido, spisso & longo capillo. Ad ineundas fœminas ante annum cōgruus est hircus, non aūt durat ultra decennium, ex capris meliores sunt quę bis pariūt, ex his potissimū mares sunt eligēdi ad admissuras. Huic pecori stabula meliores sunt quę spectant ad hybernos solis ortus, quæ lapide aut teste sunt strata, ut caprile minus sit uliginosum aut lutulentum. Item substernantur uirgultis, ne obliniant teneri, & pasci hoc pecus debet quasi ouillum, sed habet propria quędam quod potius syluestribus saltibus delectantur quā pratis, studiose enim de agrestis saltibus pascuntur, atq; in locis cultis uirgulta carpunt, itaq; à carpendo caprę dicuntur, ideoq; in lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capram in fundo pascat: post autumnum exigunt in gregem hircos, quia quæ concipit post quartum mensem reddit tempore uerno, hœdi cum trimestres sunt facti submittuntur, & in grege incipiunt esse, satis magnum putant esse circiter quinquagenas, eo quod capræ lasciuæ sunt, & se dispergunt, contra oues se cōgregant ac condensant in locum unum. Singulis decem capris singuli sufficiunt hirci, ultra octo annos seruandæ non sunt, nam hoc genus longiori sterilescit ætate. Sanas capras nemo promittit, nunquā autē sine febre sunt (ut ait Varro.) Accidit etiam sępe ut in corporib. uulnerentur, quibus subueniendū est, eo quod inter se cornibus pugnant, ac etiam spissis spinosis locis pascuntur, quibus subueniendum est, ut in curis uulnerum equorum dictum est plerisq; capitulis. Vtilitas caprarum est præcipue in pelle & lacte ac hœdis, nam ex ipsarum pellibus fiunt optima calceamenta, & æquorum sellæ operiuntur, lac ipsarum multum est & humano corpori optimum, & præcipue non coagulatum, parum caseitatis habens, & qui ex eo fit caseus non est adeo laudabilis ut ouium, earum carnes nimiæ siccitatis ad digerendum duræ existunt, ideoq; malę. Sed hœdorum carnes sunt opportunę ad salutem & delectationem, & præcipue lactantium, & ex ipsorum pellibus fiunt optimæ chartæ, ac delicata calceamenta, his conuenientia, qui uoluptuose uiuere cupiunt.

De scrophis, uerribus, & suibus, quales debent eligi, & qualiter teneri, & quanto tempore sunt prægnantes, & de ipsarum sanitate & utilitate, Cap. LXXVII.

VErres eligendi sunt uasti & ampli corporis, sed rotundi potius quā longi, uentre & clunibus magnis, rostro breui, ceruice glandulis spissa, unius coloris potius quā uarij, libidinosi anniculi qui usq; ad quadriennium inire fœminas possunt. Scrophas uero longi lateris debemus eligere, & quib. ad sustinendū fœturę onus se magnus uenter effundat, cętera uerribus similia. Sed in regionibus frigidis depressi nigriq; pili sint, in tepidis qualescunq;



lescunq; sint nihil refert. Item ex bona progenie ut porcos multos pariat, hoc genus in omnibus locis haberi potest, melius tamen agris palustribus quã siccis, præcipue ubi arborũ fructuosior sylua suppetit, quę subinde maturis fructibus alterna per annũ mutatione succurrat, locus maxime graminosis & cãnarum radicibus nutriuntur. Sed deficientibus alimentis per hyemẽ prębenda sunt pabula glandium, castanearum, & similium, uel faba uel hordeum uel frumentum. Hæc enim non solummodo pinguedinem efficiunt, sed etiam carni iucũdum saporem addũt. Aestate mane & antequàm æstus incipiat subigunt in locum umbrosum, maxime ubi sit aqua, post meridiem rursus lento feruore pascuntur, hyberno tempore non prius exigunt pastum quàm pruina euanuit, & liquefacta est glacies. Porci gregatim more aliorum pecudum claudendi non sunt, sed aras sub porcibus faciemus, quibus mater unaquęq; claudantur, quæ aræ superiori sint parte detectæ, ut libere numerum pastor exploret, & oppressis à matre fœtibus sæpe subueniat subtrahendo. Curabit autem ut fœtus proprios cum unaquæq; pręcludat, plus uero quàm octo (ut Columella dicit) nutriri non debet. Palladio autem sex sufficere uidetur, quia licet plures ualeat educare, tamen maiore numero onerata ante tẽpus deficiat. Varro ait, quot tot porcos parere potest, quod mammas habet, si minus pareat esse portentum. In quo illud antiquissimũ fuisse scribitur, quod sus Aeneæ Lauin. triginta porcos peperit albos, nutricari octo porci paruuli possunt primo, incremẽto facto à porcis dimidia pars remoueri, quia neq; mater sufficiẽter potest lac prębere, neq; generati roborari. Ad fœturam uerres duob. mensibus ante secernendi sunt, optimũ admissuræ tẽpus à Fauonio ad æquinoctiũ uernũ, id est, Kal. Februarij, ad idẽ 12. Martij, ita enim cõtingit ut ęstate pariãt, quatuor enim mensib. est prægnans. & tũc pariat cum pabulo abundat terra. Neq; minores admittendæ, quàm anniculę, melius uiginti menses expectare, ut bimę pariant. Cum cœperint, dicuntur hoc facere usq; ad septimum annum recte. In luto uolutantur libẽter, quæ illorum requies est, ut lauatio hominis. Cũ omnes conceperint rursus segregũt uerres, uerris octo mensiũ incipit salire, idq; usq; ad quadrienniũ recte facere potest, deinde saginatus peruenit ad laniũ. Sus usq; adeo pinguedine crescere solet, ut se ipsa stãs sustinere nõ possit neq; progredi usquã. Nã in Lusitania ferť sus esse occisus, qui fuit inuẽtus uiginti trib. põdo, id est, quingentis septuaginta quinq; libris, eiusq; suis à cute ad os pedem & tres digitos fuisse, lardũ cum carne uno pede & trib. digitis grossum, ut ait Varro. Addit etiã se in Arcadia uidisse suem, qui prę pinguedine nõ modo surgere nõ posset, sed etiã in eam murẽ nidum fecisse & pepe

risse mures. Fœcunditas scrophæ perpenditur, quia in primo partu agit, non multum in reliquis mutat. Subulci binis mēsibus porcos sinūt cum matribus, deinde cum iam pasci possunt secernunt. Porci nati hyeme fiunt exiles, propter frigora, & quia matres aspernātur eos, propter exiguitatem lactis, quia ex hoc dentibus sauciantur ab eis earum mammę: diuisus est earum annus bifariā, quia bis pariunt in anno, quaternis mensibus fert uentrem, binis nutrit. Aram facere oportet circiter trium pedum altam & latā amplius paulo ea altitudine abs terra, ne dum uelit exire prægnans abortet, altitudinis modus sit ut subulcus facile circūspicere possit, ne quis porcellus à matre opprimatur, & ut facile pręgnare possit cubile in aris hostium esse debet, & limen inferius altum palmipedale, id est, uno pede & palmo, ne porcelli ex ara cum mater prodit transire possint. Quotienscunq; aras subulcus purgat, totiens arenam mittere oportet, aut quid aliud quod exugat humorem, & cum peperit largiori cibatu sustentet, quo facilius lac suppeditare possit, in quib. hordei circiter binas libras aqua madefactas dare solent, mane & uespere, si alia quę obijciant non habuerint. Scrophæ bis in die lactis causa bibant, cum porci à mamma depulsi sunt, si fundus ministrat dare solent uinacee ac scropei ex uuis, à partu decem diebus proximis nō producunt ex aris matrem, nisi propter potum, elapsis decem diebus sinunt exire pastum in proximū locum uillæ, crebro reditu lacte alere possint porcos. Cū creuerint sequunt matrem ad pastū, deniq; secernunt à matrib. ac seorsum pascūt nutrices, subulcus asuescere debet, ut omnia faciant ad buccinam, primo cū incluserunt cum buccinatum est aperiunt, ut exire possint in eum locum ubi hordeum effusum sit in longitudine, sic enim minus disperit quā in aceruos positū. Et plures faciliter accedunt, ideoq; ad buccinam conuenire dicuntur, ne in syluestri loco dispersi pereant. Castrantur uerres cōmode anniculi, nec minores quā semestres, quo facto nomen mutant, & pro uerribus dicuntur maiales, de sanitate suum unum solum exempli causa dicā, porcis lactantibus si scropha lac suppeditare non potest, triticum frictum dare oportet, crudum enim soluit aluum, uel hordeum obijci ex aqua, quoad fiant trimestres, in centum scrophis decem uerres satis esse putant, utilitas porcorum est, quia earum carnes ad cibū competunt recentes & siccæ, & optima pro calceamentis, & eorū lardus est optimus in condiendis omnibus cibis, & eorum adeps optimus pro calceamentis cōseruandis, & in pluribus unguentis ad curādas ægritudines opportunus. Itē est alia utilitas, quod uineis immissi nec dum turgentib. & exacta uindemia gramine persecuto uertunt solum, postea relicta fossoris diligentia mutantur.

De canibus quales debent eligi, & qualiter teneri & instrui & de ipsorum utilitate, Cap LXXVIII.

CAnis est custos eius pecoris, qui eo comite indigent, ad se defendendū, in quo genere sunt maxime oues & capre, eas enim lupus captare solet, cui canes apponimus desēsores, in suillo pecore sunt qui se defendunt, ut

dunt, ut sues, uerres, maiales, & scrophæ. Canũ genera sunt duo, unũ uenaticũ pertinens ad feras, alterum quod custodiæ causa paratur, pertinẽs ad pastores, de quo dicere intendo. Ad formam huius artis primum ętate idonea parandi sunt, nam catuli & senes nec sibi nec ouibus sunt pręsidio, & lupis nonunquam prædę fiunt. Debent esse formosi, magnitudine ampla, oculis nigrantibus, naribus congruentibus, labris subnigris, aut rubicundis, mento suppresso, & ex eo natis duobus dentibus dextra & sinistra paulo eminentibus superioribus, directis potius quàm tortis, habentes acutos dentes, labro tectos, capitibus & auriculis magnis ac latis, id est, plicatis, grossis ceruicibus, ac collo, internodijs articulorũ longis, pedibus magnis & altis, digitis discretis & ungulis duris neq; curuis, corpore suppresso spina neq; eminula, id est sima, neq; curua, cauda grossa, latratu graui, hiatu magno, colore potissimum leonino, fœminę uero debẽt esse mammosę, papillis æqualibus. Cauendum est ne à laneis, neue à uenatoribus canes emas. Nam alij ad pecus sequendum inertes, sicut alteri si uiderint leporem aut ceruum eum potius quàm oues sequuntur, quare à pastoribus emptus melior est, qui oues sequi consueuit, aut qui sine consuetudine fuerit, canis enim facile aliquid assuescit: pane bene pascendi cum grege sunt, ne propter famem uolens quærere cibum à grege recedat: morticinæ ouis carnes non patiantur pasci, ne ductu sapore minus se abstineant, sed dent eis ossa bene concussa, nam ex his dentes fiunt firmiores, & os magis patulum, propterea quod uehementius ducuntur malæ, acrioresq; fiunt, propter medullarum saporem. In die cibũ capiant ubi pascuntur, uespere ubi stabulantur. Catulæ tribus mensibus solent esse pręgnantes, in partu, si plures sunt, eligere oportet quos habere uelis, reliquos abijcere: quanto pauciores relinquuntur, tanto in alendo meliores fiunt. Item substernatur eis aliquid quo molliri cubili facilius educentur. Catuli diebus uiginti uidere incipiunt, duobus mensibus primis à partu non disiunguntur, à matribus educunt eos in unum locum. Item consuefaciant ut alligari possint, primum leuibus uinculis, quæ si abrodere conantur, ne illud consuescant facere, uerberibus eos deterrere solent. Quidam nucibus Gręcis in aqua tritis perungunt aures, & inter digitos, eò quod muscę & ricini pulices ibi stare solent, quę si non fiat ea exulcerentur: ne uulneretur & à bestijs, imponũtur eis collaria ferri, habentia sub se leue corium, clauulis infixũ, ne collo noceat duritia ferri. Numerus canum pro pecore multitudine solet parari, sed in regionibus syluestribus remotis à uillis ubi bestiæ malæ sunt multo requiruntur plures, nam in uillatico grege sufficiũt unus, scilicet masculus, alter fœmina, eo quòd simul sunt assiduiores, & idem cum altero fit acrior, & si alter æger est ne sine cane grex sit, quos consuefaciant nocte uigilare, & in die clausos dormire.

De pastoribus quot & quales debent esse, Cap. LXXIX.

AD maiores pecudes necessarij sunt ætate perfecta, ad minores parui quandoq; sufficiunt. Et qui in collibus uersantur firmiores requiruntur, quàm qui

quàm qui in fundo quotidie ad uillam redeunt, itaq; in saltibus licet uidere iuuentutem, & eam ferè armatam, cum in fundis non modo pueri sed etiam puellæ pascant in die, pascere greges simul cõmuniter omnes oportet. Pernoctare ad suum gregem quenq; oportet. Maior natu & cæteris peritior esse debet magister pecoris, eiq; omnes alij parere debent, itaq; tamen oportet eum alios ætate præcellere, ne propter senectutem minus sustinere posset labores, præsertim dum conueniunt formę hominum, difficultatem ac montium arduitatẽ & asperitatem facile ferant, quod pati necessitate habent qui greges sequũtur, pręsertim cum conueniunt formę hominum armentitios atq; caprinos, quibus rupes ac syluæ ad pabulandum conueniunt. Formæ hominum legendę sunt ut sint firmi, & sequi possint, & ueloces, mobiles, expeditis membris, qui nõ solum pecus sequi possint, sed etiam à bestijs ac prædonibus defendere, qui onera extollere iniuncta possint, qui excurrere, qui iaculari ualeant. Non omnes ad hãc rem apti sunt, magistrum prouidere oportet, ut sequantur omnia instrumenta, quę pecori & pastoribus opus sint, maxime ad uictum hominum, & ad medicinam pecudum, ad quam rem habent iumenta bassuaria domini, alij equas, alij mulos uel asinos, aut alia quę onus dorso ferre possunt, qui in fundo perpetuo manent, facile habent conseruari in uilla quæ pastoribus necessaria faciant, his autem qui in saltibus & syluestribus locis pascant mulieres adiungere oportet, quæ greges sequantur, ac cibaria pastoribus expediant, eosq; assiduiores faciãt. Magister pecoris sine literis idoneus non est, eo quòd rationes dominicas conficere, nec aliud quicquam ratione facere potest. Pastorum numerus esse debet secundum multitudinem pecudum, genus earum, & diuersitatem locorum pastionis, & uendentiũ agnos, & facientiũ caseos, uel non maior uel minor talis & tantus qui omnia opportuna huic operi possit commode explicare.

De leporarijs & leporibus cęterisq; animalibus feris includendis, Cap. LXXX.

Leporarium est locus clausus, in quo clauduntur lepores & capreoli, & cerui, & cuniculi, cæteraq; animalia non rapacia fera tamẽ, si antiquitus appellatus, eo quòd lepores pręcipuè includebantur in eo, sed omniũ horum custodia incrementum & pastio aperta & nota est, ideo breuiter explicãda, itaq; septa ex materijs circa locum magnum uel paruum, secundũ optionem uel possibilitatem domini fiant, adeò alta uel compacta quod neque lupus neque alia bestia intrare possit, neque desuper transilire, ibiq; oportet esse latebras in uirgultis & herbis, ubi lepores interdum delitescant, & arbores patulis ramis, qui aquilæ conatum impediant, in quo si lepores mares uel fœminas paucos intromiseris, breui tempore locus implebitur, tanta est fœcunditas huius quadrupedis. Sæpe enim cum catulos habent recentes, alios in uentre reperiuntur habere, itaq; qui scire uolet masculum à fœmina discernere (ut Archadius scribit) naturæ foramina debet inspicere, nam sine dubio ma-

bio masculus unum, fœmina duo inueniuntur habere, si caute & subtiliter inspiciatur. Sed leporum tria genera fere sunt, unum Italicum, pedibus primis humilibus, posterioribus altis, superiore parte bassa, uentre albo, auribus longis, qui lepus dicitur cum prægnans sit tunc concipere. In Gallia transalpina, & Macedonia fiunt permagni, in Italia & Hispania, mediocres. Item in Gallia reperiuntur alij alterius generis toti candidi. Tertij generis est quod in Hispania & in Prouincia & in partibus Lombardiæ sibi cohærentibus nascitur, similis nostro lepori ex quadam parte, sed humilis, quem cuniculum appellant. Lepus dicitur ab eo, quia leui pede ambulat. Cuniculi ab eo quod sub terra cuniculos ipsi facere solent, ubi lateant in agris, nemoribus & pratis & uineis. Apros habere posse in leporario & capreolos & ceruos non est dubium.

De piscinis & piscibus includendis, Cap. LXXXI.

QVi piscinas habere desiderat, primum eligere oportet locum côuenientem, qui nullo tempore aqua careat, non enim alijs possunt durare locis, sed piscinarum quædam sunt paruę, quędam magnæ, quædam mediocres: & iterum quędā sunt, fontaneæ, quædā stagneę, quædam marinę, & quædam etiam fluuiales. Si paruę sunt muniantur septis ex lignis uel uiminibus aut lapidibus côstructis, ne lodria uel aliud animal nocens intrare possit, & uimina aut uites super eam tendantur, quibus aues terreantur rapaces, in eisq́ ponant pisces illi aquæ conuenientes, ex his qui inueniuntur in partibus illis, nam quidam libentius stant in fontium uel fluuiorum aquis, alij in stagnis & lacubus, nonnulli delectantur marina, sit autem parua piscina profunda in quantum à fossoribus profundari possit, sed in magnis piscinis commode stare possunt. Quod si marina fuerit aqua de mari educta, omnia genera marinorum piscium natura paruorum possunt in ea seruari. Si piscinam magnam habere uolueris, oportet ipsam fieri ex magno lacu uel stagno in quo sunt aquæ plurimę congregatæ, niue ac pluuijs aut fontibus, uel in ea flumen fluentibus, uel etiam aqua marina, quod in pluribus euenit locis, quod si ex ipso lacu uel stagno aqua per aliquam partem exeat, ibi claudatur taliter quod impediatur piscium exitus, & non aquæ, quod si ex aqua dulci consistat, poterūt in ea poni ac seruari omnia genera piscium, tam magnorum quàm paruorum, in talibus aquis uiuentium. Sunt & aliqui marini pisces qui ad aquam dulcem accedentes delectantur in ea, & tales similiter poterunt in dulci piscina seruari. Si uero fuerint ex aqua marina, in ea ponantur omnia genera piscium marinorum, si sit ualde profunda, nisi sit piscis maximus, ut balena quæ nullo loco nisi maris pelago claudi potest, si uero mediocris magnitudinis sit piscina, ex his quæ dicta sunt facile potest haberi doctrina, quales pisces possunt in ea includi. Piscinæ utilitas magna, quia ex paucis piscibus inclusis breui tempore habentur plures, ex quibus plures uendi possunt, & plures ad escam haberi.

De Pauo-

De Pauonibus, Cap. LXXXII.

Completo tractatu animalium quadrupedum nutriendorum ac pisciũ, de bipedibus & cæteris uolatilibus est dicendum. Et primo de pauonibus qui suo decore nobiliores sunt cęteris, quos nutrire, ut egregie ait Palladius, facile est, nisi furens aut animalia inimica formides, qui per agros uagantur, pleruncꝫ sponte se pascunt pullosqꝫ educunt, altissimas uespere arbores petunt, una his cura debetur ut incubantes per agrum fœminas quæ hoc passim faciunt à uulpe custodias. Ideoqꝫ in breuibus insulis melius nutriuntur, uni masculo quincꝫ fœminę sufficiunt, quod seruandum est (ut ait Varro) si ad fructum spectes, nam tunc pauciores debent esse mares quàm fœminæ. Si ad delectationem cōtra, formosior enim est masculus. Masculi oua & pullos suos persequuntur, uelut alienigenas, priusquàm illis cristarum nascantur insignia. Abidibus Februarij calere incipiunt, faba leuiter torrefacta incitantur ad libidinem, si eis quinto quocꝫ die tepida præbeatur. Cupiditatem coëundi masculus confitetur quotiens circa se amictum caudæ gemmãtis incuruat cum stridore percurrens. Si oua pauonum gallinis supponantur, excusant matres, tribus uicib. ab incubatione per annum fœtus ædunt. Primus partus quincꝫ ouorum, secundus quatuor, tertius trium uel duorum esse consueuit. Sed electæ, si hoc placuerit, gallinæ sint quę primo incremento lunæ nouem diebus habeant noua oua supposita, quincꝫ pauonia, cętera sui generis, decima die omnia gallinacia subtrahantur, & alia gallinacia recentia totidem supponantur, ut triginta diebus possint cum pauoninis aperiri ouis. Oua autem pauonum contra gallinæ subiecta sæpe manu conuertantur, quia hoc ipsa facere uix ualebit, unamqꝫ partem oui notabis, ut conuertisse cognoscas, maiores gallinas oportet eligere, nam minoribus pauciora suppones. Cubilia debent eis fieri sub tecto discreta, & à terra eleuata, ut necꝫ serpens necꝫ bestia accedere ad ea possit, (ut ait Varro) præterea locum ante se purum habere debet cubile, quo ad pastum exeant diebus aptis, nam utrũqꝫ locum purum esse uolunt hę uolucres. Itaqꝫ pastorem earũ cum uacillo circumire oportet ac stercus tollere natos, si ad unam transferre à pluribus uelis, quindecim uni nutriti sufficiunt, primis diebus far hordei aspersum omnino pullis dabitur, uel undecuncꝫ cocto pulticula & refrigerata. Postea adijcietur porrum concisum uel caseus recens sed expressus, nam serum pullis nocet, locustæ etiam in pedibus ablatis prębentur. Ita pascendi sunt usqꝫ ad unum mensem, deinde hordeum poteris præbere solenniter. Trigesimo quinto tamē die postquam nati sunt in agrum tutum eijci possunt, comitante nutrice pascendi, cuius singultura uocant ad uillã. Pituitates uero & cruditates his remedijs submouebis, quibus gallina curat̃, maximum illis periculũ est cum incipit crista produci, nam patiuntur languores, sicut infantes cum dentes eis nascũtur, utilitas ipsorum est, carnes satis bonæ sunt, sed ad digerendum duræ, masculorum pennæ sunt pulchrę, ideoqꝫ puellis pro sertis & alijs ornamentis aptę.

De Phasianis, Cap. LXXXIII.

IN phasianis nutriendis hoc seruandum est, ut nouelli ad creandos fœtus parentur, id est, anno superiori sunt æditi, ueteres enim fœcundi esse non possunt. Ineunt fœminas mense Martio uel Aprili, duab. fœminis unus masculus sufficit, semel in anno fœtus creant, uigesimus fere ouis pariendi ordo cõcluditur. Gallinæ his melius incubabunt, ita ut 15. phasiani oua nutrix omnia oua cooperiat, cætera sui generis supponant, in supponendo de luna & diebus quę sunt de alijs dicta seruemus. Trigesimus dies maturos pullos in lumen mittet, sed per quindecim dies discreto toto ac consperso uino refrigerato leuiter hordei farre pascentur, deinde triticũ & locustas prębebis & oua formicæ. Sana ab aqua prohibeantur accessu, ne eos pituita concludat, quod si pituitam patiantur cum pice liquida rostra eorum debebis assidue perfricare, uel sicut gallinis auferre. Eorum carnes sunt optime.

De Anseribus, Cap. LXXXIIII.



ANser aquam herbamq; desiderat, nec sine ipsis facile sustinetur, locis consitis inimicus est, quia sata & morsu lędit & stercore polluit, præstat plumas, quas autumno uellamus & uere, uni masculo tres fœmine sufficiunt. Si desit fluuius, lacuna formetur, & si herba non suppetit, trifolium, fœnum græcũ, agrestia, intuba, lactuculas pro alimento seremus. Albi fœcundiores sunt, uarij uel fusci minus, quia de agresti genere, ad domesticum transierũt, incubant à Kal. Martij usq; ad solstitium ęstiuum. Circa 15. oua uni anseri sufficiunt, incubant 30. diebus. Melius tamen est quod gallinis oua supponas, quia plus parient, parituręque ad aram producantur, cum semel hoc feceris consuetudinem sponte tenebunt, si gallinis anseris oua supponas, ne noceant suppositis subijciatur urtica. Semine papaueris primis decem diebus pascendę sunt intus, postea foras eas poterimus educere, ubi urtica non fuerit, cuius formidant aculeos, & pręcipue in prata & piscinas aut paludes. Aras eis faciunt supra terram in qua non inducant plus uicenos pullos, easq; aras prouideant ne habeant humorem, & molle habeant substramen, ex palea. Studendum est ne accedere ad eos possint mustelæ, nec alię bestiolę quæ noceãt, ut ait Varro, quatuor mensibus bene saginantur, nam melius in tenera ętate pinguescũt, polentum dabitur ter in die, late uagantur & ideo prohibeatur licentia, obscuro loco claudantur & calido, sic etiam maiores obscuro loco pinguescunt, nam paruuli sæpe die tricesimo saginantur, melius si ad satietatẽ miliũ præbeamus infusum inter anserum cibaria. Omne legumen præstari potest excepto eruo.

A lupis & uulpibus rapiuntur, & ideo ab eis custodiendæ sunt. Vtilitas anserum est quia carnes pullorum si sunt pingues, & quatuor mensium non excesserunt ætatem à pluribus appetuntur, & eorum pennę molles optimę sunt pro lectis, & duræ alarum scriptoribus competunt & sagittis.

De Anatibus, Cap. LXXXV.

ANates sunt de natura Anserum & eodem modo nutriuntur, ut anseres. Libenter comedunt herbam anatiuam quæ in superficie aquæ stantis ex solis adustione orit, omnia reptilia & uermes & omnia turpia libenter accipiunt & glutiunt. Vtilitas ipsarum est præcipue in pennis, & carnibus etiam illarum & pullorũ earum utimur, licet satis sint indigestibiles & uiscosæ.

De gallinis & gallis ac ipsarum pullis quales haberi & qualiter teneri expedit, Cap. LXXXVI.

QVi perfectas uult habere gallinas, eligere debet fœcundas, plerunq; rubicundas pluma, nigris pennis, imparibus digitis, magnis capitibus, crista erecta, ampla. Hæ enim ad partem sunt aptiores. Galli sint lacertosi, rubenti crista, rostro breui, plene acuto, oculis rauis aut nigris, palea rubea, collo uario, aut areolo, fœmoribus pilosis, cruribus breuib. ungulis longis, caudis magnis, frequentibus pennis, uociferantes sæpe, in certamine pertinaces, & qui animalia quæ nocẽt gallinis non modo pertimescũt, sed etiam pro gallinis propugnent. Si ducentas alere uelis locus septus parandus est, in quo duę cauęę coniunctæ sunt, quæ uersus orientem spectent, & sint longitudinis circiter decem pedum, latitudinis paulo minus, in altitudine paulo humiliores: unaquęq; habeat fenestra tripedali uno pede altiorem, ex uiminibus factam raris, ita ut lumen præbeant multũ, neq; per eas quicquam intrare possit, quod nocere solet gallinis, inter ipsas duas sit hostium quo gallinarius curator earum ire posset: in caueis crebræ perticæ tractę sint, ut omnes possint sustinere gallinas. Contra singulas perticas in pariete sint cubicula earum. Ad sit quoq; sicut dixi, uestibulum septum, in quo diuturno tempore esse possint, & in puluere uolutari, dicta cubilia sint exculpta in parietibus, aut affixa firmiter, motus enim cum incubant nocet, in cubilibus cum parturierint palea substerni debet, & cum peperint tollas substramen, & recens aliud subijce, eo quod pulices & alia nasci solent, quæ gallinas quiescere non patiũtur, ob quam rem oua aut inęqualiter maturescunt aut corrumpũtur. Quę uelis incubet, negant plus 25. oua incubare oportere, quamuis propter fœcunditatem peperit plura. Palladius autem & mulieres nostræ ultra 17. uel 19. oua non supponunt. Fertur tamen quod in quibusdam mundi partibus inueniunt homines qui furnos adeo temperate calefaciunt, quod eorum calor æqualis est calore gallinę cubantis, atq; in uno furno seu clibano ponunt multitudinem pennarum paruarũ, & mille gallinacea oua, post 20. dies nascuntur ac extra prosiliunt. Optimum esse partũ ab æquinoctio uerno ad autũnale, itaq; quæ antea uel post nata sunt, non sunt sup-

supponenda,& gallinæ quę rostra aut ungues non habent acutos incubare debent,aliæ in concipiendo & ouando potius quàm incubando occupatæ esse cõuenit. Aptissime ad partum sunt anniculę aut bimæ incubantes includere oportet,ut die & nocte incubent,præterquàm mane & uespere cum cibus & potio eis datur,oportet ut curator circumeat diebus aliquot interpositis,& oua uertat,ut æqualiter calefiant,oua si plena atq; utilia sint nec ne aduertere potes si dimiseris in aquam quod inane est natat,plenum desidit,quod intelligere potes si concutias. Item si ad lucem substuleris,quod perlucet inane est. Oua oblonga acuta masculos,rotunda fœminas tribuunt,insuper ponenda oua obseruant ut sint numero imparia oua quæ incubuntur. Habeant semen pulli nec ne curator quatriduo postquam incubare cœperit intelligere potest si contra lumen tenuerit,& purum quod huiusmodi animaduertit esse eijcere debet, ac aliud subijcere. Excussos pullos subducere debet ex singulis nidis, & subijcere excussos pullos ei quę habeāt paucos,ab eaq; si reliqua oua sunt pauciora tollere debet,& subijcere illis quæ nondum excuderunt,& minus habent triginta:hunc enim gregem maiorem non faciendū,ait Varro,diebus 15. primis pullis debet obijci puluis,ne rostris noceat terra dura,eisq; milium optimum & lolium & grana minuta tritici satis competunt,sed gallinarum pabula sunt quibus præcipue delectantur,uermiculi,triticū,& ferè omnia grana,& præcipue dandum est eis lolium,quod eis competit,& hoc est humano corpori inimicū. Vinatiæ cibo sterilescunt,& hordeo semicocto parere sæpe coguntur,& reddunt oua maiora,ut Palladius ait. Pulli parui proferendi sunt ad solem,& sterquilinium,ut in eo uolutari possint,quod ita ualidiores fiunt. Cum iam pēnas habebūt consuefaciendi sunt,ut unam aut duas sectenť gallinas,ut cętere potius ad pariendum sint expeditę,quā in nutricatu occupatæ. Incubare oportet incipere secundum nouam lunā,eò quod plura quę ante incubant non succedunt, diebus ferè 20. excudūt. Circa caueas gallinarum incendendum est cornu,ne serpēs accedat,cuius odore solent interire. Multas à uulpibus & quibusdam alijs animalibus noxijs patiunť insidias,ideoq; circa loca in quib. uersanť extirpanda & remouēda sunt omnia,in quibus uulpes latere possunt ad ponēdas insidias. In nocte claudanť in caueis optime circūquaq; & septis,nec permittanť foras in nocte iacere,ferť enim quod uulpis subdola intueť eas, quantumcunq; in alto existentes loco,ut uideant oculos eius lucentes,ut faculas,& cauda quasi baculo quodam minať eis,ut sic perterritæ cadant & eas rapiat. Patiunť etiam insidias miluorum,& quarundam aliarū rapacium auium,& præcipue aquilarum, contra quas tendantur funes uel uites seu uitalbæ, supra loca in quibus die morantur. Capianť etiam uulpes taliolis,uel alijs artibus & milui retibus,fisco uel laqueis. Pituita his nasci solet,quæ alba pellicula linguam uestit extremā,hęc leuiter unguibus uellitur,& locus cinere tangitur, & allio trito plaga mundata aspergitur. Item allei spica trita cum oleo faucibus infertur,staphisagria etiam prodest,

si cibis assidue misceatur. Si amarum lupinum comedāt, sub oculis suis ipsa grana procedunt, ut ait Palladius, quæ nisi acu leuiter apertis pelliculis auferātur, oculos extinguunt, portulacæ succus forinsecus & mulieris lacte curari eas affirmant, uel armoniaco sale, cui mel & cyminum æqualiter misceantur, pediculis etiam plurimum molestantur, & præcipue cum incubant, quos perimit staphisagria pariter infusa cum uino, & amari lupini aqua, si penetrat secreta pennarum. Vtilitas gallinarum est, quia ex ipsis nascuntur oua, quæ nutriūt corpus humanum multum & subito, quibus utimur in cibarijs infinitis, quæ optime seruari possunt diu si perfricātur sale minuto aut muria per tres horas, deinde abluantur, & furfure ac paleis recondantur, uel semper teneantur in sale, ut quidam dicunt. Item ex eis nascuntur pulli, qui cum sunt adhuc teneri sunt ad cibū optimi, & si castrantur fiunt capones, qui melius cæteris pullis pinguescunt, & sunt laudabilis nutrimenti. Caro etiam ipsarum gallinarū bona est, si adhuc iuuenes sunt & pingues, pennæ etiam ipsarum culcitris imponuntur.

De columbarijs quales esse debent, Cap. LXXXVII.



COlumbaria duobus pręcipue possunt fieri modis aut super columnis & parietibus ligneis muro circūdatis lapideo, aut super turri de grosso muro constructa, & utraq; nidos seu nidorum foramina potest habere. Sed melior est quę in turri de muro quàm de lignamine cōstruitur, & melius est interius nidos habere, nam si exterius habet nidos fimus ipsarum perditur, qui magnæ utilitatis existit, & earum pulli facile à rapacibus auibus capiuntur. Fiat ergo turris lapidea lata uel angusta secūdum domini uoluntatem ac possibilitatē, non alta multum, cum parietibus leuigatis ac dealbatis, albo cemento, habens ab omnibus quatuor partibus eius quasdam breuissimas fenestras seu foramina, ut columbis solummodo ad introitum exitumque sufficiant, sub quibus immediate sit circuitus quidam lapideus eminens circum circa, qui ascensum mustelarum & aliarum nociuarum ferarum impediat, super tectum fenestram habeat, per quam ingrediantur columbi, & exeant qui libenter ad solem super tecto morantur. Sint autem cancellata de lapidibus aut lignis, ne per ipsam rapaces uolucres alis apertis intrare queant. Nidi formantur interius quos quidam faciunt rectos, & mediocriter strictos, quidam obliquos occultantes incumbantes columbas, quædam præterea prouide faciunt fenestrellas latas, & modicum concauas seu longas, plures cultellos paruos circa parietes, & tectū affigunt asserentes in his columbas liben-

bas libentius incubare. Sed experimento didici quasdam esse columbas quæ libentius in muro quam cistellis nidificant, quasdam uero cōtrarium appetere, & iterum quasdam esse libentius in aperto, & super quacunq; re cum nido uel sine nido incumbant, & quędam libentius se occultāt. Ideoq; non inutile puto in columbario cuiuscunq; generis nidos habere, ut diuersis columbarum affectibus satis fiat, quamuis qui in muro sunt à fimo & sexcupedibus mundentur facilius, quod crebro fieri expedit eo quod ab eis cum augmentantur plurimū incubantes columbæ lędantur. Est etiam opportunū quod intra columbarium ponant trabes in pluribus partibus, & præcipue in circuitu, & assides super quibus tempore pluuiarum & niuiū, & tempore superflui ęstus colūbæ in magna quantitate morari ac quiescere possint. Sic enim à loco proprio nō facile deuiabūt, mūdetur etiam crebro ipsarum locus, & undiq; sit decorus, nam in pulchro domo sicut & homines morantur auidius. Et nota quod unumquodq; par tres uel duos ad minus uult habere nidos, licet aliquando augeantur & multiplicentur in tantum quod replent nidos omnes, & solariū atq; trabes, & cętera loca omnia.

Qualiter noua columbaria debent primo muniri columbis, Cap. LXXXVIII.

IN columbarijs nouis columbi senes ponendi non sunt, nam recedunt & ad propria reuertuntur, sed ponendi sunt iuuenes cum pennas completas habent, uel quasi completas. Et ex his qui ponuntur meliores sunt saxaroli & post ipsos turgni, sic à uulgo ex pennarum colore uocati, tales enim in columbarijs melius durare cernuntur quàm cæteri, albi uero uitentur omnino, nam durare non possunt, eo quod ab auibus rapacibus nimis remote uidentur, & quanto plures in primis ponētur tanto uelocius implebitur locus, ponendæ sunt pręcipue mense Augusto & Septembri, uel etiam Iulio, quia tunc facilius inueniunt cibum in agris propinquis, propter quod non elongantur à columbario, nec perduntur. Mense autem Martio, Aprili uel Maio ponēdi non sunt, propter contrariam rationem. Circa quindecim dies ad minus teneantur clausi uel inclusi, erit utilius, quia tunc erunt pinguiores & ad reuertendum peritiores, nam in primis quindecim diebus macræ efficiuntur, quia tunc bene uacare ignorant, & cum inclusi morantur. Et postea quibusdam diebus tribuat eis in columbario copiose bonus cibus & aqua, post dictum tempus aperiant tempore nubilo uel sereno, sed commodius pluuioso, quia tunc exeunt & reuertuntur interius, non subito euolant ad remota.

Qualiter sunt tenendi ut libentius morentur, & bene fructificent, Cap. LXXXIX.

QVi nascuntur in columbario uel parui ponuntur in eo non facile recedunt, sed uadunt quandoq; ad alia columbaria in quib. inueniunt escā, quando non præbetur eis in sua nec in agris inueniunt, & fere omnes

postea tempore quo non egent esca reuertuntur ad sua,& ad hoc ualent plurimum habere columbarium pulchrum & bonum. Si temporibus quibus non inueniunt escam copiose præbetur eis in sua, quod est cum nix uel fortis est glacies super terram, & mense Aprili & Maio aratis stipulis non recedunt, & plurimos fœtus edunt. Cibus autem eis conueniens est frumentum, faba, uicia, milica & cætera genera quæ libenter sumunt, centumq; parijs columbarum detur granorum pars corbis octaua diebus singulis, & duplũ cum nihil omnino per se inueniunt, potus etiam in columbario detur eis sufficiens, quotiens aquã nisi ualde remotam propter æstum uel glaciem inuenire nõ possunt, uel ponatur in aliqua re prope columbaria, ad quam descendere queant, ita pręcipuum & ferè necessarium eis est, quod ipsorum mãsio sit prope locum ubi aqua influat, unde & bibere & ubi lauari possint, permunde hę uolucres sunt, ut ait Varro. Optimum est quod de omnibus granis exhibeatur eis, ut sunt frumenta, faba minuta, cicercula, uicia, orobum, milica, hordeum, spelta, lolia, & cętera grana, ut uideatur quod libentius appetunt, & id præcipue detur eis, ut auidius ibi morentur, & pluries pariant. Palladius ait, quod fœtus frequentant si hordeũ torrefactum uel orobum uel fabam sæpe consumant. Dicit etiam, quod nihil expetunt nisi ut æstate quæ maxime pinguescunt triticum uel milium mulsa maceratum semper accipiant. Est autem mulsa aqua mellis in qua quæcunq; grana mollita sunt eisq; data non recedunt, & alias illuc ducunt, ut à non paucis asseritur. Alij autem dicunt non referre an sit mellita esca an non, cum eis datur esca in uespere potius quàm in mane, ut in die procurent escam sibi quærere, & qui non inueniunt intus inueniãt. Nam si daretur in mane non procurarent alibi inuenire, sed tempore niuis debet in mane tribuere, ne exeant ad loca in quibus capiuntur, cum certum est alibi nõ posse inuenire.

De officio pastorum columbarum, Cap. XC.

Pastor columbarum sæpe debet eis mundare locum, & fimum reponere qui ad agriculturam est optimus, & si quem inuenerit uulneratum curet, si quem mortuum eijciat. Item si qui sunt nimis feri & bellicosi, ut alios lædant, eos inde remoueat, & in alium locum secretum ab alio se ponat. Si qui pulli idonei sunt ad uendendum eos promat, cibum & potum cum opus erit sufficienter eis tribuat. Qui solent saginare columbinos pullos quo pluris uendãt, secludent eos, cum iam sint pluma tecti cibantq; illos pane calido mollificato & masticato uel molli: hyeme bis, æstate ter quolibet die, scilicet mane, meridie & uespere: eos uero qui iam pennas magnas habere incipiunt, relinquunt in nidis, fractis cruribus, matribus nutriendos & impinguandos, uel extrahunt de pennis unius alæ, nam qui ita educantur celerius impinguantur quàm cæteri, ut ait Varro. Item debet eos curare & tueri ab omnibus nocumentis, læduntur enim & capiunt ab accipitre, miluo, & falcone, & cæteris quibusdam auibus rapacibus, quos occidere potest duab. uirgulis uiscatis in terra

defixis inter se curuatis, cum inter ipsas posuit animal obligatum, sic enim ea facile decipere debet & potest. Palladius preterea dicitur oportere rutæ ramulos pluribus locis suspendere contra animalia inimica. Item lęduntur, à faginis, mustelis & cattis, & cæteris plurib. animalibus, quę de raptu auium uiuunt, contra quæ debet custos ostium & omnia loca unde intrare possunt optime claudere, & stasas circumquaq; eminentes procurare ne quid superius per parietē repere possit. Item læduntur ab auibus rapacibus tam diurnis quā nocturnis, contra quas claudat custos de nocte fenestrā, uel si ea aperta intrauerit auis rapax, & ipse audiat spauentum & strepitum columbarum, intret audacter in eam cum lumine, auemq́; capiat & occidet. nec curet de exitu columbarum. Aues autem diuturnas cum uisco uel parua reticula capiat & occidat, fenestram autē de subsellis cancellet & claudat, ut columbi intrare ualeant & exire, nō autem auis rapax, quę solummodo intrat alis apertis. Item molestantur pulli plerunq; sexcupedibus quod custos inquirat, & nidum abijciat, aliumq́; mundum ponat. Item nascuntur eis uarioli circa oculos qui excæcant eos, maxime mense Augusto. Vendendi sunt aut comedendi cum solo capite sunt infecti. Item recedunt aliquando quia non habent quid edant, contra tribuatur eis: uel quia nimium ab animalibus rapacibus infestantur, aut terrentur, contra quę iuuat ipse custos, ut dixi. Item moriuntur ex senectute, nam ultra octo annos non inueniuntur in columbarijs durare, ut dicunt experti. Item debet custos sæpe ad eos accedere, & quotiens in columbarium intrat aliquā escam modicam secum portare tempore congruo, eosq́; semper aliquo certo & consueto modo uocare, ut magis domestici fiant. Item debet custos tegulam figuli pro aqua habere in columbario, quę assidem habeat supra se aliquantulum eleuatam, habentem multos & spissos pedes incisos atq; adhærentes, inter quos possunt caput ponere, & aquam haurire nec in uas intrare, ut aqua munda permaneat.

De utilitate columbarum, Cap. XCI.

NIhil columbis fœcundius, ut ait Varro, nam diebus 40. concipit, parit, incubat, & educit, & hoc ferè per totum annum faciunt, tantūmodo interuallant à bruma ad æquinoctium uernum, pulli nascuntur bini, qui ubi simul accreuerunt, & habent robur cum matribus pariūt, sed experti nostri temporis in partibus nostris dicunt, quod post sex menses pariunt & non ante, & donec uiuunt quatuor uicibus & quinque & sex, & amplius faciunt pullos in anno si escam inueniant uel habeant abundanter, quod si nihil tribuitur ter ad minus pariunt, scilicet in ęstate, pullorum carnes ad esum sunt ualde bonæ ac delectabiles, & libenter emuntur. Item ipsorum fimus est optimus omnibus plantis & seminibus, & potest spargi quocunque tempore anni quotiens aliquid seritur cum ipso semine, ac etiam postea quandocunque, & unaquæq; corbis ipsius æquiualet fimi ouium quadrupedum uni plaustro, nam ex uiginti corbibus satis commode, ex 25. bene, ex 30. optime impin-

guatur iugerum frumenti, si manibus per agrum spargatur æqualiter, & cum ipso grano tunc sato uertatur. Et nota quod tria paria columbarum in anno faciunt corbem fimi, si columbaria nidos intrinsecos habeant, & quanto magis cibantur in eo tanto plus fimi recipietur ab eis, quia diutius moratur in ipso, nec semper coguntur extra quærere uictum. Item est alia utilitas, ut generaliter prędicatur, quod possunt prouincijs cum literis sub cauda uel ala ligatis ad loca longinqua transmitti, si de loco ad quem destinantur delati sunt ad locum unde mittuntur. Item refert Palladius, quod nescio si sit uerum, quod inducunt alios si cymino pascuntur assidue, uel si irici alarum balsami liquore tangant.

De uirtutibus, Cap. XCII.

PRo turturibus locum constituendum prouide magnum, prout multitudinem alere uelis. Item ut de columbis dictum est, ut habeant ostiū ac fenestras & aquam puram, ac parietes munitos tectorio, & in eis habeant multos palos infixos, super quibus commode morare possint, & locum paratum congrue in quo pascantur. Cibatui obijciunt triticum siccum in centenos uicenos turtures ferè semodium, quotidie purgantur eorum stabula à stercore, ne lædantur, quod quidem seruatur & est bonum ad agrum colendū. Ad saginandum aptissimum tempus est circiter mensem, & cum matres eorum plurimos gignunt pullos in quibus maxime fructus consistit. Aucupatores tamen Lombardiæ præcipue Cremonæ tota æstate turtures feras retibus capiunt, & in domusculā clausam & quæ lumē habeat includūt, eisq́ dant cōtinue aquā puram, & miliū quantum sumere uolunt, & usq; ferè ad hyemem uel post partem autumni seruant, sicq; quingentas & mille quandoq; congregant, quæ ineffabiliter impinguantur, & sic impinguatas optime uendunt.

De turdis & merulis & perdicibus atq; conturnicibus impinguandis, Cap. XCIII.

QVi uult prædictas aues uel alias quę pingues care ueniunt habere, locum faciat clausum & tegulis uel rete magno coopertum, magnū secundum quantitatem auium quas includere uolet. In hoc tectū aquā uenire oportet per fistulam, & eam per cannales angustos serpere, qui facili extergi possint, nam si lata diffusa esset aqua inquinaretur facilius & biberetur inutilius, & quę superat ad potum auium per fistulam exeat, ne luto aues laborent, ostium habere debet humile & angustum, quo custos uix intrare queat, fenestras raras, per quas non uideantur extrinsecæ arbores, aut aues, eo quod earum aspectus ac desideriū macrescere facit uolucres inclusos, tantū luminis locū habere oportet, ut aues uidere possint, ubi assidant, ubi cibus, ubi aqua sit circa ostia ac fenestras, talis sit munitio, ne mus uel mustela uel alia bestia intrare possit. Circa huius ędificij parietes intrinsecus multi sint pali, ubi aues assidere possint, & etiam perticæ inclinatę ex humo ad parietes, quibus multæ perticę adnectantur ex transuerso modicis interuallis ad speciem cācellorum,

cibatui

cibatui turdorum ponantur offæ glomeratæ ex ficis & farre mixto, cęteris tribuantur grana quibus uti consueuerunt, & ea præcipue auide sumũt, diebus uiginti antequàm tollere uult turdos, largius det cibum & farre subtiliore incipiat alere. Cum opus est ut ex hoc sumantur armario, excludantur idoneę in minusculum armarium quod est cum maiore cõiunctum: ostium lumine illustriore ibi sit, cum numerum habet exclusum quem sumere uult omnes occidit, hoc ideo in secluso clam debet facere, ne reliqui si uideant terreantur & ante tempus uenditionis moriãtur. Vtilitas & delectatio in his est, quia multi parui precij includuntur, & impinguati care ueneunt & dominorum esui satisfaciunt ad uotũ pro se & quibuscunq; uoluerint quotienscunq; fuerit opportunum.

De sedibus apium & loco ipsis congruo, Cap. XCIIII.

DE apib. tractaturus dicã primo de ipsarum statione seu sedib. de quib. dicit Palladius, quod locari debẽt in aliqua horti parte secreta & aprica, & calida, & à uentis remota. Nam ipsi prohibent pabulum ferre domum (ut ait Virgilius) non longe ab habitabilibus domibus, ut furum & accessus hominum pecudumq; submoueatur, ubi sit abundantia florum quos uel in herbis uel fruticibus uel etiam arboribus procuret industria. Sunt aũt arbores à septẽtrionali partę dispositæ, fons uel riuus sit qui formet humiles transeundo lacunas. Varro autem dicit sedem earum esse oportere iuxta uillam dominicam, sed potissimum ubi nõ resonent imagines, id est, uoces echi. Hic enim sonus fugę existimatur earum esse. Item esse debere, dicit, in aẽre temperato, neque hyeme nimium frigido, ut spectẽt potissimum ad hybernos ortus, id est, ad eam partem in qua hyeme sol oritur, quę propè se loca habeãt ea ubi pabulum sit frequens & aqua pura. Virgilius uero addit, quod ante ipsarum hospitia frõdentes arbores debent esse. Item dicit, quod in aqua quę ibi stabit iners seu profluit, debent conijci transuersæ salices & grandia saxa, ut pontibus crebris possint consistere, & alas pandere ad ęstiuum solem. Iterum ait Palladius, quod podia trinis alta pedibus fabricentur, & opere albario leuigentur, propter lacertarum cæterorumq; animalium noxiam, quibus est moris irrepere, & super podia aluearia collocentur, ita quod imbre penetrari nõ possint, spaciolis inter se distantibus segregata. Item ut Virgilius ait, à loco apum abesse debent oues & hœdi, qui floribus insultant. Item uaccæ ne rorem deglutiant, & surgẽtes atterant herbas. Itẽ abesse debent stelliones & lacertæ, ac hyrundines, cæteręq; aues nociuę, quæ insidiantur & nocẽt eis. Absit etiam grauis odor cœni & quarumlibet aliarum rerum.

De aluearijs qualia esse debent, Cap. XCV.

ALuearia meliora sunt (ut Palladius ait) quæ cortex formauit, maxime raptus ex subere, quia non transmittũt uim frigoris uel caloris. Possunt tamen ex ferulis fieri. Si hęc desunt, salicinis uiminibus fabricent̃, uel ligno cauatę arboris aut tabulis. Fictilia deterrima sunt, quæ & hyeme gelant̃, & ęstate ferue-

te feruescunt. Angustus tamen aditus admittat examina propter frigoris iniuriam & caloris. Sane uentis frigidioribus paries altus obsistat, aditus omnes solio opponantur hyberno, qui in uno cortice duo uel tres esse debebunt, ea magnitudine quæ in gressu apis magnitudinem non possit excedere. Sic etiam noxijs animalibus ingressu resistatur angusto, uel si apes uoluerint obsidere exeuntes alio utentur ingressu, nam si aditus non sunt angusti (ut ait Virgilius) frigore mella cogit hyems, eademq́ꝫ calor liquefacta remittit, utraqꝫ uis apibus pariter metuenda est, sed pro magna parte homines nostri temporis uno solo mediocri utuntur foramine, infra mediam aluei partem. Item debent aluearia esse magna pro magno examine, parua pro paruo, licet in paruo sæpius examine emittant, quia duo examina in paruo simul esse non possunt, alta seu longa sint uno pede & dimidio, uel duobus, & lata circa duos semisses aut modicum plus uel minus. Vir autem expertissimus mihi asseruit, quod meliora sunt aluearia quadrata ex tabulis constructa quàm rotunda. Et melius, quod iaceant anterius parum decliuia quàm erecta, quo commode possint acies una super aliā collocari, & hęc aluearia fundum ab utraqꝫ capite habere debent taliter dispositū, quod inde possint facile remoueri cum opus erit de melle tolli, fundus anterior habere duo foramina parua, & posterior unum in parte insima debet, per quæ ab utraqꝫ parte ingrediantur & egrediātur apes. Retulit etiam se inuenire ipsas melius laborare cum aluear interius sit obscurum, quod argumētum est, quod foramina debent esse parua, & rimulę omnes aluei optimæ sigillatæ, ad quod multum facit eorum industria, uidemus enim quod foramina magna circa hyemem cera obturant, foramine solo relicto ad formam ipsarum.

De Apibus qualiter nascantur, Cap. XCVI.

APes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto (ut ait Varro) secundum modum similem. Virgilius ait magistrum Archadiū primū huius rei fuisse autorē, & inuenisse modum, eligit̄ ergo locus angustus, parietibus clausus, angustoq́ꝫ imbrice tecto, habēs quatuor oblique fenestras, tum uitulus bima quærit̄, huic geminæ nares & spiritus ori multum reluctanti obstruitur, plagisq́ꝫ perempto tonsa uiscera soluūtur per integram pellem, sic positum in loco clauso relinquunt, & ramea fragmēta costis subijciunt, thymum uidelicet casiasq́ꝫ recentes, hoc geritur cum zephyrus primo spirat, antequàm prata uirescant, & antequàm hyrundo ueniat, nidūq́ꝫ suspendat, tunc humor uituli tepefactus æstuat, & apes creat, quæ primo sine pedibus apparent, mox stridentibus pennis miscentur.

Qualiter emi debent, & qualiter deferantur & qualiter inueniuntur. Cap. XCVII.

IN apibus optimæ sunt paruæ, uariæ rotundæ (ut ait Varro) in emendo emptorem uidere oportet ualeant an sint ægræ. Sanitatis signa si sunt frequentes in examine, & si nitidæ, & si opus quod faciūt est ęquabile ac leue,

Minus

Minus ualentium signa sunt pilosę & horridę, ut puluerulentę. Prouidendum est ut plena comparentur aluearia, quam rem uel inspectio uel murmuris magnitudo, uel frequentia cōmeantis uel remanentis examinis probat. Si transferendæ sunt in alium locum id facere diligenter oportet, & tempora quibus id potissimum facias animaduertendum, & loca quo transferas idonea prouidendum, tempore uerno potius quàm hyberno, nam hyeme difficulter consuescūt translata manere, itaq; fugiunt plerunq;, si ex bono loco transtuleris, & ubi idonea pabulatio nō sit, fugitiuæ fiūt. Ex uicina potius quā lōginqua regione trāsferendę sunt, ne terreantur aëris nouitate. Si uero sunt longius aduehendæ, collo nocte portentur, nec collocare nec aperire aluearia debemus, nisi uespere instante. Speculemus deinde post triduum ne omnes suas ianuas examine egrediantur, hoc enim signo fugam arripere meditantur, non tamen creduntur fugere, si stercus primogeniti uituli illiniamus oribus uasculorū, ut Pallad. ait: mense Aprili (ut idem ait) locis apertis apes quæremus, ac primo quam longe aut prope sint exploremus, rubricam liquidam uel quid aliud tingens breui uasculo geramus infusam, & obseruemus fontes aut aquas uicinas, tunc dorsa apū bibentium tangantur illo liquore tincta festuca, & ibidem moremur si cito reuersæ fuerint quas tinximus, hospitia eorum proxima esse cognoscimus, si tarde spacio lōgiore submota quod pro mora temporis extimamus. Ad proxima facile uenies, ad longinqua hoc genere producimus, cannę unum internodiū cum suis recides articulis, & latere aperies, ubi mel exiguū mittes, & iuxta fontem pones cum ad id peruenerint apes, atq; ingressæ fuerint post odorem foramen, pollice composito claudes, & unam tātum patiaris exire, cuius fugam persequere, ea tibi partem demonstrabit hospitij, cum eam ceperis, non uidere cōtinuo emittes alteram, & sequeris, ita singulę subinde dimissę te faciēt usq; ad locum examinis peruenire. Aliqui mel circa aquas ponunt in uasculo, de quo cū apes aquam degustauerint ad cōmune pabulum pergens alias exhibebit, quarum frequentia subinde crescente notata uolantium parte usque ad examina persequeris.

Qualiter tenendę & procurandæ sunt apes, Cap. XCVIII.

CVstos apum procurare debet ut circa ipsarum locum sit abundantia florum, quos uel in herbis uel fruticibus uel arboribus procuret industria, herbas nutriat origanum, thymum, satureiam, serpillum, uiolas, amaracum, hyacinthum, iris, uel gladiolus dicitur, & narcissus creticus, cæterasq; herbas suauis odoris, & floris, in fruticibus quoque sint rosę, lilia, rosmarini, ederæ in arboribus, amygdalus, persicus, pirus, pomiferęq; arbores, quibus nulla amaritudo respondet floris uel succi. Syluestria uero glādifera robora, buxus, terebinthus, lentiscus, cedrus, tilia, pinus, & taxi remoueantur. Supradicta enim dulce mel efficiunt, cætera saporem rustici mellis præbent, ut Palladius ait. Ea pręcipue sunt serēda, si pabulū naturale nō est (ut dicit Varro) quę maxi-

quæ maximè sequuntur apes, ut sunt rosæ, serpillum, apiastrum, papauer, faba, lens, pisum, eginum, medica, maximè ualentibus utilissimũ est, etenim ab æquinoctio uerno florere incipit, & permanet ad alterum æquinoctium autumnale. Sed apium ad sanitatem aptissimum, ad mellificium thimium, his aquã liquidam unde bibant esse oportet, eaq́ꝫ propinquam quæ non fluat, uel in aliquẽ locum influat, ita ut ne profunda ultra duos uel tres digitos sit, in aqua iaceant testæ aut lapilli, super quibus assidere & bibere possint. Diligens habẽda cura est, ut aqua pura sit ad bonum mellificium uehementer prodest, & quia non omnis tempestas grandinum uel pluuiarum aut uenti uel frigoris eas ad pastum prodire longius patitur, præparandus est his cibus ne melle cogantur solo uiuere, aut relinquere examinatas alueos. Igitur ficorum pinguium circiter decẽ pondo decoquuntur in aqua congijs sex, quas coctas in offas sæpe apponunt. Alij quam mulsam in uasculis ut sit prope curant, in qua addunt lanam puram, per quam sugant uno tempore ne potu nimium impleantur, aut incidant in aquam, & singula uasa ponunt ad alueos. Alij uuam passam & ficum cum pistauerint effundunt in sapam, atque ex eo factas offas apponunt ad quas in hyeme ad pabulum procedere possint. Verno tempore & ęstiuo ferè ter in mense mellearius inspicere debet fumigans leuiter eas, & à spurcicijs purgare aluum, & uermiculos eijcere. Præterea ut animaduertat ne reguli plures existant, inutiles enim sunt propter seditiones. Nam duo sunt genera ducũ, ut Mœcen. & Virg. scribunt, niger & uarius qui melior est, debet ergo mellarius intersicere nigrũ, qui alteri regi seditiosus est, & corrumpit aluum, eo quòd fugat aut cum multitudine fugetur, & sic sedabitur apum pugna, ut Virgilius scribit. Mẽse Maio (ut ait Palladius) incipiũt augeri examina, & in extremis fauorum partib. maiores creantur apiculæ, quas aliqui reges putant. Sed (græcis κηφὴν dicitur hoc genus apis,) quia requiem concutiunt quiescentis examinis. Nunc papiliones abundãt quos necare debemus. Item circa initium à sordibus liberandi sunt aluei, quia tota hyeme eos mouere aut aperire non possumus, sed hoc die aprico & tepido facienda sunt, ut pennis maximis auium magnarum quæ habent rigorẽ uel alio simili omnia interiora mundentur, quæ manus non ualebit attingere, tunc rimas omnes quę sunt extrinsecus luto & fimo bubulo mixtis liniantur, & insuper genestis & alijs tegumentis ad porticus similiter operiamus, ut à frigore possint & tẽpestate defendi. Bonus custos mense Septembri debet aluearia uetusta cognoscere, & plena & grauia quæ in ęstate nõ ædiderũt examina uẽdere, ac apes occidere, & facere mel eorũ eo modo sicut infra suo loco dicetur. Item debet custos, ut experti affirmãt, tenere in æstate aluearia cũ subtilibus fragmẽtis tabularum, paululũ eleuata, quo apes uix ingredi & egredi possint, sed non lacertulæ. In hyeme uero cum fimo bubulo peroptime obturata. Item cum nimis depauperantur melle, quod cognoscitur uisu si subtus inspiciatur, facto supra partem mediam paruo foramine ac per ipsum mũda uirgula intermissa exhibeant

hibeant eis mel uel pullum assatum, uel alias carnes. Item dicunt, quod si alueus pinguis est dimittantur hyeme super sedibus suis, si macer, ponatur in medio in loco obscuro, præparato ne mures obsint.

De nocumentis apum & earum cura, Cap. XCIX.

PRouidendum est (ut ait Varro) ne infirmiores à ualẽtioribus opprimantur, eo enim minuitur fructus, itaq; imbecilliores secretas, occiso rege ocioso, subijciũt alteri regi. Si crebrius inter se pugnabũt aspergi eas oportet aqua mulsa, quo facto non modo desistunt à pugna, sed etiam consortiunt se lingentes, eo magis si melle sunt aspersæ, propter odorem auidius applicant se atq; obstupescunt. Si ex alueo minus frequentes euadũt, aut subsidit aliqua pars subsumigandum & prope apponendum aliquid bene olentium herbarum, maxime apiastrum & thymum. Prouidendum uehementer ne propter æstum aut propter frigus dispereant. Si quando subito imbri in pastu sunt oppressi, aut frigore subito, quod raro accidit ut decipiantur, guttis offensę, iacẽt prostratæ, colligendum eas in uas aliquod, & reponendum in tecto loco tepido & bono cinere tepido, plus calido quã tepido, eijciendum super eas, & excutiendum leuiter uas & apes, manu non tangas, & ponendũ in sole quo reuiuiscãt iuxta suos alueos, ut ad domicilia redeant. Si uero ægræ sunt, quod his cognoscitur signis (ut Virgilius ait) quod cõtinue est in ægris alius color, horrida macies multum deformat eas, corpora mortuarum extra efferuutur: aliæ pedibus annexæ ignauæq; ad limina pendent, aut intus in ædibus omnes certant, ignaueq; fame sunt & contracto frigore pigræ, tunc sonus auditur grauior & susurrant, ut in syluis immurmurat auster, & ut mare stridet refluentibus undis, & ut clausis fornacibus rapidus æstuat ignis. Tunc galbaneos incẽde odores & etiam canalibus arundinis melle exhibeas, & proderit si gallæ contritę saporem admisceas, aut arentes rosas, aut frusta carnis assata prębeas, aut uuam passam, aut thymum uel centauream, aut radices herbæ, quæ rusticis uocatur amello, pone in odorifero baccho, & in canistris ad fores apum. Hęc herba cognoscitur, quia in pratis oritur & tollit stipitem uelut syluam, & eius folia plurima circumfunduntur, eius flos est aureus & asper in ore saporis. Fugemus etiã (ut ait Palladius) lacertas & ranas & cætera animalia, quę sunt apibus inimica. Aues etiam crepitaculis terreamus, mense Martio maxime solet apibus morbus incurrere, nam post hyberna ieiunia tithymali & ulmi amari floribus, qui prius nascuntur auidius appetentes solutione uentris intereunt, nisi affueris uelocitate remedij. Præbebis ergo maligranati cum austero uino grana contrita, & in uasculis refrigerata ponantur. Quod si horridæ uidentur, ac cõtractę corpore, silere & mortuarum corpora frequenter efferre, cannalibus ex canna factis mel cum gallæ puluere uel siccæ rosæ coctum debebis infundere. Ante omnia studebis, ut putres partes fauorum uel uacuas ceras quas aliquo casu examen ad paucitatem redactũ non ualebit implere, semper recidas acutissimis fer

ramentis subtiliter, ne pars alia remota fauorum cogat apes domicilia cõcussa deserere. Si propter abundantiam florum de melle tãtum, sed de prole nihil cogitant, & uideris nimietatem, interiectis ternis diebus, clauso foramine, non eas patiaris exire, ita ad generandum se conferent. Nam circa calend. Aprilis curandi sunt aluei, ut omnia purgamenta tollantur & sordes, quas tempus contraxit hybernum, & uermiculi & tineę & araneæ quibus corrumpitur usus fauorum, & papiliones qui stercore suo uermes faciunt. Modus autem occidendi papiliones est hic (ut Palladius ait) uasculum altum æneum & angustum uespere inter aluearia collocemus, & in eius fundo lumẽ ponamus accensum, illuc papiliones conueniunt, & circa lumen uolitabunt, & angustia uasculi ab igne proximo interire cogentur. Tunc fumus stercoris bubuli sicci adhibeatur, qui aptus est apum saluti, quæ purgatio frequens usq; in autumni tempora celebretur. Hęc omnia cæteraq; efficiet custos castus & sobrius, & alienus ab alueis & cibis acribus, & odoris immundi, atq; omnibus salsamentis.

De morbis & industria apum, & uita ipsarum, Cap. C.

APes non sunt solitaria natura, ut aquilę, sed ut homines, nam in his est societas operum ædificiorum, in his ratio atq; ars. Foris pascuntur, intus opus faciunt, nulla horum assidit in loco inquinato, aut eo qui male oleat. Et si quãdo in aëre dispersæ sint, cymbalis & sonis se reducunt in locum unũ, regem suum sequuntur quocunq; ierit & fessum subleuant, & si nequit uolare sustollunt, quod eum seruare uolunt, neq; ipsæ sunt ociosę, nec non oderunt desides, itaq; impetum facientes ab se eijciunt fucos, quod hi neq; adiuuant, & mel consumunt, quos uociferantes plures persequuntur, & paucæ propter ostium aluei obturant omnia: Ne ueniat inter fauos spiritus omnes ut in exercitu uiuũt atq; alternis horis dormiunt, & opus faciunt pariter, & ut in colonias mittũt, horumq; duces faciunt quædam ad uocem, ut mutatione tubæ, tunc id faciunt cum inter se signa pacis ac belli habent. Ex malopunico & cõsparago, cibum accipiunt solum, ex olea arbore mel, sed non bonum, duplex ministerium præbetur ex faba, apiastro, cucurbita & brassica cera, & cibus, itẽ & malo & pyris syluestribus, ex papauere cera & mel, ex nuce gręca triplex ministerium fieri dicitur, & ex lapsano cibum mel & cera. Itẽ ex alijs floribus ita accipiunt, ut alia ad singulas res sumant, alia ad plures. Item ex alia re faciunt liquidum mel, ut ex ciceris flore, ex alia econtra spissum, ut rore marino. Sic & alia mel insuaue, ut ex fico, cytiso bonum, ex thymo optimum, ut ait Varro. Præterea Virgilius ait, quod ipsę aulas & cętera regna fingunt. Sæpe etiam errando in duris cotibus attriuere alas, utroq; animam sub fasce dedere, tantus est amor florum, & generandi gloria mellis, licet sint breuis uitæ, nam ultra septẽnium non uiuunt, quamuis earum genus maneat immortale.

Quando

Quando quare & qualiter exeunt examina, & quomodo præscitur earum exitus, Cap. CI.

EXamen exire solet, ut Varro scribit, cum apes natæ prospere sunt multæ, & progeniem incolumem mittere uolunt, ut olim crebro. Sabini fecerunt propter multitudinem liberorum, quod duo solent præire signa, unum quod superioribus diebus maxime uespertinis multę ante foramē, ut uuæ aliæ ex alijs pendent conglobatæ, alterū quod cum iam uolaturæ sunt, aut etiam inceperunt consonant uehementer, ut milites & populi faciunt, cum castra mouent, quæ primo cum exierunt in conspectu uolitāt, reliquas quę nōdum exierunt expectantes, donec omnes conueniant. Virgilius autem scribit, quod aliquando exeunt ad pugnam, nam sæpe duobus existentibus regibus oritur magna discordia inter eos & eorum sequaces, quod cognoscitur, quia tūc sonus magnus ad modum tubarū auditur, tunc trepide inter se coēunt, pennisq; coruscant, spicula exacuunt, rostris aptantq; lacertos, & circa regem miscentur & densantur, magnisq; uocant clamoribus hostem, tunc erumpent & concurritur, & mixtę glomerantur, & magnus fit sonitus, præcipitesq; cadunt densiores grandine & glande, cum decutitur, ipsi reges per medias acies ingenti animo inter se bellant, fulgentibus alis, nec pugnę cedunt, dum fuga illū aut illum uictor terga dare cogit. Hi motus animorum atq; hæc tanta certamina, iactu exigui pulueris requiescunt, uerum cum ambos ductores & acies reuocaueris, deteriorem ne amplius obsit dede neci, & meliorem repone in aula, nam duo sunt genera, melior est aureus, alter horridus. Item exeunt aliquādo ob inanem delectationem, ut idem Virgilius scribit, quod cognoscitur, quia per aēra uolando ludunt, quod facile prohibere potes, eripere enim debes regibus alas, ne in altum uolare possint. Palladius autem scribit, quod futura fuga seu exitus examinis pręscitur, quoniam per biduum aut triduū ante acrius tumultuant & murmurant, quod apposita frequenter aure cognoscitur.

Qualiter examina sunt colligenda & includenda, Cap. CII.



CVm custos apum uidet examē exiuisse atque in aēre permanere, statim debet puluerem in eas eijcere, & alicuius rei sonitum fortiter facere, ut territæ longe non eant, sed se in aliquo proximo loco suspendant, & cum uiderit ubi se ponere uolūt, herbas uel ramulos arborum in quibus delectātur in perticam bene ligatos ibi apponat, ubi super ipsos se suspendant, & cum omnes ibi conuenerint, eas in terram deponat, & alueū su-

per eas collocet, in quem intrabunt, in proprio loco ubi stare debebunt uespere collocandum, uel paruum alueum odorifero uino consparsum, qui alueolus uocatur, cum pertica ponat in eum locum, ubi se suspendunt, uel se integre suspenderunt, in quem per se uel fumo ingredientur, & cum omnes intrauerint deponantur sub uno scamno, spaciose forato, & nouus alueus optime purgatus, & odorifero uino aspersus, & fœniculis uiridibus aut alijs odoriferis herbis, & pauco melle perfricatus, supra eum apponatur, remoto superiori fundo alueoli, ut in nouam per se uel beneficio fumi domum intrent, cum aqua uespere in suo loco ponantur. Quod si iam in aliquo ramo se suspenderint incidatur acutissimo ferro, & suauiter deponatur, & super eum collocetur alueolus, & fiat ut dixi, cum inhærent uel ramulis uel ad perticam se suspendunt. Quod si examen integrum colligere non potes, & quamlibet partem sub alueo collocare. Quod si contingeret te regem cum una parte habere, omnes alię particulæ ad eum uenient per se ipsas, & si iam in aliquam arborem perforatam intrauerint ad locum unde intrant & exeunt admoueatur alueolus, & per aliquod magnum foramen sub apibus nouiter factum, immittatur fumus, ut in alueolum fugiant desuper collocatum, uel in ramusculos ibi appositos, si alueolus non habetur. Et sic inter plures uices poterunt omnes haberi. Vel eadem arbor si subtilis est cum serra recidat acuta desuper, atque infra, & ueste munda cooperta tollatur, & in nouum alueolum expellatur, uel per se in sedibus collocetur, aut ex ipsa arbore expellantur in totū, & cum se in aliquo ramo suspenderint uel suspendere uolunt, fiat, ut dictum est de his, quæ sponte recedunt. Si autem se suspenderint in herba uel frutice uel alio loco supra quem nouus alueolus poni possit, non est aliud agendum, nisi quod in eo recipiatur, & super podijs uespere collocetur. Item si suspenderint se in aliquo alto uel inepto loco, de quo prædictis modis haberi non possit, excutiantur longissimis perticis, ut in terram cadant, uel in congruo loco se ponat. Custos autem cum talia procurat, ut Palladius scribit, debet esse purus, & ab omni immundicia & odore alicuius acredinis, uel alterius mali saporis liber. Item sollicitus & attentus habens semper aluearia noua parata, quibus recipiatur examinum rudis iuuētus. Nam nouellę apes uagantibus animis, nisi seruentur fugiunt. Exeuntes in aditu suo morant̄ uno aut duobus diebus, quæ statim nouis aluearijs excipienda sunt, obseruabit autem custos assiduus usq; in octauam uel nonam horam mense præcipue Iunio, & cum signa futuræ fugę perpendet, quia post has horas nō facile fugere aut amigrare cōsueuerunt, quamuis aliquæ statim & procedere & abire non dubitent. Item cum ad pugnam exierint, & se in ramo uel alio loco suspenderint puluere uel alia re aspergat, & si unius uberis educatione pendebunt, noscat aut unum regem esse omnibus, aut recōciliatis uniuersis manere concordiā. Si uero duo uel plura ubera suspendens se populus imitat̄, & discordes esse & tot reges esse quot ubera confitent̄. Vbi globos apū frequētiores uiderit,

derit, uncta manu succo meliloti uel apij reges requirat. Sũt aũt paulò maiores, oblongi magis quàm cæteræ apes, rectioribus cruribus, neq; grãdioribus pennis, pulchriores & nitidi, leues absq; pilo, nisi fronte pleniores, quasi capillum gerunt in uentre, quo tamen non utuntur ad uulnus. Sunt alij fusci atq; hirsuti, quos oportet extingui & pulchriores relinqui, qúiue frequenter uagẽtur, cum examinibus suis alis seruentur erectis, hoc enim manente nulla discedit. Si non satis magna nascuntur examina duorum uel plurium uasculorum possumus in unum cõferre, dulci tamen liquore aspersas apes atq; inclusas tenebimus apposito cibo mellis, exigua tamẽ respiramina relinquamus aperta. Quod si uelis aluearium cui per aliquam pestem multitudo subducta est populi adiectione reparare, considerabis in alijs abundantibus, cauandum fauorum & extremitates quæ pullos habent, & ubi signum nasciturí regis inueneris, cum sobole sua recides, & in aluearium ponas. Est autem hoc regis futuri signum inter cætera foramina, quæ pullos habent unum maius ac longius, uelut uber apparet. Sed tũc transferendæ sunt, quando erasis cooperculis ad nascendum maturi capita nituntur exercere, nam si immaturos sustuleris interibunt. Si autem se subitum leuabit examen, strepitu æris ac testulę terretur, tunc ad aluearium redibit, uel in proxima fronde pendebit, & inde in nouum uas herbis consuetis & melle conspersum manu attrahatur, uel in trulla, & cum in eo loco requieuerit, uespere inter alia collocetur.

Quando & qualiter potest apibus de melle tolli, Cap. CIII.

MEnse Iunio secundum, Palladium, aluearia castrabuntur, quæ matura esse ad mellis reditum signis pluribus instruemur, primum si plena sunt, subtile murmur audimus, nam uacuæ sedes fauorum, uelut concaua ædificia uoces, quas accipiunt in altum extollunt, quare cum murmuris sonus magnus & raucus est, agnoscimus non esse idoneas ad metendum crates fauorum. Item cum fucos qui sunt apes maiores grandi intentione perturbant, iam matura mella testantur. Item secundum Varronem, signum eximendorum fauorum est, si intus faciunt globum. Itẽm si fauorum foramina obducta sunt, quasi membranis quia tunc sunt melle pleni. Castrabũtur autem aluearia matutinis horis cum torpent apes, nec caloribus excitantur. Fumus admoueatur ex galbano & arido fimo bubulo, quem in pulmentario siccis carbonibus conuenit excitari, quod uas ita figuratum sit, ut angusto ore fumum possit emittere, atq; ita cedentibus apibus recidentur mella ad examinis pabulum. Hoc tempore pars quinta fauorum dimittitur. Sane putres aut uitiosi faui de aluearijs auferantur, mense etiam Octobri aluearia castrabuntur, modo prædicto. Quæ tamen oportet inspicere, & si abundantia est demere, si mediocritas, partem mediam pro hyemis inopia relinquere, si uero medietas apparet mellis nihil prorsus auferre, sed Varro scribit, quod pars tertia fauorum tãtum modo tollatur pro hyeme, reliquum relinquatur, licet plena sint aluearia melle,

uerum si metuas duram uẽturam hyemem, nil prorsus auferendũ, ut Virgilius scribit, uiri autem nostri temporis ualde experti in talibus affirmant, quod mel debet eis accipi semel tantum in anno, & hoc in fine Augusti usq; ad mediũ mensem Septembris, sed cera corrupta tunc & ante, quãdocunq; auferre potest, ita quod semel mel debet auferri parum uel multũ habito respectu ad paucitatem uel multitudinem mellis in alueo existentis, ad paruitatẽ uel magnitudinẽ mellis in alueo examinis nutriendis, dũmodo ultra quartam partem alicui non tollatur. Modus accipiendi de alueis stantibus est, ut claudatur cum herba foramẽ unum uel plura si sint, ne apes exire possint, & desubtus cum panno molli uel paleis fiat fumus, ut ad partem aluei superiorem ascendant, plicato alueo incidantur faui, cum subtili cultello frequẽter in aqua posita, ne cera adhæreat, & ne remanentes lędantur. Si uero alueus iaceat cum subtili ferro in parte incipiunt postrema, assidi superiori annexi faui primo melle implent, ultimo in anteriori parte laborant, ibiq; morãtur omnes. Ideoq; fundus posterior securè aperiri potest, qui sic dispositus esse debet, ut facile aperiatur. Fauis mellis, furtiue subtractis, reponatur fundus in suo loco, apes autem cum hæc cognouerint omnes accedunt ad uacuatũ locum replẽdum, & cum ipsum reparauerint, & omnia compleuerint, ad partem anteriorem redeunt, ibiq; morantur. Ex quo aperte scire potest, quod locum uacuum repleuerunt.

De melle & cera conficiendis, Cap. CIIII.



MEl ex fauis siue apibus fit hoc modo: ex fauis antequã premantur, tollãtur si qua parte sunt corrupti ac pullos habẽtes, quia malo sapore mellis corrũpuntur, & cõquassati in munda cista ponantur, & sic dimittant donec per se paulatim fluxerint, uel etiam aliquo põdere pressi fluxerint. Est mel crudũ pulcherrimum, deinde coquatur mel uel cera, ut infra dicetur. Cum cõquassatis & occisis apibus fit hoc modo: mẽse Septembri accipiantur aluearia grauia uetusta, quæ pręcedente æstate non ædiderunt examina, & supra fumum & flãmam palearum alueus modicum teneatur, ut apes superius fugiant uel sibi ales comburant: deinde reuolue coopertorium aluei super terram & uangecta ferrea incide baculos existentes in alueo, & optime cum eadẽ mel, cera & apes conquassa, deinde reuolue alueum & coopertorium remoue, ipsumq; alueum super strangecta mastelli mundissima pone, & uangecta fac in mastellum descẽdere mel & ceram, quæ postea in forte castula pone, quam cum ligaueris fortiter comprime aliquo instrumento idoneo, uel cum uite magnatorum ligaminis; uel inter

duas assidiculas positas, in duabus stangetis in parte inferiori ligatis, uel in una concha posita asside ac ponderibus super ipsa stangeta, uel inter duos baculos quos duo teneant homines, & tertius partem supremam stangetæ, fortiter torqueant, & quod fluxerit, est mel crudum, & si pluries dupletur stangeta fortius & melius cōprimetur, deinde uero quod in tasta remanserit, ponatur ad ignem lentū, in cacabo & sine feruore calefiat, & semper tene manus in uase, ceramq́ minutam aperias, donec mel & non cera erit integre liquefactū, & cum mel ex calore palulū cœperit pungere manus omnia intacta repone, iterumq́ preme, ut suprà, nec est damnosum si non prematur acerrime, ut de melle aliquid remaneat ceræ admixtum, cum longe minus ualeat mel quàm cera, & hoc quod fluxerit mel coctum uocatur, quod in uasculis debet poni ipsisq́ apertis paucis diebus haberi, atq́ in summitate purgari, donec inusti refrigerato calore deferueat. Mel nobilius illud erit, quod ante expressionē secundam effluxerit uelut sponte. Cera quæ post fluxum mellis in tasta remansit, siue apes admixtas habeat siue non, ponat in cacabo mundo in quo sit aqua tanta uel plus, ut cera extet, hęc ad ignem teneatur donec sit integre liquefacta, semperq́ cum spatula uel aliquo baculo agitetur, & in dicta tasta grossa ponatur, & fortiter cōprimatur, ut in situlam habentem aliquid aquæ cedat, ibiq́ stet donec sit optime congelata, tunc euelletur & ab omni sorditiæ quæ sit inter ceram & aquam mundetur & seruetur, & si placuerit, ut pulchior adhuc fiat, sine aqua iterum liquefiat, & in uase aqua madido cuiuscunq́ formæ placuerit iterum reponatur. Quicquid in tasta remanserit abijciatur, & ipsa in aqua calida lauetur, & ad fumum ponatur, & sic diu ualde durabit.

De utilitate apum, Cap. CV.

IN apibus utilitas magna consistit, si locum idoneū habeant, & prudēter ac sollicite procurent, nam ex paucis breui tempore multa examina fiunt, nisi magna pestis tēporis eis obsistat, nam in anno semel etiā bis & plerunq́ ter pariunt, & examen emittunt, & sine magnis expensis ac labore tenent, licet nō sint totaliter negligēdę, ex quibus cum augmentū receperint uetusta quinq́ uel sex annorū, quæ parere desierunt, æstate magno precio, quia multā habent ceram, quæ maxime necessaria est, uēdere potes & noua seruare, faciunt etiam cerā quæ maxime necessaria est regibus & prælatis, & quibuscunq́ personis, ut notū est omnibus, quæ satis magno precio uendit. Et quod amplius est die noctuq́ honorē exhibet æterno regi. Item faciunt mel in maxima quantitate quod ualde utile est, tam ad cibum q̄ ad medicamina infinita. Ad ipsarū utilitatē ꝓbandā refert Varro duos fuisse milites in Hispania fratres ex agro Falisco locupletatos, quibus cum à patre relicta essent parua domuscula & agellus non sanè maior iugero uno, circa totam domum aluearia fecisse, & hortum habuisse, & reliquum locum ac spaciū thymo & cithiso semine operuisse ac etiā apiastro, hos nunquam minus, quàm dena milia sextaria ex melle recipere esse solitos. Vnde ait Persius; Nec thymo satiantur apes nec fronde capellę.

PET. DE CRESCENTIIS, DE DIVERSIS ARTIBUS CApiendi animalia fera, LIB. X.

PROLOGUS.



ANtiqui philosophi, quorum intellectus adeò excelse illustratus est, ut utilia humano generi cognoscerent, intelligentes quæ cum sub cœlo sunt ad utilitatē hominnm esse creata subtili cogitauerunt ingenio, qualiter animalia aërea, terrestria & aquatica, quæ propter peccatum primi parentis homini nequaquā obediunt, capere possent, inueneruntq́ multas cautelas, qbus homines usi sunt, & suis ingenijs successiue infinitas, addiderunt artes pluribus ignotas. Ideoq́ue cuncta quæ scire potero, in scriptis reducere intendo, primo tractās quibus modis capiantur aues, secundo bestiæ syluestres, tertio pisces. De auibus autē qualiter capiantur cum auibus rapacibus domesticatis, cum retibus, cum laqueis, uisco, balistis, arcubus, & alijs quibusdam modis, & de bestijs qualiter capiātur cum bestijs domesticatis, cum laqueis, retibus, foueis, & alijs modis. De piscibus etiam quibus modis capiantur cum retibus, cistis, hamo & calce.

De auibus rapacibus in genere, Cap. I.

PRudentes antiqui uidentes quasdam aues per aëra uolitantes, alias capere cautè laborauerunt, auium rapacium genera domesticare, ut quas per se capere non poterant earum auxilio sibi quærant. Et horum primus inuentor dicitur fuisse rex Daucus, qui diuino intellectu nouit naturam accipitrum & falconum, & eos domesticare ad prædam instruere, & ab ægritudinibus liberare, post quem alij multi fuerunt, qui plures ipsorum auium rapacium addiderunt.

De Accipitre, Cap. II.

ACcipiter est auis nota, & eius quidam natura est, ut uiuat de raptu aliarum auium, & ideo semper solus & nunquam sociatus incedit, quia in præda non cupit habere sodalem & quātum potest ad rapiendum prope terram uolitat, ne ab auibus quas capere intendit uideri possit. Ab omnibus quibus insidiatur instinctu naturæ cognoscitur, & cum eum uident aut sentiunt, garriunt, fugiunt, & se quantum possunt occultant. Hæc auis uelocissimi uolatus est, & ideo nisi statim rapit in principio sui motus, sed postea lentus est eius uolatus, & ideo nisi statim rapiat ab auis persecutione desistit, & super aliquam arborem adeò sæpe indignatus se ponit, quod uix ad dominum uult redire. Inueniuntur autem accipitres in alpibus quibusdam nidificare, & meliores omnibus sunt, ut fertur qui nascuntur in alpe de Brasia in Sclauonia. Boni

etiam nasci dicuntur, qui nascuntur in alpibus quæ sunt in confinibus Veronæ & Tridenti. Ex his quidem sunt parui qui cõmuni nomine uocãtur accipitres, & quidam magni, qui uocantur astures. Sunt enim de genere accipitrum sicut coruus & graculus eiusdem generis sunt, & canis paruus & magnus, & idem in pluribus animalibus est uidere, & accipitrũ quidam sunt maiores & sunt fœminæ hi qui sunt maioris uigoris, & quidam sunt minores, & uocantur muscheti & sunt masculi, qui paucæ utilitatis existunt.

De pulchritudine accipitrum & cognitione bonitatis eorum, Cap. III.

Accipitrum pulchritudo cognoscitur si sunt magni, curti, paruum habentes caput, pectus & spallas grossas, & amplas tibias, & pedes magnos & expansos, & pennarum colorem nigrum. Et bonitas quidem cognoscitur qui de nido extractus melior est, & à domino rarò fugere consueuit, & hic uocatur nidarius, uel qui de nido egressus de ramo in ramum matrem sequitur, qui ramarius uocatur, & optimus esse consueuit, secundi meriti est his qui postquam de nido uolauit captus fuit raro consueuit antequàm pennas in feritate mutaret, qui uocatur sorus, sed qui post tale tempus captus fuit raro consueuit cum hominibus uiuere uel morari, si tamen permaneat bonus est, quia in feritate fuit solitus aucupare, & quanto animosior uidetur & audatior per effectum, & meliorem morum tanto ab expertis melior iudicatur.

Qualiter accipitres nutriuntur & instruuntur, & quales capiunt aues, & qualiter mutantur, Cap. IIII.

Nutriuntur aũt nidarij & ramarij bonis auibus, & carnibus pluries, & in die paulatim in hora ut magis dominum diligãt, possunt etiam eis dari oua in parapsidibus fracta & agitata, & in aquam feruentem proiecta, & postea cum digitis simul constricta. Idem fit nisoris à principio, sed cum optime priuati & domestici facti sunt, semel tantum sunt in die pascendi post tertiam, cum digestionẽ compleuerint, & non ante quod per gorgã euacuatam cognoscitur ab expertis, & si cibus de gorga usq; ad diem sequentẽ non descenderet tantũdem sine cibo dimittetur. Item potest bis in die cibari secure, si cibum inueneris descendisse de gorga, & quotiens hoc uideris cibare secure poteris, nisi uelis eodem die uel sequenti aucupatum accedere, quia & tũc accipitrem famelicum esse oportet, ut auidius prædam petat, & facilius ad dominum reuertatur. Domesticantur autem si plurimum tenentur in manu, & maxime in aurora tempestiue, & inter multitudinem hominum, & in rumore molendinorum, & fabrorum, & similium. Instruuntur uero nidarij & ramarij, nam cæteri sunt in feritate instructi, hoc modo cibetur hora nona bono cibo, & sequenti die teneatur in loco ualde obscuro usque ad nonam, deinde accipiatur & portetur ad locum uenationis, & non dimittatur, primo ad aregatas uel gazas neq; ad perdices, quia nimis sunt fortes, & si eas superare non posset debilitaret

eius au-

eius audacia sed dimittatur qualeis, turdis, & merlis & similibus. Quod si Gazas capiat habeas unam captam, & ei multas pennas de alis auferas, & quidem in aliquo fossato absconsus ante conspectum accipitris eam proijcies, & ibi accipiter dimittatur. Capiunt autem qualeas & perdices, aregazas & glanderas siue gazas & multas alias gazas & aues, ut merulos, turdos & passeres, & his similes, mutantur uero quolibet anno, nam ponatur mense Martio uel Aprili in gabia magna specialiter ad hoc facta, & posita ad solē in loco calido, ueluti iuxta muros plagæ meridionali appositas, & completur mutatio pennarum eius in principio Augusti, & in pluribus in medio, & quibusdam in fine, & in quibusdā non completur omnino, & ad hoc ualet si bene pascatur bonis carnibus, & pręcipue auium & ouorum, ut bene impinguentur, tunc enim optime mutant, & quidam dicunt ad hoc ualere cibum stellionum & testudinum & lacertarum. Et aliqui consideranter depilant eos ut nouæ pennæ nascūtur uelocius, sed hoc modo multi iam sunt destructi.

De industrijs & inducendi accipitrem, ut à domino non recedat, Cap. V.



CAueat dominus accipitris ne aliquo modo lędat eum, sed cum uiderit eum natum & uolētem stare super manu, uel pertica suauiter tāgat ipsum & eū eleuet si pendet, & quantum potest consideret mores & uoluntatem eius, & in omnibus ipsius uoluntatem sequatur. Et semper in manu eum cibat, nec sibi in aliquo contradicat, quoniam accipiter est ualde indignantis naturæ: præterea cum mœret, aucupatum non emittat ipsum, nisi eum uiderit bene appetere prædam, & maxime ad regazas & glanderas, nec enim nimis à remotis dimittat, quia cum non potest attingere auem sæpe indignatus recedit, & aliquando in arborem descendit, nec ad dominum uult redire. Item nō fatiget dominus accipitrem ultra modum, nec sit tantum auidus multitudinem qualearū uel aliarum auium habere, quod eum destruat uel irasci faciat, sed cum eas ceperit quas uidet accipitrē libenter appetere, sit cōtentus, & ex ipsa pręda eum cibet, ut sibi suam uenationem sentiat profuisse, & incitetur in amore uenandi.

De ægritudinibus accipitrum & eorum cura, Cap. VI.

ACcidit accipitri, ut calefiat ultra naturam & cōplexionem suam in tantum quandoq; ut febricitet, & tunc erit tactu calidus, & uidebit' tristis: quod quandoq; nuenit ex solis spiritibus inflāmatis ex nimio labore, & quandoq;

quandoq; ex humoribus putrefactis in aliqua parte corporis eius. Et tunc si macer est, parum & sæpe cibetur ex carnibus pullorum & paruarum auium, à passeribus tamen tunc abstinere melius est, quia multum calidę complexionis existunt. Et dictæ carnes dentur sibi in rebus naturaliter frigidis, inuolutæ in seminibus cucurbitarum & cucumerum tritis, aut mucilagine psyllij & similium, uel paulisper coquantur in syrupo uiolato & similibus, & sibi dentur, & ponatur in loco frigido & obscuro super pertica pānis lineis inuoluta, in succis frigidis plerunq; infusis. Et quandoq; infrigidatur & digerere cibum non potest, & tunc similiter est tristis, & tactu frigidus, & color oculorum mutatur ad palliditatē & discolorationē, & tunc teneatur in loco calido, & suauiter in mauu portetur, & paulisper quandoq; ad uolandum mittatur, & dentur sibi carnes auium, & præcipue passerum, & pullorū masculorū, & pipionū coctum aliquantulū in rebus calidis, uelut in uino uel aqua in qua sit saluia uel menta uel maiorana uel pulegiū & similia, & inuoluantur uel in melle uel in puluere seminum fœniculorū & anisorum aut cymini: ita tamen quod nihil omnino sibi detur nisi prius omnis cibus de gorga eius descenderit, & si macer est, sæpius cibetur, si pinguis & minus & rarius, in utroq; tamen casu tēperate cibandus est, donec fuerit liberatus. Quod si nullo modo digerit cibū, sed eum omnino retinet, dicunt experti, accipias cor ranæ & liga eum cum uno filo, & mitte cum una penna in gulam eius, & postea trahas filum, & sic pastū eijciet. Item accidunt ei sexcupedes, & tunc unge pannum circa eum uolutū cum succo marellæ uel absinthij, & sic dimittatur ad solē de mane usq; ad tertiā. Item accidunt ei quandoq; lumbrici, & tunc da sibi super pastum succum foliorum persici, aut puluerem santonici & liberatur. Et quandoq; patitur guttā in articulis alæ aut coxę, & tunc minue de eius sanguine aperiendo modicum uenam, quæ sub ala aut sub coxa existit, cum in ea patitur. Item accidit eis podagra quæ prouenit ex descensu humorum guttarū in nodis pedū & digitorū, & tunc curantur cum lactæ herbæ quæ lactaiola uocatur, ungendo cum eo eorum pedes, & ungendo ex eo panno lineo & ipsum ponendo super perticam, super qua teneatur accipiter, donec erit rupta podagra, & tunc auferatur pannus & ex seuo inungatur podagra, donec fuerit liberatus.

De asturæ, Cap. VII.

Astures sunt de natura accipitrum, sicut in tractatu accipitrum dictum est. Et cognitio pulchritudinis & bonitatis eorum est sicut cognitio accipitris: & nascuntur in alpibus & nemoribus, & domesticantur & instruuntur & nutriuntur sicut accipitres. Capiunt autem perdices & coturnices, phasianos & angutiones & multas similes aues, scilicet annetas, anseres, corniculas, & quasi omnes aues quibus mittuntur, & cuniculos, lepores paruos & magnos, licet eas sine auxilio canum retinere non possunt, feriunt in capreolos paruos & eos impediunt adeò quod canes eos capere possint. Mutantur ut accipitres, & eædem ægritudines eis accidere possunt,

& eodem

æ eodem modo curantur. Veruntamen fortioris sunt naturę, & ideo non de facili infirmantur & moriuntur, & non requiritur in eis tanta diligentia, & sic non facile accedunt ad omnes.

De falconibus, Cap. VIII.



FAlco est auis nota, quę de raptu uiuit & solus incedit ad prædam, sicut omne uolatile rapax, propter causam in accipitre assignatam. Hæc auis mirabilis uolatus est in principio, medio & fine, quę sursum rotando cōscendit, inferius intuitum figens, & ubi uidet anatē & anserem aut gruem, sicut sagitta clausis alis ad auem cum ungue posteriori, lacerandam descendit: quod si eam non tetigerit persequitur fugientem, & sæpe cum auem in fugam conuersam capere non potest, adeò irascitur contra eam, quod post ipsam quodam furore uolitans à domino nimium elongatur, adeò quod non redit ad ipsum. Hæc auis ualde animosa est, & nobilissimi generis. Falcones primo, dicuntur uenisse de monte Gelboë, qui est in partibus Babyloniæ, & inde uenerunt in Sclauoniam ad palum nudum, deinde sparsi sunt per quosdam alios montes arduos in quibus inueniuntur.

De diuersitate falconum, Cap. IX.

FAlconum quidam sunt magni, qui falcones cōmuni nomine dicuntur, & quidam parui qui uocantur Ismerli, & ex magnis quidam sunt nigri, quidam respectiue albi, & quidā rubei, ex coitu prędictorum inuicem generant, uidelicet cum trizolus unius pertica socia sua cum altera permiscetur, & omnes huiusmodi falcones sunt fœminę, & eorū matres trizoli siue tricelli uocantur, sic dicti, quia simul tres in nido nascuntur, duæ fœminæ & tertius masculus, qui propterea tricellus uocatur, qui non sunt tantæ uirtutis ut fœminę, & sunt ualde minores quàm ipsæ.

De pulchritudine & nobilitate falconum, Cap. X.

PVlchritudo & nobilitas falconum cognoscitur si habet caput rotundum, & summitatem capitis planum, & rostrum curtum & grossum, & spallas amplas, pennas alarum subtiles, coxas lōgas, & tibias curtas & grossas, pedes liuidos, sparsos, & qui talis est at plurimum bonus erit, licet aliqui satis deformes sæpe optimi sunt inuenti. Ideoq; falconum bonitas & audacia solo experimento perfecte cognosci potest, ueruntamen eorum bonitatem & desiderium capiendi aues multum auget magistrorum suorum industria, & & eosdem à bono proposito sæpe reuocat imperitia eorundem.

Qualiter

Qualiter nutriuntur, domesticantur & instruantur falcones, Cap. XI.

NOn sunt tenendi super ligno sed solum super petra rotũda & aliquantulum longa, super ea enim magis delectãtur instinctu naturæ & consuetudinis eorundem. Qui ex eis parui sunt, hircina uel pullina carne nutriuntur, præcipue cum aues capere inceperit da ei de prima quã capiet quantũ uoluerit, idem facies de secunda & tertia, ut ex hoc ad raptũ auium & ad obediendum domino animetur. Deinde uero postea stringe eum cum uis quod alias aues capiat hoc modo: scortica gallinam & fac tria purgatoria & da ei madefacta in aqua, & pone eum in loco obscuro, & dimitte usque ad auroram diei, postea calefac eum ad ignem & uade aucupatum, & non fatiges eum ultra quàm uelit, sed solum quantum ipse uult, & auide desiderat, dimittatur ad aues sic enim tecum libenter manebit, & quocunq; ierit ad te redire curabit. Cũ inueneris falconem tuum audacem & cum incenso desiderio aues capere, diligenter considera statum eius in macie & pinguedine, & in quo statu eum inueneris in eodem retinere curabis. Nam quidam falcones se melius gerunt cum sunt pingues, plures autem & ferè omnes in statu medio existentes, aliqui licet pauci cum fuerint macriores, & huiusmodi generis, rubei ut plurimum esse dicuntur, & cum primo mittuntur ad aues ad minores primo mittuntur, deinde ad mediocres, ultimo ad maiores. Si enim primo mitterentur ad magnos & superarentur ab eis, deficiente adhuc potentia & industria quas usu acquirunt, inciperent postea magnas aues & mediocres formidare, sicq; difficulter nimiũ resumere audaciam sibi innatã, quam imperitia sui doctoris amiserat. Plurimũ etiam cõfert falconi ad audaciam acquirendam, si eum tenes multum in manu, & des ei carnis pullinæ hora tertia coxã unam, deinde pone ante ipsum aquam in qua balneetur, postea ponatur ad solem ut siccetur, deinde ponatur in loco obscuro ibiq; usq; ad uesperas dimittatur, deinde teneatur in manu usq; ferè ad primum somnum, postea lumen lucernæ uel candelæ coram eo per totam teneatur noctem, & cum matutina uenerit hora aspergat' uino, & teneatur ad ignẽ. In aurora uero diei aucupatum portetur, & si capiat, quantũ uult de præda sua cibetur. Si uero non capiat detur ei ala una & media coxa gallinæ, & in loco ponatur obscuro. Circa medium febr. falconem in muta pones, & de omnibus carnibus eum cibabis usq; ad unum mensem, postea pones ante ipsum cunctam aquam, prius tamen da ei comedere, et si uides quod non mutat, unge carnem quam ei tribuis melle, quod si adhuc non mutat, accipe ranam et fac puluerem et super carnem pone, mutabit. Et caue ne ipsum de muta tollas antequã completæ fuerint pennę eius, et cum de muta acceperis eum ad calorẽ non teneas, sed plurimũ eum in manu tene, nec postea usq; ad 15. dies cum eo aucupatũ accedas. Capiunt autẽ anates, anseres, agirones, grues, et starnas, et alias aues. Sed fertur quod si comedũt sanguinẽ agironis omne desideriũ capiendi grues amittũt. Si uero carnes solũ sine sanguine comedãt, hoc uitiũ incurrere nõ credunť.

De ægritudinibus quæ falconibus accidunt, Cap. XII.

ACcidunt falconibus omnes ęgritudines quæ superius accidere accipitri dixi, & eadem sunt signa & curæ, quia omnium uolatiliū rapacium ferè eadem est natura. Et ideo de his hic tractare non expedit, unum tamen cognoscas quod falcones sunt fortiores naturæ quā accipitres, & non sic facile infirmantur & moriuntur, si comedunt antequàm cibus de gorga descenderit. Quidam insuper falconarij multos modos regendi falcones narrant, & alias ægritudines eis accidere alias que curas necessarias esse, ex quibus aliqua forsan uera sunt, quæ per multas experientias approbantur, sed multa ex his quæ dicunt ratione carent, & sunt potius apparentia quam existētia. Idemq; si qua hic desunt de cura falconum & auium rapacium, per uiros expertos non semel sed pluries longo tempore suppleantur.

De Ismerlis, Cap. XIII.

ISmerli sunt de genere & natura falconum, & sunt quasi falcocelli paruuli, quod apparet per formam corporis & colorem pennarum, quorum aucupatio potius uoluptatis quàm utilitatis existit. Capiunt autem præcipue laudulas, & tanti desiderij & animositatis sunt ad eas capiendas quod plerunq; persecuti sunt eas in uillas usq; ad clibanum ardentē, aut in puteum, aut sub mantellis hominum. Item capiunt passeres & alias auiculas paruas, de ipsorum autē doctrina & cura plura non dico, quia per superiora satis sciri potest.

De Gyrfalcis, Cap. XIIII.

GYrfalcus est auis rapax maior quàm falco, & est magnę uirtutis & potentiæ, mirabilisq; audacię, adeò ut inuenti sint aliqui audaci spiritu aquilas insultasse. Capiunt autē omnes aues quantumcunq; magnas, & sunt ferè de natura falconum, quare & præcedens doctrina satis sufficit ad nutriendos Gyrfalcos.

De Aquila, Cap. XV.



AQuila est similiter auis de raptu uiuens, quæ propter fortitudinem & audaciam suam uocata est rex auium, nā omnes aues eum timent, sed ipsa nullam. Diuersæ sunt species aquilarū, quædā sunt ualde magnæ, quædā mediocres, quędā paruæ, & iterum quædā sunt nobiliores non appetētes nisi uolatilia & animalia terrestria uiuentia, & quædam quodāmodo ignobiles & degeneres quę appetunt non solum carnes uiuas sed etiam mortuas & pisces mortuos, & descendunt super cadauera asinorum & similium, & tales declinant ad naturam & ignobilitatem miluorum. Aquilę domesticam

domesticant ab hominibus uidelicet quæ paruæ de nido extractæ fuerunt, sed eas quæ diu in feritate fuerunt non esset tutum domesticare uelle, quoniã facile propter suam audaciã & potentiã grauiter lęderent in facie uel alibi instruentẽ. Et domesticantur ut hominibus quærant quaslibet aues magnas, sed præcipue ut capiant lepores & cuniculos & capreolos cum auxilio canũ, & qui aquilam uenatũ portat, debet esse fortis, alioquin pondus ipsius sustinere non potest. Et statim dum uidet canis inuenisse pasturã, aquilam consuetã & instructam debet dimittere, quæ semper super canes uolabit, & cum leporẽ uiderit subito descendet & capiet eam. Nutritur autẽ ex omnibus carnibus, & non facile infirmatur, sed cum leporẽ ceperit pascatur ex ea pluribus uicibus, ut eas postmodũ libentius persequatur. Qui iuxta nidum aquilę habitant, unum ex pullis eius accipiunt, & cum accipiunt timore aquilæ sint armati, & præcipue in eorũ capitibus, & cum pullũ habueris ad unum paruum palum eum in aliquo loco ligabis, hic uociferabit ueniet'q; mater & pater deferentes eidem lepores & cuniculos, si erunt in partibus illis, & gallinas & anseres quæ accipere poteris, & habere: ferunt etiam ei quandoq; cattas & quandoq; uulpes. Nuper detulerunt filio gallinam cum quibusdam pullis existentibus inter pennas matris, qui habiti sine ulla læsione & nutriti fuerunt.

De Gimo & gimeta, Cap. XVI.



Gimus & gimeta sunt eiusdem naturę, & sunt animalia nocturna potius quã diurnana, quia earum oculi de nocte uident melius quã de die. Cũ igitur deformia sint & raro ab alijs animalibus uideantˋ, mirantur aues in uisione ipsarum, et eas uidere appetunt. Tam animatũ brutale, quã rationale in rebus nouis ac insolitis præcipue delectantur. Homines ergo cernentes alias uolucres circumuolare gimo et gimetæ, et eas cum auiditate plurima intueri, excogitauerunt ingenia quibus eas capiunt, ut ipse aues capiant, sed ut meditantibus ipsis homines cum fisco aut retibus sibi quærant, uiuunt autem de quibuslibet carnibus, et præcipue de muribus et noctuis, et cum bene cibatæ fuerint cõpetenter ieiunant duobus tribus uel quatuor diebus. Et gimus usq; ad nouem non læditur, et fœminæ meliores sunt masculis, sicut omne uolatile rapax, et gimeta quidẽ melius tenetur in aliquo columbario uel alio loco sibi simili quàm alibi. Et si bene domesticata fuerint optime capiet mures in domibus existentes, comedunt etiam lacertas et ranas et omnia carnem habentia.

Qualiter aues retibus capiuntur, Cap. XVII.

AVes cum retibus pluribus capiunt modis, & uno quidē modo capiūtur ad Pantherā qua capiuntur annates, & modus quidē est ut iuxta aliquā paludē facias foueā circa sedecim uel uiginti quinq; brachia longam, & circa decē uel duodecim brachia latā, uel maiorē si uolueris, tantum concauam quod circa unam spannā aquæ habeat, & sit à duobus capitibus lōgis acuta in uno angulo, sic quidē fossatus & in alio aliquantulū longa sit casella circa foueā. Sint undiq; spacia plana quanta est retiū latitudo, deinde fiat sepis circumquaq; ne lupi aut uulpes, nec aliqua animalia nociua intrare possint, et aues in eo loco existētes fugare, in prædicta fouea ita 12. uel 16. annates domesticæ die noctuq; morent in hyeme & milica in bona quantitate proijciatur in aquā propter domesticas & syluestres, sintq; domesticæ syluestribus similes in colore pennarū, circa foueas iuxta ripas figant pali quatuor perticarū, quę rete eleuēt, & pali retiarum figātur circa spacia prænarrata, & super ipsam cordā paruorum palorū totum colligat rete, & tam ipsum quā stangiæ siue baculi qui rete leuāt & cooperiant optime, sintq; retia duo magna in utroq; capite cōiuncta uel posita sint retia ut aroli cōiungunt, quæ quidē coopertoriū uocant, quę cum eleuant simul in altum cōiugantur admodū culminis domus paleatæ, & modus quidē eleuandi eas est quod iuxta casellū est furca cum pertica, in cuius capite subtili est retiarum funis annexus, in grosso uero est cista fortis & magna ex terra repleta, quę suo pōdere cum uolueris ad modū quasi machinæ rete eleuabit. Huc confluet multitudo annatarū in nocte per aëra uolantium cum domesticæ uociferabūt. Cumq; in multa quātitate descendēt, retia eleuabis et cum pertica percutiendo leuiter retia omnes syluestres in cucullum retis, quod est in supradicto fossato extensum expelles. Et domesticę quę non timent remanebūt in pantheria, deinde aperies caput cuculli, & facile cum dentibus anates in capite occides, sic q́d una hora mille quandoq; capiuntur.

Modus capiendi grues, Cap. XVIII.



EST & aliud ingeniū quo grues capiunt, cygni, starnę & anseres, quod tale est: in ripis fluuiorū ab utraq; parte figitur arbor altissima, uel duæ simul iunctę, ut lōgior sit arbor, habetq; per totū cuniculos ad ascēsum in summitate tirellā, in qua ponit funus retis. Cuius lōgitudo est secūdum fluminis latitudinē & arborum distantiā, & eius latitudo est ut superius eleuata usq; ad medias depēdeat arbores, deinde homines usq; à remotis ueniant per glareā fluminis omnes uolucres q̄s inuenerint

inuenerint expellentes, quæ uolantes à splendore aquę non discedent donec in rete inciderint. Et tunc declinetur rete cum funibus suis, & uolucres capiantur. Et modus iste locum habet nisi cum tẽpus fuerit nubilosum & aër obscurus, alioquin aues eleuatæ facile à flumine deuiarent.

Aliud. Cap. XIX.

Est & aliud ingeniũ quo capiunt anseres & starne, quod est tale, tẽpore hyemis cum ex gelu & sole puluis est in cãpis segetũ, tendit in segete in uno sulco rete unum lõgum per triginta brachia uel idcirca, et latũ quatuor brachia post tertiam cũ in uesperis capere cupis uel in sero, cũ uis in mane habere, est aũt hoc rete simile uni parieti, habẽs duas stagias eleuantes lõgas secundum dimidiã latitudinẽ retis, & tendit cum duab. brachetis ut paries, sed disponit ut per se eleuet uiolenter, quia hoc ipsum rete per se eleuare non posset, cũque totũ rete in terra firmatũ fuerit totũ sup cordã colligit. Et tam ipsum quã stagię & brachetę & funis trahẽs optime ex puluere cooperitur uel herba, sicque in uno fossato uel alibi aliquantulũ remoto locus coopertus ubi latitet homo qui rete leuare debebit: in loco retis sint duę uel plures anseres domestici syluestrib. similes, duobus paliculis alligati, & duo similiter scorticati, ut illuc syluestres cõsidẽtius ueniãt. Cũque syluestres descẽderint in aliqua parte agri ex opposito uadat socius cũ capello in capite uel alia re in manu loquat aliquid, & ut laborare uideat, alioquin fugerent sicque cõsideranter & caute pducat eas ad locũ retis, quod facile fiet per uniuersũ agrũ quantũcunque magnũ, si hoc facere caute scies, cũque in rete uideris eas, cõsidenter loquere socioque dicas ut rete trahat, uerũ quia hæc auis acutissima est, oportet te omnino cauere ne in mane ad locũ retis accedas, quia statim ppẽderẽt de rore uel pruina pedib. tuis mota, & fugerẽt, & ideo cũ tẽdis in sero statim ibi stellones pone, & per totã noctẽ dimitte, sed cũ capere uis in sero nõ est necessaria hæc cautela.

Aliud. Cap XX.

Item est aliud ingeniũ capiẽdi annates iuxta aquas ubi sabulũ est, & est rete simile prędicto, sed est parũ & satis spissum, & eodẽ modo tendit, & sabulo cooperitur, & locus custoditus est ex aliqua re, deinde sabulo coopertus ut paruum habeat foramẽ, unde uideri possit, & caueat ne per foramẽ flatũ emittat, cũ in loco sunt aues, hic nõ sunt stelliones necessarij, sed per totã hyemẽ ponitur ibi milica & uinacea, ut assuescãt aues locũ frequentare. Cum aũt ibi stare assueuerunt tendas rete, poterisque optime locũ custodire atque uiã introitus longã cauare, & melogarijs & sabulo desuper cooperire. Itẽ rete uel simile spissius tamẽ tẽdi potest optime in areis uel alijs locis ad capiẽdum colũbas, coruos, glãdaras, aregazas, laudulas & omnes aues paruas, quę esca granorũ accipiunt, & cũ poteris facere quod ibi uenire ac stare assuescãt, & postea rete tẽdere, & loco uel paleis cooperire, & hoc ingenium potest habere tẽpore niuiũ, & quolibet alio tẽpore, & erit esca conueniens spelta, faba, milica, lolium, & semina uinacee, & similia, ut frumentum molitum & citriculi uel faseoli, & cum eodẽ rete siue esca poterunt capi aues in æstate cum tempore magnæ siccitatis tetenderis iuxta aquas.

Aliud, Cap. XXI.

ITem est aliud ingenũ quo capiunt cũ retib. auiũ diuersa genera, & pręcipue columbi & turtures, & quædam aliæ mediocris magnitudinis aues, & fere omnes auiculę paruę, falcones etiã & accipitres & omnes fere rapaces aues. Modus aũt est qđ duo retia satis lõga & lata omnibus fere gentib. nota, quę uulgariter uocant parietes, tẽduntur in pratis, uijs & agris, & iuxta aquas remote ab inuicẽ fere, ut est latitudo ambarũ, quarum quolibet habet duos baculos eas eleuantes, cum trahit funis cõmunis, quorũ lõgitudo secundũ latitudinẽ retiarum existit, & unũ cap. cuiuslibet cum paruo palo in terrã firmat, & in uno capite habẽt unum funẽ cõmunẽ, qui ad quendã palum cõmunẽ in terra defixũ adnectit, ab alio capite aliũ habẽt funẽ, qui usq; ad locum aucupatoris quibusdã ramis circũdatum ꝑtenditur. Hæc aũt retia ꝑ columbis & magnis auib. sunt rara & fortia, pro paruis subtilia atq; spissa, pręclicta retia cũ sunt terrę affixę iacẽt in terra elõgata ab inuicẽ, & cũ funis trahit eleuant & cõiuncti flectunt, ac operiunt omnẽ auem uenientẽ ad locũ qui erat uacuus inter utrũq;, in hoc spacio uacuo tenentur colũbi & turtures aliqui excœcati, uel habẽtes palbebras sup oculos, ne aliquid uideãt cũ filo ligatas, uel stãt ibi aues excorticatæ & ungulã loco cruriũ qua stãt rectę ut uideant uiuæ, ꝑ paruis auiculis ponit ibi gimecta, ad quã uidendam libẽter ueniũt, uel tenent ibi auiculæ paruo filo ligatę, ad quas aliæ paruæ accedũt. Accipitres etiã & falcones causa rapiendi descẽdunt. Aucupator aũt nusquã expectare debet, ꝙ aliqua auis accedẽs se in terrã deponat, sed cũ prope fuerit trahere debet funẽ, & auẽ uolantẽ ad terram ꝓsternere ipsamq; capere.

Aliud, Cap. XXII.

EST & aliud genus retis quo auiũ multa genera capiunt, maxime cũ terra est niue cooperta, qđ uulgo uocat arolus, qui ex duobus retibus non multum magnis, sed spissis & fortib. cõstat, & in quolibet capite cõiungunt & in terram affigunt, distãtes in partib. medijs, habẽtes quatuor breues baculos, quib. eleuantur in altũ, nec flectunt ad terrã cum funis trahit. sed permanent eleuati, & simul cõiuncti cum retib. desuper, ad modũ tugurij, hoc rete cum omnib. baculis & funibus optime operit stramine aristarũ, uel paleis & in spacio intermedio tenent cõtinue grana, & cætera cibaria, quæ auibus quæ uenire sperantur sint præcipue grata, cum aũt aucupator perpenderit ibi esse auiũ multitudinẽ latenter inter domusculã ualde clausam, quę ibi debet esse ꝓpinqua & subito trahat funẽ, & fortiter ad unũ palũ in domuscula positũ adnectat, & aues capiat. Hoc ingenio capiũtur facile milui & aquilæ cæteræq; aues sup cadauera ascẽdẽtes, si cadauer totũ uel pars ponat in medio retis. Item eo capiunt uulpes, si gallina nocte ponat in medio, sed huiusmodi rete ꝓ ipsis & aquilis fortius debet esse.

Aliud, Cap. XXIII.

SVnt & alia retia quæ uocantur araneæ ualde subtilia, ne in aẽre facile uideantur, quibus capiuntur multæ auiculæ cum ponuntur erecta in aẽre, duabus perticellis adnexo, in locis quæ auiculæ consueuerunt transire.

Item.

Itē accipitres his facile capiunt͛ similiter & falcones cū circa columbū erecta tēduntur, & eodē modo cęterę aues rapaces. Sed horū duo sunt genera, nam quędam aranea est simplex, & uirgulis adeo leuiter aptat͛, ꝙ cum tangit͛ cadit, auēq; inuoluit. Itē est alia aranea triplicata ex tribus cōposita, quarū media est spissa, & plurimū lata, exteriora duo sunt ualde rara, ac adeo stricta, ꝙ cum sint ad capiendū eleuata ac perticis stantib. fortiter adnexæ, stāt extēsę, mediaq; mollis & lapsa, quę super funiculū superiorē eleuatur, & cum auis incidit transuolat ambo retia rara, & in medio spissa inuoluitur, & cum eo in sacculo quodam pendet.

Aliud, Cap XXIIII.

SVnt & alia retia quib. capiunt͛ perdices, quę sunt lōga & stricta: in medio quandā caudā ad modū sacculi longā habētia. Hoc modo aucupator qui die uenat͛, pannū rubeū cum uirgulis ad clypei modū formatū ante se portat per agrum, pergēs foraminib. duobus inspicit, & ꝑdices inquirit, cum eas uiderit circa ipsas retia tēdat, quibusdā palis affixis ad finē retiarū annexis, & caudam circulis apertā extendit, semper ante se retinens clypeū uersus perdices, quibus extensis se perdicibus appropinquat, & in caudā retiarum paulatim impellit, nō solum timore, sed etiā pedib. si opus erit. Qui aūt nocte uenatur in sero locum inquirit, ubi nocte morātur, & cum aëris integra obscuritas superuenerit ad eundē locum cum igne reuertit͛. Est autē igis cum uase sic formato, qđ nec ipse uidetur, & aperte uidet spacia uniuersa prope se, & per unum agri sulcum accedit, & per aliū reuertitur circa locum in quo perdices reliquit, ut cum eas uiderit ipsas operit cum reti, quod habet apertum in capite pertice formatę ad modum huic negotio opportunum, uel si habet rete supra dictum potest id extendere circa ipsas & impellere ac capere uniuersas.

Aliud. Cap. XXV.

EST & aliud rete qđ expegatorū uulgo uocat͛, satis magnum, quo capiuntur perdices & qualeæ ac phasiani, & quædā alię aues, cū auxilio catuli ad hoc instructi, qui aues inquirit, quas cum uiderit stat, nec ad eas progredit͛, ut expellat. Sed aucupatorē dominū suum retro respicit, & caudā mouet taliter quod ipse aucupator cognoscit aues esse pabulū, ante tamē, & tūc ipse & socius rete trahūt, & aues & catulū operiūt, & sic eas accipiūt. Est & aliud paruū rete in capite perticæ præparatū, ut apertū existat, quo unus solus utit͛ aucupator, & ad qualeas solus cū quasi latorio cuius sonus est ꝑ omnia similis uoci qualeę generis fœmineę ad quē ardēter accedūt masculi, ꝑpe ipsum quos tūc aperit atq; capit.

Qualiter aues laqueis capiuntur, Cap. XXVI.

FIt laqueus quo facile capiunt͛ aues, quę de raptu uiuūt hoc modo: in loco ubi ꝑpe morant͛ aues rapaces uel aliquæ trāseunt, infigit͛ fortis ab utroq; capite arculus, ualde plicatus, ꝑpe quē ab una parte firmat͛ uirgula: in cuius scissura muris cauda infigitur, uel ad quē fructum mortuę carnis annectitur, seu rana, & ab alia pertica fortiter in teram dimittitur, habēs in capite laqueū & quandā paruā cordulā, cū uno stecheto, quo pertica format͛ ad arculū, & ad par

uam incisurã quæ sit in capite uirgulę mus tenẽtis & laqueus circa murẽ extenditur, ac cũ auis murẽ uel aliã rem ut exportet tãgit, pertica dissoluit ab arculo, ac superius eleuat cũ aue rapace, quæ pedib. uinculat. Itẽ fiũt laquei multi de pilis caudæ caballini, in uno funiculo eiusdẽ materię texti, qui tendunt in sulcis frumẽti funiculo à terra eleuato, ultra altitudinẽ auis parũ decliuis laqueis & apertis, ut auis trãsiens capite immisso capiat collo, & hoc modo capiunt perdices in agris, & qualeæ ac phasiani in semitib. nemorũ, per quos transeunt. Aues etiam aquatiles eodẽ modo capiunt, cũ iuxta aqua unde transeũt laquei tales tẽdunt. Colũbæ etiã & aliæ aues multę capiunt ex eis, cum incubãt uel pullos habẽt, si circa nidũ ipsorũ tẽduntur. Itẽ in fabis ac faseolis seminatis capiuntur colũbi ac turtures paruis laqueis, qui uulgariter dicuntur scabellæ. Huius aũt laquei modus est, ꝙ in capitib. parui baculi uel melegarij longitudines unius semissis insiguntur subtilissimæ uirgulæ, altitudinis spãnæ unius, & in medio infigit quędã spina duorũ uel triũ digitorũ in latitudine lõga, hęc scabella opodiat ad ripã sulci, nisi aliqua sit in ripa concauitas, taliter quod spina iaceat in terra in fouea, & uirgulæ sint superius eleuatæ. Iuxta eã ponatur laqueus cum paruulo palo terræ affixus, qui leuiter apertus ammoueatur uirgulis, & teneatur ab eis, & in spina infigatur faseolus, uel faba mollis solummodo unum granum, qđ auis rostro capiat, ac caput eleuans super collum laqueum trahat, plicata scabella cum uirgulis quã sentiens territa caput eleuabit & collum & laqueo capietur.



Qualiter aues capiũtur uisco, Cap. XXVII.

AVes capiuntur uisco multis modis: uno modo ꝙ inuiscant uirgulæ subtilissimæ iuncorũ uel ulmorũ, ubi iuncti desunt uirgulæ, quidã fiunt breues uel lõgę respectu habito ad paruitatẽ uel magnitudinẽ auiũ capiendarũ ab ipsis. Sed primo debet uiscus tẽperari, ut sit bene tenax hoc modo: lauet bene cũ aqua tẽperate calida aperiendo ipsum manibus balneatis, & obusculis mundando. Deinde ad misceat ei modicũ olei oliuarũ ut nõ sit adeò durus, quod pẽnis auiũ in uiscari non possit, quo facto uirgulis inuoluat, ita quod unaquęꝗ uirgula sit undiꝗ inuoluta in duabus uel tribus partibus eius, tertia sine uisco remaneat, quæ tractari manibus possit. Quod si tempus adeò frigidum quod congeletur uiscus, temperetur cum oleo nucum. Hæ uirgulæ paruæ inuiscatæ infiguntur leuiter in uirgis palmonum, quæ sunt perticæ magnæ ramis uiridibus arborum, & pręcipue quercuum fasciatæ, habẽtes in capite superiori quatuor aut quinꝗ uirgas, paulisper eleuatas, in quibus affigunt & paruissimę uirgulę inuiscatę, ac ipse palmonus cum fuerit uirgulis inuiscatus coopertus infigit in terram, in foueola facta in ipsa, ut stet ad formã arboris rectus. Item circa ipsum infigunt rami arborũ, ad quos appendunt caueæ in quibus sint

bus sint multæ & diuersæ auiculæ segregatim qui cantant & uolitãtes per aëra uocant, quæ uocatæ se ponunt super dicto palmone inuiscato, & capite in terram corruunt. Item cum magnis uirgulis inuiscatis capiunt multę magnę aues, & præcipue corui atq; cornices, cum auxilio gummi, hoc modo in locis ubi stare aut unde trãsire consueuerunt, incidit in ramulis arbor aquila, ab alijs arboribus multũ distet, sed aliqui rami frõdibus nudati relinquuntur in ea, uel aliquæ ponunt perticæ super eam, in his infigũtur leuiter uirgulæ magnæ uiscosæ, ac gumus in terra ponit in loco paulisper eminenti, ut melius ab auibus uolãtibus uideat. Quẽ cum aues uiderint uolitant circa ipsum, & uolatu fessæ super arborem inuiscatũ descendunt, atq; in terrã ruunt, quas aucupator pertica persequatur, & eas occidat, nam si manibus capere uellet læderet ab ipsis. Item uisco capiuntur accipitres, cæterę q; aues rapaces, nam in terrã duæ uel tres infiguntur uirgulæ inuiscatæ, modicũ distantes, ac uersus seipsas plicatę in medio quarũ ligatur auis aliqua, ut colũbus uel pullus uel caro aut mus, pro miluis & quibusdam alijs auibus rapacibus quę talia petant, ad quę cum aues uenerint capiunt cordulis. Item capiunt uisco passeres & cæterę aues paruæ uel magnæ, si uirgulæ inuiscatę ponant in locis in qbus cibantur, uel ubi stare cõsueuerunt. Item capiant cordulis seu funiculis inuiscatis regimuli cum ad ficus ueniũt uel ad uuas, & cæteræ aues quæ arborũ fructus furant, si prędicti funiculi suspendãtur ante ficus uel alios maturos fructus ad quos uenire assuescũt. Item funiculis longis inuiscatis capiunt starni qui ualde gregatim uolant, cum habet aliquis sturnus ad cuius pedẽ ligatur funiculus inuiscatus, & in manu tenetur, & dimittit cum cõgregatio sturnorũ prope uidet, tunc enim cum funiculo dimissus ad gregẽ accedit, & cum ipso stricte uolitat, multiq; tangẽtes funiculũ inuiscantur, & ad terrã simul cum eo ruunt. Item uisco capiunt annates cæteræq; aues aquaticæ, cum ex eo inuoluit funis lõgus ex paueris quibus scoria fiunt cõpositus, & pręcipue sero in lacu uel alio loco, ubi dictæ aues sæpe morari cõsueuerunt. Nam aues per aquam natantes in nocte incidunt in funem, super aquam extẽsum, & capiuntur, & sequenti mane captæ inueniuntur. Sed oportet quod hic uiscus sit taliter temperatus quod ab aqua defendat se.

Qualiter aues capiuntur balistis, Cap. XXVIII.

QValiter aues capiunt balistis et arcubus, notũ est omnibus, quod sagittantur ubicunq; sint in terra uel arboribus, sed in his obseruandæ sunt quædã cautelæ non omnibus notæ quarũ una est, quod balistator qui uult anseres uel alias magnas sagittare aues, debet habere bifurcatas sagittas in parte anteriori, ubiq; acutas, quę aliã q̃ tangãt, aut collũ, incidãt: nã sola perforatio cõmunis sagittę uel obtusio non lęderet auem in tantũ, quod remaneret ibidẽ, sed uulnerata recederet, licet ex uulnere finaliter alibi moreretur. Itẽ debet intuitũ cũ sagittat dirigere nõ ad extrauagẽtes, sed ad unã quę sit in medio duarum uel plurium, ut si contingit sagittã ultra in se progredi quod

plerunq;



plerunq; contigit, primā uel ultimam feriat, ne in uanū sagittet. Item qui uult in arborem sagittare colūbos, pulzones, q sunt sagittæ in capite grossæ, debent habere paris pōderis, & cum uult ad auem sagittā emittere, debet cum pede signare locum speciale ubi est, & notare locū in quo est columbus, aut alia auis, & tūc sagittam emittat, si percutit habet quod habere intendit, aliàs sæpe sagittā inuenire non potest, sed eam potest facile inuenire si ad eundē locum uadat, ubi erat cum sagittā emisit, & per eundē locum aliam eiusdē ponderis sagittam emittat, & per se uel per alium uideat, ubi cadit, ibiq; ualde ꝓxime inueniet primā, quā non poterat inuenire. Item q cum balista uel arcu sagittat debet manum sinistrā tenere firmissimā, si uult rectissime sagittare, & est necesse quod habeat balistā uel arcum optimā, & sagittas rectissimas, si recte uolueris sagittare, qui autē arcum balotarum exercet, debet balotas habere æqualis ponderis, & bene rotundas. Item capiuntur alijs quibusdā modis: uno modo ad brenexellū cum gimecta quo paruæ capiunt̃ auiculæ, qui omnibus ferè notus est. Sed est sciendū quod hoc modo capi possunt non solum cum gimecta, sed etiam cum capite cattæ, nam ad ipsum auiculæ ueniunt. Item non solū cum brenexello qui ex duabus uirgulis constat, uerumetiā in quacunq; parte uiæ uel agri si aucupator supra se deferat leue instrumentū ex uinculis frondibusq; cōstrictum, quo ualeat occultari, nec est necesse auiculas excitari solo sono folij arboris seueris, ut communiter fit. Nam & cum sono seminū papaueris inclusarum in cellulis uel alterius rei similis excitari atq; notari possunt: nam & quibuslibet extraneis & inauditis uocibus incitant̃, quia mirant̃ ex eis. Item capiuntur ad brenexellū, rustici utuntur noctibus ualde obscuris: habent enim faculā quā unus defert decliuē prope uirides sepes, in quibus dormiunt, quę cum excitant̃ ueniunt ad ignis splendorē, duoq; alij cum baculis eas mactāt, sunt aūt baculi quidā uelut palæ in capitibus breuiū perticarum ex paruis cōtextis uiminibus. Item capiunt̃ passeres præcipue iuuenes minus sagaces cum faxa seu brechoello, quę est quædā cauea ex iuncis cōstructa, de qua exire ignorāt, cum ad paruos passerū pullos in ea positos ingrediunt̃, nec exire sciunt. Item capiuntur aues in foraminibus colūbarijs, cum mustela domesticata in foramē immissa. Itē capiunt̃ cum cista siue plastella præcipue tēpore niuium, sic pręparata ut auib. intrantibus cadat, in qua grana cōgrua pro esca ponant̃. Cui proderit si multa grana sub eis ponant̃ uel pauca, uelut fila lōgius extra, quib. ꝓducātur ad cistā.

Aliud

Aliud.

Item cum scarbellæ capiuntur porzane in cannosis uallibus, ubi morantur. Est autem scarbellus instrumẽtum quoddam ex duobus arcubus ualde plicatis constructus, ab inuicem parum distantibus inter quos modicum postponitur fructus herbæ cochæ, similis per omnia cerusis, quem accipere uolunt, & collo stringuntur, sed eius forma plurium magistrorum non potest sic aperte scribi ut plene intelligatur, sicut oculata fide cognosci.

Aliud.

Item capiuntur cum curbaculo tempore niuium, quod est quoddam instrumentum ex paucis uirgulis factum, interius concauum, & in parte postrema acutum, habẽs hostiolum quod in terra iacet coopertum palea, quod cum uno uimine in terram infixo eleuatur, & posterius percutit auem ad escam intrantem, quæ intus est, quam aliunde accipere nequit, cum sit undiq; terra tectum. Item quoddam delectabili ingenio capiatur cornix, cum ex ipsis habetur una, nam ipsa duobus ualde breuibus palazolis ad principium alarũ annexis, suprema in terram firmatur, quæ fortiter clamat, ac fugere nititur, aliæq; propinquę curant eam iuuare uolentes, ex quibus ipsa unam rostro & ungulis capiat, & retinet, ut capere possis, & eodem modo aregazas capi posse asseritur. Item fertur ut aues quæ gustant granum uel milium in fece boni uini & succo cacucæ maceratum & siccatum uolare non posse, & poterunt in manu capi.

De capiendis bestijs feris, primo qualiter canibus capiuntur, Cap. XXIX.



Lepores pręcipue capiuntur canib. ad quos inueniendos necessarij sunt canes, qui segusi uel brachi uocantur, qui quãto subtiliores olfactus, tanto meliores existunt. Item necessarij sunt canes ualde ad cursũ agiles qui eos persequũtur & capiãt, qui omnes ad hoc instruuntur, & eos capiendos inducuntur, cum ex captis aliquid datur eis in cibum. A quibus etiam capiũtur capreoli, & aliquãdo cerui, pręcipue auxilio retiarum magnarum positarum in locis unde fugantur. Item ab eis capiuntur uulpes, licet in fuga sunt ualde sagaces. Item capiuntur cuniculi cum inueniuntur remoti à caueis. Item canibus capiuntur apri ac lupi, sed cum auxilio uenatorum, nam raro soli ad eos præsumunt accedere, nisi sint mastini fortissimi, & audaces. Sed ad apros capiendos necessarij sunt pili fortes in ferro cruciferati, quos uenatores uidentes aprum ad se malo animo uenientem in terra firmant,

&ad

& ad aprum dirigunt, qui eo pilo uulneratus usq; ad uenatorem non potest accedere. Et paruus catulus ad hoc instructus per uiam eat, sicq; à canibus occidit, & similiter ab his qui uenantur eundem. Item capiuntur cerui cum ab homine uulnerati sagitta uel pilo fugiũt, & paruulus catulus ad hoc instructus per uiam sanguinis exeuntis ipsum sequitur, donec ceruus semiuiuus uel mortuus inuenitur. Item à canibus inueniuntur & capiuntur ericij & quædam alia animalia similiter capiuntur ab eis.

Qualiter capiuntur retibus, Cap XXX.

CVm retibus capiuntur cerui ut dictum est, & uulpes, ut superius dixi cum de reti locutus fui, quod arolus uocatur à uulgo. Lepores etiam facile capientur retibus, si in ea inciderint, sicut & multæ alię bestiæ ferè.

Qualiter capiuntur laqueis, Cap. XXXI.

LAqueis capiuntur leones aliquando. Item uulpes & lepores cum per aliqua foramina introire solent in loca clausa. Sed hoc duobus fit modis: uno modo quod laqueus sit annexus ad aliquam perticam plicatam adeò fortem, quod feram collo captam in altum eleuet, ac suspendat. Altero modo, ut prope laqueum sit fortis canolus stringens laqueum ferè, caput impediēs etiam ne ipsa laqueum rodere possit.

Qualiter capiuntur taiolis, Cap. XXXII.



VVlpes & lupi præcipue capiuntur quadam taiola ferrea, quæ circa se multas habet rāpiones acutos, & ipsi habent circa se annulum prope se ubi annexi uoluunt, ad quem annectitur frustũ carnis, omniaq; occultata pręter carnem, in terra firmata iacēt. Cum autem lupus carnem dentibus captam eleuat, annulus eleuat rāpiones circa caput & collum lupi, qui cum fortius trahit, & recedere nititur fortius stringit & tenetur. Item fiunt aliæ taiolę quibus in pedibus siue cruribus, omnes generaliter bestię capi possunt, quæ occultāter in itineribus quibus utuntur, quæ sunt talis figuræ aut formæ, quod non nisi oculata fide intelligi posset. Ideoq́ue qui eas habere uult, uideat ab his qui eis utuntur, sicut & ego uidere uolui.

Qualiter capiuntur foueis, Cap. XXXIII.

FOueis hoc modo capiuntur præcipue lupi, fit quædam fouea lata, ut magnus puteus & in terra profunda, quod inde exire non possint. Hæc operitur una rotunda crate, quod non notam, sed quasi operiat foueam

ſub crate in medio alligatur ſtanga longior cratitio, ac rotunda in medio ponitur ligatus anſer uel agnus, & paleis operitur uniuerſus locus, lupus ueniens & uolens accipere anſerem aut agnum, in foueam cadit cum cratitio ſubito reuoluta. Item fouea capitur multitudo aprorum hoc modo: in locis ubi multi uerſantur, agellus ſeritur de milica, quã aliqui ſaginam uocant, circa agellum conſtruitur fortis & alta ſepes, ex uiminibus arborum in una parte relinquitur, apertus introitus eſſe in oppoſito ſepis depreſſa iuxta quam extra ſit fouea ſatis profunda. Cum ipſa ſagina matura erit ad ipſam uenięt multi apri per locum expeditum intrantes, tunc ad locum accedat quandocunq; uult etiam ſine armis & in loco introitus moretur & clamet, quocunq; modo poteſt rumorem ac ſtrepitum faciat, apri perterriti non inuenientes unde exire ualeant, niſi per locum ſepis depreſſum inde proſiliunt omnes extra foueam, quam uidere non poterãt intrinſecus exiſtentes. Item pro lupis, uulpibus, leporibus, & cæteris feris ac canibus & porcis intrantibus & diſſipantibus uineas, fouea fit hoc modo: fodiatur amplius duabus ſpannis, & longa quatuor pedibus aut tribus, & circa ſex uel ſeptem, octo pedes profundam cum ſpundis pollitis & rectis in terra ſolida & uiuente murata in loco, unde ſæpe fieri ab eis tranſitus conſueuit, hoc operiatur primo ex tranſuerſo de groſſis herbis ſiccatis, & poſtmodum ſubtiliſſima terra. Si herba non ſuſtineat terram ponantur ſub ea duo ſubtiles & fragiles baculi ex tranſuerſo, & herba per longum quæ in medio ſeiungat, quod ſi non potes uel non uis facere ſic profundam, pone circa eam ſtangas, uel aſſidiculas ſtrictas habentes multa canicula, ſeu pirolas acutos infixos, & decliues in foueam ac uerſus partem mediam pauliſper plicatos, in quos incluſa beſtia cum extra ſalire uoluerit, capite uel oculis in eos percutiet & læditur adeò quod quieſcit. Et ſi eam mori uolueris, in fundo multos acutos palos infigas, uel ſi aqua multa in ea erit, ſufficiet ad mortem ipſius, quia non poterit in quolibet tramite profunda, ſolummodo quatuor uel quinq; pedibus cum auxilio unius rebalcæ ex uiminibus factæ, ſuper una rotunda ſtrangectę facile uolubili firmata, in quolibet capite cum uno uncino fortiter infixo terræ, in quibus uoluatur rebalca ſit, ab uno capite frmata diſtãs à fouea uno ſemiſſe, in alia parte in angulis & in medio habeat lapides ponderantes annexos, hæc ſtet eleuata quaſi omnino erecta cum una furcula, cuius inferior pars ſit ſuper uno baculo breui, qui ſit in medio foueę ex tranſuerſo, ſuper uno paruulo palazolo ab utroq; capite qui ſit affixus in ripa foueæ in parte ſuprema. Super hoc breui baculo ponatur quædam uirgula per longum foueę, quæ ſuſtineat herbam & terram tantummodo atq; à beſtia preſſa deſcendat, & baculum breuem cum furcula & reblatam cadere faciat, hæc rebalca de die ſuper foueam remaneat ne homo tranſiens in eas ruat, ſi auis uel ſus in eam incidat cum una ſcabella quę gradus aſſidum habeat ex trahi poterit.

De quibusdam alijs ingenijs quibus capiuntur bestiæ feræ, Cap. XXXIIII.

ELephantes capiuntur hoc modo, ipsi cum non habeant genua, iacere nõ possunt. Ideoq; cum dormire uolunt se arboribus acclinãt, & quiescunt: uenatores has arbores resecãt, sed non perficiunt, ut per se ruere possint, sed incũbentibus elephãtibus cadũt, & cum ipsi ruunt à uenatoribus occidunt.

De Vrsis, Cap. XXXV.

VRsi capiuntur hoc modo: homo armatur ferreis armis capite ac undiq; coopertus, cum solo cultello acuto ad latus, accedit in syluã uel alium locum ad ursum, ursus erigitur ad hominem armatum, accedit & amplectitur, armatusq; ipsum tunc euaginato cum manu gladio locum cordis ursi perforat, & sic eum occidit. Vulpes in caueis suis capiuntur hoc modo: habet uenator alueum apum, sed longum plus & minus latum, hic ab uno capite paucis filis ferreis clausus est, ab alio capite habet hostiolum internum ex parte superiori præparatũ, ut possit intus eleuari, superius & non extra exire, descendens hic hostiolus superius eleuatus, permanet cum uirgula parua, hoc instrumentum ponitur in fouea uulpis, cum præscitum ipsum in ea esse pars hostioli ponitur in parte intrinseca foueæ, cæteriq; introitus foueæ qui plures esse consueuerunt claudũtur optime. Vulpes autem exire uolens, in alueum intrat non putans filis subtilibus impediri sicq; uirgulam secum trahit, & hostiolus cadẽs, eum concludit, quę retro cedens fortius claudicat, firmat, uenator autem quandocunq; ueniens, uel si uult ipsam cum alueo supra puteum uel magnam tinam portat, & aperiens hostiolũ ipsum ruere facit in tinam. Cuniculi capiuntur sic: uenator sonans & strepitus agens, eos fugat in cuniculos suos cõcauos, nam ipsi quia pauidi nimium facile fugiunt, ad eorum foueas, ut ibi tutè morentur. Venator autem ponit reticulum apertum, & in terra bene firmatum ante quemlibet introitum, deinde per unum immittit furectum quem domesticum habet rostro clauso, quodã frenello ne aperire possit, ac cuniculos capere & comedere, nec extra exire uelit, hic furectus parum maior mustela horum proprius inimicus, omnes cuniculos extra expellit, sicq; intrant in reticulos & capiuntur.

De muribus capiendis, Cap XXXVI.

MVres multis capiuntur & occiduntur modis, uno modo à muscipulis domesticis, quæ tenentur in domibus: alio modo cum muscipulis quæ fiunt ex paruo ligno cauato, in quo cadit aliud lignum paruum graue tamen opprimens & occidens mures intrantes ad cutim porci positam, & annexam in ea ad quandam subtilem particulam ligniq;, cum tangitur facit quod supra est, cadere super murem. Sed hic modus est adeò notus omnibus, quod non expedit plenius explicari. Item capiuntur quodam asside eleuato cadente, qui ex quadam columella eleuatus sustentatur & tenetur, quadam spatula cutem habente sic præparata quod columella diuisa non aperitur, nisi

De Vulpis

nisi cum mus cutem tangit in spatula eleuatam, & tunc cadit & murem occidit. Item est alius modus, cum in uno modo cannæ grossæ fit in capite arculus cum cordula in qua arcus magna consistit, in media canna foraminis foramen habet in medio, & cutim interius cuidam uirgulæ alligatam, & sic præparatã, quod cum mus per foramen cutim mordet ac mouet arculus & descenditur & acus magna perforat caput eius, eumq́ retinet, ne fugere possit. Est etiã alius modus cum uas aliquod quo exire non possint ad medietatem aqua impletur, cuius superficies operitur spelta quæ natat, quam mus uidens & non aquam, descendit in eam & aqua necatur. Item est alius modus quod uas aliquod operitur mẽbrana, hæc in crucem scinditur, & in medio annectitur cutis porci, mures & accedentes ad eam carthã, seu mẽbranam flectunt, & intra ruunt & necantur, si aqua in eo fuerit, alioquin breui tempore moriuntur, fame nimia coacti, statimq́ cartha sua natura sursum regreditur, ut eodem modo infinitos decipiat mures. Fertur etiam ab expertis, quod si mures in uas sine aqua cadẽtes diu uiuere permittantur, fame nimia coacti se comedunt, fortior uiliorem, quod si tantum relinquuntur, ut remaneat fortior mus solus, & hic permittatur perire, quoscunq; in aliqua parte inuenerit occidit & comedit assuetus, & facile cum ab eo non fugiunt. Item occiduntur resalgario trito & caseo aut farina mixto, quæ libenter cõmedũt, & moriuntur cum sit ipsorum uenenũ. Sed à loco remouenda est aqua, qua sæpe iuuantur si eam bibant. Item capiuntur etiam si super uas unde exire nequeant, ponitur quidam baculus per medium scissus, scilicet una medietas in medio scissa, & sic præparata ut se sustineat, & non murem, in eius medio ponatur nucleus nucis ad quem cum accedit, cum baculo fracto cadit, & si aqua sit in eo, statim moritur, aut si non est occidatur. Item mus facile capitur, si sub circumferentia parapsidis nux ab una parte rupta ponitur, ruptura respiciente interius. Modus cæteris melior ad capiendum mures tam magnos quã paruos hic est: accipe duas assidiculas leuigatas, uno brachio longas, & latas uno semisse, ipsas coniũge, distãtes quatuor in latitudine digitis uel parum minus in parte infima cũ duabus paruulis assidiculis in castris in quolibet capite una, ut eis de subtus sit æqualis, sub ipsis affigẽ cartham de pectore grossam massam in medio ex trãsuerso, sed prope medium non affixam & in tantum restrictã, quod possit inter assides eleuari, ut si descẽdens deformaretur, possit ad suam formam reduci. Item dictæ duę assides desuper in capitibus coniungantur, ac super eas teneatur assidicula in medio habente clauum retortum, ad quem suspendatur frustulum cutis porci, uel non suspendatur dicta cutis: sed in medio dictarũ assidum prope carthã sit, sicut una mastula cum cute facile reuoluatur. Hoc ædificiũ ponat super quæcunq; uasa fictilia seu lignea, unde mures exire nequeãt, & optimũ est quod sepeliat in massa frumenti uel alterius grani, mures intrabũt, & cũ appropinquauerint cuti ruent, & cartha cũ eis descendẽs releuabit, & de qbuslibet accidẽtibus idẽ fiet, neq; muscipulæ per ipsam arturã intrare ualebũt.

De capiendis piscibus, & primo qualiter retibus capiuntur, Cap. XXXVII.

IN mari iuxta planum littus capiuntur pręcipue multi pisces cum reti, quod multi scorticariā uocant, hoc rete est ualde longum & satis amplum & spissum, cordam unius lateris plumbatam & alteram libratam, ut in aquis rectum & extensum permaneat. Hoc rete cum nauicula infra mare defertur, uno capite in terra relicto, ut in aliqua particula eius continuo descendat in aquam cum nautæ fuerint intra mare, quātum rete extenditur arcu, aliter cum illo capite reuertuntur ad littus, & quibusdam ex eis cum illo capite in terram descendentibus, unus in nauicula reuertitur extra rete ad medium ejus, ad hoc ut pisces infra rete comprehensi uidentes se ad terram trahi non prosiliant extra rete, duo autem piscatores ab utroq; capite in terra existentes, trahunt cum piscibus totum rete ad littus, qui sępe multos trahunt paruos & magnos, plerunq; paucos ac etiam nullos, quia in eo loco non erant. Item capiuntur in mari cum quodā rete subtili non multum magno duabus perticis alligato, quod quidam in nauicula existētes apertum in aquam demergūt, & post paululum cum piscibus eleuant. Item capiuntur in fluminibus & cæteris spaciosis locis cum rete, quod transuersarium multi uocant, quod est ex tribus compositum, scilicet uno medio spisso, & duobus extrinsecis raris, habens in uno latere plumbum, in alio lenas, & si ualde longum sit quasdam cucurbitas siccas, ut extēsum in aqua permaneat. Hoc rete fit longum uel breue, secundum quod loci aquæ latitudo requirit, hoc in aquam per magnam oram dimittitur, ut in eum rete natantes incidant pisces qui rara retia transeunt, & inuoluuntur in spisso, ut auiculæ in aranea supradicta, cum de capiendis auibus dicebatur. Item capiuntur in riualibus paruis aquis, est autem riuale rete paruum & spissum, duobus annexum baculis quos piscator manibus tenet apertū, & per aquam ducit, atq; prope ripam cum piscibus claudit. Item capiuntur zaclo, est autem subtile spissum, habēs tentorij formam, in circuitu plumbatum & reuolutū, habens in cacumine lōgum funē, hoc rete piscator super sinistrū brachiū clausum tenet atq; in aquā apertum eijcit, hoc apertū subito ad fundum descendit, & omnes pisces infra se inuentos cōcludit, eosq; cum trahitur secum trahit. Item capiuntur cum negossa quæ est rete ad modū riualis formatum, ad unam perticam cum duobus baculis adminiculantibus à parte annexū, hoc rete piscator extra aquam existens in eam præcipue ubi quiescit immittit, & cum piscibus eleuat, plerunq; etiam sine piscibus, & quandoq; circa herbas & frutices prope terram immittit, & cum pertica percutiens in herbam pisces occultatos in rete expellit. Item capiuntur plurimi in locis angustis uallumq; cum rete quod gogolaciam uocant, quod est rete magnum forte ac spissum, & lōgum habens introitum rotundum & latum, & paulatim angustatur usq; ad caudam, quæ longa est habens multa receptacula in qua facile intrant pisces, & nusquam redire queunt, hoc rete ponitur cum duabus

bus perticis grossis in dicto loco angusto, circa quod est undique ligaminum usq; ad ripam fortis clausura. Cui decem perticæ annectuntur, hoc rete semper die noctuq; tenetur ibidem introitum ad partem superiorem uerso, per hunc locum nullus omnino piscis desursum ueniens trãsire potest, cum nullus sit locus ibi aptus. Descendunt homines in aperto retis ore, deinde in caudam strictam. Piscator uero aliquando diebus interpositis ut ad locum accedẽs caudam retis in nauiculam trahit & appetit, euenitq; aliquando tot pisces præcipue anguillas quæ conglobatæ sunt cum amore feruescunt uel scardinias quæ gregatim incedunt, quod nauicula tenere non potest, cætera etiam genera piscium in talibus aquis morantium capiuntur in eo, sed non in simili quantitate. Item capiuntur in uallibus multi pisces in locis apertis & profundis, in quibus præcipue magni morantur pisces, cum reti quod degagum uocant, quod magnum & latum in profundum eijcitur, & per eum trahitur & cum piscibus eleuatur. Item capiuntur in uallibus non profundis sed latitudinem magnam habentibus multi pisces generum diuersorum, qui cum in talibus aquis morentur hoc modo: Habent piscatores gradellas ferè infinitas de paludosis cãnis instructas, maxima uallium non profundarum spacia palorum auxilio relictis paruulis aperturis in pluribus locis, ad quas ponunt retia parua rotunda in capite ampla & cauda, cum receptaculis suis angusta, & quæ possunt intrare, sed nõ exire possunt, hæc retia semper die noctuq; ibi relinquunt, & quasi omni die ferè mane eleuant cũ piscibus qui per loca spaciosa natantes transire posse per dicta uacua sperabunt. Fiunt etiam ex his craticulis aliquæ taliter inuolutæ, quod pisces intrantes exire nesciant, sed inde extrahuntur cum quodam paruulo reti posito in capite unius perticæ bifurcatæ.

Qualiter pisces capiuntur cistis & ancijs ex uiminibus factis, Cap. XXXVIII.

Pisces capiuntur cistis ex uiminibus factis, quæ in capite sunt amplæ mediocriter & in cauda strictæ, quæ à piscatoribus in aqua stãtibus in profundum ducuntur ad modum ripalium retiarum, & quandoq; tales cistæ sed leuiores ponuntur in capitibus perticarum, & per aquam turbidam ducuntur à piscatore in terra stante, ut supra de negossis narratũ est. Item ex iuncis fiunt, fascæ rotũdę & latæ cum introitu interius stricto, & extra amplo, quę die noctuq; cum pondere unius lapidis dimittuntur in fundo aquæ, habentq; uitem aliquam in cauda ligatam qua extrahuntur, sed duarum formarum fiunt, una forma est, quod sit interius multum ampla rotunda, in cuius fundo ponitur creta mollis & grana ei annexa, atq; intrant quædam genera piscium causa cibi, & exinde exire nesciunt. Alia forma est tota stricta & longa sed in introitu mediocriter aperta, & in medio ualde stricta, deinde lata, & in cauda strictissima, in quam intrant non causa cibi, sed ut ibi occulte morẽtur, nec de ipsa sicut nec de prima exire sciunt.

Qualiter pisces capiuntur hamo, spadernis, calce & fossinis? Cap. XXXIX.

Hamo capiuntur pisces tribus modis, uno modo cum in eo ponitur pisciculus uiuus, cum quo pisces capiuntur rapaces deglutientes hamum cum pisciculo uiuo, hic hamus requiritur, ex ære magnus & fortis, cum forti cordula filo inuoluta prope ipsum, ne rodi possit cordula cuidam paruo paneriatum fasciculo annectitur, & in aquam stantē cum hamo & pisciculo uiuo eijcitur, ibiq́ tota nocte relinquitur. Piscis captus lōge fugere uel se occultare fasciculo impeditur, sicq́ mane à piscatoribus inuenitur. Secundo modo hamus cuidam funiculo ex pilis albis equinæ caudę annectit᷑, & circa ipsum cibus qui à piscibus magis appetitur inuoluitur, ut non uideatur hamus, deinde in aqua proijcitur, ut notū est omnibus, sed in hoc adhibenda est quędā cautela, uidelicet quod piscator sciat qualē escam quodlibet genus piscis auidius appetit, quolibet tēpore anni, nam idem genus piscium secundū uarietatem temporum anni diuersa cibaria quærit, sed hoc scire potest qui captorū uiscera scindit, & inspicit qualem escam cōmuniter assequūtur, uel si diuersas escas modo unam, modo alteram in anno ponit. Item ualet contra pisces cautos, qui escā appensam funiculo accipere nolunt, si habet uirgā & funiculū absq́ hamo, cum qua plerunq́ escam in aquam emittit, ad quā aliqui minus cauti accedūt, eamq́ sine periculo exportabunt, quod cum pluries fecerint hamum eijciet, ad quam omnes etiam cauti & securè accedent. Tertius modus seruatur in aquis profundis, nam in eius manu eijcitur hamus alligatus longo funiculo habenti modicū plūbum per unum brachiū prope hamum, ut descendat ad fundū, ibiq́ teneat᷑ præcipue in currētibus aquis. Talis funiculus manu teneat᷑ digito indice appodiatus ab eo qui sit in naui uel ponte, cum sentiet piscē capere hamū fortiter trahat, primo ut in eius infigat᷑ ore, deinde paulatim trahatur, donec ipsum piscē manu capiat, qui rarissime paruus erit, cum soli magni morentur in fundo, licet aliquando discurrant per partem mediam uel supremam. Cum spadernis capiuntur præcipue tineæ. Sunt etiam tres acus ex ære retortæ ac simul ligatę, quæ quibusdam breuibus funiculis annectunt᷑, ac ipsi omnes non multum distantes cuidam funiculo longo his apponit᷑ caudarum cancrorū uel lumbricorū grossorum esca, & in aqua sero extenso iactātur, & mane captæ tineæ tollunt᷑. Calce uiua capiunt᷑ pisces, si ipsa ponatur in sacco, & in aqua maxime stante in paruo loco inclusa, hic saccus à duobus per totā aquā fortiter agitetur, ex hoc omnes pisces quasi cœci uenient in superficiē aquæ ac manibus facile capientur. Item capiunt᷑ grossi pisces fossinis in aquis dyaphanis. Est autem fossina ferreū instrumentū habens multas acuitates, quarū quęlibet habet barbalā ad tenendum, & sunt aliquantulū distantes ab inuicem, quod piscator habet in capite hastæ lanceę, uaditq́ cū eo quiete in naui per aquas, & cū piscē uidet eū fortiter ferit, & infixum tenet, idem faceret existens in terra & in aqua turbida, si piscē uideret.

PET.

PET. DE CRESCENTIIS, DE MATERIA TOTIUS OPERIS commodorum tractans, LIBER XI.



N superioribus libris diffuse dictum est de omnibus operationibus ruris, sed quia memoria hominum breuis est, & rerum singularium turbæ non sufficit, ideoq; uisum est utile, materias tractatuum quæ possunt generaliter exprimi, compendiosis secundum ordinem libri concludere regulis, ut sola noticia ipsarum plurium generaliter habeatur memoria.

De cognitione loci habitabilis in communi, Cap. I.

RVris exercitia fortitudinem habitatorum, operantium industriam & aptitudinem quærunt, ideoq; loci salubritas præcipue querenda est, aër & uenti, terræ situs & aquæ bonitas locum habitabilem fertilem & salubrem demonstrat. Vir prudens prædia empturus, ante omnia loci salutem consideret, ne in eorum emptionem & domorum fabricam pecunia collata, uelox postmodum eum personarum detrimento aut rei familiaris damno, pœnitentia non sperata sequatur.

De cognitione aëris, Cap. II.

AEr calidus est & humidus, si nulla causa intrinseca conuertatur, aër bonus est qui putrefactus non est, neq; caliditatis aut alterius qualitatis excellentiam habet, sed in his omnibus æqualis aut æqualitati proximus inuenitur. Aër temperatus & clarus salutem efficit habitãtium & conseruat, & plantæ ab eo proportionabiliter conualescunt & fructificant, inæqualis uero & uaporum, lacuum & stagnorum & immixtione turbatus contrariũ operatur & tristificat animam, humores commiscet, & plantas corrumpit. Omnis aër qui cito infrigidatur, cum sol occidit & cito calefit cum ipse oritur, est subtilis, contrarius non existit, econtrario, aër omnibus deterior est qui cor constringit, & aëris attractionem angustat. Aëris salubritatem declarant loca ab infimis uallibus libera, nebularum noctibus absoluta, & habitatorum sana corpora.

De cognitione uentorum, Cap. III.

VEnti meridionales absolute considerati calidi sunt & humidi. Septentrionales frigidi & sicci. Orientales autem & Occidentales quasi temperati, sed in quibusdam locis meridionales sunt frigidi, cum parte meridiei eisdem fuerint montes niuosi & Septentrionales calidi, cum transeunt peradusta deserta.

De cognitione aquarum, Cap. IIII.

AQua frigida & humida, si nulla causa extrinseca fuerit immutata. Aquę fontium terræ liberæ in qua nulla extrinseca malarum dispositionum & qualitatum superat, sunt alijs meliores. Aquæ petrosæ bonæ sunt, nec facile terrestri corruptione putrescũt. Aquæ fluminum currentes sunt alijs meliores, si super terram liberam non fœtidam nec lacunosam incedant, & quę ad orientem tendant & multum a suo elongantur principio, sunt omnes meliores. Et quæ ad septentrionem uadit bona est, quę uero ad meridiem uel occidentem fluũt sunt malæ, & maxime cum meridionales sufflauerint uenti. Aqua laudabilis est in qua cito res coquitur, si nullus odor in ea superat nec sapor. Aquarum eiusdem dispositionis quæ leuior est, melior iudicatur. Sublimatio & distillatio similiter & decoctio aquas rectificans malas. Ex aquis laudabilibus sunt aquæ pluuię, præcipue quæ cum tonitruo in æstate proueniunt, licet propter earum subtilitatem facile putresiant. Aquæ puteorum & aquæ ductuum comparatione aquarum fontium non sunt bonę, præcipue quę de plumbo fistulas habent. Aquę malę sunt lacunales, paludales, sanguisugales, & omnes quibus miscetur aliqua substantia metallina, grossę autem sunt glaciales & niuosæ. Aqua temperate frigida sanis melior est aquis omnibus, appetiũ enim excitat, & stomachum fortem facit. Calida uero contrariũ operatur. Aquę salsę macrescere faciunt, & exiccant, turbidæ uero lapidem & oppilationes creant. Si aquæ bonitas uel malitia ratione discerni non potest, incolarum salubritate noscatur.

De cognitione loci situs habitabilis, Cap. V.

LOci caliditas, & frigiditas humiditatis, & siccitatis dispositio, altitudo & profunditas, aquarum multitudo & paucitas, & earum malitia & bonitas, montium, lacuum, paludium & maris uicinitas, Iterum terræ ipsius dispositio, quæ lutosa uel humida, cœnosa, minerosa, seu petrosa. Situs indicat qualitatem. In locis calidis habitantes denigrantur facies & capilli, & eorũ corda sunt timida, citoq́ senescunt, in locis frigidis existentes sunt audaciæ maioris & melius digerentes, quæ si humida fuerit, crassi & carnosi teneri & albi erunt, in locis morantes humidis pulchrarum sunt facierum, & eis diuturnę accidunt febres, & cum exercitantur cito aduenit lassitudo, in siccis uero exiccantur complexiones & corpora obfuscantur. In locis habitabilibus altis morantes sunt sani & fortes, laboris multum patientes, & uiuunt diu, profunda uero loca contrarium operantur. Habitantes in locis petrosis, habent aërem in hyeme ualde frigidum, & calidum in æstate, corpora eorum dura fortia & multorum capillorum existunt, multum uigilantes, inobedientes, & malorum sunt morũ, & est in eis bellorum fortitudo, & in artibus solertia & acuitas. Ciuitas ab oriente aperta, & ex opposita parte cooperta est sana, & boni aëris, ea uero est infirma quæ contrarium situm habet. Incolarum habitudo secundum sanitatum uel ægritudinum genera situs indicat qualitatem.

De tumbis

De tumbis & domibus, Cap. VI.

DOmus & tumbæ seu areæ & curiæ magnitudo fieri debet in rure, secundum domini facultatem & quantitatem animalium nutriendorũ, & fructuum portandorum ad eas, tutæ autem sint & fortes, foueis & muro uel spinis secundum potentiam domini & oportunitatem in locis illis, nec expositæ insidijs furium & latronum. In tumbarum munitionibus fructiferæ arbores non plantentur, ne fructuũ auiditate desiderata munitio dissipetur, in eis etiam arborum aliquarum non procuretur augmẽtum, sed omnes ad munitionis fortitudinem & decorem domorum fundamenta latiora quàm paries esse debent, & usq; ad terram profundetur solidam, quę si desit, quartam partem fabricæ mersisse sufficiat. Arena quæ manu comprehensa ædit stridores, uel quæ manu respersa nihil sordis reliquit in panno lineo candido, egregia est & utilis fabricanti. In duabus arenæ partibus, calcis una miscenda est, quod si æquali mensura misceatur erit fortissimum cementum inde commixtum. In fluuiali quoq; arena si tertiam partem testæ, cretæ addideris operum soliditas mira præstabitur. Ligna pro ædificijs optima sunt quæ mense Nouembri aut Decembri ceduntur, & maxime si ultra medullam incisa super radice quibusdam relinquuntur diebus, & ea sunt præcipue durabilia quæ à parte meridiei montium sunt incisa.

De puteis & cisternis, Cap. VII.

PVteus si fons desit mense Augusto uel Septembri, & loco idoneo fiat, ab omni letaminis seu putredinis palude remotus. Cum aqua ducitur aliunde, diligẽtis erit aquarum receptacula fabricari, ut sufficientem copiam inops uena procuret. Vbi cisternis utimur, anguillas piscesq; fluuiales ponamus in eis, qui suo natatu aquam continue moueant, & à corruptione præseruent. Vbi aquis fluminum utimur, tutum est cisternulas habere, cum sabulo quæ eas à terrestreitate liberent, & claritate decorentur.

De præsentia dominorum, Cap. VIII.

PRæsentia domini profectus est agri, & qui deserit uineam, deseretur ab ea, rusticorum importuna uoracitas, nihil timet nisi dominorum præsentiã & cautelam.

Regulæ secundi libri, & primo de qualitate terrarum, Cap. IX.

TErra naturaliter frigida & sicca, sed accidentaliter sæpe rebus intrinsecis immutatur. In terris fœcunditas quærenda est, ne alba & nuda gleba sit, ne macer sabulo sine admixtione terreni, ne creta sola & areno si pulueris lapidosa macies, ne salsa uel amara uel uliginosa, ne uallis nimis opaca, sed sit gleba putris & ferè nigra & ad tegendum se graminis sui crate sufficiens, quæ protulerit, neq; scabra sint neque retorta, nec succi naturalis egentia. Frumentis dandis utilis terra est, quæ naturaliter profert ebulum, iuncum, gramen, trifolium, calamum, rubos pingues, pruna syluestria, lappas,

sarsana, cicutam, maluam, urticam, & cæteras similes herbas, quæ latitudine & pinguedine foliorum lętum solum & fœcũdum demonstrant. Vineis utilis terra est, quæ corporis aliquatenus rari atq; resoluti est, uirgultaq; nitida procera fœcunda sunt, neq; intorta neq; debilia, neq; macra exilitate languẽtia. Situs terrarum nõ adeò planus, ut stagnet, nec præruptus ut defluat, nec arduus, ut tempestates nimium sentiat & calores, sed in his omnibus utilis semper & æquata mediocritas requiratur. In frigidis prouincijs orienti uel meridiano lateri, in calidis uero septentrioni ager debet esse oppositus. Inferior pars terrarum pinguis, grossa & frigida est, superficies uero macra, subtilis & calida. Quatuor sunt agrorum genera, uidelicet satiuum & cõsitum, compascuum & nouale, satiuus ager est qui pinguissimus est, & seritur omni anno. Omnis ager qui calidus est & humidus mollem habens superficiem & porosam, cultui facilis est & ferax. Eligendus est ager pinguis & rarus, qui minimum laborem petit, & fructum maximum reddit. Secundi meriti est pinguis, densus, hic enim si multo labore colatur, tamẽ ad uota respondet. Illud autem genus terrarum est pessimũ, quod siccum & spissum, macrum & frigidum est. Terra sicca & adustione sterilis effecta & salsa uel amara nullam recipit medicinam: quę uero humore superfluo infœcunda est, fossatis conuenientibus emendatur. Colles montium siccitatem & macredinem patiuntur, ualles autem ipsarum pingues existũt, & humidæ propter pinguedinem, quæ ad ima decurrit, ideoq; tales agri per latera sulcandi sunt, ut in sulcis stet retenta pinguedo, nec oportet comminui glebas, ne pluuijs impetuose superuenientibus mota terra cum omni semine feratur ad uallem. Noualis ager est qui primo ad cultum reducitur, uel qui ad pristinam uirtutem redit per quietem unius anni uel plurium. Conseri non cõuenit plantis ager puluerulentus & siccus, quia planta quærit locum solidę continuitatis in quo radicetur, & floreat, & fructum ferat.

De aratione, fossione & cultu, Cap. X.

ARationis & fossionis quatuor sunt utilitates in genere, uidelicet terræ apertio, eiusdem adæquatio, agri commixtio, & eiusdem comminutio. Obseruandum est, ne lutosus ager aretur, neque si fuerit nimis siccus, nam terra quæ lutosa tractatur toto fertur anno tractari non posse, nimis uero sicca plurimum laboriosa est, & non potest comminui, ut oportet. Si ager qui post longas siccitates, fuerit imbre leui perfusus, aretur per triennium fieri, quasi sterilis affirmatur. Ager fortis glutinosus & adulterinis herbis repletus, quatuor arationes requirit. Poroso autẽ & mundam & subtilem terram habenti, sufficit forte una, uel duabus aut tribus ad plus arationibus est contentus, quælibet trium uel quatuor arationum, fructibus addit proportionabiliter sui numeri quantitatem, quotiens fructus laboris excedit meritum, insistendum est cultui, si uero labor utilitatẽ fructus excellit, relinquẽdus est locus talis. In locis siccis agri maturiꝰ, in humidis uero serius proscindunt, Qui arãdo

crudum

crudum solum inter sulcos relinquit, suis fructibus derogat, terrę ubertatem infamat. Fœcundior est enim culta exiguitas quàm magnitudo neglecta. Seruandum est autem ne inter sulcos terra non mota relinquatur, & glebæ sunt malleis dissipandæ. In agro periclitantur interiora, nisi colantur extrema. Si lapidosus est ager, per multas partes saxorum turba collecta purgari poterit & arari. Iuncus, gramen & salices & cęterę herbę nocuę frequenti aratione mense Iulio, uel lupinorum seminationem uincuntur.

De seminatione, Cap. XI.

IN terris frigidis maturius autumnalē oportet fieri sationem, ut segetes aliquid roboris ante hyemis aduentū accipiant, in calido uero & pingui agro differatur satio in quantum potest, ne ipsius tempestiua satio herbarū inutilium luxuria suffocetur. Si humidius nimis ager non autumno, sed uere seratur, cui pręcipue competit faba et linum, quę radicibus euulsis superfluam humiditatem consumunt, quæcunq; seruntur in uere locis calidis maturius, frigidis uero serius conserantur. Autumnalis autē satio contrarium actum quærit, exiles campi uel aquosi maturius, pingues uero serius seminentur. Item aquosi autumnali tempore maturè serantur. Si ager plurimū pinguis & ferax non seratur semel, uel pluries omni anno, luxuriabit in spuria diuersarū herbarū, quod postea sine magno labore non poterit emendari. Omne triticum solo uliginoso post tertiam sationem in genus siliginis cōmutatur. In quolibet semine duo sunt, uirtus uidelicet formatiua quam habet è cœlo, & substantia formalis quæ figuratione recipit in planta & plantæ organa. Omnis seminatio fieri debet cū semen auxilium maius habet è cœlo. Hoc autem est in primo ætate lunæ, quia tunc iuuantur calido humido, & uiuifico lumine solis & lunæ similis. Omnis satio quę fit cum sol ab ariete in cancrum progreditur est perfecta & autumnalis, tunc radices mouebuntur in debitam suæ substantiæ quantitatem, uernales etiam in matrice terræ iacentes tunc pullulabunt sole temperato, coadiutę germinabunt & florebunt ante tempus siccitatis æstiuæ, cauendū est ne ultra mensuram semina iaceantur in agro, quod si fiat macilenta & non proficientia erunt. Attendēdum est ne quæ iactantur semina sint corrupta, sed ea optima sunt quę anni non excesserint ætatem. Omnium surculorum uel frugum genera præclara, sed terris tuis experta cōmitte, in nouo enim genere seminū ante experimentū non est spes tota ponēda. Semina locis humidis citius quā siccis degenerant, omnia legumina seri iubentur in sicca terra, faba tantummodo in humida terra iubetur spargi. Licet temperatis agris serendum sit, tamen si siccitas fuerit, semina iacta non minus in agris quàm in horreis seruabuntur.

De aqua plantarum, Cap. XII.

AQua melior omnibus ad irrigandos agros & maturandū letamē est paludalis seu fouearū ex pluuijs & roribus cōgregata. Cōfert etiā plantis aqua puteorū & fontium, postquam eam calefecerit splendor solis.

De letamine

De letamine, stercoratione & immutatione plantarum, Cap. XIII.



NImis humido & pingui letamine plantæ substantia nascentis & putredine inficitur, sapor fructuum immutatur in peius, & repletur talis planta superfluis folijs & mollibus ramusculis infœcūdis. Optimum letamen est fere omnium auium & quadrupedum, quod in uia corruptionis est, & non calore naturali destitutum & incineratum existit. Letamen plantę naturam immutat magis quàm cibus animal quod nutritur ex eo, natura plantarum melius per letamen quā per modum aliquem immutatur. Frigida & humida terra optime per incensionem cespitum & cineris emendatur. Stercorum congestio suum locum tenere debebit, qui abundet humore, & propter odoris horrenda à prætorij conuertatur aspectu. Cineres loco letaminis optime sparguntur in agris, stercus quod uno anno requieuerit satis est utile nec herbas creat, si uero uetustius est, minus proderit. Recētia stercora prosunt pratis ad ubertatem herbarum, maris purgamenta si aquis dulcibus eleuantur reliquis iuxta uicem stercoris obtinebunt. Stercorandi sunt agri spissius in colle, in campo rarius, cum luna minuitur, hoc enim herbis si seruetur officiet. Non debēt æstiuo tempore plures cuniculi letaminis spargi quàm eo die poterunt inarari, non prodest uno tempore nimium stercorare, sed frequenter & modice. Ager aquosus plus stercoris querit, siccus minus. Si letaminis copia desit optime pro stercore cedit ut sabulosis locis cretam, frigidis uero argillā, cretosis & nimium spissis sabulum spargas, hoc enim segetibus prosicit, & uineas pulcherrimas reddit. Vel seminentur lupini, qui cum ad debitum quasi augmentum peruenerint euertentur. Lutum de fundo lacuum & paludū acceptum pinguem & fertilem facit agrum. Omnino autem conuenientissimū plantarum nutrimentum est, letamen in palude temperata & humiditate putrefacta nutritum, & conuenienti stercore commixtum. Agri collium in partibus superioribus plurimum & sæpe, in medijs parum & rarò fimandi sunt, in imis uero fimatione non egent.

De quibusdam principijs plantarū & operationibus earū, Cap. XIIII.

SEptem sunt sine quibus nulla omnino nascitur planta uidelicet triplex calor, circuli cœlestis, loci & seminis, & triplex humor, scilicet materiæ seminalis, terræ, & pluuiarum desuper uenientium, & agri continens. Plantæ opera sunt uti alimento, augere et generare. Venter arborum est terra, in qua omnem impuritatem ita relinquunt. Arbores infigunt radices deorsum

in terram, ut ex ea sicut ex stomacho nutrimentum sugat, quod si eas in superficie tantũ spargant, cito arescunt. Certum est arbores non semper augere quã diu terrę radicitus adhærent, sed omnium natura constantiũ esse quantitatẽ determinatã inter duos terminos maximi in suo genere plantæ. Sugendo per poros habent nutrimẽtum, & de eo quod extrinsecus à spiritu eleuatur in gẽmas formatũ omne quod gignunt. Plantæ raras porosas & calidas habẽtes radices, nutrimentũ attrahunt plusquã digerere possunt, & ideo fructus generant putrescentes, nisi superfluũ humidũ educatur. Multitudo ramorũ ex abundantia nutrimenti & calore solis arborẽ undiq; tangẽte, qui succum euocat ad exteriora procedit. Caro seu pulpa in fructibus à natura creatur, ut semen in terram decidens ab ea fimetur, & facilius cõualescat. Arbores quandoq; fructuum alternis proferunt tantũ annis, propter nutrimenti defectũ & uirtutem exhaustam, quę sufficienter nutriri non possunt ramos & fructũ, nisi per cõuenientem requiem fuerint renouatę. Omnis planta quę ex semine oritur est syluestris, quia semẽ à syluestri radice procedit, & per stipitẽ & ramos transit, ut uirtutem totius arboris acquirat, ut possit sibi simile generare. Cum aliqua radix inciditur ex ea plerunq; nascunt̃ aliæ quæ plãtam nutriunt loco eius. Si arbor uetusta uel nimium cõsumpta inciditur, debiliter pullulabit, aut sola gramina uel fungos producet. Syluestrium arborũ fructus sunt plures, sed minores & acriores propter nutrimenti siccitatẽ, domesticarũ uero sunt pauciores, sed maiores & magis dulces, propter oppositam rationẽ. Omnis planta mascula priusquã fœmina pullulat, propter calidũ fortius mouens, & eius folia strictiora sunt propter masculi siccitatem, quædã plantæ alias impediunt à generatione & fructu, sicut corilus & caulis, uitem, lolium, segetẽ & nux ferè omnes alias propter pernecabilẽ amaritudinẽ eius, ideoq; diuersorũ plantationẽ & sationẽ simul plerunq; cauere oportet. Omnis plãtatio indiget seminali humido, terminato loco, cõuenienti aquæ siue humore tẽperato nutriente, & aëre sibi consimile & ꝓportionali, ut nascat̃ & crescat. Plantæ calido tẽpore uegetant̃, in umbra noctis & solis feruore liquescunt. Plantæ hyemali tẽpore humorẽ in radicibus cõgregant, quem in æstate dispergunt in ramos & augent illos. Omnia quæ in superficie terræ nascunt̃ ex uaporibus desubtus ad superficiem pertingentibus oriuntur. Fructus mõtium saporosiores existunt quàm uallium, quia digestio melius completur in eis.

De poris plantarum, Cap. XV.

SVccus & humor per poros radicis attractus, ad similitudinem plantæ ex digestiuo calore terminatus ad eam nutriendam. Radices quantũ ad nutrimenti tractũ sunt ori similes, sed quia in fundo calorẽ uiuificum totæ plantæ similitudinẽ cordis habent. Medullæ in plantis sunt sicut nucha in animalibus. Nodi creati sunt in omnibus plantis multũ medullosis & cõcauis, ut retineant nutrimentũ & spiritum, ex quibus eas augeri & uiuere oportet, donec fuerit cõuenienter digestũ. Cortices in plãtis sunt sicut coriũ in animalibus

non ex cōtexione uenarū, sed ex humore terrestri expulso ad superficiē genera ti. Foliorum materia est humor aquosus non bene digestus, aliquantū cum fece terrenitatis cōmixtus, quib. saga natura fructus à superfluo feruore tuet'. Fructus materia est uapor siccus, unctuosus ad perpetuandas plantarū species, ab anima uegetabili generatus, foliorum substantia ex subtiliori generatur humido perfecte digesto, qui primo ebulliens calore ortum fructum antecedit.

De plantatione & generatione plantarum, Cap. XVI.

Arborum & cæterarum plantarum quædam generantur plātatę. Quędam ex semine, quædam ex commixtione elementorum & uirtute cœlesti. Rami qui sine radicibus plantantur, si solidæ fuerint substantiæ & scindantur inferius cum panguntur, ut facilius attrahant nutrimentum. Arbor cuius semen debile fuerit, melius ex ramis seu radicibus quàm ex semine conualescit. Plantæ humidę aquaticæ molles quocunq; modo terræ infigantur de facili radices emittunt & conualescunt, quęcunq; plantę calidæ sunt licet duræ, ramis in terram infixis conualescunt. Quia earum caliditas fortiter attrahit nutrimentum. Omnes plantæ quę aromaticos, calidos & siccos habēt fructus conuenientius plantantur in montibus, eas uero quæ solidos & humidos fructus ferunt, magis congruit in uallibus plantari uel seri. Arbores paruum & debile semen ferētes ex semine & ramis plantari & cōualescere possunt, ex semine tamen plantatio est periculosior, & in longam nimis speratur ætatē, & syluestris ex eo nascit' planta: ex ramis uero citius cōualescit, & inde domestica nascitur non syluestris, si ex domestica planta fuerit ramus acceptus. Arbores quæ semen magnum & forte producunt, ex eo melius quàm ex ramis proueniunt. Arbores nullum ferentes fructum, ex ramis uel radicatis plantulis cōualescunt. Si conserendus locus ab animalium rodētium accessu nō est tutus, in aliquo loco clauso per bienniū rami uel semina nutriri oportet, in terra soluta, dulci & aliquantulum stercorata, deinde ad loca disposita transferātur. Omnis nouella planta frequenti fossione & tempore magnæ caliditatis irrigatione iuuetur. Spacia inter arbores uel uites seruanda, secundum arborum magnitudinem, loci pinguedinem & consuetudinem approbatam. Omnis planta in solo arido uel decliui profundus, & in humido & depresso minus profunde plantetur. Si plantatio fit in terra cretosa sabulum misceatur, in sabulo creta, in macra uero plus letaminis apponi oportet. Cū planta trāsfertur, nisi parua fuerit, eisdem cœli quib. ante steterat cardinibus opponatur. Cum plantam in scrobē deponis, quod de radicibus læsum inueneris amputabis. Cū plantant' ne terra nimis mollis aut sicca sit cauere oportet, potius tamen sicca quā mollis existat. In aridis seu mōtuosis locis ante hyemem. In humidis uero seu ualliculosis in uere plātationes fiant: sed in tēperatis utroq; tēpore cōuenienter plātatur. Si ponenda sunt arborū semina pręcipua eligantur mense Ianuario, non amplius quaternis digitis sub terra mergant'. Qd' si locus calidus & siccus fuerit Octobri ue.

Nouembri mense ponuntur. Rami qui sine radicibus plantantur melius conualescunt si mense ponantur Martio, cum iam cortici se uiridis succus insuderit, aut etiam mense Octobri, cum nondum uiuificus plantę spiritus fugam habuit ad radices. Ramusculus qui plantatur torquendus non est, ne alio modo uexandus, uerum si duræ solidęq; substantiæ sit, proderit si pars scindatur inferior, & & in scissura immittatur lapillus. Rami plantādi sunt lęti, succosi, nitidi, gemmis spissis & pluribus oculati, ad unam materiam sint redacti. Ramis plantandis qui nimis longi fuerint cum ponuntur amputantur congruè summitas, & in cōuenienti longitudine relinquuntur, ut in salice, uite, oliua, & cæteris his similibus.

De insitionibus, Cap. XVII.

Omnium insitionum melior est similium in similia secundum genus, ut piri in pirum, & uitis in uitem. In nimis duro stipite incongrua est insitio, quia in eum uenas radicales immittere nequit, sed in eo in quo parua est durities, & multa succositas optime conualescit. Surculi inserendi sunt steriles succosi de nouo nati, gemmis spissis & pluribus occulati, & ab orientali potius quā ab altera parte decisi. Diuersitas in malis & piris & cæteris fructibus ab insitione arborum eiusdem speciei tota processit. Insitio in magnis arboribus quibus cortex grossus & pinguis est, inter lignum & corticem fiat. In subtilibus uero fit conuenientius scisso ligno. Licet insitio multis temporibus fieri possit, ea tamen pręcipua est, quę fit eo tempore quo gemmæ incipiunt esse suspectę. Verum arbores resinam producentes antequàm ipsa fluere incipiunt, conuenientius inseruntur. Insitio ad bucellum fieri non potest, nisi cum iam cortex separatur à ligno. Est autem optimum scissum ab una parte buccellū apponi, & uirgulæ summitatem relinqui donec buccellum cōprehendisse uidet. Insita planta nutrimenta à stipite trahit in tantum, qđ postquā cōualuit raro permittit trunco sub nodo aliquid pullulare. Omnis insitio quanto inferior tanto melior. Nam fructus magis domesticat & melius conualescit.

De medicamine arborum & terræ, Cap. XVIII.

Si uetustarum arborum scindantur radices, & in scissuris lapides immittātur, melius attrahunt nutrimentum, & sic aliquando fiunt fertiles, quas sterilitas inuadebat. In ueteratis plantis per abscisionem ramorum redit iuuentus, nisi iam peruenerint ad ultimam senectutem. Omnis planta domestica subtracto cultu syluescit, præcipue si ad sabulositatem & arenositatem conuertatur, & omnis syluestris domesticatur adhibito cultu. Cultus in domesticandis arboribus, in conuertendo, fimando, uel adæquando naturę arboris terram, & in abscisione spinosorum uel superfluorum, & in insitione, consistit. Quotiens ager mala dispositione consistit, sapiens agricola eum ad laudabilem dispositionem immutat. In agro nouali ad cultum redacto, facienda est extirpatio syluestrium stirpium & radicum, quæ omnem sugunt agri humorem. Noualis ager pluribus annis fertilis est, deinde oportet adhiberi letamē,

si ferax debeat permanere: uel nisi sit pinguissimus interponi quietem, præsertim quando cum substantia herbali & paleari plantæ in eo satæ aut metuuntur aut radicitus euelluntur. Cum humor uiuificus & spiritus agri per semina & plantas attrahitur, eisdem terra destituitur, & determinato tempore quiescēs, ad agrum iterum reuocatur: uni citius, alteri tardius, secūdum quod ager agro fœcundior inuenitur. Quæcunq; cum labore & expensa uirtute perficiuntur, nisi quiete interposita restaurum accipiant, dissoluuntur & corrumpuntur. Si necessitas cogit de salsa terra sperare aliquid, post autumnum plantanda uel serenda est, ut malitia eius hybernis imbribus eluatur, aliquid etiam terrę dulcis uel simi uel arenæ subijciendum est, si illi uirgulta committimus.

De munitionibus, Cap. XIX.

IN cretosis terris quę facile ruunt ripæ fossatorum parum pendentes, in rubrica uero uel glareosa terra & similibus quæ non facile ruunt plus fieri possunt ubi multa necessaria est munitio uinearum, & aliorum locorum. Ex spinis solummodo plantationes fiant, ubi autem est tāta necessitas, & lignorum habetur penuria propter ignem & ædificia, ex arboribus tantum fiunt, cum sit aliqua plantatio spinorum uel arborum propter sepes iuxta terram post biennium rescindantur, ut pullulant & sepes inspissant.

Incipiunt regulæ tertij libri de horreis, Cap. XX.

HOrrea frigida uentosa & sicca, & longe ab omni humore & fœtore & stabulis esse debēt, eisq; aër debet esse aduersus, nihil utilius est diu custodiendis frumentis quā optime exiccata inferant horreis, & aliquando in uicinum locum transfusa refrigerentur. Locus in quo frumenta ponuntur, non sit nimium excellens in frigore uel calore, quia utrunq; segetes corrumpit. Cum legumina tarde seruntur debent in aqua letaminis madida seminari, ut citius germinare cogantur. Omne granum quod in pingui solo oritur est pinguius, nutribilius & in pondere grauius, quod autem in macra nascitur est cōtrarium. Frumentum & cætera grana patenti campo lætantur, & eisdem umbræ inferunt lęsionem. Locis humidis & aquosis frumētum sępe degenerat, & in lolium & auenam quandoq; conuertitur, frumētum collis grano robustius est, sed mensurę minus respondet. Omnia grana, pręter milium diutius in suis stipulis quam excussa seruantur. Omnia quę tempore seruntur ęstiuo, solutam terram requirunt, cretamq; refugiunt, quam sola milica si pinguis fuerit, non formidat.

Regulę quarti libri de uineis, Cap. XXI.

CVm inueniantur multæ uinearum uarietates, unusquisque suæ patriæ morem obseruet, alioquin laboratorum eos procurantium patietur defectum. Cœlum mediocris qualitatis uitis desiderat, tepidum magis quam frigidum, & siccū potius quā umbrosum, procellas niuium uentosq; formidat. Aquilo uites sibi obiectas fœcundat, auster nobilitat, in arbitrio itaq; nostro est de uino plus habeamus an melius. Campi largius uinum ferūt, colles nobilius.

nobilius. Locis frigidis à meridie uineta ponantur, calidis à Septentrione, temperatis ab Occidente uel Oriente. Loca naturam sępe uitibus mutant, & ideo earum genera conuenienter aptentur, plano loco uitem statuas quæ nebulam sustinet & pruinas collibus, quę siccitatem perfert & uentos, pingui agro graciles & fœcundas, macro feraces & solidas, frigido & nebuloso eas quæ hyemē celeri maturitate præueniunt, aut quæ duris acinis inter caligines securius florent, uentoso tenaces, calido genere teneriores & humidas, sicco eas quæ pluuias ferre non possunt. Eligenda sunt genera quæ natura uitiorum suorum contraria loca diligunt, his in quibus durare non poterunt. Placida sanè regio & serena tutè genus omne suscipiet. Industrius uir probata diligat, & locis talibus mādet, quæ mutari possint illa unde sumuntur. Solū ad uineas ponēdas nec spissum nimis, nec resolutum, neq; exile, nec latissimum esse debet, nec cāpestre, nec præceps, nec siccum, nec uliginosum, nec salsum, nec amarum, sed quod inter omnes nimietates temperamētum tenebit, & propius raro quā depresso fuerit. Ad uineas rudes agros & maxime syluestres eligimus, deterior omnibus est in quo fuerint uineta uetusta. Quod si necessitas coëgerit prius multis arationibus radices prioris uineæ dissipentur. Omnis locus, pastinandus prius impedimentis omnibus, liberetur, ne fossa terra post calcatu assiduo solidetur.

De electione plantarum uitis, Cap. XXII.

PLantæ uitis quę mense Octobri uel Martio abscindūtur, meliores sunt quàm quæ alijs temporibus colliguntur. De uinea nimis pingui cum in locis exili desideras plantare, non sunt colligēda sarmenta. Eligēda sunt pangenda sarmenta de uite media quinq; uel sex gemmarum spacio & ueteri procedentia. Summa flagella repudiemus præcipue cum in arbores uineam plantare uolumus. Sed & pampinus qui de duro nascitur, pro frugifero non ponatur. Fertilitatis uitis certum est signum, si de duro aliquo loco fructum citabit, & fœtu impleuerit ramulos ex omni parte surgentes, uno solo anno uitis fertilitas explorari non potest, sed in quatuor uera generositas surculorum probatur. Nouellus palmes nihil habens ueteris in quo frequens nodus exuberat debet eligi ad pangendum.

De regulis plantationum uitis, Cap XXIII.

SI pinguis est terra, maiora inter uites spacia relinquamus, si exilis angusta. Non est uno genere uitium omne pastinum conserendum, ne annus iniquus graui uindemiæ spem omne cōcludat. In aquosis locis post hyemem, in siccis uero ante hyemem utilius uinea plantabitur & propago ducet.

De insitione uitis, Cap. XXIIII.

TRuncus uitis inserēdus eligatur solidus, qui humores exuberet alimento, nec ulla uetustate aut iniuria laceratus arescat, iuxta terram, uel sub ea uitis inseritur. Nā super eam difficilius cōprehendit. Inserendi surculi solidi sint, rotundi, gēmis spissis & pluris occulati, ex quibus duo uel tres insi-

tiones sufficiunt. Insita uitis optime ligatur, & à sole & uentis operimento aliquo defendatur, ne hi quatiant, hic adurat. Cum calor temporis insitam uitem inuadit, ipse tenuis humor debet circa uesperas frequenter affundi. Cum germen insitæ uitis accipit nutrimentum, adiutorio alicuius pali debet annecti, ne motus aliquis fragilem sarmenti quasset ætatem.

De putatione uinearum, Cap. XXV.

VInearum putatio locis frigidis post hyemem, calidis uero & temperatis ante & post commode celebratur. Auferenda sunt lęta, intorta, debilia, superflua & malis locis nata sarmenta. In locis lætis & clementioribus altius licebit uites expandere, in exilibus aut æstuosis uel decliuis humilior est habenda. Multitudo uel paucitas sarmentorum secundũ uirtutem uitis relinquatur & soli. Vetera sarmẽta quibus primi anni fructus pependit omnia rescindãtur, & noua circumcisis capreolis & ramulis inutilibus dimittantur. Vites multum fertiles, in quibus frequens nodus exuberet stricte, quæ uero gemmas per longa internodia distulerint largius sunt putandæ. In uitibus putandis tria consideranda sunt, fructuum species, successura materies, & locus qui seruet & reuocet. Vitis quæ mature putať, citius pullulat, maioraq; sarmẽta producit, quę autẽ tarde putatur serius pullulat, & fructus plurimos profert. Post bonam uindemiam strictius puta, post exiguam largius plurimum prodest uitibus, & præcipue nouellis, si ab eis ablaqueatis superuacuæ rescindantur radices, quas in summo producunt.

De fossione uinearum, Cap. XXVI.

CElebranda est fossio uinearum antequã nimis gemmę turgescant, quia si fossorem apertus uitis oculus uiderit, cœcabitur spes magna uindemiæ. Quæ florent constat non esse tangenda. Fossio uinearum fiat cũ terra nõ nimis mollis nec nimis sicca est, sed cum puluerizabilis mediæ dispositionis existit, sit autem studium ut uniuersa terra moueatur æqualiter, & maxime iuxta uites, ut in ea nihil crudi soli remaneat, quam rem diligens custos exploret.

De uuis & uino, Cap. XXVII.

SI uuæ pingues quasi maturæ frondibus per latera denudentur & colligantur, rore consumpto & aëre sereno, uinum fiat potentius & melius duraturum. Vuę lucidę non pingues, nec consumptæ potentius, nimis maturæ dulcius, acerbæ acerbius, aquosæ aquosius uinum producunt. Vuę in augmento lunæ minus seruabile faciunt uinum, pluribus ex causis lęditur & turbatur, uidelicet calore & frigore, fœtore, tonitruis fortibus, terręmotu ac motu uasis, & australibus uentis, quandoq; parum, & tunc modica contraria medicina curatur, quandoq; multum & tũc requiritur fortior, quandoq; in tantum quod eius calor naturalis in totum extinguitur, & tunc nullo modo curare potest, quia mortuo nulla potest medicina conferre.

Incipiunt

Incipiunt regulæ quinti libri: De arboribus, Cap. XXVIII.

LIcet quędam arbores desiderant aërem calidum, quædam frigidum, & plurimæ temperatum, & quædam terram pinguem, & quædam macram, in hoc tamen conueniunt, quod omnes terram in superficie siccā & in uiscerib. humectam requirunt. Autumnali tempore arborum oportet denudari radices, & aliquid poni letaminis quod per pluuiæ fluxū coopertis radicibus apportetur, quod si nimium sabulosa fuerit terra cōgrue recipiet cretā, & si nimis cretosa sabulum apponatur, in pingui solo plus, in exili minus. Arborum stipites eleuentur à terra, plantę arborum à tempore quo positæ fuerint usq; ad triennium non putentur. Ab adolescentia plantarum usq; ad triennium non putentur. Ab adolescentia plantarum usq; ad debitum complementum earum sollicite curandum est ut stipes in ramos, & rami in uirgas, & uirgę in fragra fructifera diuidantur, succedente autem senectute recidatur ab ea omnis siccitas & ramorum superfluitas, quam cum fructibus nequit commode sustentare. Omnis arborum putatio quandocunq; à tempore casus foliorum fieri potest, præter gelidum acumen, usq; incipiunt pullulare. Attēdere oportet ne spuria in arbore nata aut iuxta stipitem ex radicibus erumpentia dimittātur, sed ea usq; ab initio amputari, herbas quę suarum radicum magnitudine arboribus obsunt, plurimum circa eas euelli oportet. Si arbor uermiculosos profert fructus, supra radices terebret̃ truncus, & in foramine quercinus cuneus infigat̃. Cum languescūt arbores eis ablaqueatis alterius dispositionis circa eas terra ponat̃.

Incipiunt regulæ sexti libri de hortis, & primo de aëre, terra & situ eorum, Cap. XXIX.

HOrtus desiderat aërem liberum & temperatum, uel temperato proximum, nam loca nimiæ caliditatis aut siccitatis formidant, nisi multis pluuijs uel irrigationibus adiuuetur. Loca etiam intemperata mortificantis frigiditatis tollerare non potest, & in locis umbrosis nullius uel modice utilitatis existit. Hortus desiderat terram mediocriter solutam & humidam potius quā siccam: creta enim est hortis & eorum cultoribus inimica. Herbæ in minus soluta terra natę in principio ueris optime conualescunt, sed in æstate siccantur. Felix horti positio est, ut supra se riuum habeat quo possit per conuenientes sulcos cum opus fuerit irrigari. Nam hortis qui cœlo clementi subiacet, & humore fontano percurritur, prope est ut sit liber, & nullam serendi disciplinam requirat. Terram desiderat hortus pinguissimam, ideoq; in altiori parte fimum semper habeat, cuius succus cum sponte fœcūdet, & ex eo semel quolibet anno singula hortorum spacia impinguentur cum seri uel plantari debebit, sit autem domui proximus. Longe tamen ab area situs, nam puluere palearum qui herbarum folia perforat & exiccat patitur inimicum. Felix horti positio est cui leniter inclinata planicies cursus æquæ fluentis per latera discreta deriuat.

De pastino hortorum, Cap. XXX.

PArtes horti sic diuidendæ sunt, ut hæ in quibus autumno seminabitur uerno tempore pastinentur. Et quas seminibus uere complebimus autumni tempore debemus effodere, ut utraque pastinatio decoquatur beneficio algoris & solis. Si uero penuria terreni habeatur, quocunque anni tempore terra inter humiditatem & siccitatem inuenitur æqualis pastinari potest, & statim seri si fimo fuerit impinguata. Faciendum est horti spacium primo profundum & grossum, & super ipsum sparso letamine iterum minutatim pastinetur, & terra cum letamine misceatur, & quantum potest in puluerem deducatur.

De seminatione hortorum, Cap. XXXI.

LOcis frigidis autumnalis satio maturius fiat, uerna tardius. In calidis uero autumnalis serius, & uerna maturius fieri potest. Herbę possunt cōmode seri separatim & mixtim, ut immixti satis euellantur quæ fuerint transplantandę, cętere uero ibidem suscipiant incrementum: herbę quæ transplantari non debent spissius seri debent. Cauendū est ne quę spargūtur semina sint corrupta, ideoque eligenda sunt quę formam habent interius albam, & quæ magis fuerint ponderosa & grossa, & in pluribus eorum sint talia, quę non excesserint anni ætatem. Sępe prouenit quod semina quātumcunque sint bona, si iacta fuerint non nascantur ex aliqua malitia corporum cœlestium impedita. Plerunque inuenitur utile diuersa semina simul seri, ne tempus alicui semini quādoque contrarium ex toto terram denudet. Omnium herbarum optima satio est cum luna fuerit in augmento. Sępeque euenit, ut non sit utilis satio, quæ fit cū luna processerit in defectu. Omnes fere herbæ commode transplantantur cum aliquantulum creuerint, & terra non fuerit nimis sicca.

De iuuamento hortorum, Cap. XXXII.

HOrtis plurimum confert, si tam manibus quàm sarculo herbæ nociuę quotiens apparuerint dissipentur, ne melioribus nutrimēta subducāt. Ex his quæ plurimum nocent hortis, est ambulare per eos uel terram mouere cum fuerit nimis mollis. Si terra horti nimis cretosa est misceatur eidem sabulum, uel letaminis multitudo, & terra spissisime moueatur. Et si adeo sabulosa est quod humor conceptus nimis facile resoluatur, eidem misceatur letamen & creta.

De collectione herbarum, florum, seminum & radicum, Cap. XXXIII.

HErbæ propter cibum colligendæ sunt cum earum folia ad debitū peruenerint augmētum. Sed propter medicinam colligere oportet postquā magnitudinis integritatem habent, antequàm ipsarum alteretur color & cadant. Semina colliguntur postquā eorum figitur terminus, &

exiccantur

exiccantur ab eis cruditas & aquositas. Radices sumendæ sunt, cum adest foliorum casus. Flores colligere oportet post operationem integram, ante exterminationem & casum. Fructus quidem colligendi sunt, postquàm finitur complementorum eorum antequàm sint ad cadendum parati. Quæcunq; colliguntur decrescente luna meliora sunt, & magis seruabiliora his quæ colliguntur in eius augmento. Et quæcunq; colliguntur in claro aëre meliora sunt his quæ colliguntur in dispositione humiditatis, & uicinitate temporis pluuiarum.

De uirtutibus herbarum, Cap. XXXIIII.

SYlueſtres herbæ domesticis sunt fortiores, & minoris quantitatis, secundum Plinium. Et ex syluestribus montanæ sunt fortiores. Et illa quarum loca sunt uentosa, color sit magis tinctus & sapor magis apparens, & odor fortior, eruntq; potentiores in genere suo. Virtus herbarum debilitatur post duos aut tres annos, secundum Plinium.

De conseruatione herbarum, foliorum, seminum & radicum, Cap. XXXV.

HErbæ, flores & semina seruanda sunt in locis siccis & obscuris, & in sacculis uel uasibus constricta seruantur, & pręcipue flores ne odor & uirtus exhalet. Radices melius in subtili arena seruant, ne sint radices quę siccitatem seruent, quæ similiter in loco sicco & obscuro melius seruabuntur. Semina porrorum & ceparum & quarundam aliarum herbarum melius quàm aliter in suis siliquis seruabuntur.

Incipiunt regulæ libri septimi, de pratis & nemoribus, Cap. XXXVI.

AErem desiderant prata temperatum aut frigiditati & humiditati proximum. Nam superflua frigiditas impedit generationem herbarum. Et nimia caliditas aut siccitas omnem uigorem consumit, terram desiderant pinguem ad herbarum copiam, sed ad saporositatem requirunt mediocrem, & nimis macram omnino refutant. Aquam desiderant, præcipue pluuialem & calidam, aut lacualem pinguem, sed à gelida ualde læduntur. Situm optant depressum, ubi continuo sit humor inclusus. Nimis autem profundus non est aptus ad aliquas bonas herbas, sed ad paludales insipidas.

Qualiter prata procurentur, Cap. XXXVIII.

PRata licet naturaliter per se prouenīāt, fiunt etiam opere manuali, extirpatis nemoribus, & agrestibus locis, uel complanatis agris aratis, & uitia cum fœni semine satis prata optime procurētur. Sed omnia impedimenta quæ in eis nascuntur tollantur & herbæ grossæ inutiles post magnas pluuias radicitus euellantur. Prata quæ pluries irrigantur æstate, pluries fructificabunt, & secabuntur in anno. Prata uetusta muscosa radantur & sterilia facta pluries arantur, ac de nouo serantur.

De fœno

De fœno qualiter procreatur & de utilitate eius, Cap. XXXVIII.



FOenum secandũ est tempore calido ac sereno, cum aẽris siccitas duratura speraẽ, & herbæ ad debitum peruenerunt augmentum, floresq; cõpleuerint nec arescere inchoarũt. Fœnum commode sub tecto seruatur, uel sub dio preparatum, ne aqua in id intrare possit. Fœnũ magne utilitatis existit, cum ex eo bestiæ laborantes ac oues toto tempore anni uiuere possint.

De nemoribus qualiter fiunt, Cap. XXXIX.

NEmora uel naturaliter proueniunt diuersarum arborum secundũ uarietatem terrarum situs & aẽris, aut instituuntur ab homine. Qui nemus plãtare intendit, consideret primo situm & naturã terræ, ac aẽris in qua facere nemus cupit, easq; solum considerat arbores, que illi loco conueniunt, & tandem uotum instituentis adimpleant, propinquas ac distantes arbores plãtet, secundũ quod amplius uel minus radices & ramos extẽdunt.

Incipiunt regule octaui libri de uiridarijs & rebus delectabilibus, Cap. XL.

VIridaria quædam fiunt ex herbis, quædam ex arboribus, quædam ex utrisq;. Viridaria herbarum desiderant terram macram & solidam, ut herbas subtiles & capillares producant, que precipue uisum delectãt, uiridaria circa se habere debent odoriferas herbas diuersorum generum, quæ ad delectationẽ conferãt ac salutẽ, nam omnis odor est anime suauissimus cibus. Viridaria requirunt à meridie ac occidente arbores bonas ac raras, ab oppositis loca patula, ut auram delectabilem habeant, nam umbra malarum arborum est nociua. Superflua umbra ægritudines generat & aureæ salubris sanitatem corrumpit. Viridaria debent fieri magna uel parua respectu habito ad nobilitatem, potentiam & diuitias dominorum. In uiridarijs unumquodque genus arborum in sua acie sine admixtione alterius poni debet, ut delectationem augeat, ac decorem. Magnæ arbores in uiridarijs distare ab inuicem uiginti pedibus in acie debent, parui decem, sed decem acies una ab altera poterit quantum placuerit plus distare, arborum acies in uiridarijs fossorem requirit, exceptis malis, ut possunt diu durare, sed inter unam & alteram aciem prata conueniunt. In uiridarijs non debet quis superflue delectari, sed tunc præcipue cum serijs necessarijsq; satis fecerit rebus. Viridis & decora multarum plantarum satio circa ruris habitacula multam delectationem affert. Plurimum delectat agros habere magnos & fertiles, qui rectos habeant fines ac

nes ac foueis idoneis cingantur, & sepibus bonasq; arbores circum habeant, ac intrinsecus uijs opportunis, arboribus, fonte ac fluentibus riuulis sint ornati.

De delectationibus uinearum & uini, Cap. XLI.

MVltum delectat habere uineta decora diuersorum bonorum generũ uuas ferentia. Non omnia quæ de mirabilibus uuarum ab antiquis scripta sunt, per experientiam reperiuntur uera, non ab ociosis peritis omnino spernenda, ne forte uarietas temporum ac locorum, aut imperitia raro probantis experientem decipiat. Plurimum delectat habere uina diuersorum colorum, ac saporum quod non difficile fieri potest, ac uina medicinalia indigentibus satis inueniuntur utilia.

De his quæ circa arbores delectationem augent, Cap. XLII.

MAgnæ delectationis est habere in proprijs locis bonarum arborum copiam, & generum diuersorum, ideoq; indigens paterfamilias undecunq; deferre debet, uel curare quod ab alio deferatur, & ea in congruis ordinibus inserere uel plãtare. Plurimũ delectat insitiones habere mirabiles, & in una arbore generum diuersorum, & ideo paterfamilias diligens hoc procuret, multum delectat arbores bene formatas, & recte stantes habere. Ideoq; curandum est ne tortuosę sint, aut ramos nimis deformes habeant, uel depressos. Multæ mirabiles insitiones se ostendunt his qui tentant omnia experiri. Si arboris fructiferę scindatur ramusculus & res laxatiua puluerizata, uel cuiuslibet coloris, loco medullę includatur, in eo fructus acquiret uirtutem uel coloris inclusi.

De delectationibus hortorum & herbarum, Cap. XLIII.

PLurimum delectat habere hortum bene dispositum, ac sufficienti industria cultum. Ideoq; paterfamilias diligenter procuret eum habere in loco pingui ac soluto. Cui fons uel riuus per discreta spacia defluat, ut irrigari totos possit tempore magni æstus, omnia genera bonarum herbarũ in loco habere delectabile atq; utile est.

Incipiunt regulæ noni libri: De animalibus nutriendis, Cap. XLIIII.

ANtiquissimis temporibus uiuebant homines ex his solis cibis quæ natu turaliter inculta terra ferebat, deinde consequenter cœperunt uiuere agricultura & pastoricia, nunc uero & ex eisdem uiuunt, & ex scientijs scripturarum & artibus infinitis: Singulorum generum animalium domesticatorum, alia in diuersis regionibus adhuc fera cernuntur.

De equis & equabus, Cap. XLV.

QVi equos aut equas emere uult, expedit ut ætatem, genus formã laudabilem, sanitatem & ęgritudinẽ, bonitatem & malitiam recte cognoscat. Equorum & cæterorũ animaliũ indiuisas ungulas habẽtium, ac cornutorũ ętas, dẽtibus plene cognoscit. Scaliones ita custodiendi sunt, ut parũ equitent uel nihil, aut aliter fatigent, ac bis in die tantũ admitti debẽt, si generosos pullos creare uolueris, Equę prægnãtes teneri debẽt nõ multũ

macrę nec pingues, nec urgeantur, nec famem frigusq; tollerent, nec inter se locis cōprimantur angustis. Equæ generosæ quæ masculos nutriunt alternis tantummodo submittantur annis, ut pullis copiam puri lactis infundant. Admissarius quinq; annorum esse debet, sed fœmina bima concipiet. Pullus teneri debet præcipue in loco montuoso, petroso & sicco, & duobus tantum annis matrem sequatur ad pascua. Cum pulli domandi sunt suauiter tanguntur in stabulo, & freno teneantur ibi suspensa, ut assuescāt tangi, & frena uidere. Loca equorum debent in die mūda teneri, & nocte lectus usq; ad genua fieri pro quiete, maneq; tolli, & dorsum tergi ac omnia membra eius, deinde paruo passu ad aquam duci, & in ea usq; ad genua spacio longo teneri, & cum redierit antequàm stabulū intret crura tergi, & optime siccari. Completus equus in conuenientibus carnibus est tenendus, ut possit securius equitari. Nam pinguedo nimia ęgritudines, & nimia macies debilitatem & deformitatem inducunt. Equus qui sudauit uel fortiter calefactus est, nō debet aliquid comedere uel potare, donec coopertus & paulisper ductus à sudore atq; calore fuerit liberatus. Equo utilis est tempore calido coopertura linea ꝑpter muscas, & tēpore frigido lanea propter frigus.

De doctrina & morigeratione equorum, Cap. XLVI.

EQuus qui domari ac morigerari debet, primum adhibeatur frenum leuissimum cuius morsus sit melle uel alio dulci liquore perunctus, & leuiter ducatur ad manum, deinde sine sella leuiter equitetur, & postea cum sella per loca plana, donec frenū & sellam quiete recipere asuescat. Equus cum freno leui & sella leuiter pergere assuetus, debet cum fortiori freno, si oporteat perduci ad agros aratos hora breui & frigida, & instrui ad trotandū primo, deinde ad galopandum breui saltu. Duci etiam in ciuitate per loca fabrilia debet. Cum equus se habuerit conuenienter ad frenum, ad cursum assuesci debet summo mane semel qualibet septimana, usq; ad quartam partem miliarij unius primo, ac postea longiori spacio.

De generali cognitione & pulchritudine bonitatis & malitiæ equorum, Cap. XLVII.

EQuus pulcher, corpus habet magnum & longum, & eius magnitudini ac longitudini proportionabiliter omnia membra respondent. Pilus paius & obscurus à pluribus habetur præcipuus. Equus habens nares magnos & inflatos, & grossos oculos, audax naturaliter reperitur: equus habens costas grossas, & uentrem amplum & deorsum pendentem laboriosus ac sufferens iudicatur, equus habens ampla & extensa garecta, & calces turbas, in motu celer & agilis esse debet, equus habens iuncturas cruriū naturaliter grossas & pasturalia curta fortis esse censetur, equus habens crura & crurium iuncturas bene pilosas & pilos earum longos, laboriosos existit. Equus habens maxillas grossas & collum curtum, non facile affrenatur decenter, equus habens uniuersas ungulas albas, nunquam duros pedes habebit: equus habens auriculas

pendentes

pendentes & magnas, & oculos concauos, lentus ac remissus existit: equus cuius interiora crura semper moueri uidentur malorum est morũ, equus mouens caudam superius & inferius, mali est uitij.

De infirmitatibus equorum, Cap. XLVIII.

AEgritudines accidunt equis in capite, uentre, tergo, cruribus, pedibus ac ungulis, aliquando ex humoribus & sæpe ex negligẽtia uel mala custodia. Dolores accidunt equis, aut ex superfluitate humorũ malorum in uenis sanguinis contentorum, aut ex uentositate ingrediente in corpus equi calefacti per poros apertos, uel intestinis ex uiscosis humoribus orta, aut ex superflua cõmestione hordei, uel alterius tumefacti in stomacho seu uentre, aut ex superflua retẽtione urinę uesicã inflantis. His omnibus generale remedium est, quod equus per stabulum cum equa libere permittatur abire. Sal in aceto sufficienter infusum plurimum ualet contra omnem tumefactionem incipientẽ in dorso. In multis equorum ægritudinibus coctura ultimum est remedium, sed debet diligentissime custodiri ne cocturam possit mordere, uel ad aliquã rem fricare, quia ex nimio pruritu locum dentibus usq; ad neruos uel ossa morderet. Multa autem signa, quibus cognoscitur in qua parte corporis patiatur equus, ex quibus prænosticari potest liberatio & mors equi, quæ per regulas scripta sunt omnia in fine tractatus equorum, & ideo hic omitto.

De bobus, Cap. XLIX.

GRadus ætatis boum sunt quatuor, prima uitulorum, secunda iumentorum, tertia boum nouellorum, quarta uetulorũ. Qui armentorum gregem emere uult, obseruare debet primum ut sint uaccę ad fructus ferendos ætatis potius integræ quàm imperfectæ, bene cõpositæ, ut omnia membra sint grossa, & inuicem sibi respondeant. Armentis boum & uaccarum paranda sunt loca hyeme maritima, æstate frigida & opaca montana. Stabulum boum esse debet arena uel aliquo genere lapidum stratum, aliquatenus deuexũ, ut elabi possit humor, & contra partem glacialem, aliquis obsistere debet obiectus. Cauendum est etiam ne angustius stent, aut feriantur, aut concurrant, ac æstate optime sępe clauduntur ne à tabanis & cæteris bestiolis cõcitentur. Debet etiam his semper stratum mulum teneri, quo melius conquiescant. Æstate bis, hyeme semel ducantur ad aquam boues. Sani, fortes, & agiles cognoscuntur, si facile se mouent cum tanguntur, uel punguntur, & habent membra grossa, & auriculas eleuatas. Pulchri autem & fortes generaliter cognoscuntur, si omnia membra grossa sunt, & sibi inuicem bene respondent.

De ouibus, Cap. L.

OVes bonæ cognoscuntur ab ætate, si neq; uetulę sunt neq; merę agnę. Item à forma, si sunt corpore amplę, lanam habeant multam & mollẽ, uillos altos & densos corpore toto. Sanitas ouium cognoscitur, si aperiantur earum oculi, & uenæ sunt rubicundæ ac subtiles, sunt sanæ. Si

uero albæ uel rubicundæ & grossæ, sunt infirmæ. Item si capite in pelle colli & antetractæ, uix trahi possunt, sunt sanæ, si facile sunt infirmę. Item si audacter uadunt per uiam, sunt sanæ. Si molestæ capite inclinato, sunt ægræ. Oues per totum annũ intus & foris sunt rectè pascendæ, stabula idonea ouibus ea sunt quæ non sunt in loco uentoso, in quibus sit solum stramentis idoneis stratum atq; procliuum ut mundari possit ab humiditate urinæ, quæ lanas corrumpit & ungulas scabras fieri cogit. Pascua ouibus utilia sunt, quæ in noualibus uel pratis siccioribus excitãtur: palustria uero noxia, syluestria damnosa lanat. Salis uero crebra conspersio debet pecoris leuare fastidium.

De apibus, Cap. LI.

APes nascuntur partim ex apibus, partim ex bubulo corpore putrefacto. Apes optimæ sunt paruæ rotundæ ac uariæ. Sanitatis signa, si sunt frequentes in examine, & si nitidę, & si opus quod faciunt æquabile est, ac leue minus ualentium signa, si sunt pilosæ ac horridæ, ut puluerulentæ.

Incipiunt regulæ decimi libri, de artibus quibus animalia capiuntur, Cap. LII.

OMnium auium rapacium natura est, ut semper solæ & nunquam uel rarò sociatæ incedant, eo quod in prędã nolunt habere sodalem, & omnibus quibus insidiantur cognoscuntur, instinctu naturæ, atq; cum inimicum sentiunt, garriunt & fugiunt, uel se quantum possunt occultant. Aues rapaces si bonis cibantur carnibus, & horis congruis, & iniuria non fit eis, neq; contra earum uoluntatem mittuntur ad aues, à dominis rarò discedunt. Si dominus non sequitur uoluntatem accipitris uel alterius auis rapacis, sed in aliquo contrarium agit, facile ipsum perdit, cum sit indignantis naturæ, ac leuiter irascatur. Falcones tenendi sunt in eo statu pinguedinis, in quo inueniuntur magis audaces & melius capere aues. Omnium rapacium auium eadem est ferè natura. Aues ferę capiuntur cum auibus feris domesticatis, uidelicet accipitre & asturnæ, falcone, ismerlo, gyrfalco, aquilo, gimo, & gimecta. Aues capiuntur retibus diuersorum modorum, uidelicet ad pantheram annates, reti superfluuiũ extenso capiuntur grues, cygni, starnę, ac anseres. Item alio reti anseres & anates in agris & prope aquas. Item parietibus, columbi & turtures, & ferè omnes auiculæ paruæ. Item arolo paruæ aues & magnæ rapaces. Item quodam reti stricto & longo perdices. Aues uarijs capiũtur laqueis in terra constrictis ac in arboribus circa nidos. Aues ferè omnes capiuntur uisco, uidelicet uirgulis ac uiminibus & funiculis ac uiminibus inusitatis. Aues omnes capi & occidi possunt balistis & arcis, & alijs quibusdam modis. Pisces capiuntur retibus diuersorum generum, uidelicet scorticaria in mari transuersario, in locis fluminum & lacuum spaciosis riualibus, in paruis aquis & in magnis cum naui. Item taclo & negossa. Itẽ in uallibus cum cochlearia & degagna, & cũ gradellis & paruis reticulis. Item cum cistis & caueis, hamo, spadernis & calce.

PET.

PET. DE CRESCENTIIS, DE HIS QVAE POSSVNT singulis mensibus in rure fieri, LIBER XII.



IN superioribus libris plenè tractatũ est, sed necessario diffusè de omnibus quæ sunt in rure agenda, sed utile uidetur memoriale compendiosum facere, quo paterfamilias ad rura pergens facile scire potest, quid utilitatis & delectationis quolibet tempore facere possit. Et cum modum agendi singula uidere uult, in latioribus & specialibus tractatibus ordine supradicto scriptis congruo facile inuenire ualebit.

De agendis mense Ianuario, Cap. I.

HOc mense, præcipue in locis calidis, loci habitabilis aëris & uentorũ terræ & situs bonitas uel malitia potest cognosci: licet locis temperatis alijs quibusdam mensibus melius discernatur. Item in locis calidis curiæ atq; domus satis commode poterũt fabricari, & optime possunt arbores pro materia domorum abscindi. Item possunt noua stercora procurari, & uetusta ad agros & uineas trahi, & faba, cicercula atq; uitia seri: Item si agri non sint molles primo proscindi. Item in locis calidis uineæ fimari atq; putari possunt. Item sorba, persica, nuces, amygdala & pruna optime in seminario poni possunt, & arbores gummosæ inseri, & hortus si terra non sit madida fieri. Item in nouis pratis uitia & herbarum semina spargi possunt, & salicũ perticæ ac iunci & cannæ, pro uineis incidi, ac nemora & omnis materia tam syluestrium quã domesticarum arborum ignis rescindi potest. Item omnia uasa utensilia & plaustra & quæcunq; in domibus fiunt qualecunq; sit tempus hoc mense congrue fiunt. Item animalia cuncta domestica emi, & syluestria capi possunt, & apes de loco ad locum exportare commode possunt.

De agendis mense Februario, Cap. II.

HOc mense ac cæteris omnibus bonitas & malitia loci habitabilis potest cognosci & emi, ac domus & quęcunq; in ipsa & circa ipsam agenda sunt possunt fieri. Item possunt letamina ad agros, uineas, hortos & prata deferri, & cuncta fimari. Item possunt commodè agri proscindi, & in eis faba, cicercula, uicia & quędam alia legumina seri, ac frumenta, siligo, far & spelta runcari, & de ipsis aquæ deriuari, & stramenta in eis comburi. Itẽ in locis calidis auena & cicer seri, & in temperatis & frigidis roblia siue pisum. Hoc mense locis humidis fieri debet pastinum, sicut cultura ubi uinea est plantãda. Et in locis calidis atq; siccis circa finẽ utiliter fit plãtatio & insitio eius cum incipiunt esse gẽmę suspectę, ac nõdum aquoso, sed spisso lachrymant humore.

Item fit optime putatio uinearum in locis temperatis & calidis, nisi nix multa uel frigiditas nimis intensa prohibeat, quæ qualiter facienda sit plena, docetur in libro quarto de uineis. Item hoc mense cōmode formantur uites ac uitiferæ arbores. Item hoc mense amputandæ sunt uitibus radices inutiles, ac fimandæ. Item palandæ & recluandæ sunt uites, & in locis maritimis & calidis fodiendæ. Item possunt hoc mense circa finem flatibus borealibus uentis nō australibus, aëre sereno transuasari uina debilia & coqui, ut à corruptione seruētur. Possunt etiam hoc mense, cum terra non multū sicca uel mollis existit omniū arborum plantulæ, ac semina seri, transplantari, ac inseri, & maxime si iam cortici se uiridis succus infuderit. Item possūt arbores putari, formari, & ab omnibus superfluis ramis, siccis, scabiosis & inutilibus liberari. Itē rosaria & canneta noua institui ac plantari. Item debent hoc mense, si terra nō est sicca uel mollis fieri horti, scilicet ligonisari uel aliter fodi, fimari, & ex omni genere herbarum quæ uere terræ tempore mandantur seri. Vt sunt allium, atriplices, anisum, anethū, apium, absinthium, artemisia, abrotanum, blitū, basilicon, caules, cepæ, fœniculus, cataputia, liquiritia, lactuca, mēta, porrum, papauer, petroselinum, pastinaca, & cæteræ herbæ. Ac etiā medicinales herbæ syluestres possunt seri hoc modo in hortis & alibi. Item hoc mense plantari & curari possunt siccæ de uiminibus uel spinis, & alia materia sepes fieri, curiarum, agrorum, uinearum atq; hortorum. Item hoc mense plantari & seri possunt nemora ac salices tam domesticarum quàm syluestrium. Item uiridaria ac cætera delectabilia, quę in octauo libro clare scripta sunt, hoc mense cōmode fiunt. Item hoc mense armenta equorum & asinorum ac boum: item greges ouium, caprarum & porcorum emi ac procurari cōmode possunt, & leporaria cōmode fieri ac piscinæ, ut plenè in libro nono tractatum est. Item pauones, anseres, gallinæ atq; columbæ, quia hoc mense calere incipiūt & cubare procurari debent, ut superius scripsi. Item possunt hoc mense apes emi, & debent pluries fumigari, & ab omni putredine liberari, & mali reges occidi, & cætera fieri quæ plenissimę scripta sunt in tractatu ipsarum. Item hoc mense accipitres, & falcones optime procurari, ac circa finē ipsius in muta poni. Possunt etiam hoc mense capi feræ bestię, aues & pisces uarijs & diuersis ingenijs supra scriptis.

De agendis in mense Martio, Cap. III.

HOc mense locis temperatis optimè proscinduntur agri, si in eis superflua humiditas est consumpta & terra iam ad æqualitatem inter humiditatem & siccitatē peruenit. Item seritur auena & cicer, & canabum circa finem, & faba in locis frigidis, & in temperatis in initio loco pingui, & quę Ianuario sata fuit nunc runcatur cum quatuor foliorum existit. Item runcatur & herbis mundatur frumentum, spelta, hordeum. Item hoc mense seritur milica & milium, panicum & faseoli seri possunt. Item putantur & inseruntur uites circa initium, et releuantur, deinde ligonisentur, cum terra fuerit temperata. Item colliguntur et plantantur uites hoc mense, atque propagantur

gantur & renouantur. Item transuasantur uina sereno aëre, & borea flante. Coquantur etiam debilia, ut seruentur melius, ne uoluantur, & optime implean tur uasa posita in penu frigida, & clauduntur ut parum spirent ne acetosa fiant. Item hoc mense plantari, transplantari, & circumfodi possunt omnes arbores, ac inseri quæ gummi carent. Item hoc mense pastinantur horti & fimant̃ & in eis serunt̃ omnia semina specificata in Februario mense, ac etiã cucurbitæ, melones, cucumeres, & citrulli circa finẽ, ac etiam saluia plantat̃ hoc tempore, ramulis in terram infixis. Item locis frigidis prata purgari debent, & temperatis ac calidis custodiri. Hoc mense præcipue comparandi sunt equi & equę, boues & uaccę, uerres & scrophæ, ac facienda armenta & greges, & masculi fœminis admittendi. Et domandi sunt aluei à uermiculis & omni immũdicia. Itẽ hoc mense accipitres & astures munitę magnis gabijs sunt ponendi, & bouis carnibus nutriendi. Item hoc mense possunt capi bestiæ aues & pisces, nisi sint tales quæ solum temporibus frigidis uel niuium capiuntur.

De agendis mense Aprili, Cap. IIII.

HOc mense proscinduntur pingues agri, humidi, qui diu aquã tenent, & sicci secunda uice arantur. Item seritur commode cicer in locis frigidis, & canabum & milica in locis temperatis circa principium. Item fossio uinearum in locis frigidis temperatis circa principium. Itẽ fossio uinearum in locis frigidis & etiam temperatis, uina non debilia commode transuasari possunt. Item hoc mense mala punica possunt seri. Item ipsa possunt inseri, & persicus inoculari, ut Palladius ait. Item hoc mense locis calidis tõdun tur oues, & sero tam fœtus signantur, & arietes admittuntur ad oues, & equi & asini ad equas & asinas. Item debent omnes arborum plantulæ hoc mense ab animalium aggressu diligenter tueri. Item hoc mense cõmode seruntur cucurbitæ, citrulli, cucumeres & melones, & cæterę herbę, si rigari possunt, ut Palladius ait. Item columbis locis iam aratis danda est esca, quia parum in agris inueni unt unde uiuant. Item secundum Palladium quærẽdę sunt apes, & aluei purgan di, & papiliones necandi, qui nunc abundant, florentibus malis. Item hoc men se sicut alijs ęstiuis mensibus possunt capi bestię, aues & pisces.

De agendis mense Maio, Cap. V.

HOc mense pingues agri, & qui diu aquam tenent, proscinduntur, cum omnes herbas protulernit, & eorum semina nondum maturitate firmata: & sicci possunt secunda uice arari. Nunc omnia quę sata sunt prope florent, nec tangi à cultore debebunt. Item in locis frigidis & humectis nunc serũtur faseoli, milium & panicum. Item hoc mẽse, ut dicit Palladius, materia cedenda est, cum sylua est omni fronde uestita. Item seminaria fodiuntur assidue, & uineę secũda uice, ac etiã pampinant̃. Item in locis prægelidis ac pluuiosis putantur oleę, & eius muscus abradat̃, ac si quis lupinum stercorandi

agri causa seminauit, nunc debebit euertere. Hoc etiam mẽse, ut idem scribit, locis calidis emplastrari persicus potest, & citri arbor inseri, & similiter ficus, & disponitur planta palmæ. Nunc etiam agrorum spacia quæ per autumnum seminibus implenda destinant, aut plantis conuenit pastiri. Item hoc mẽse seritur coriandrum & appium & melones, citrulli, cucurbitæ & cucumeres & cardui & radices & ruta pangetur: porri quoqꝫ planta transfertur, ut irrigationibus animetur. Et optime caules & cepe transferuntur hoc mense. Item seritur portulaca, & quocunqꝫ tempore seratur, calido tempore tantum nascitur. Hoc mense locis maritimis & calidis recidamus fœna priusquã exarescãt. Quod si pluuijs infusa fuerint, non ante conuerti debẽt, quã pars ipsorum summa siccet. Item hoc mense castrari debent uituli, & ouium celebrari tonsura. Item coagulatur lac, & fit caseus modo prædicto. Item (ut ait Palladius) debent nunc occidi reges apum, qui græcis κηφῆν uocantur, qui hoc tempore nascuntur in extremis fauorum partibus. Item papiliones necandi sunt modo prędicto.

De agendis mense Iunio, Cap. VI.

MEnse Iunio præparanda est area, & omnia stramine, fimo & puluere optime liberanda. Nunc seri potest milium & panicum, nunc hordei messis primo recipitur: postea circa finem tritici messis expletur in locis calidis, & in temperatis incipitur. Nũc in frigidissimis locis quæ Maio prętermissa sunt faciemus: agrosqꝫ proscindimus herbosis locis ac frigidis uineta aptabimus, colligemus uiciam, fœnumgræcum resecabimus ad paulum. Item hoc mense peragenda erit leguminum messis, nunc & faba luna minuente uelletur, & excussa & refrigerata reponetur. Lupinus etiam hoc mense colligitur, nunc pira uel mala ubi ramos multa poma densabunt, interlegenda sunt omnia uitiosa. Hoc mense ramus punici potest intra fictile uasculum claudi, ut ad eius magnitudinem poma reddat. Item hoc mense sicut in Iulio fit insitio, quę dicitur emplastratio in piris, & malis, & ficubus, & oleis, & cæterorum, quibus in cortice pinguis succus extiterit. Item hoc mense optime seritur borago & portulaca, & aliæ multæ herbæ, si possunt irrigationibus adiuuari. Hoc etiam mense secantur optime prata flore compleo & non exiccato: hoc etiam mense uituli recte castrant̃, & caseus cõficit̃, & oues in frigida regione tõdunt̃. Itẽ hoc mẽse aluearia castrabunt̃, si multũ mellis habuerunt & mel cõficitur & cera. Hoc etiam mense noua egrediũtur examina: ideoqꝫ custos debet esse semper attentus ne fugiant pręcipue usqꝫ in octauam uel nonam horam, & semper debent esse aluearia præparata & ea colligere debet ac in suo loco collocare, ut in suo tractatu dictum est plene.

De agendis in mense Iulio, Cap. VII.

MEnse Iulij agri proscissi secunda uice arandi sunt, nunc locis temperatis tritici messis & leguminũ nondũ expleta, complet̃. Item syluestres agri utilissime extirpant̃ radicib. atqꝫ uirgultis. Item gramẽ & filicem

ante caniculares dies optime dissipamus. Itē circa finē optime serunt rapę ac napi. Itē nouellæ uites mane ac uespere, calore deposito, debēt effodi & aduerso gramine puluerizari. Item hoc mense arbores quę in messe steterāt sectis messibus obruant, & circa ipsas propter solis calorē fiat aggregatio terrę. Hoc mēse locis humidis inoculari ficus potest, & inseri citrum, nunc etiam post emplastratio celebrari, & pirus & malus locis frigidis inseri. Itē poma uitiosa quę nimis ramos onerant, debent legi. Item potest plātari talea citri si irrigationib. adiuuetur. Nunc locis temperatis amygdala sunt colligenda, hoc tempore uaccę submittendæ sunt tauris, & arietes admittendi. Item hoc mense circa principium omnia prata secanda sunt, in quibus herba non prius ad maturitatem peruenit.

De agendis in mense Augusto, Cap. VIII.

MEnse Augusto sunt agri tertia uice arandi. Item in suo principio possunt seri post primam pluuiam rapæ radices & napi & lupini ut uineas & terras impinguēt. Item in princio & ante linū euellet, & campi cum maturato calore flauescāt, & ex his possunt excuti semina & maerari si placet, & aliter ut opus fuerit procurari. Itē circa finem eius colligit mili ca quæ tūc inuenitur matura. Et ficus colliguntur & siccant & nuces & cæteri fructus arborum, qui maturi sunt & consumuntur, & recondunt seruandi. Item locis frigidis pampinantur uites, & in calidis potius obūbrantur uuę, ne in sole arescant, nūc etiā agrestū fieri potest. Itē dissipare frequēti aratione gramē & silices. Itē hoc mēse possunt emplastrari arbusta, & pirus inseri, ut Palladius ait. Itē hoc mense possunt inuestigari aquæ ubi desunt & probari, & putei fieri, & similiter aquæ ductus commode fabricari, ut Palladius scribit. Itē post mediū huius mensis optime serunt caules, ut cum modicum cōualuerint, transferantur.

De agendis in mense Septembri, Cap. IX.

AQuæ ductus, cisternæ & putei mense Septembri commode fiunt. Item pinguis ager & qui diu consueuit habere humorem, tertia uice arabit nunc ager humidus, planus, exilis secunda uice aratur & seritur, cliui graciles nunc primum arandi sunt, & serendi circa ęquinoctium, nunc agri stercorādi sunt, in colle spissius, & in campo rarius, præcipue cum luna minuit. Hoc mense uliginosis locis atq; exilibus aut frigidis aut opacis circa ęquinoctium triticum seritur & spelta, dum serenitas constat. Item in locis calidis nunc seritur linum, quod uernum uulgariter dicitur. Item colligitur & reponitur hoc mense milica, quam aliqui saginam uocant, & circa principium in alpibus seritur siligo, & circa finem eiusdem mensis anno sequenti fit messio eius. Itē seritur hoc mense circa initium lupinus impinguandi causa, & ubi creuerit euertatur. Serit etiā circa finē farrago in stercorato loco, pabuli causa. Itē in locis tēperatis circa principium pampinant uites & frondibus denudant, & postmodū uindemiæ fiunt, & quæcunq; ad uindemias spectant, & uuæ seruandæ possunt siccari, & sapa defrutum & carenum fieri. Item colligunt fructus arborum qui tunc maturitatē fatentur; nunc papauer seritur calidis locis & siccis. Item hor-

torum spacia quæ uere seminibus implenda sunt, nunc alte fodienda sunt, & ster coranda, decrescente luna. Item in principio seruntur optime caules, & circa finem allium, anethum, lactuca, & bleta, & radices seri possunt in locis siccis. Itē hoc mense possunt prata noua formari extirpatis prius radicitus spinis, & frutetis atq; arboribus & herbis latis & solidis: Item uetera à musco purgari & uetustissima corrupta arari, & denuo prata noua formari. Item hoc mense conquassantur apes uetustę, & fit mel & cera. Item hoc mense cum accipitribus præcipue capiuntur qualeæ ac perdices.

De agendis in mense Octobri, Cap. X.

MEnse Octobri possunt fieri putei & fossata cauari. Item hoc mense letamina portantur ad agros, & seritur optime in temperatis locis frumentum, siligo, hordeum, far & spelta, lupinum & linum. Item fit commode uindemia, ubi non est facta mense Septembri, & pręcipue ab his qui maturum nimium habere desiderant, & condiuntur, & diuersificantur, in sapore & colore uina. Hoc extremo mense ubi calidi & sicci aëris qualitas est, ubi exilis & aridus campus. Vbi collis pręruptus aut macer, ponuntur commode uites, nunc locis siccis, calidis exilibus, macris, arenosis, apertis quęcunq; de pastinatis, de uitibus ponendis, putandis, propagandis, reparandis uel arbusto faciendo, antedicta sunt, nunc rectius fiunt, ut contra elixitatem glebæ ac aëris siccitatem hybernis imbribus adiuuent. Hoc mense præcipue circa finem ablaqueanda est omnis nouella uitis, ut amputentur radices superuacuæ, & si placida ibi est hyems uites relinquamus apertas, si uiolenta, operimus antequàm ueniat gelu. Si præfrigida, aliquantulum columbini stercoris circa uiticulas apponatur. Hoc mense locis calidis & aptis instituuntur oliueta, & seminaria fiunt, & omnia quę ad alias pertinebunt. Item riui ac fossæ purgantur. Item plantantur cerusa ac piri ac mali & cęteræ arbores, quæ frigus non timēt commode plantari, & de loco ad locum transferri possunt, maxime in locis siccis & calidis, sorba & amygdala in seminario ponunt, & semina poni spargunt. Item hoc mense fiat pastinum hortorum serendorum in uere ac etiam nunc seruntur in hortis, allium, anethum, spinachia, plantę cardui, sinapis, malua, cepę, menta, pastinaca, cyminum, origanum, & cappares. Item boleta in locis siccis. Item dicit Palladius, quod porrum uere satum nunc fertur, ut crescat in capite & assidue circumfodiatur. Item hoc mense tollitur apibus mel superfluum cum fauis, & omnis cera corrupta.

De agendis in mense Nouembri, Cap. XI.

MEnse Nouembri locis calidis seritur optime triticum, circa principium & hordeum & siligo. Et circa finem, faba in stipulis non aratis. Et linum atq; lenticula hoc mense seruntur. Item hoc toto mense calidis locis & siccis uitium est positio celebranda, & propago recte ducetur. Et locis frigidis nouellas uites & arborum plantas circumfodere atq; operire con-


rire conueniet, & macras stercorare. Nunc ac deinceps usq; donec terra congeletur uinea uetus, quæ est in solo robusto, quæ integro trunco sit ablaqueata fimo facietur, & angustius putata intra tertium uel quartum pedem à terra uiridissima corticis parte mucrone feriatur, ac fossa frequentius incitetur, ut ibi materiam fundat, qua reparetur. Nunc autumnalis putatio celebretur in uitibus & arboribus, maxime ubi tempore incitamur, hoc etiam mense cum oliua cœperit esse matura colligitur, & olиueta putãtur summitates nimis altæ reciduntur, quod etiam in mespilis, ficu & persicis & coctanis est seruandum. Item hoc mense ponuntur commodè olиueta, & seruntur persici ossa, & pira calidis & siccis regionibus, & omnibus fere locis prunorũ ossa. Item hoc mense seritur castanea plantis ac semen. Item calidis locis ac siccis ponimus plantas syluestras inserendas, pirorum & malorum & malipunici & citonei & citri & mespili, fici, sorbi, cerasi & mori taleas & amygdali semina. Item hoc mense magnę arbores transferuntur locis calidis & siccis & apertis, truncatis ramis, illæsis radicibus, & multo stercore ac irrigationibus adiuuentur. Item hoc mense materies ad fabricam cædenda est, cum luna decrescit. Item hoc mense arietes admittuntur ad oues, ut fœtum primi ueris fouere possit exortum, & similiter hirci ad capras admitti debent. Item hoc mense diuersimode capiuntur syluestres bestię. Item aues & pisces.


De agendis in mense Decembri, Cap. XII.

MEnse Decembri potest seri faba, quæ post hyemem tantum nascet. Item caditur optimè materia pro domibus, & cæteris ligneis operibus faciendis. Item cæduntur syluę ac rami superflui arborum, & sepes uirides pro igne. Item cęduntur perticæ & cannæ pro uineis & parantur, & fiunt pali, & iunci similiter pro uineis cædi possunt & ex uiminibus fieri possunt corbes, & cistæ & caueæ, multaq; alia utẽsilia opportuna, & sepes siccæ. Item hoc mense diuersis ingenijs capiuntur bestiæ feræ, & præcipue canibus tempore niuium. Item aues auibus rapacibus domesticatis, & retibus diuersis ac uisco &c.

LIBRORVM XII. PETRI CRESCENtiensis de agricultura omnibusq; plantarum, & animalium generibus, FINIS.

BASILEÆ
PER HENRICHVM PETRI,
MENSE MARTIO, ANNO
M. D. XLVIII.





EVTROPII INSIGNE
VOLVMEN QVO ROMANA HISTORIA VNIVERSA describitur, ex diuersorum authorũ monumentis collecta. Quanto uero maior codicũ sinceritas eo tempore fuit, quàm est hodie? Itaq; non pauca leguntur hic emendatius multo quàm in æditionibus quorundam histo/ricorum quæ uulgò circumferuntur. Id docebit uel Sex. Aurelij Victoris libellus, ut de epitome Eutropij ad Valentem Aug. sileatur. Additæ sunt Græcorum Imperatorum uitæ de rebus in Oriente & Constantinopoli, Persia, Arabiaq; gestis, de quibus hactenus Latinis parum constabat. Quidam Annales Constantinopolitanos appellant. Opus indignũ certè quod in tenebris tam diu delituerit.

PAVLI Diaconi Aquileiensis De gestis Langobardorum Libri VI.



BASILEAE IN OFFICINA FROBENIANA
ANNO M D XXXII

Cum gratia & priuilegio Cæsareo in annos sex.



SIGISMVNDVS GELENIVS LECTORI S.



Hoc HISTORIAE ROMANAE COMPENDIVM, Lector amice, exordio sumpto à priscis Latinorum regibus Vrbisq; cunabulis, per regum, consulum, ac Cæsarum tempora usque ad Carolum Magnum decurrens, res populi Romani pace belloq; gestas continet: quicquid in ea republica salubriter institutum: multiformesq; administrandi mutationes: seditiones quoq; intestinas: tum bella primo cum Italiæ populis, deinde cũ externis regibus & gentibus auspicijs clarissimorum ac fortissimorũ ducum gesta, quorum industria longe lateq; prouinciæ imperio additæ: adhoc quæ demum crescentibus in immensum opibus, uirtute contrà degenerante, ipsi inter se ciues, ambitione atque auaricia ceu duabus furijs agitati, cruenta sanè, usque ad Cæsarum monarchiam gesserunt: per quam tandem, sed non sine graui libertatis iactura, à diuturna ciuilium bellorum tempestate respirare aliquãtisper eis contigit. Varia mox subsequitur reipublicæ fortuna, dum per crebras Augustorum successiones sæpius in malos quàm in mediocres, rarissime in bonos incidit: nonnũquam in meras generis humani pestes: donec miserante deo mitiores cœpit habere principes, nempe pietate Christiana imbutos. Eam felicitatem non ita multo post multæ clades contaminauere. Nam post translatum ad Byzantium Cæsarum domicilium tot ac tanta ab arctois plagis inundauere Barbarorum examina, ut post amissas Occidentales prouincias, ipsa quoque Italia Gotorum ac mox Langobardorum iugum subire coacta sit. Nec segnius interim in Oriente Persæ alijq; Barbari incumbebant: sed diutius illic sustentatum, nunc his nunc illis fauente fortuna. Postremo Sarraceni ab Asia, ab Europa Bulgari, Auares, Sclaui, totis uiribus coorti, adeo illud quoque imperium afflixerunt, ut hinc Græciam tantum, illinc nihil præter minorem Asiam Græculis reliquum fecerint. Quo tempore florentes iam in Occidente Francorum opes Italia spectare cœpit, pauloq; post regem eorum Carolum Magnum, uirum imperio dignissimũ, ad Vrbem perdomitis Langobardis profectum, uniuersus populus Romanus faustis acclamationibus Imperatorem Augustum consalutauit: Deo (quod credere fas est) iam tum prouidente, ut huius posteritas olim euerso Orientali imperio, rebus fessis opem ferret, ac æquo plus insolescentem Turcarum immanissimam barbariem reprimeret, atq; à ceruicibus populi sui auspice Christo procul arceret. Catalogus principum Romanorum in hoc uolumine cõtentorum, octoginta habet. Superiora tempora Eutropius in compendium redegit: si quid ab eo prætermissum est, ex Orosio, & alijs ueteribus, suppletum uidetur. Idem Eutropius Cæsarum seriem & gesta usque ad sua tempora subiecit: qua in

re Sex. Aurelium potissimũ, ut apparet, sequutus est: à cuius fine rem prosequutus Paulus diaconus, uir ut eo seculo doctissimus, usque ad Iustinianum Augustum deduxit. Reliquum ἀδέσποτον, ex Græco quopiam uersum stilus indicat: ea sanè pars Latinis hactenus nõ peruulgata, uarias fortunæ uices, mirasq; rerum mutationes continet: Omniũ ferè regnorum ac gentium, quarum nunc in Europa Asiaq; clara nomina, Turcarum imprimis & Sarracenorum atq; illorum impiæ religionis origines simul & successus recenset: tum si quæ res nouæ circa pietatem Christianam ab hominibus temerarijs tẽtatæ: qualis ẽiconoclastarum in Oriente furor, quo non unus Imperator correptus est: atque alia cognitu iucundissima innumera.

Sed Græcus ille, quisquis fuit, in rebus suæ gentis occupatior, res Occidentis parcius attigit: ne uero hac parte quidquam desideres, quid interea Langobardi in Italia gesserint, ex Paulo diacono eius gentis historiographo pete.

Lege, fruere, Vale.

REGES LATINI

REGES ALBANI

REGES ROMANI

Post hos Consulare Imperium per annos CCCCLX.

FINIS

DE EVTROPIO EX IOANNE TRITTENHEMIO ABBATE SPANHEMENSI



EVTROPIVS monachus & presbyter, uir religiosissimæ conuersationis, in diuinis scripturis ualde studiosus & eruditus, atq; in secularibus literis ad plenum instructus: fertur nonnulla composuisse opuscula. E quibus extant ista, nobis duntaxat titulis nota,

Ad uirgines duas sorores	Libri II
Chronicarum usque ad sua tempora	Liber I

Claruit sub Valentiniano & Valente principibus, Anno domini trecentesimo septuagesimo. Sunt etiam qui scribant eum Augustini fuisse discipulum, & floruisse Anno domini quadringentesimo & trigesimo.

DE PAVLO DIACONO EX EODEM



PAVLVS monachus Casinensis cœnobij, ordinis sancti Benedicti, natione Italus, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio: propter scientiam literarũ apud Carolum Imperatorem in magno precio habitus fuit. Hic olim ante conuersionem suam diaconus fuit Aquilegiensis ecclesiæ, & Desiderij ultimi regis Langobardorum cancellarius: & cum eodem captus à Carolo, in Galliam ductus, demum monachus factus est. Scripsit tam metro quàm prosa non pauca uolumina. De quibus tantum ego reperi subiecta. Rogatu Aldeburgæ filiæ Desiderij regis addidit

Ad Chronicam Eutropij	Libros II
Gesta episcoporum Metensium	Librum I
Vitam Gregorij papæ primi	Librum I
Vitam sancti Arnulphi episcopi	Librum I
Vitam sancti Benedicti metrice	Librum I
Gesta Langobardorum	Libros VI Septentrionalis plaga
Hymnos plures diuerso metro	Librum I
Epistolarum ad diuersos	Librum I

Iussu Caroli ordinauit historias & lectiones per totum annum singulis festiuitatibus sanctorum congruentes. Et alia multa digessit & scripsit.

Claruit eiusdem Caroli Magni temporibus, Anno domini septingentesimo octuagesimo.

EVTROPIVS VALENTI MAXIMO perpetuo Augusto.

RES ROMANAS ex uoluntate mansuetudinis tuæ, ab urbe condita ad nostram memoriam, quæ in negocijs uel bellicis, uel ciuilibus eminebant, per ordinem temporum breui narratione collegi strictim: additis etiam ijs, quæ in principum uita, egregia extiterunt: ut tranquillitatis tuæ posit mens diuina lætari, prius se illustrium uirorum facta in administrando imperio secutam, quàm cognosceret lectionem.

EVTROPII DE GESTIS ROMANORVM LIBER PRIMVS.



RIMVS in Italia ut quibusdam placet, regnauit Ianus: deinde Saturnus, Iouem filiũ è Græcia fugiens in ciuitate, quæ ex eius nomine Saturnia dicta est, latuit: cuius ruinæ hactenus cernũtur in finibus Tusciæ haud procul ab Vrbe. Hic Saturnus quia in Italia latuit, ab eius latebra Latium appellata est. Ipse etenim adhuc rudes populos domos ædificare, terras incolere, plantare uineas docuit, atq; humanis moribus uiuere, cum antea semiferi glandium tantummodo alimentis uitam sustentarent, & aut in speluncis, aut frondibus uirgultisq; contextis casulis habitarent. Ipse etiam eis nummos æreos primus instituit. Pro quibus meritis ab incolarum rustica multitudine deus appellatus est. Post hunc Picus eius filius, de quo fabulose dicitur, quod à quadã famosissima maga, Circe nomine, ob contemptum eius amorem in auem sui nominis sit mutatus. Post hunc eius filius Faunus, qui fuit pater Latini, cuius mater Carmentis Nicostrata creditur latinas literas repperisse. Quibus regnantibus centum quinquaginta anni referũtur euoluti. Regnante tamen Latino qui Latinam linguam correxit, & Latinos de suo nomine appellauit, Troia à Græcis capta est, cum apud Hebræos Labdon tertium sui principatus annũ ageret, & apud Assyrios Teutanes, apud Ægyptios Thoos regnaret, expletis à mundi principio annis quatuor milibus & decem & nouem, à diluuio mille septingentis septuaginta septem, à natiuitate Abrahæ tertio anno Nini regis Assyriorum anno octingentesimo quinto, à natiuitate Moysi annis quadringentis decem, ante urbem autem conditã annis quadringentis quatuor, ante primam quoq; Olympiadem annis quadringentis sex. Capta ergo Troia, Æneas Veneris & Anchisæ filius ad Italiam uenit, anno tertio post Troiæ excidium: cum Turno Dauni Tuscorum regis filio dimicans eum interemit, eiusq; sponsam Lauiniam regis Latini filiam in coniugio accepit, de cuius etiam nomine Lauinium oppidum quod construxerat appellauit. Regnauit ergo Æneas Latinis annis tribus.

Italiæ reges — *Saturnia* — *Latium Saturni inuenta* — *Nummus æreus primus* — *Carmentis* — *Troia capta* — *Labdon* — *Aeneas* — *Lauinium*

ASCANIVS REX



VO uita decedente regnũ suscepit Ascanius, qui & Iulus, eiusdem filius, quẽ apud Troiam ex Creusa coniuge filia Priami regis genuerat, & secũ in Italiã ueniens adduxerat. Qui Ascanius relicto nouercæ suæ Lauiniæ regno, Albam longã condidit, & Syluium Posthumum fratrem suum, qui post eum regnauit, Æneæ ex Lauinia filium sum-

Alba

ma pietate educauit, deosq; Penates patris sui Æneæ ex Lauinio in Albã longam transtulit. Simulacra uero Lauinium sponte redierunt. Rursus transducta in Albam longam, tertium repetiuere antiquiora delubra. Ascanius deinde Iulum filiũ procreauit à quo familia Iuliorum exorta est, paruulum & qui necdum regendis ciuilibus curis idoneus erat. Cum autem XXX & VIII annis regnasset Ascanius, Syluium Posthumum fratrem suum regni reliquit hæredem.

Miraculum *Iulia gens* *Syluius Posthumius*

ALBANI REGES

SYLVIVS ergo Posthumus regnauit annis XXIX, q Posthumus inde appellatus, quia post mortẽ patris est natus, Syluius quia ruri fuerat educatus, à quo omnes Albanorũ reges Sylu{ij} uocati sunt. Post quẽ regnauit Æneas Syluius annis triginta uno. Deinde Latinus Syluius regnauit annis L, quo etiã tempore apud Hebræos Dauid regnabat. Post cuius obitum regnũ Alba Syluius suscepit annis XXXIX. Post hunc Ægyptus siue Atys eius filius annis XXIIII. Deinde Capys Syluius superioris regis filius annis XXVIII, qui Capuam in Campania condidit. Item Capetus Syluius Capys filius annis XIII. Post Tyberinus Capeti filius annis IX. Ab huius nomine Tyberinus fluuius dictus est, eo quod in eum decidens extinctus est, qui prius Albula dictus est. Successit huic Agrippa Syluius annis regnans XL. cuius temporibus Homerus fuisse in Græcia perhibet. Dehinc Remus Syluius Agrippæ superioris regis filius regnauit annis XIX. Iste præsidium Albanorum inter montes ubi nunc Roma est posuit, qui ob impietatem fulmine ictus interijt. Post hunc regnauit Auentinus Syluius annis XXXVII, qui fuit Remi superioris regis filius, quiq; in eo monte qui nunc pars urbis est mortuus ac sepultus æternum loco uocabulum dedit. Successor huius extitit Procas Syluius, eiusdem Auentini filius, qui regnauit annis XXII. Quo regnante Phidon Argiuus mensuras & pondera reperit, cum apud Hebræos Aza in Iudæa & Hierusalẽ regnaret. Et dum Procas obisset, testamentum suũ duobus fil{ij}s suis Amulio & Numitori reliquit, ut unus pecuniam protinus, alter regnũ susciperet. Amulius uero fratri suo Numitori electionem dedit, ut quod desideraret acciperet. Numitor uero pecuniam tulit. Amulius autem regnum obtinuit, in quo regnauit annos XLIII. Et dum regnum obtineret, consuluit deos, responsumq; est ei, quod ab stirpe fratris sui occideretur, & regnum perderet. Statimq; eum de regno expulit. Numitor autem abiens, in agro suo uixit. Erant autem ei duo fil{ij}, Sergestus & Rhea, quæ & Ilia dicta est. Metuens ergo Amulius rex responsum, Sergestum secum ad uenationem duxit, & eum in sylua occidit. Rheam uero quæ & Ilia, adimendi partus gratia, uirginẽ uestalem fecit. Quæ cum septimo patrui anno geminos edidisset infantes, iuxta legem in terra uiua defossa est. Verum paruulos prope ripam Tyberis expositos, Faustulus

Dauid *Capua* *Tiberinus fl.* *Homerus* *Auentinus* *Phidon* *Aza* *Amulius* *Sergestus* *Rheæ supplicium* *Faustulus*

lus regij pastor armenti ad Accam Laurentiam uxorem suam detulit, quæ ob pulchritudinem & rapacitatem corporis quæstuosi lupa à uicinis appellata est. Vnde & ad nostram usq; memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Pueri cum adoleuissent, collecta pastorum & latronum manu interfectoq; apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnũ restituũt. *Numitor*

ROMVLVS VRBIS CONDITOR

ROMANVM igitur imperium, quo neq; ab exordio ullum ferè minus, neq; incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, à Romulo habet exordium, qui Rheæ Syluiæ uestalis uirginis, ut præmissum est, filius, & quantum putatus est Martis, cum Remo fratre uno partu editus est. Is cum inter pastores latrocinaretur XVIII annos natus, urbem exiguam in Palatino monte constituit X kalendas Maias, Olympiadis sextę anno quarto, CCCCXIX post Troiæ excidiũ, siue, ut placet Orosio, CCCCIIII. ante sex annos, quàm decẽ tribus Israel à Sennacherib rege Chaldęorum transferrentur in montes Medorum. *Natalis urbis* Condita ergo ciuitate quam ex nomine suo Romam uocauit, à qua & Romanis nomen inditum est, hæc ferè egit. Cõdito templo quod Asylum appellauit, pollicitus erat cunctis ad eum confugientibus impunitatem. *Asylum* Quam ob causam multitudinem finitimorum, qui aliquam apud suos ciues offensam contraxerant, ad se confugientem in ciuitatem recepit. Latini deniq; Tuscíq; pastores, etiam transmarini Phryges qui sub Æneа, & Arcades qui sub Euandro duce uenerant, influxerunt. Ita ex uarijs quasi elementis cõgregauit corpus unum, populumq; Romanum effecit. Centumq; ex senioribus elegit quorum cõsilio omnia ageret, quos Senatores propter senectutem, patres ob similitudinem curæ nominauit. *Senatus lectus* Mille etiam pugnatores elegit, quos à numero milites appellauit. Tum cũ uxores ipse & populus eius non haberent, inuitauit ad spectaculum ludorum uicinas urbis Romæ nationes, atq; uirgines earum rapuit anno ab urbe condita quarto. *Raptus Sabinarum* Tunc uirginum pulcherrima cunctorum acclamatione rapientium Thalassio duci Romuli decernitur. Vnde in nuptiarum adhuc solennitatibus Thalassio clamitant, quod scilicet talis nupta sit, quę Thalassium habere mereatur. *Thalaßio* Cómotis bellis propter raptarum iniuriam, Ceninenses uicit, Antẽnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates. Hæc omnia oppida urbem cingunt. Tunc etiam Tarpeia uirgo Sabinorum clypeis in monte obruta est, qui ab eius nomine Tarpeius est appellatus, in quo postea Capitoliũ est constructum. *Tarpeius mons* Pepigere tamen Romani cum Sabinis, quorum filias rapuerunt, amicitias: adeo ut Sabinorũ rex Titus Tatius senex regnaret pariter cum Romulo, quem mox ut in societatẽ regni eius assumpsit occidit: *T. Tatius* Sabini quoq; & Romani unus populus efficerentur. *Sabini in urbem recepti* Quo tempore Romani ad confirmandam coniunctionem nomina illorum suis præponebant nominibus, & inuicem Sabini Romanorum. Et ex illo consuetudo tenuit

ut nemo Romanus sit absq; prænomine. Propter hanc etiam societatem cum Sabinorum more Romulus hastam lõgam ferret, quæ eorum lingua quiris appellatur, Quirinus est dictus. Romani uero siue à quiribus id est, hastis longis, siue à Quirino, Quirites nominari cœperunt. Remus denique à Fabio duce Romuli fratris sui, eiusdem ut fertur uoluntate, rutro pastorali extinctus est. Causa autem interitus eius hæc fuit, quod ad tutelam nouæ urbis uallum quem fecerant, non posse sufficere increpauerat, eiusq; angustias saltu transilierat. Cum Veientibus populis adhuc prælium par uo nomine sed magnis uiribus agitatum. Ceninẽsium captum ac dirutum oppidum: assumptis semel armis nunquam quies, quippe quibus egestas turpis atq; obscœna fames domi timerentur, si unquam acquieuissent paci aut fœderi. Romulus uero cum VII Kalendas Augusti apud paludem capreæ fulmine ictus nusquam comparuisset, anno regni XXXIX, ad deos transisse creditus est, & Quirini nomine consecratus. Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperauerunt, & his regnantibus annus unus expletus est.

Quirites unde

Remi cædes

Veientes

Ceminum dirutum

Interregnum

NVMA POMPILIVS

POSTEA Numa Pompilius rex creatus est cũ apud Hebræos Ezechias regnaret. Qui bellũ quidem nullũ gessit, sed nõ minus ciuitati q; Romulus profuit. Nam & cultus deorũ & leges Romanis mores q; cõstituit, qui cõsuetudine prel̨iorũ iam latrones & semibarbari uidebantur: & annũ descripsit in decẽ menses, prius sine aliqua supputatione confusum, & infinita Romæ sacra ac templa constituit. Morbo decessit XLI imperij anno. Regnante Numa Glaucus primus ferri inter se glutinum excogitauit.

Ezechias

Glauci inuentum

TVLLVS HOSTILIVS

HVIC successit Tullus Hostilius, qui primus Romanorum purpura & fascibus usus est, Manasse in Iudæa regnante. Hic bella reparauit, fiducia bene exercitæ iuuentutis, & Albanis qui ab urbe XII miliaria sunt, intulit, eosq; uicit sexta congressione, pessima clade. Veientes & Fidenates, quorum alij sex miliaria ab urbe Roma absunt, alij XVIII. bello superauit. Rursus pace dirupta, Metius Suffetius Fidenate bello meditatus dolum, dum contracta temporali pace ascitus fuerat à Romanis, ita eos deseruit ac decepit infidus, ut in medio certamine cum exercitu suo in proximo colle consideret. Tum ingenio usus est rex Romanus Tullus Hostilius, ut diceret suo eum secessisse consilio, ob hoc ut dato signo hostilibus superueniret agminibus: Sic erectis suorum animis, qui iamiam desperauerant separatione subsidij, & Albanis territis, uicit Fidenates. Metium uero Suffetium curribus illigatum, pro animi infidelitate diuisit. Hic urbem ampliauit adiecto Celio monte. Cum uero XXXII annis regnasset fulmine ictus cum domo sua arsit. His temporibus

Insignia regũ

Manasses

Metius Suffe.

Tulli stratagema

Celius mons

potibus Byzantium ciuitas condita est à Pausania rege Spartanorum, quę postea Constantinopolis appellata est.

Byzantium conditum

ANCVS MARTIVS

POST hunc Ancus Martius Numæ ex filia nepos, suscepit imperiũ. Quo etiã tempore Iosias regnabat apud Hebræos. Hic contra Latinos dimicauit, & uicit omnes finitimos & potẽtes tunc Tusciæ XII populos innumeris concidens conflictibus. Auentinum montem ciuitati adiecit & Ianiculum. Hostiam ciuitatem supra mare XVI miliario ab urbe Roma condidit. Vicesimo quarto anno imperij morbo perijt. Hoc etiam regnante Epidamnus est condita, quæ postea Dyrachium est appellata.

Iosias
Latini & Hetrusci uicti
Hostia
Dyrachium conditum

L. TARQVINIVS PRISCVS

DEINDE regnum Priscus Tarquinius accepit. Hic numerum Senatorum duplicauit, Circum Romæ ædificauit. Ludos Romanos instituit, qui ad nostram usq; memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos & non parum agrorum sublatum idem Romæ urbis territorio iunxit, primusq; Triumphãs Romam intrauit. Muros fecit & cloacas, capitolium inchoauit. Tricesimo septimo imperij anno per Anci filios occisus est, regis eius cui ipse successerat. Regnante Tarquinio, Arion Methymnæus à Delphino in Tænarum dicitur transportatus. Tunc etiam Massilia condita est. Eo tempore Hierusalem à Nabuchodonosor rege Chaldæorum subuersa est.

Senatus duplicatus
Sabini uicti
Triumphus primus
Arion
Massilia condita
Hierosolyma subuersa

SERVIVS TVLLIVS

POST hunc Seruius Tullius suscepit imperium, genitus ex nobili fœmina, captiua tamen & ancilla, regnauitq; annos XXXIIII. Huic Tarquinij Prisci gremio dormienti, caput ardere uisum est. Quod prodigium cum Tanaquil uxor regis uidisset, eum inter liberos educauit, pro qua re ad regnum peruenit. Quo regnante Balthasar imperabat Chaldæis, sub quo Daniel scripturam mysticam in pariete legit & interpretatus est. Hic quoq; Sabinos subegit, Veientes prælio uictos nec domitos fregit, Montes Quirinalem, Viminalem, Esquilinum urbi adiunxit, fossas circũ murũ duxit: primus omniũ censum ordinauit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma omnibus in censum delatis, habuit capita LXXXIIII milia ciuium Romanorum cum his qui in agris erant. Occisus est scelere generi Tarquinij Superbi, filij eius regis cui ipse successerat, & filiæ quàm Tarquinius habebat uxorem.

Prodigium
Daniel
Quirinalis
Viminalis
Esquilinus
Census institutus

L. TARQVINIVS SVPERBVS

LVCIVS deinde Tarquinius Superbus septimus atq; ultimus inuasit imperium. Quo tempore ad laxationem Cyri regis Persarum reuersi sunt Hierusalem XLII milia quadringenti. Iste excogitauit primus uincula, taureas, fustes & laminas, compedes, catenas, exilia,

Cyrus
Hierusalem denuo habitata

Volsci metalla, carceres. Volscos, quæ gens ad Campaniam euntibus non longe
Gabij ab urbe est, uicit: oppida ualida in Latio, Gabios, Suessamq; Pometiã sub
Sueßa egit. Cum Tuscis pacem fecit, ac templũ Ioui in Capitolio ædificauit. Po-
stea Ardeam oppugnans in XVIII miliario ab urbe Roma positam ciui-
tatẽ, imperiũ perdidit. Nã cũ filius eius Sextus Tarquinius nocte armatus
Lucretia nobilissimã Lucretiam Lucretij Tricipitini filiã, Collatini uxorem per uim
stuprasset, ea de iniuria maritũ, patrẽ & amicos acciuit è castris, uimq; quã
oppressa pertulerat, flens ac pudibũda conquesta est. Solantibus illis non
pertinere ad pudicitiam illatæ uiolentiæ crimen extraneum: non enim ani-
mum honestæ, sed corpus tantum fuisse corruptum: nulla, inquit, impudica
exin Lucretiæ se defendet exemplo. Tum ferrũ quod ueste cælabat, subito
uisceribus immersit. Propter quam causam Brutus parẽs etiam ipsius Tar-
quinij populum concitauit, & Tarquinio ademit imperium. Mox exercitus
eum quoq; reliquit, qui ciuitatem Ardeam cum ipso rege impugnabat, ue-
Tarquinij niensq; ad urbem rex portis clausis exclusus est. Cumq; imperasset annis
fuga XXXV cum uxore & liberis fugit. Ita Romæ regnatum est per VII reges
annis CCXLIII, cũ adhuc Roma ubi plurimũ uix usq; ad XV miliarium
Iudith possideret. Tarquinij sane temporibus, castissima Iudith Holophernẽ per-
Pythagoras emit. His etiam temporibus Pythagoras Philosophus claruit, qui Samo
oriundus Crotone deguit, nouissime Metapontum adijt, ibiq; sepultus
est. Sed Romani quanta mala per CCXLIII annos continua illa regum
dominatione pertulerint, non solũ unius regis expulsio, uerumetiã abiura-
tio regij nominis & potestatis ostẽdit. Nam si unius tantũ superbia fuisset
in culpa, ipsum solum oportuisset expelli, seruata dignitate melioribus.

CONSVLES PRIMI

IGITVR regibus urbe propulsis, Romani consulendum sibi, q̃
cuiquam suæ libertati dominandum rati, consules creauerunt.
Pro uno rege duo hac causa creati, ut si unus malus esse uoluisset,
alter eum habens potestatem similem coherceret. Et placuit ne imperium
longius quàm annuum haberẽt, ne per diuturnitatem potestatis insolentio-
res redderentur, sed ciuiles semper essent, qui se post annum scirent esse pri-
uandos. Fuerunt ergo primo anno expulsis regibus L. Iunius Brutus, qui
L. Iunius maxime egerat ut Tarquinius pelleretur, & L. Tarquinius Collatinus ma-
L. Tarquinius ritus Lucretiæ. Sed à Tarquinio Collatino statim sublata est dignitas. Pla-
cuerat enim ne quisquam prorsus in urbe maneret, qui Tarquinius uocare-
tur. Ergo accepto omni patrimonio suo, ex urbe migrauit, & in loco ipsius
factus est P. Valerius Publicola consul. Cõmouit tamen bellum urbi Ro-
P. Valerius mæ rex Tarquinius qui fuerat expulsus, & collectis multis gentibus maxi-
me Hetruscorum & Veientium, ut in regnum posset restitui dimicauit. In
prima pugna Brutus consul & Aruns Tarquinij filius inuicem se occide-
Bruti mors runt. Romani tamen ex ea pugna taliter uictores recesserunt, uno plus He-
trusco

trusco cadente Romanus uictor abiuit. Brutum Romanæ matronæ defensorem pudicitiæ suæ quasi cõmunem patrem per annum luxerunt. Valerius Publicola Sp. Lucretium Tricipitinũ collegam sibi fecit, Lucretiæ patrem. Quo morbo mortuo, iterum M. Horatium Puluillum collegam sibi fecit. Ita primus annus v consules habuit, cum Tarquinius Collatinus propter nomen urbe cessisset, Brutus in prælio perisset, Sp. Lucretius morbo mortuus esset. Secundo quoq; anno, iterum Tarquinius ut regnum reciperet, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porsena Hetruriæ rege, tribusq; continuis annis trepidam urbem terruit, cõclusit, obsedit: & nisi hostem uel Mutius qui ad feriendum Porsenam ad eius castra atq; tentorium descenderat, & subregulum eius stipendia diuidentem habitu purpurato occidit, regem arbitratus, captusq; ilico, loquutus est cur uenisset, dextram deniq; quæ errauerat, igni qui in ara erat urendam superposuit: uel uirgo Clœlia, quæ post exiguum temporis interuallum ruptis uinculis admirabilis transmeatu Tyberis fluminis: audacia permouissent, profecto Romani perpulsi forent perpeti, aut captiuitatem hoste insistente superati, aut seruitutẽ recepto rege subiecti. Eadẽ Clœlia obses fuerat Porsenę data, quæ uigiles fefellit, & conscenso equo per Tyberim Romam rediit. Statua ei equestris ex Senatus consulto data est. Quadam die cum Hetrusci in urbem Romam irruerent per pontem sublicium Tyberis quidam Horatius Cocles in põtis fronte eis obstitit solus, donec dissoluto ponte pars eius dirueretur: & statim cum armis se in Tyberim dedit, ac pariter & hostium uictor & fluminis, superiecta Hetruscorum tela uitauit. Tertio anno post reges exactos, Tarquinius cum suscipi non posset in regnum, neq; ei Porsena qui pacem cum Romanis fecerat, præstaret auxiliũ, Tusculum se cõtulit quæ ciuitas non longe ab urbe est, atq; ibi per XIIII annos priuatus cum uxore cõsenuit. Quarto anno post reges exactos, Sabini undiq; corrasis copiis magno apparatu belli Romã cõtendũt: quo metu cõsternati Romani bellũ parauerũt, & de his triũphatũ est. Quinto anno post reges exactos P. Valerius ille Bruti collega, & IIII cos, fataliter mortuus est adeo pauper ut collectis à populo nũmis sumptũ habuerit sepulturæ. Quẽ matronæ sicuti Brutũ per annũ luxerũt. Nono anno post reges exactos, cũ gener Tarquinii ad iniuriã soceri uindicandã ingentem collegisset exercitum, noua dignitas Romæ creata est, quæ dictatura appellatur, maior quàm consulatus. Eodem anno etiam magister equitum factus est, qui dictatori obsequeretur. Nec quicquam similius potest dici quàm dictatura antiqua huic imperiali potestati, quam nunc tranquillitas nostra habet, maxime cum Augustus quoq; Octauianus, de quo postea dicemus, & C. Cæsar sub dictaturæ nomine & honore imperauerint. Dictator autem Romæ primus fuit M. Valerius: magister equitum primus Sp. Cassius. Sextodecimo anno post reges exactos, sequitur discessio plebis à patribus, cum delectu mili-

Sp. Lucretius
M. Horatius
Porsena rex
Mutius
Clœlia
Horatius Cocles
Tarquinius Tusculum se confert
Sabini triumphati
P. Valerii IIII consulis funus
M. Valerius primus dict.

tum acerbius acto uarijs populus stimulatus iniurijs, tanq̃ à Senatu atq; Coss. premeretur, Sacrum montẽ insedit armatus. Qua pernicie quid atrocius, cum corpus à capite defectũ perditionem eius per quod spirabat meditabat. Tum populus sibi Tribunos plebis quasi proprios iudices & defensores creauit, per quos contra senatũ & Coss. tutus esse posset. Eodem tempore Neemias concedente Xerxe Persarũ rege Iudæam uenit, muros urbemq; restituit. Sequenti anno Volsci contra Romanos bellũ præparauerunt, & uicti acie etiam Coriolos ciuitatem perdiderunt, quam habuerunt optimam. XVIII anno postquam reges eiecti erant, expulsus ab urbe Romanus dux C. Martius, qui Coriolos ceperat Volscorum ciuitatem, ad ipsos Volscos contendit iratus, & auxilia contra Romanos accepit. Romanos sæpe uicit, usq; ad quintum miliarium urbis accessit, oppugnaturus etiam patriam suam, legatis qui pacem petebant repudiatis, nisi ad eum mater Veturia & uxor Volumnia ex urbe uenissent. Quarum etiã precatione remouit exercitũ, quem submouere armis Roma non poterat. Atq; hic secundus post Tarquiniũ fuit, qui dux contra patriam suam esset. In loco aũt ubi orauerãt à marito suo, ara facta est Fortunæ Muliebri. T. Geganio & P. Minutio Coss. duo uel maxima omnium malorum abominamenta fames & pestilẽtia fessam urbem corripuere. Cessatũ est paulisper à prælijs, sed tamen à mortibus non est. Veientes & Hetrusci graues hostes adiunctis sibi finitimorũ copijs in bella surgentes obuijs M. Fabio & Cn. Manlio coss. excipiunt. Vbi post sacramentũ iurationis quo se Romani deuouerant non nisi post uictoriam ad castra redituros, adeo atrox certamen fuit, & uictis uictoribusq; par fortuna, ut amisso plurimo exercitu occisoq; in pugna Manlio consule, M. Fabius consul oblatum sibi à Senatu triumphum suscipere recusaret, eo quod frater suus fortiter faciens in illa prælij tẽpestate cecidisset, inquiens, quia tantis Reip. detrimentis luctus potius debetur q̃ triũphus. C. Fabio & L. Virginio coss. gloriosissima illa numero & uiribus Fabiorũ familia Veientanũ sortita certamen, quantã Reip. orbitatẽ occasu suo intulerit, infamibus usq; adhuc uocabulis testes sunt, fluuius Cremera qui ꝑdidit, & porta quæ misit. Nã cũ CCCVI Fabij ferè clariss. Romani status lumina, speciale sibi aduersus hostes Veientes decennij bellũ expetiuissent, promittentes Senatui & populo per se omne certamẽ implẽdũ, ita sunt ꝓfecti omnes nobiles, & q̃ singuli magnorũ exercituũ duces esse deberẽt. Dehinc deducti in insidias circũuentiq; ab hostib. omnes ibidẽ trucidati sunt, uno tantũ supstite, qui ꝓpter ætatẽ puerilem duci nõ poterat ad pugnã. Post hæc census in urbe habitus, & inuenta per cẽsum sunt ibi centũ & decẽ & septẽ milia trecẽti XVIII. Eodẽ tẽpore Porphyria uirgo Vestalis ob stupri crimẽ uiua defossa est. Romæ ergo post urbẽ cõditã an. CCCLIX suspenso ad modicũ bello, grauis pestilẽtia, quę semp ibi inducias aut factas intercepit, aut ut fierẽt coẽgit, ꝑ uniuersam ciuitatem

Secessio pl. in sacrum montẽ
Tri. pl. creati
Neemias
Xerxes
Corioli capti
Coriolanus
T. Geganius
P. Minutius
M. Fabius
Cn. Manlius
Prælium anceps cum Hetruscis
C. Fabius
L. Virginius
Fabiorum clades

ciuitatem incanduit uiolenter, ut merito præcedente immani prodigio cœlum ardere uisum sit, quando caput gentium tanto morborum igne flagrauit. Nam eo anno T. Ebutium & P. Seruiliũ ambos Coss. Pestilentia consumpsit, militares copias plurima ex parte confecit, multos nobiles præcipueq; plebem fœda tabe deleuit, quamuis iam etiam superiore quarto anno oborta lues eundem populum depopulata sit. Proximo dehinc anno ciues exules seruiq; fugitiui duce Herdonio uiro Sabino Romam inuaserunt, incenderuntq; capitolium. Vbi fortissime quidem Valerio Consule & imperatore obstitere iuniores, sed adeo atrox & graue discrimen prælij fuit, ut ipse quoq; consul Valerius ibi fuerit occisus, & indignam de seruis uictoriam insuper etiam sua morte defœdauit. Sequitur annus in quo cum uicto exercitu consul obsessus est. Nam Minutiũ Cos. congressi prælio populi Equi Volsciq; superarunt, & fugientem in Algido monte, qui ab urbe XII fermè miliario abest, fame ferroq; cinxerunt: actumq; infeliciter foret, ni Quintius Cincinnatus præcipuus ille dictator, artatam obsidionẽ oppresso hoste soluisset. Qui repertus in rure, quatuor iugerum agrum possidens manibus suis colebat. Is cum in opere & arans esset inuentus, sudore deterso ab aratro accersitus ad fasces, togam prætextam accepit. Mox sumpto honore instructoq; exercitu cæsis hostibus uictor effectus liberauit exercitum, iugumq; boum Equis imposuit, uictoriamq; quasi stiuam tenens subiugatos hostes præ se primus egit. Anno qui proximus CCC ab urbe condita fuit, dum legati ab Atheniensibus propter Solonis leges deferendas missi expectãtur, arma Romana fames pestilentiaq; compescuit.

Prodigium

T. Ebutius P. Seruilius Pestilentia

Herdonius capitolium occupat

Valerius cos. occisus

Minutius cos. obsessus

Cincinnatus dictator

DECEMVIRATVS

Ipso autem CCCII anno ab urbe condita imperium consulare cessauit, & pro duobus consulibus decem facti sunt, qui summam potestatem haberent constituendarum legum Atticarum gratia, qui à numero decem, decemuiri sunt nominati. quod magnã Reip. perniciem inuexit. Nam primus ex decemuiris cedentibus cæteris, solus Ap. Claudius sibi continuauit imperium. Statimq; aliorum coniuratio subsecuta est, ut more contempto quo insigne imperij penes unum, potestas autem communis erat omnibus, omnia proprijs libidinibus agitarent Itaq; inter cætera quæ insolentissime cuncti præsumebant, repente singuli cum duodenis fascibus cæterisq; imperatorijs insignibus processerunt. Et nouo improbæ ordinationis incepto allegata legatione consulum emicuit agmen Tyrannorum, duabus tabulis legum ad decem priores additis agentes insolentissimo fastu plurima. Et die quo deponere magistratus mos erat, cum ijsdem insignibus processerunt. Secundo anno ex his Ap. Claudius Virginij cuiusdam, qui honestis iam stipendijs contra Latinos in monte Algido militabat, filiam uirginem nomine Virginiam stu-

Ap. Claudius

prauit

Virginiæ cædes prauit. Quam ob rem adactus Virginius pater dolore libertatis, & pudore dedecoris, protractam ad seruitutē filiam in conspectu populi pius parricida prostrauit. Qua populus necessitatis atrocitate permotus, & periculo libertatis admonitus, montem Auentinum occupauit armatus, nec tueri armis libertatem destitit, nisi postquam à decemuiris potestas ablata est *Decemuiri damnati* ipsique damnati sunt. Anno ab urbe condita CCCXV per totum ferè annum tam crebri, tamq; etiam graues in Italia terræmotus fuerunt, ut de innumeris quassationibus, ac ruinis uillarum oppidorumq; assiduis Roma nuntijs fatigaretur. Dehinc ita iugis & torrida siccitas fuit, ut præsentis tunc futuriq; anni spem gignendis terra fructibus abnegarit. Et his deniq; temporibus Fidenates contra Romanos rebellauerunt maximorum auxiliorum manu stipante. Insuper auxilium his præstabant Ve-*Tolūnius rex* ientes & rex Veientium Tolumnius. Quæ ambæ ciuitates tam uicinæ urbi sunt, ut Fidenæ & Veientum XVIII miliario ab urbe absint. Con-*M. Aemilius dictator* iunxeruntq; se his & Volsci. Sed à M. Æmilio dictatore & L. pariter Quintio Cincinnato magistro equitum uicti, etiam regem perdiderunt. *Fidenæ receptæ* Fidenæ uix capta est & excisa, Tanta in ipsis Fidenis erat malorum animorumq; contentio, ut uel domesticas clades superfusa forinsecus bella obliterarent, uel post damna bellorum inducias relaxatas diuersæ pestes cœlo terraq; excandescentes incessabili infestatione corrumperent. His deniq; temporibus grauissimo terræmotu concussa Sicilia insula, exæstuantibus Ætnæ montis ignibus fauillisq; calidis, cū detrimento plurimo agrorū *Aetnæ incendium* uillarumq; uastata est. Tunc etiam Atlante ciuitas Locridis adhærens ter-*Atlāte insula* ræ, continuo repentino maris impetu abscissa, atq; in insulam desolata est. Atheniensium quoq; ciuitatem misera pestis inuasit diuq; depopulata est. *Veij à Camillo capti* Post XX annos ijdem Veientani rebellauerunt, Dictator contra illos missus est Furius Camillus, qui primum eos uicit acie. Mox etiam ciuitatem diu obsidens cuniculis, clam cepit, antiquissimam Italiæ atq; ditissimam. *Miraculum* Inuentamq; ibi statuā Iunonis Monetæ iussit Romam transferri. Vnus autem è militibus per iocum interrogauit simulachrum an uellet ire Ro-*Falisci dediti* mam: respondit, uolo. Postea cepit & Faliscos non minus nobilem ciuitatem, sed commota est ei domi inuidia, quasi prædam male diuisisset, da-*Camilli exilium* mnatusq; ob eam causam, expulsus est ciuitate.

CAPTIVITAS VRBIS

DEHINC irruptio Belgicorum Gallorum, & incendium urbis insequitur. Cui cladi audeat quispiam si potest motus huius temporis comparare, quamuis non æque pendeat præteriti mali fabula, & præsentis iniuria. *Brennus* Igitur Galli Senones duce Brenno exercitu copioso freti & robusto nimis, cum urbem Clusium obsiderent, obsidione dimissa totis uiribus Romam contendunt. Hos ita dire irruentes Fabius cum exercitu consul excepit, nec tamen obstitit, imò potius hostilis ille impetus

petus Romanos quasi aridas segetes succidit, strauit & transiuit. Testatur hanc cladem Fabij fluuius Allia, sicut Cremera Fabiorum. Non enim facile aliquis similem Romanæ militiæ ruinam recenseret, etiamsi Roma insuper incensa non esset. Patentem urbem Galli penetrant, trucidant rigentes simulachrorũ modo in suis sedibus Senatores, eosq́ incendio domorum crematos, lapsu culminum suorum sepeliunt uniuersos. Cumq́ iam humanæ uires eis omnino resistere non possent, Apollinem Delphicum consuluerunt. Respondit, deos secum & candidas puellas Gallis pugnaturas. Tunc in alpibus niuibus oppressus Brenno cum omni suo exercitu deletus est. Igitur reliquam iuuentutem, quam constat uix mille hominum tunc fuisse, in arce Capitolini montis latitantem obsidione concludunt, ibiq́ infelices reliquias fame & peste, desperatione & formidine terunt. Captumq́ ilico Capitolium fuerat, nisi clamore anseris excitatus Mãlius restitisset. Qui cum diu eos obsiderent, & iã Romani fame laborarent, fragmenta panum pro lapidibus Gallis proiecerunt. Quamobrem accepto auro mille librarum, ne capitolium obsiderent, ex urbe recesserunt. sed secutus eos Camillus ita cecidit, ut & aurum quod his datum fuerat, & insuper omnia quæ ceperant militaria signa reuocaret, quamuis pridem eos grauissime cecidisset. Ita tertio Camillus triumphans urbem ingressus est, & appellatus est secundus Romulus, quasi & ipse patriæ cõditor. Igitur cum ijdem Galli capitolium obsiderent, C. Fabius Dorsuo flamen Quirinalis solenni die gabinatus sacra perferens, per hostium tentoria ad Quirinalem montẽ contendit, & celebrato sacrificio redijt. Circa hæc tempora Esdræ putatur historia scripta. Plato quoq́ philosophus his temporibus fuisse perhibetur.

Alliensis clades

Capitolium obsessum

Manlius Capitolinus

Stratagema


Camilli de Gallis uictoria

Dorsuonis pietas

Esdras

Plato

DE GESTIS ROMANORVM
LIBER SECVNDVS
Trib. mil. Cos. potestate.



NNO ab urbe condita CCCLXV sæuissimo terræmotu Achaia uniuersa cõmota est, & tũc ciuitates, Bura & Helice, abruptis locorum deuoratæ. Igitur post captam urbem primo dignitates mutatę sunt, & pro duob. facti Coss. Tribuni militares consulari potestate. Hinc iam cœpit Romana res crescere. Nam Camillus eo anno Volscorũ ciuitatẽ, quæ per LXX annos bellum gesserat uicit, & Equorũ urbem, & Sutrinorum urbem, atq; omnes deletis earundẽ exercitibus occupauit, & tres simul triumphos egit. Titus etiã Quintius Cincinnatus Prænestinos, qui usq́ ad urbis Romæ portas cum bello uenerant, persecutus ad flu-

Bura & Helice absorptæ

men Alliam uicit, octo ciuitates quæ sub ipsis agebant, Romanis adiunxit, Ipsam Prænestem aggressus in deditionem accepit. Quæ omnia ab eo gesta sunt uiginti diebus, triumphus ipsi decretus est. Verum dignitas Tribunorum militarium non diu perseuerauit. Nam post aliquantum nullos placuit fieri, & quadrienniũ in urbe ita fluxit ut potestates ibi maiores non essent. Præsumpserunt tamen Tribuni militares cõsulari potestate iterum dignitatem, & triennio perseuerauerunt. Rursus Coss. factis L. Genutio, & Q. Seruilio, mortuus est Camillus, honorq; ei secundus post Romulum delatus est. Anno ab urbe condita CCCLXXXIIII ingens uniuersam Romam pestilentia corripuit: non ut assolet plus minusue solito tempore turbata temperies, hoc est, intempestiua hyemis siccitas, aut repentinus calor ueris, aut incongruus humor æstatis, uel autumni diuitis pinguis & indigesta illecebra, insuper etiam expirata de Calabriæ saltibus aura corrumpens, & repentinos acutarum infirmitatum afferre solita transcursus: sed grauis diuturnaq; & in nullo dispar sexu, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium iugiter tabe confecit, ut etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos afflictosque dimiserit. Sequenti que anno secutum est satis triste prodigium. Siquidem in medio urbis foro terra dissiliit, uastóque prærupto hiantia subito inferna patuere. Quod dum diutius ad spectaculum ita maneret cunctisq; terrorem inferret, tandem interpretantibus aruspicibus, claudi barathri amplitudinẽ posse si in eo quod esset Romæ preciosissimũ mitteretur, uoluntarie diu iactatis inaniter monilibus matronarum, M. Curtius eques Romanus, domo clarus, militiæ insignibus sumptis cũ equo se in id barathrũ præcipitauit, sicq; conclusum est. Post eum sacrificantes in eundem locum iecere fruges, & mox terra in suam naturam rediit. Anno ab urbe condita CCCLXXXVIII iterum Gallorum terribilis inundatio iuxta Anienem fluuium ad quartum ab urbe lapidem consedit, facile sine dubio & pondere multitudinis, & alacritate uirtutis perturbatam occupatura ciuitatem, nisi otio & lenitudine sui torpuisset. Vbi atrocissimam pugnam singulariter inchoauit L. Manlius iuuenis nobilissimus de Senatoribus: prouocantẽ Gallũ ad singulare certamen progressus occidit, & sublata torque aurea, colloq; suo imposita, in perpetuũ & sibi & posteris Torquati cognomen obtinuit. Statimq; eos T. Quintius dictator, cruentissima congressione confecit. Fugati ex hoc prælio plurimi Galli instauratis iterum copiis in bellum ruentes, à C. Sulpicio dictatore superati sunt. Post paululum quoque Tuscorum pugna sub C. Martio consecuta est, ubi conici datur quantum hominum cæsum sit, quando VIII millia capta sunt Tuscorum. Census iterum habitus est. Tertio anno in iisdem diebus Galli se in prædam per maritima loca subiectosq; campos ab Albanis montibus diffuderũt. Et cum Latini qui à Romanis subacti erãt, milites præstare nollent,

Prænestini dediti

IIII anni absq; curuli magistratu

L. Genutius

Q. Seruilius

Camilli mors

Pestilentia ingens

Prodigium

M. Curtius

L. Manlius Torquatus

Galli ad Aniene deuicti

Tusci à Martio uicti

à Romanis nouo militum delectu habito tyrones electi sunt. Factæq; legiones x, qui modus LX uel amplius armatorum milia efficiebat, aduersus eos processerunt: paruis adhuc Romanis rebus, tanta tamen in re militari uirtus erat. Quæ cum profectæ essent aduersus Gallos duce L. Furio, quidam ex Gallis unum ex Romanis qui esset optimus prouocabat. Tunc se M. Valerius Tribunus militum obtulit, & cum processisset armatus, coruus ei supra dextrum brachium sedit. Mox commissa aduersus Gallum pugna, idem coruus alis & unguibus Galli oculos reuerberauit, ne rectum posset aspicere, Ita à Tribuno Valerio interfectus, non solum uictoriam, sed etiam nomen dedit. Nam postea idem Coruinus est dictus, ac propter hoc meritum annorum XXIII Consul est factus. Occiso enim prouocatore Gallo, alij omnes territi sparsimq; fugiẽtes grauiter trucidati sunt. Tunc siquidem dilata nox usq; ad plurimam partem diei tendi uisa est. Tunc etiam saxa grandini mixta nubibus cecidere. Eodemq; tẽpore Magnus Alexander, magnus uero ille gurges miseriarum, atq; atrocissimus turbo totius orientis natus est. Anno ab Vrbe condita CCCCIX, Latini qui noluerant milites dare, hoc quoq; à Romanis exigere cœperunt, ut unus Consul ex eorum, alter ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum bellũ contra eos intulerunt Manlio Torquato & Decio Mure Consulibus, in quo bello unus Consul interfectus est, alter extitit impie parricida. Manlius enim Torquatus filium suum iuuenem uictorem, interfectorem Decij Tusculani nobilis equitis, & præcipue prouocantis atq; insultantis hostis occidit. Alius uero Consul cum iterato conflictu illud cornu cui præerat, cædi atq; affligi uideret, inter confertissimos hostes sponte prolapsus occubuit. Manlius quamuis uictor, occursum tamẽ nobilium iuuenum Romanorum, qui legitime exhiberi solet in triumphis, parricida non meruit. Statuæ Consulibus ob meritũ uictoriæ in rostris positæ sunt. Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est. Anno autem post hunc sequente Minutia uirgo uestalis ob admissum incestum damnata est, uiuaq; obruta in campo qui nũc sceleratus dicitur. At uero exin tempore interiecto, horresco referre quod gestum est. Nam Claudio Marcello & Valerio Flacco Coss. incredibili rabie & amore scelerum Romanæ matronæ exarserunt. Erat uero fœdus ille ac pestilens annus, infectæ iam undiq; cateruatim strages mortuorum egerebantur. Cum existente quadam ancilla indice & conuincente, primum multæ matronæ ut biberent uenena quæ coxerant compulsæ. Dein simul quæ hausere consumptæ sunt. Tanta autem multitudo fuit matronarum in his facinoribus consciarum, ut trecentæ septuaginta damnatæ ex illis simul fuisse referantur. Anno ab Vrbe condita CCCCXLII Alexander rex Epirotarũ Alexandri illius Magni auunculus, transiectis in Italiam copijs, cum bellũ aduersus Romanos pararet, & circa finitimos Romæ urbes firmaret uires exercitus sui, auxiliaq;

M. Valerius Coruinus

Galli à L. Furio cæsi

Alexander Magnus

Bellũ Latinũ

Manlius Torquatus. Decius Mus

Manlij seueritas

Statuæ Coss. positæ.

Alexandria

Minutia uestalis damnata.

Claudius Marcellus Valerius Flaccus

Matronæ ueneficij damnatæ

Alexander Epirota

uel sibi acquirere, uel hostibus subtrahere studens bellis exerceretur, à Samnitibus qui Lucanæ genti suffragabãtur, maximo bello in Lucania uictus & occisus est.

BELLVM SAMNITICVM


NNO ab Vrbe condita CCCCXXVI, iam Romani potentes esse cœperant. Bellũ enim in CXXX ferè miliario ab Vrbe gerebatur apud Samnitas, qui medij sunt inter Picenum, Campaniã & Apuliam, gentem si opulentiam eorum quæras, aureis atq; argenteis armis, & discolori ueste usq; ad ambitum ornatam: si insidiarum fallaciam, saltibus ferè & montium fraude grassantem: si rabiem atq; furorem, sacrilegis, humanisq; hostijs in exitium Vrbis agitatam: si pertinaciã, sexies rupto fœdere ipsis hostibus animosiorem. Romani ergo aduersum Samnitas pro Campanis & Sidicinis bellum suscepere. Omnium siquidem non modo Italiæ tantũ, sed penè toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nullũ hospitalius nauibus mare. Hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, Lucrinus, & Auernus quędã maris ostia. Hic amicti uitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus cunctorum Vesuuius. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Herculaneum, Pompeij, & ipsa caput urbium Capua, quõdam inter tres maximas Romã Carthaginemq; nominata. Pro hac urbe & pro his regionibus populus Romanus Samnitas inuadit. L. Papyrius Cursor cum honore Dictatoris ad bellum id profectus est. Qui cum Romam redisset, Q. Fabio Maximo magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne se absente pugnaret. Ille occasione reperta felicis. dimicauit, & uiginti milia Samnitarum deleuit. Ob quã rem à Dictatore capite damnatus, quod se uetante pugnasset, ingenti fauore militum & populi liberatus est, tanta Papyrio seditione commota, ut penè ipse interficeretur. Post hæc Samnites circũspectiore cura ac maiore apparatu instructo, apud Caudinas Furculas consederunt, T. Veturio & Sp. Posthumio Coss. omnesq; copias Romanorum ibidem angustijs locorũ armisq; conclusas ingenti dedecore uicerunt. Quorũ dux Pontius in tantum abusus est uictoriæ securitate, ut Herennium patrem cõsulendum putaret, utrum clausos occideret, an parceret subiugatis: ut uiuos tamẽ cum dedecore seruaret elegit. Romanos enim ante sæpissime uinci & occidi, nunquam autem capi aut ad deditionem cogi potuisse constabat. Itaq; Samnites uictoria potiti, uniuersum Romanum exercitum turpiter captum, armis uestimentisq; nudatum, tantum singulis uilioribus operimentis ob uerecundiam corporum tegendam concessis, sub iugo missum, seruitioq; subiectum, longum agere pompæ ordinem præceperunt. Sexcentis enim equitibus Romanis in obsidatu receptis, oneratos ignominia, cæteris rebus uacuos Consules remiserunt, sub tali tamen conditione pacis, qualis facienda Samnitibus placuit. Sed si fidem fœderis quam sibi Romani seruari à subiectis

Cãpaniæ laus

L. Papyrius

Qu. Fabij Maximi uictoria

T. Veturius

Sp. Postumius

Pontius

Caudina ignominia

iectis uolunt, ipsi subiecti Samnitibus seruassent, hodie aut omnino non essent, aut Samnio dominante seruirent. Posteriore siquidem anno iubente Senatu infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionē, eosq; in bellū cogunt. Quod Papyrio Cos. insistente cōmissum magnas strages utriusq; populi dedit, cum hinc ira recentis infamiæ, inde gloria proximæ uictoriæ pugnantes instimularent. Tandē Romani pertinaciter moriendo uicerunt, nec cædi pariter nec cædere destiterūt, nisi posteaq; uictis Samnitibus, & capto duci eorum cum septem milibus iugum reposuerūt. Deinde Papyrius Satricum expulso præsidio Samnitico, expugnauit & cepit. Hic Papyrius adeo tunc apud Romanos bellicosissimus ac strenuissimus habebatur, ut cum Alexander Magnus disponere diceretur ab oriente descendens, obtinere uiribus Africam, atq; inde in Italiam transuehi, Romani inter cæteros duces, tunc in publica re sua optimos hunc præcipuum fore qui Alexandri impetum sustinere posset meditarentur. Eo tempore Appius Claudius censor aquam Claudiam induxit & uiam Appiam strauit. Circa hæc tempora Iaddus apud Hierosolymam pontifex extitit, cuius frater Manasses templum in monte Garizim construxit.

Papyrius Sānitibus iugū reponit

Satricū expugnatum

Aqua claudia

Via Appia

Iaddus

BELLVM CVM IIII GENTIBVS

ANNO ab Vrbe condita CCCCL Fabio Maximo V, Decio Mure IIII Coss. quatuor florentissimi fortissimiq; Italiæ populi in unum agmen fœdusq; se collegerunt. Namq; Hetrusci, Vmbri, Samnites & Galli uno agmine conspirantes, Romanos delere conati sunt. Tremefacti hoc bello Romanorum animi, & labefactata fiducia est, nec ausi sibi totum sperare de uiribus, dolo diuisere hostes, tutius rati pluribus se bellis implicare, quàm grauibus. Itaq; cum quibusdam suis ad depopulandos hostiles agros, in Vmbriam Hetruriamq; præmissis, Vmbrorum Hetruscorumq; exercitum redire ad tuitionem suorum coēgissent, cū Samnitibus & Gallis bellum inire properarunt. In quo bello cum Gallorum impetu Romani premerentur, Decius Cos. occisus est, Fabius tamē post magnam Decianæ partis stragem, tandē uicit. Eo prælio XXXX milia Samnitum siue Gallorum cæsa, Romanorum uero VII milia ex Decij tantummodo parte qui occisus est, extincta referuntur. fuisse autem absq; Hetruscis & Vmbris, quos astu Romani bello auocauerant, Gallorum & Samnitum peditū CXL milia CCCXXX, equitū uero XLVII milia Liuius refert, & carpentarios mille in armis cōtra aciem stetisse Romanā. Sed ut dictum est semper Romanorū aut domesticā quietē extraneis bellis interruptam, aut externos prouentus morbis interioribus aggrauatos, tantum ut omnimodis ingentes animi undecūq; premerētur: hanc cruentā tristemq; uictoriā pestilentia ciuitatis onerauit, & triūphales pompas obuię mortuorum exequiæ polluerunt: nec erat cui de triūpho gaudiū suaderetur, cū tota ciuitas aut ægris suspiraret aut mortuis. Sequitur annus quo instaurato à

Prælium cruentum

Samnites bellum instaurãt

Samnitibus prælio uicti sunt,atq; in castra fugerũt. Postea uero Samnites nouum animum habitumq; sumentes,hoc est deargentatis armis & uestibus,paratoq; animo ni uincant mori,bello sese offerũt. Aduersum quos Papyrius Cos.cum exercitu missus, cum à præliarijs auguribus coniectantibus,congredi prohiberetur,irridens eos tam feliciter q̃ cõstanter arripuit bellũ confecitq;. Nam in hoc prælio XII milia hostiũ cæsa, tria milia capta referũtur,Sed hanc quoq; istius uere laudandã uictoriã, quã aruspices impedire nõ potuerũt oborti subito corrupere morbi. Nam tanta ac tam intolerabilis pestilẽtia per trienniũ tunc corripuit ciuitatẽ,ut propter eam quacunq; ratione sedandã libros Sibyllinos cõsulerẽt, quibus iubebatur,ut ab Epidauro Æsculapius exhiberetur. Missi sunt legati ad urbẽ Græcã, quos libenter Epidaurij atq; humaniter susceperũt. Ibidẽ se legatis serpens ostendit,raro ab incolis nisi feliciter uisus. Cumq; per triduũ familiariter apparuisset,cunctis inspectantibus subijt in triremem Romanã,& in tabernaculo legati Q.Burgonij collectus quieuit. Vrbe profecti Romani sunt,anguis in naui semper apparuit. Antium uentum est,descendit serpens ad limen templi Æsculapij,& triduo inter myrtos latuit,nec ad solitos cibos processit. Dehinc redijt ad nauem. Cumq; uentũ esset ad Tyberim,enatauit in insulam, in qua illi templũ est constitutũ,& mox sanitas Romanis data est. Præterea altero ab hinc anno Fabius Gurges Cos.male aduersum Samnites pugnauit. Namq; amisso exercitu tribusq; milibus perditis, uictus in urbem refugit. Itaque cum Senatus de summouendo eo deliberaret,pater eius Fabius Maximus ignominiam filij deprecatus, legatum se filio iturum ultro obtulit,si illi depellendæ ignominiæ, & gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata prælioq; conserto,cum subito pugnantem filium Cos. insistente Pontio Samnitarum duce, & infestis hostium telis conclusum uideret,in medium se agmen pius senex equo uectus ingessit. Quo facto permoti Romani,tota ibi incubuere acie,donec ipsum ducem Pontiũ deleto hostili exercitu uictũ oppressumq; ceperunt. Cæsa sunt in eo prælio XX milia,capta autẽ IIII milia cũ rege suo,plurimaq; oppida. Deinde P.Cornelius Rufinus,M.Curius Dentatus ambo Coss.cõtra Samnitas missi ingentibus prælijs eos confecere, ita ruinas ipsas urbium diruentes, ut hodie Samnium in ipso Samnio requiratur,nec inueniri facile possit. Tum bellũ cum Samnitibus per annos XLIX multa Romanorum clade actum, capti ducis destitutione finitum est,neq; ullus hostis fuit intra Italiã, qui Romanam uirtutem magis fatigauerit. Anno subsequẽte cum Sabinis à Consule bellum gestum est,ubi quot milia hominum interfecta sint,quot capta ipse Consul ostendit. Qui cum in Senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini,& multitudinem captiuorum referre uellet,numerum explicare nõ potuit. Anno ab Vrbe cõdita CCCCLXIII Dolabella & Domitio Coss Lucani,Brutij, Samnites quoq; cum Hetruscis & Senonibus Gallis facta

Samnites prælio uicti

Pestilentia ingens

Sibyllini libri

Aesculapius Epidauro translatus

Fabius Gurges à Samnitibus uictus

Sãnites ingenti pugna uicti

P.Cornelius M.Curius Samnites debellati

Sabini uicti

P.Dolabella Cn.Domitius

ſocietate cum rediuiuúm contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos miſere legatos. Quos cum Galli interfeciſſent, Cæcilius Prætor ob ulciſcendam legatorum necem, & comprimendum tumultũ hoſtium cũ exercitu miſſus, ab Hetruſcis Galliſcꝫ oppreſſus interijt. Septem præterea Tribuni militũ in ea pugna occiſi ſunt, multi nobiles ibidem trucidati, XIIII etiam milia militum Romanorum illo bello proſtrata ſunt.

Cæcilius prætor oppreſſus cum exercitu

BELLVM TARENTINVM CVM PYRRHO GESTVM

ANNO ab Vrbe condita CCCCLXIIII Tarentini qui in Italia ultimi ſunt Romanam claſſem forte prætereuntem è ſpectaculo theatri proſpectam hoſtiliter inuaſerunt, quincꝫ tantum nauibus uix per fugam elapſis: cætera retracta in portum claſſis & profligata eſt, præfecti nauium trucidati, omnes bello utiles cæſi, reliqui precio uenditi ſunt. Continuo miſſi Tarentum à Romanis legati, ut de illatis quererentur iniurijs, pulſati ab hiſdem auctas iniurias inſuper retulerunt. His cauſis ingens bellum exortum eſt. Romanos qui quanticꝫ hoſtes circumſtreperent permetientes, ultima adegit neceſſitas Proletarios quocꝫ in arma cogere, hoc eſt eos qui in Vrbe ſemper ſufficiendæ prolis cauſa uacabant, militiæ aſſcribere, quippe cum fruſtra de prole cura eſt, niſi rebus præſentibus conſulatur. Itacꝫ irruit in uniuerſos Tarentinorũ fines cũ Æmilio Cos. Romanus exercitus, igne ferrocꝫ uaſtat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam inſolenter acceptam crudeliter uindicat. Cõtinuo Tarentinos plurimis finitimorum præſidijs fultos, maxime Pyrrhus auxit Epiri rex, qui ex genere Achillis originem trahebat, qui etiam in ſe ob magnitudinem uirium conſiliorumcꝫ ſummam belli nomencꝫ tranſduxit. Nam Tarentum utpote ex Lacedæmonijs conditam cognatãcꝫ Græciæ ciuitatem uindicaturus, totas uires Epiri Theſſaliæ & Macedoniæ, elephantos etiam uſcꝫ in id tempus inuiſos Romanis numero XX in Italiam primus inuexit, terra, mari, uiris, equis, armis, ad poſtremũ uiribus ſuis doliſcꝫ terribilis: niſi quod Delphici illius ſpiritus, quem magnum ipſi uatem ferunt, reſponſo circumuentus, ambiguum exitum eius fecit, qui non conſuluiſſet. Tumcꝫ primum Romani cum tranſmarino hoſte dimicarunt. Miſſus eſt contra eum Cos. P. Valerius Leuinus Qui cum exploratores Pyrrhi cepiſſet, iuſſit eos per caſtra duci, & oſtẽdi omnem exercitum, tumcꝫ dimitti, ut renuntiarẽt Pyrrho quęcuncꝫ à Romanis agerentur. Itacꝫ apud Heracliã Lucaniæ urbem fluuiumcꝫ Vrim prima inter Pyrrhum regem & Leuinum Cos. pugna commiſſa eſt. Cõſumpta eſt grauiſſimo certamine dies, utrincꝫ omnibus mori intentis, fugere neſcijs. Introductos autẽ inter currẽtia agmina elephantos, forma truces, odore graues, mole terribiles, ut uidere Romani, nouo pugnã di genere circũuenti & territi, equis maxime pauitantibus diffugerunt. Sed poſtcꝫ Minutius Centurio quartę legionis primus haſtatus protentũ in ſe ferocis beluæ uncum, quã manũ uocant, gladio deſecuit, & conturbatã dolore uulneris

Proletarij

Pyrrhus

P. Valerius Leuinus

Prima pugna

te uulneris auerti bello, atq; in suos acriter sæuire cópulit, eiusq; immodera-to discursu perturbari atq; permisceri cœpere, finis pugnæ etiam de bene-ficio noctis impositus. Leuinus tamen per noctem fugit. Romanos uictos fuisse turpis fuga prodidit, quorum tunc cecidisse referuntur peditum XIIII milia octingenti uiginti, equites autem cæsi ducenti quadragintasex, capti septingēti XII, signa amissa XXII. Pyrrhus Romanos quos ceperat sum mo honore tractauit, occisos sepeliuit. Quos cum aduerso uulnere & truci uultu etiam mortuos iacere uidisset, tulisse ad cœlū manus fertur, cum hac uoce, se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent. Nam quantus ediuerso numerus sociorum Pyrrhi fuerit extinctus, memo-riæ traditum non est, maxime quia scriptorum omniū ueterum mos est ex ea parte quæ uicerat occisorum non cōmendare numerum, ne uictoriæ glo riam maculent damna uictoris: nisi forte cum adeo pauci cadunt, ut admira tionem terroremq; uirtutis augeat paucitas perditorū: sicut in prima con-gressione Persici belli apud Alexandrū Magnū fuit, cum inter quadringen ta fermè milia hostium interfecta centū uiginti equites, & nouem tantum-modo pedites in eius exercitu defuisse referūtur. Sed Pyrrhus atrocitatem cladis quam hoc bello exceperat, dijs suis omnibus testatus est, affigens ti-tulum in templo Tarentini Iouis in quo hæc scripsit,

Leuinus uictus

Pyrrhi dictū

Qui antea inuicti fuere uiri pater optime olympi,
Hos ego in pugna uici, uictusq; sum ab hisdem.

Et cū à socijs increparetur, cur se uictū diceret qui uicisset, respondisse fer-tur, Næ ego si iterum eodem modo uicero, sine ullo milite Epirū reuertar. Interea Romanus exercitus postquam uictus clàm fugit de castris, misera-bilem belli cladem grauibus monstris auctam accumulatamq; persensit. Nam pabulatores forte digressos uelut hostilis quædā suborta tempestas cum horribili fragore cœli correptos diris fulminibus exussit. Quippe tri-ginta quatuor eorum idem turbo prostrauit, duo & uiginti semineces reli-cti, iumenta exanimata & capta quàm plurima, ut merito contigisse non signum uastationis, sed ipsa uastatio referatur. Post id Pyrrhus coniunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Brutijsq;, Romam perrexit, omnia ferro igniq; uastauit. Campaniam depopulatus est, atque Præneste uenit, miliario ab Vrbe XVIII. Mox terrore exercitus qui eū cum Cos. sequebatur, in Cam paniam se recepit. Legati de redimendis captis ad Pyrrhum missi. Pyrrhus Lyconem & Molossum obuiam eis exire iussit. Ipse autem cum exornatis militibus processit ad portam, & ita ab eo honorifice susceptis, captiuos si-ne precio Romam misit. Vnum ex legatis Romanorum Fabritium sic ad-miratus, cum eum pauperem esse cognouisset, ut quarta parte regni pro-missa sollicitare uoluerit, ut ad se transiret, contemptúsque est à Fabritio. Hincq; cum Pyrrhus propter legatos Romanorum ingenti admiratione teneretur, legatum cum eis misit, qui pacem æquis conditionibus peteret,

Fulmen horribile

Pyrrhi liberalitas

præcipuũ uirũm Cyneam nomine: ita ut Pyrrhus partem Italiæ, quã iam suis armis occupauerat, obtineret. Cyneas legatus postero die quã ingressus fuerat Romã, & equestrem ordinẽ & Senatũ proprijs nominibus salutauit, pax tamen quã offerebat displicuit. Remandatũ est Pyrrho à Senatu, eum cũ Romanis nisi ex Italia recessisset, pacem nõ posse habere. Tum Romani iusserũt captiuos omnes quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, eo quod armati capi potuissent, nec ante eos ad ueterẽ statũ reuersuros quã sibi notorũ hostiũ occisorũ spolia retulissent. Ita legatus Pyrrhi reuersus est. A quo cũ quæreret Pyrrhus qualem Romã cõperisset, Cyneas dixit, regum se patriã uidisse: scilicet tales illic ferè omnes esse, qualis unus Pyrrhus apud Epirum & reliquã Græciã putaretur. Secunda inter Pyrrhũ & Romanos P. Sulpicio & Decio Coss. pugna in Apuliæ finibus fuit, ubi clades belli ad utrosque, sed maxime ad Pyrrhũ, uictoria ad Romanos concederet. Nam cũ diu cunctis obnixe in mutuã cædẽ ruentibus, anceps belli penderet euentus, Pyrrhus transfixo brachio saucius prior cessit è prælio. Sed & Fabritius legatus tũc uulneratus est. Elephanti prima pugna sauciati, atque in fugã cogi posse deprehensi, deinde subiectis inter posteriora & mollia ignibus exagitati, insuper ardentes machinas furore trepido circumferẽtes exitio suis fuere. Cæsa sunt in ea pugna quinque milia Romanorum, de exercitu uero Pyrrhi uiginti milia prostrata sunt: regis signa ablata sunt quinquaginta tria. Romanorum undecim amissa sunt. Pyrrhus Tarentum fugatus est. Interiecto anno contra Pyrrhum Fabritius est missus, qui prius inter legatos sollicitari non poterat quarta parte regni promissa. Tunc cum uicina castra ipse & rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum uenit, promittens ueneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabritius uinctũ reduci iussit ad propriã domũ, Pyrrhoque dici, quæ cõtra caput eius medicus spopondisset. Tũc rex admiratus eũ dixisse fertur: Iste est Fabritius, qui difficilius ab honestate, quã sol à cursu suo auerti potest. Pyrrhus uero fractus bello, Agathocle rege Syracusano mortuo, ad Siciliæ accersitus imperiũ, Syracusas cõcessit. Fabritius uictis Lucanis & Samnitibus triũphauit. Sed Romanorũ miseria nullis cessat inducijs. Consumitur morborũ malis intercapedo bellorũ: & cũ foris cessatur à prælio, agitur introrsus ira de cœlo. Nã Fabio Gurgite iterũ, C. Genutio Clepsina Coss. pestilentia grauis Vrbẽ ac fines eius inuasit. Quæ cũ omnes tum præcipue mulieres pecudesque corripiens, necatis in utero fœtibus futura prole uacuabat, & immaturis partub. cũ periculo matrũ extorti abortus proijciebãtur: adeo ut defutura successio, & defuturũ animantiũ genus, adempto uitalis partus legitimo ordine crederetur. Consules deinde Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus aduersus Pyrrhum missi sunt. Interea reuersum ex Sicilia Pyrrhũ Curius Dentatus Cos. excepit, tertiumque bellum contra Epirotas apud Lucaniã in Arusinis campis gestũ est. Itaque primo cõcursu cũ Pyrrhi

Cyneas legatus

Cyneæ dictũ

Secunda pugna

Pyrrhus uictus

Fabritij magnanimitas

Pyrrhus Syracusas cõcedit

M. Curius Cornelius Lentulus

Tertia pugna

milites Romanorum impressione trepidarent, & circumspectantes fugam bello cedere molirentur, Pyrrhus Elephantes ex subsidijs iussit induci. Romani assueti iam pugnare cum beluis, cum malleolos stuppa inuolutos ac pice oblitos, uncis insuper aculeis tenaces præparauissent, eosq; flammatos in terga beluarum turresq; uibrarent, non difficile furentes ardentesq; beluas in eorum excidia quibus subsidia fuerant, retorserunt. Octoginta milia peditum in illo prælio habere regem dicunt, equitum uero sex milia. Ex his cæsa referuntur uiginti tria milia, capti autem sunt quadringenti. Ipse à Tarento fugatus, castra eius capta sunt. Curius in consulatu triumphauit, primusq; Romæ Elephantos quatuor induxit. Pyrrhus X V anno quàm uenerat ab Italia uictus aufugit, qui post multa grauissimaq; bella quæ gessit in Græcia apud Argos Achaiæ florentissimam urbem, Spartani regni auiditate seductus, saxo ictus occubuit. Cuius pollex de dextro pede remedio erat, si cuius renes tumentes eo tetigisset. Qui cũ Antigono uictore iussus esset exuri, sic arsit, ut idem pollex igni inueniretur intactus. Qui digitus aureo loculo inclusus est, & in antiquissimo tẽplo Dodonęi Iouis conditus est. Hoc tẽpore apud Iudęos pontifex maximus Simon Oniæ filius clatuit, cui cognomentũ Iustus fuit. Tũ quoq; apud Romanos Sextilia uirgo uestalis conuicta damnataq; incesti, ad portã Collinã uiua defossa est.

Curij de Pyrrho triũphus

Pyrrhi mors

Miraculum

Symon Iustus

Anno ab Vrbe cõdita CCCCLXX, Tarentini Pyrrhi morte comperta, iterum noua aduersum Romanos arma sollicitant, Carthaginensiumq; auxilia per legatos poscunt & accipiunt. Conserto prælio uicere Romani. Ibi iam tunc Carthaginenses quamuis nondum hostes adiudicati, uinci tamen à Romanis se posse senserunt. Sequenti anno, magnam uiscerum suorum partem seueritas Romana concidit. Nam aduentante dudum Pyrrho octaua legio diffidens Romanæ spei, nouum scelus ausa, Reginenses omnes quibus tunc subsidio præerat, interfecit, prædam sibi omnem atq; ipsum oppidum uendicauit. Hoc facinus in tam sceleratos defectores puniendum, Genutio Cos. iussum est. Qui obsessa Reginorum urbe captisq; omnibus, ipse quidem in reliquos perfugas & latrones exercuit digna supplicia, Romanos uero milites integræ legionis Romam misit, qui iussu populi in medio foro uirgis cęsi sunt securiq; percussi. Tunc sibi uisa est Roma uincere, cum legionem suam integram occidit, quæ profecto sine dubio uicta fuisset, si eam hostili gladio perdidisset. C. Fabricio Luscino, C. Claudio Canina Coss. legati Alexandrini à Ptolemæo missi Romã uenere, & à Romanis amiciciam quam petierant, obtinuerunt. Anno ab Vrbe cõdita CCCCLXXI obscœna & dira prodigia, uel uisa Romę uel nunciata sunt. Aedes Salutis ictu fulminis dissoluta, pars muri sub eodem loco de cœlo, ut dicũt, tacta est. Lupi tres ante lucem ingressi urbẽ semesum cadauer intulerũt, sparsumq; membratim in foro ipsi strepitu hominũ exterriti reliquerũt. Apud Formiã multis ictib. fulminũ mœnia undiq; ambusta & disso

Tarẽtini prælio uicti

Octauæ legionis facinus

Legio securi percußa

C. Fabricius

C. Claudius

Ptolemæus amicitiã P. R. impetrat

Prodigia

& dissoluta sunt. Apud agrum Calenum repente flamma scisso hiatu terræ eructata, tribus diebus tribusq; noctibus terribiliter exæstuans, quinq; agri iugera exhausto penitus ubertatis succo in cinerem extorruit, ita ut nõ solũ fruges, sed & arbores cũ imis stirpibus absumpsisse referatur. Sequẽti ab hinc anno L. Quintio Gulone, & Fabio Pictore Coss. Picentes bellum commouere. Consules P. Sempronius, & Appius Claudius aduersum Picentes duxerunt exercitum, & cum directæ intra iactum teli utræque acies constitissent, repente ita immaniter cum nimio & horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumq; pauefactum agmen hebesceret. Diu attoniti utriq; populi hæsitauere, præiudicata incepti conscientia. Tandem procursu concito iniere certamen. Triste adeo istud bellum fuit, ut merito dicatur tantum humanum sanguinem susceptura, etiam cum gemitu horrisono tunc terra tremuisse. Romani autem pauci admodum eo prælio qui euasere uicerunt, & de his triumphatum est. Conditæ à Romanis ciuitates Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio. Tunc etiam à Romanis Croton inuaditur. Anno ab Vrbe condita CCCCLXVII inter multa prodigia sanguis è terra, lac uisum est manare de cœlo. Nam & plurimis scaturiens è fontibus cruor effluxit, & de nubibus guttatim in speciem pluuiæ lacte dimisso diri, ut ipsis uisum est, terras imbres irrigauerunt. M. Atilio Regulo, L. Iulio Libone Coss. Salentinis in Apulia bellum indictum est, captiq; sunt cum ciuitate simul Brundusini, & de his triumphatum est.

L. Quintius *Fabius Pictor* *P. Sẽpronius* *Ap. Claudius* *Ariminum* *Beneuentum* *Croton* *M. Attilius* *L. Iulius* *Brundusium captum*

BELLVM PVNICVM

IGITVR cum iam clarum Vrbis Romæ nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Vt ergo cognosceretur quæ copiæ Romanorum essent census est habitus. Tum inuenta sunt capita ciuium ducenta nonaginta milia trecenta triginta quatuor, quanquã à condita Vrbe nunquam bella cessassent. Eo tempore Carthaginenses dato aduersum Romanos auxilio Tarentinis, cum per legatos à Senatu arguerẽtur, turpissimam rupti fœderis labem præsumpto accumulauere periurio. Tunc etiam Vulsinienses Hetruscorum florentissimi luxuriæ pœna perierunt. Nam cum licentia in consuetudine prærogata seruos suos passim liberos facerent, conuiuijs allegarent, coniugijs honestarent, Libertini in partem potestatis recepti, plenitudinem per scelus usurpare meditati sunt: & liberati seruitutis iugo, ambitu dominationis exarserunt: & quos dominos subditi æquanimiter dilexerunt, eos iam liberi, quos dominos fuisse meminerant, execrati sunt. Itaque conspirantes in facinus Libertini, quorum tanta manus fuit, ut sine controuersia superiores essent, correptam suo tantummodo generi urbem uendicant, patrimonia, coniugia dominorum sibi per scelus usurpant, extorres dominos procul abigunt. Qui miseri exules egentesq;, Romã deferuntur. Vbi ostentata miseria querelaq; defleta, per Romanorum seueritatem, & uindicati sunt, & restituti.

Vulsiniense bellum

Anno

Pestilentia

Anno ab Vrbe condita CCCCLXXXI pestilentia ingens apud Romam conflagrauit, cuius atrocitatem significare contentus sum, quia uerbis explicare non possum. Si enim spaciũ temporis quo mansit inquiritur, ultra biennium uastando porrecta est: si depopulatio, quã egerit, census indictus est, qui non quantum hominum deperisset, sed quantum superfuisset, inquireret: si uiolentia, qua affecerit, Sibyllini libri testes sunt, qui eam cœlesti ira impositam responderunt. Sed ne quenquam quasi tempestate cauillationis offendat, quod Sibylla quasi iratos deos dixerit, nos iram cœlestem dixisse uideamur: & audiat & intelligat, quia hæc & si plerunq; per aerias potestates fiunt, tamen sine arbitrio omnipotentis dei omnino non fiunt. Eodem tempore Caparronia uirgo uestalis incesti rea suspendio perijt, corruptor eius conscijq; serui supplicijs affecti sunt. Anno ab Vrbe condita CCCCLXXXIII Appio Claudio. Q. Fuluio Coss. Mamertinis quorum Messana nobilis Siciliæ ciuitas erat, & auxilia contra Hieronem Syracusanum regem & Pœnorum copias Hieroni iunctas petierant, Appium Claudium Cos. cum exercitu misere Romani. Pugnaq; commissa, Appius Claudius de Pœnis & rege Siciliæ triumphauit Hierone. Insequenti anno M. Valerio, & T. Otacilio Coss. in Sicilia à Romanis res magnæ gestæ sunt. Taurominitani, Catinenses, & præterea quinquaginta ciuitates in fidem acceptæ. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem Siculorum regem & Pœnos bellum paratum est, ab Appio Claudio Cos. qui tam celeriter Syracusanos Pœnosq; superauit, ut ipse quoque rex rerum magnitudine perterritus, ante se uictum quàm congressum fuisse prodiderit. Qui exin fractis uiribus amissaq; fiducia, cum omni nobilitate Syracusanorum pacem à Romanis supplex rogauit, iussuq; Consulum dedit argenti ducenta talenta. Consules accepto argento, Agrigentum adierunt Siciliæ ciuitatem, ibiq; præsidia Pœnorum operibus uallóque cinxerunt. Cumq; inclusus ea obsidione senior Hannibal imperator Pœnorum ad summam egestatem redactus esset, Hanno dux nouus Carthaginensium cum equitibus mille quingentis & triginta milibus peditum, triginta etiam Elephantis ex improuiso intercessit, expugnationemq; ciuitatis paulisper distulit, sed continuo ciuitas capta est. Pœni maximo bello uicti & profligati, undecim Elephanti in potestatem redacti, Agrigentini sub corona omnes uenditi sunt, & de his secundo Romæ triumphatum est. Hannibal senior exinde facta eruptione cum paucis diffugit. Quinto anno Punici belli, quod contra Afros gerebatur. Cn. Cornelio Asina, C. Duilio Coss. cum Hannibal senior oram Italiæ maritimam instructa septuaginta nauiũ classe uastaret, Romani & ipsi classem fabricari atque instrui præceperunt. Quod & Duilius celeriter impleuit. Nam intra sexaginta dies quàm arbores cæsæ essent, centum triginta nauium classis deducta in anchoris stetit. Cornelius Asina alter Cos. cum sedecim nauibus rostratis, quas liburnas uo-

Ap. Claudius Q. Fuluius

Mamertini

Hiero uictus

M. Valerius T. Otacilius

Syracusani debellati

Agrigentum captum Pœni profligati

Cn. Cornelius C. Duilius

Claßis Ro.

nas uocant, Liparen insulam petit: ubi ab Hannibale quasi ad colloquium pacis euocatus, Punica fraude captus atque in uinculis necatus est. Quod ubi mox Duilius alter Cos. audiuit, & ipse cum triginta nauibus rostratis, quas liburnas uocāt, aduersus Hannibalem profectus est. Commissoq; nauali prælio Hannibal amissa naui qua uehebatur, scapha subductus aufugit. Triginta & una naues eius captæ, tredecim mersæ, tria milia hominum occisa, septem milia capta referuntur. Neque ulla uictoria Romanis gratior fuit, quod inuicti terra, iam etiam mari plurimum possent. Postea Carthaginenses C. Aquilio Floro L. Cornelio Scipione Coss. Hannonem in locum Hannibalis subrogatum pro Sardis & Corsis defensandis nauali prælio præfecerunt. Qui à Scipione Cos. uictus, amisso exercitu ipse confertiss. hostibus se immiscuit, ibiq; interfectus est. Scipio Corsicam & Sardiniam uastauit, multaq; milia inde captiuorum abduxit, triumphū egit. Eodem anno tria milia seruorum, & tria milia naualium sociorum in urbis Romæ excidium coniurauerunt, & nisi maturata proditio Coss. præuenisset, destituta præsidio ciuitas seruili manu perisset. Anno ab hoc proximo Calatinus Cos. Camerinam Siciliæ urbem petens, temere in angustias deduxit exercitum, quas Pœnorum copiæ iamdudum præstruxerant. Cui cum omnino nulla uel obsistendi, uel euadendi facultas esset, Calphurnij Flammæ uirtute & opera liberatus est. Qui lecta trecentorum uirorum manu insessum ab hostibus tumulum occupauit, & in se Pœnos omnes pugnando conuertit, donec Romanus exercitus obsessas angustias hoste nō urgēte transiret. Cæsi sunt in eo bello omnes, solus Calphurnius, quāuis cōfossus uulneribus & cadaueribus obtectus, euasit. Hannibal senior à Carthaginensibus iterū classi præpositus, infeliciter cū Romanis nauali prælio cōgressus & uictus, ab exercitu seditione orta, etiā lapidibus coopertus interijt. L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo Coss. bellū in Africam translatū est contra Amilcarē Carthagineñ. ducē. Attilius Cos. Liparen Melitamq; insulas Siciliæ nobiles peruagatus euertit. Coss. in Africā bellū iussi transferre, cum trecentis triginta nauibus Siciliam petierunt. Quibus Amilcar Pœnorum dux, & Hanno classi præfectus occurrit. Conserto nauali prælio, Carthaginenses in fugam uersi, sexaginta & quatuor naues perdiderunt. Romani uiginti duas amiserunt. Victores Coss. in Africam transuecti sunt, primamq; omnium Clypeam urbem in deditionem receperunt. Inde Carthaginem petentes, trecenta aut eo amplius castella depopulati sunt, infesta Carthagini signa circumtulerunt. Manlius Cos. Africa cum uictrice classe discedens, uiginti & septem milia captiuorū cum ingentibus spolijs Romā reuexit. Attilius Regulus Cos. in Africa remāsit, bellum Carthaginensibus instruxit, cōtra tres Carthaginensium duces dimicans, id est, Astrubales duos & accitum ex Sicilia Amilcarem, atrocissimū cum eis bellum gessit. In quo cæsa sunt Carthaginensium decem & octo milia,

Punica fraus

Naualis uictoria

C. Aquilius

L. Cornelius

Sardinia & Corsica uastatæ.

Coniuratio

Calphurnij Flāmæ uirtus

Hannibal senior ab exercitu suo lapidatus

L. Manilius

M. Attilius

Naualis uictoria

Clupea

Bellum in Africa

Victoria insi-gnis Reguli

Serpẽs ad Ba-gradam

Carthaginen. frustra de pa-ce agunt

Xanthippi uictoria

Regulus captus

Philadelphi erga Iudæos beneficentia

LXX inter-pretes.

M. Aemilius Ser. Fuluius Coss. in Afri-cam.

Nauale præli um ad Clupe-am.

captiuauit quinq; milia. Decem & octo Elephantes cepit, octoginta & duas ciuitates in deditionem accepit. Iter cum exercitu faciens, haud procul à flumine Bagrada castra posuit. Vbi cum plurimos militũ aquandi necessitate ad flumen descendentes, serpens miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandã bestiã cũ exercitu profectus est. Sed nihil in tergo eius proficientibus iaculis, atq; omni telorum iactu irrito, quæ per horrendam squamarum cratem quasi per obliquam scutorum testudinem labebantur, mirumq; in modum, ne corpus læderent, ipso corpore pellebantur, cum insuper magnam multitudinem morsuũ cominui impetu, propter anhelitum etiam pestiferũ exanimari uideret, balistas deferri imperauit, per quas murale saxum spinę eius incussum, compagem totius corporis soluit, ac mox circumuenta telis facile oppressa est. Corium autem eius Romam deuectũ, quod fuisse centum uiginti pedum spacio ferunt, aliquamdiu cunctis miraculum fuit. Igitur Carthagineñ. fracti bellis & cladibus exinaniti, pacem à Regulo poposcerunt. Sed cum intolerabiles & duras pacis conditiones audissent, tutius rati sese armatos mori, q̃ miseros uiuere, precio non solũ Hispanorum uel Gallorum auxilia, quæ iam dudum plurima habebant, sed etiam Græcorum comparanda duxerunt. Itaq; Xanthippum Lacedæmoniorum regem cum auxilijs accersitum, ducem bello pręfecerunt. Xanthippus inspectis Pœnorum copijs, atq; in campum deductis, longe in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis cõseruit. Ingens ibi Romanorũ uirorum multitudo fuit. Nam triginta milia Romanorum militum in illa tunc congressione prostrata sunt. Regulus ille dux nobilis cum quingentis uiris captus est, & in catenis coniectus. Decimo demum anno Punici belli, nobilem Carthaginensibus triumphum præbuit. Xanthippus tam audacis facti conscius, rerum instabilium mutationem timens, ilico ex Africa migrauit in Græciam. Hac tempestate Ptolemæus Philadelphus Iudæos qui in Ægypto erant, liberos esse permisit, & uasa Eleazaro pontifici Hierosolymorum uotiua transmittens, diuinas scripturas in Græcam uocem ex Hebræa lingua per LXX interpretes transferri curauit, quas in Alexandrina Bibliotheca habuit, quã sibi ex omni genere literaturæ comparauit. Igitur M. Æmilius Paulus, Seruius Fuluius Nobilior Coss. audita captiuitate Reguli & clade exercitus Romani transire in Africam cum classe trecentarum nauium iussi Clypeam petunt. Eò confestim Carthaginenses cum pari classe uenerunt, nec differri potuit nauale certamẽ. Æmilius Cos. centum & quatuor naues Carthaginensium dimersit, triginta cum pugnatoribus cepit, milites suos ingenti præda ditauit. Romanorum autem nouem nauibus depressis, mille centum periere milites. Consules apud Clypeam castra posuerunt. Duo Hannones Pœnorum duces, eò rursus cum magno exercitu uenerunt: prælioq; commisso nouem milia perdiderunt, & subacta Africa tunc fuisset, nisi quod tãta fames erat, ut diutius exercitus

expe-

expectare non posset. Consules & uictrices classes cum ad Italiam prædis onusti remearent, infandum naufragium circa Siciliã passi sunt. Nam de quadringẽtis sexaginta nauibus, octoginta uix abiectis onerib. seruari potuerunt, neq; ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naues reparauerunt, neq; in aliquo animus his infractior clade fuit. Hoc tempore nummus argenteus primus in urbe signatus est. Deinde Amilcar dux Pœnorum cum exercitu in Numidiam Mauritaniamq; missus, postquam hostiliter cruenterq; in uniuersos egit, quod Regulum libenter suscepisse dicerentur, mille argenti talentis & uiginti milibus boum reliquos condemnauit, principes omnium populorum patibulo affixit. Tertio anno sicut semper indomitus furor cito periculorum obliuiscitur, Seruilius Cepio & Sempronius Blesus coss. cum ducentis sexaginta nauibus in Africam transuecti, uniuersam oram maritimã quæ circa Syrtes iacet depopulati sunt, atq; in superiora progressi, captis euersisq; ciuitatibus plurimis, ingentem prædam ad classem duxerunt. Iidem cum ad Italiam redirent, circa Palinuri promontorium quod à Lucanis montibus in altum excurrit, illisi scopulis centum quinquaginta naues onerarias nobilemq; prædam crudeliter acquisitam infeliciter perdiderunt. Itaq; cum continuæ calamitates Romanis displicerent, decreuit Senatus ut à maritimis recederetur, & tantum sexaginta naues ad præsidium Italiæ saluæ essent. Quod quidem decretum continuo adacti indomita cupiditate ruperunt. Præterea Cotta consul in Siciliam transgressus plurimis prælijs aduersum Pœnos & Siculos terra mariq; pugnauit, & per totam Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum inhumatas strages reliquit. L. Cæcilio Metello, C. Furio Placido coss. Hasdrubal dux nouus Carthaginensium cum Elephantis centum, & triginta equitum, peditumq; amplius triginta milibus Lilybæum uenit ex Africa, & continuo cum Metello Cos. apud Panormum pugnam conseruit. Sed Metellus uim magnam beluarum timens, prius eas magno usus consilio uel in fugam, uel in mortem egit, & sic facile quamuis uim hostium superauit. Viginti milia Carthaginensiũ in eo prælio cæsa sunt, elephanti quoq; uiginti & sex interfecti sunt: centum quatuor per Numidas errantes, quos in auxilium habebat, cepit & per Italiam duxit, qui maximum Italicis populis spectaculum præbuerunt. Hasdrubal cum paucis Lilybæum profugit, atq; absens à Pœnis capite damnatus est. Post hæc fessi tot malis Carthaginenses petendam esse à Romanis pacẽ, & permutationem captiuorum decreuerunt. Ad quam rem Attilium Regulum ante ducem Romanorum, quem iam per quinq; annos captiuum detinebant, inter cæteros legatos sub sacramento præcipue mittendum putauerunt. Ille Romam cum uenisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit. Dixitq; se ex illa die qua in potestatem Afrorum uenisset, esse Romanũ desijsse. Itaq; & uxorem à complexu suo remouit, & Senatui

Naufragium fœdum

Argentum primum in urbe signatum

Amilcaris in Numidas & Mauros expeditio

Seruilius Cepio Sempronius Blesus Coss. Africã populantur

Naufragium

Cottæ cos. bellum in Sicilia

L. Cæcilius C. Furius

Prælium ad Panormum

Regulus legatus de pace

persuasit ne pax cum Pœnis fieret. illos enim fractos tot casibus spem nullā habere, tanti non esse ut tot milia captiuorū propter unum se & senem, & paucos qui ex Romanis capti erant, redderent. Itaq; obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit. Ipse Carthaginē rediit, offerentibusq; Romanis ut eum Romæ tenerent, negauit se in ea urbe mansurum, in qua postquam Afris seruierat, dignitatem honesti ciuis ultra habere nō posset. Igitur regressum ad Africam, resecatis palpebris, ut usq; ad mortem cruciatu intolerabili ac dolore uigilaret, atq; ut staret semper radium solis intuēs, illigatum in machina necauerunt. Alter deinde Attilius Regulus, & Manlius Volso ambo bis coss. cum classe ducentarum nauium & quatuor legionibus Lilybæum profecti sunt, quod oppidum in promontorio situm Romani obsidere conati, superueniente Hannibale qui Hamilcaris filius fuit, uicti, maiore exercitus sui parte pdita, ipsi ægre euaserūt. Post hos C. Claudius Cos. cum classe centum uiginti nauium ad Drepani portū contra hostem profectus est. Vbi mox exceptus classe Pœnorum, dum contra auspicia dimicasset, statim superatus est. Et ipse quidem cum triginta nauibus Lilybæū in castra confugit: reliquæ omnes, hoc est, nonaginta cum pugnatoribus captæ sunt, aut demersæ: nouem milia militum cæsa, uiginti milia capta referuntur. C. quoq; Iunius Cos. collega Claudij Pulchri uniuersam classem naufragio amisit, exercitum tantum saluum habuit, quia uicina littora erant. Anno etiam sequenti classis Punica in Italiam transijt, eiusq; plurimas partes longe lateq; uastauit. Dum hæc agerentur, apud Iudæam pontificatum post Eleazarum suscepit Manasses auunculus eius. Interea Lutacius Catulus cum classe trecentarum nauium in Siciliam transuectus est, & ibi dum apud supradictam Drepanum ciuitatē pugna conseritur, dum inter primores pugnat, transfixo fœmore ægerrime cum iam obrueretur ereptus est. Porrò autem Pœni cun quadringentis nauibus magnisq; copijs ad Siciliam duce Hannone concurrunt. Nec Lutacius segnior, imò consilia Pœnorum mira celeritate præuenit. Postquam proximæ sibi utrorumq; classes apud Ægades insulas contra Lilybeū ciuitatem Siciliæ per totam noctem intertextis propemodum anchoris steterunt, orta luce prior Lutacius signum bello dedit. Crudescente pugna uictus Hanno nauem auertit, & dux fugæ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus sui Africam petijt, alij confugēre Lilybeum: Septuaginta & tres naues Punicæ captæ sunt: centū triginta demersæ: triginta & duo milia hostium capta, cæsa quatuordecim milia fuerunt. Nunquā in mari tantis copijs pugnatum est. Infinitum auri & argenti prædæ in potestatem Romanorum redactū. Ex classe autem Romana duodecim naues mersæ. Pugnatum est VI. Idus Martij. Lutacius deinde ad Erycinam ciuitatem, quam Pœni tenebant, uenit: ibiq; duo milia Carthaginensium conserta pugna interfecit. Tunc Carthaginenses præcipiti festinatione ad Lutacium cos. ac deinde

Attilius Regulus
Mālius Vulso
Ro. ad Lilybeum uicti
C. Claudius
C. Iunius
C. Claudius classem amisit
Naufragium uniuersæ classis
Pœni Italiam uastant
Eleazarus
Manasses
Naualis uictoria Lutacij Catuli

de Romam mittunt, orãt pacem, quam ilico consequuntur. Captiui Romanorũ qui tenebant à Carthaginensibus redditi sunt. Etiã Carthaginenses petiuere, ut redimi eorũ captiuos liceret, quos ex Afris Romani tenebãt. Senatus iussit sine precio eos dari, qui in publica custodia essent: qui aũt in priuatis tenerentur, ut precio dominis reddito Carthaginẽ redirẽt, atq; id preciũ ex fisco magis q̃ à Carthaginensibus solueret. Carthaginẽses sanè sub hac cõditiõe cũ Romanis pacẽ fecerũt, ut Sicilia Sardiniaq; decederẽt, & p cõtinuos uiginti annos eis persoluerẽt puri argenti tria milia talentorũ. His dieb. Iudæorũ Põtifex Onias Simonis Iusti filius clarus habebat. Anno ab urbe cond. D.VII. repentina subuersio ipsius Romæ præuenit Triũphũ Romanorũ. Neq; eñ temere dixerim, quãdo nõ uel modicã lætitiam Romæ supueniẽs repente q̃ grauissimus luctus oppressit. Siquidẽ Q. Lutacio Catulo, A. Mãlio coss. diuersę igniũ aquarũq; clades penè absumpsere urbẽ. Nam Tyberis insolitis auctus imbribus, & ultra opinionẽ, & diuturnitate & magnitudine redundãs, omnia Romę ædificia in plano posita deleuit. Diuersæ qualitates locorũ ad unã euenere perniciẽ: Quoniã & quæ segnior redundatio tenuit, malefacta dissoluit: & quæ cursus torrẽtis inuenit, impulsa deiecit. Aquarũ grauissimã cladẽ, grauior ignis secuta uastatio est. Qui ignis (incertũ unde surrexerit) plurimas ciuitatis partes peruagatus, cũ hominũ domorumq; miserabilẽ stragẽ fecit: tum etiã tantũ opus uno consumpsit incẽdio, quantũ plurimæ & peregrinæ uictorię cõferre nõ possunt. Dehinc, cũ omnia in circumitu fori depopularet, ædẽ Vestæ corripuit. Vnde etiã Metellus cũ arsuros deos eripit, uix brachio semiustulatus aufugit. T. Sempronio Graccho, C. Valerio Falcone coss. bellũ Faliscis intulerunt. Quæ ciuitas Italiæ opulenta quondã fuit, quã ambo coss. intra sex dies q̃ uenerant, transierunt, XV milibus hostiũ cæsis, pace concessa, agro tantũ ex medietate sublato. Eodem anno etiã Galli Alpini noui Romanis extitere hostes, aduersus quos sorte uaria bellatũ est. Nam in primo cõflictu Valerio cos. tria milia cecidere Romanorũ: secũdo XIIII milia Gallorũ cæsa, duo milia capta sunt. Sed ob priorẽ cladẽ triũphus cõsuli denegatus est.

Pax carthaginen. data

Pacis conditiones

Onias pont.

Q. Lutacius A. Manlius

Tyberis inundatio

Incendiũ Ro.

T. Sẽpronius C. Valerius Falisci deuicti

Prælia duo cũ Alpinis Gallis

DE GESTIS ROMANORVM LIB. III



INITO igitur punico bello quod uiginti tres annos tractum est, iam Romani clarissima gloria noti L. Cornelio Lentulo, Fuluio Flacco coss. legatos ad Ptolemęũ regem Ægypti miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriæ Antiochus ei bellũ intulerat. Ille Romanis gratias egit, auxilia nõ accepit: iam enim fuerat illa pugna transacta. Eodem tempore potentissimus Rex Siciliæ Hiero Romam uenit ad ludos, & ducenta milia modiorum tritici populo dono dedit. T. Mãlio Torquato, C. Attilio Balbo coss. Sardinia rebellauit

Cornelius Lentulus Fuluius Flac.

Legatio ad Ptolemæum

Hiero Ro. uenit

Sardi rebelles subacti

autoribus Pœnis, unde mox Sardi subacti & oppressi sunt: Carthaginēsib. aūt uiolatorib. pacis, quā ipsi poposcissent, inferri bellū decretū est. Ecōtra Carthaginēses pacem suppliciter poposcere: & quū bis missis legatis nihil profecissent, post etiā eorū decē principibus bis æque supplicātib. nil imperarēt: nouissime Hānonis minimi hominis inter legatos oratiōe meruerūt.

Ianus iterum clausus

Hoc anno porta Iani gemini clausa est, quia nusq̄ eo anno bellū erat: q̄d sub Numa Pōpilio rege prouenerat.

Hamilcar occisus

Anno ab urbe cōd. D. XVII Hamilcar dux Carthaginēsiū ab Hispanis in bello, cū aliud bellū aduersū Ro. clā pararet, occisus est.

L. Posthumius Cn. Fuluius Illyrij uicti

L. Posthumius Albinus, Cn. Fuluius Centimalus coss. bellū cōtra Illyricos sequēti gesserūt anno, eo quod legati Romanorū ab Illyrijs interfecti sunt. Post cū ipsis Illyrijs atrocissimū bellū gestū est, in quo multis oppidis populisq̄ deletis, reliq se Fuluio, Posthumioq̄ coss. dedidere rūt: ac tū primū ex Illyrijs triumphatū est.

Humanis hostijs sacrificatum

Tertio deinceps anno miserā ciuitatē sacrilegis sacrificijs male potētes funestauere Pōtifices. Nā Decēuiri cōsuetudinē priscæ superstitiōis egressi, Gallū uirū & Gallā fœminā, cum muliere simul Græca in foro Boario uiuos defoderūt. Sed obligamētū hoc magicū in cōtrariū cōtinuo uersum est. Nanq̄ diras illas quas fecerāt exterorū mortes fœdissimis suorū cædib. expiauere.

L. Aemilius C. Attilius Tumultus Gallicus Gesati Italiæ uires

Siquidē L. Æmilio Paulo C. Attilio Regulo coss. magna formidine cōsternatus est Senatus defectione Cisalpinæ Galliæ, cū etiā ex ulteriore Gallia ingēs aduētare exercitus nunciaret, maxime Gesatorū, q̄d nomē nō gentis, sed mercenariorū Gallorū est. Itaq̄ permoti coss. totius Italiæ ad præsidiū imperij cōtraxere uires. Quo facto, in utriusq̄ cos. exercitu octingēta milia armatorū fuisse ferunt, sicut Fabius Historicus qui huic bello interfuit, scripsit. Ex quib. Romanorum & Cāpanorū fuerunt peditū CCCXLVIII milia, ducenti: Equitum uero uiginti sex milia, sexcēti: cætera multitudo sociorū fuit.

Præliū apud Aretium

Cōmisso prælio apud Aretium Attilius cos. occisus est. Octingēta milia Romanorū, nec saltim tāta quāta eos terrere debuit cæsa sui parte, fugerunt. Nā tria milia eorū interfecta historici tradūt. Quod ideo ignominiosius turpiusq̄ est, tā paucis amissis tāta agmina diffugisse, q̄ se in alijs uictorijs nō uirib. animorum præualuisse, sed bellorū prouentib. prodiderunt. Quis nā em̄ rogo in exercitu Romanorū crederet numerū istū fuisse saltē, nō dico fugisse?

Gallorum ingens strages Gallorum natura

Post hæc secundū cum Gallis præliū gestū est, in quo planè XL milia Gallorū trucidata sunt, & triūphus Æmilio decretus est. Gallorū qu dē animi feroces, corpora plusq̄ humana erāt: sed experimēto deprehēsum est, quod uirtus eorū sicut primo impetu maior q̄ uirorū est, ita sequēs minor q̄ fœminarum. Alpina em̄ corpora humecto cœlo educata habent quiddā simile niuibus suis: cum mox calore exarserint pugnæ, statim in sudorē eunt, & leui motu quasi sole laxant̄.

Britomarus Omen

Hi Britomaro duce nō prius posituros se baltea iurauerunt, q̄ Capitoliū Romæ ascendissent. Quod & factum est: Nam uictos eos Æmilius in Capitolio discinxit. Et quia dux eorū de Romano milite Marti suo torquē aureā deuotasset, de ipsius Ariobistonis reliquorūq̄

Gallorum

Gallorum torquibus aureũ Tropheum Ioui erexit. Sequenti anno Manlius Torquatus,& Fuluius Flaccus coss. cõtra Ligures primũ trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatũ est ibi cũ Insubribus Gallis, quorum interfecta sunt uiginti tria M. quinq; milia capta sunt. Eo deinde anno qui huic proximus fuit, dira urbẽ terruere prodigia. Namq; in Piceno flumine sanguis effluxit: apud Faliscos cœlũ uisum est ardere:& Arimini nocte multa lucem clarã effulsisse: ac tres Lunas distãtibus cœli regionibus ex ortas apparuisse:& Romæ Cn. Domitij bos locutus est dicens: Caue tibi Roma. Carnes etiã cœlo lapsæ sunt, quarũ pars ab auibus intercepta est, pars incorrupta diu iacuit. Ter quoq; magno terræmotu Caria & Rhodus insulę adeo cõcussæ sunt,ut labentibus uulgo tectis ingẽs quoq; ille Colossus rueret. Eodẽ anno Flãminius cos.contẽptis auspicijs,quibus pugnare prohibebat͏̃,aduersus Gallos cõflixit & uicit. In quo bello nouem milia Gallorũ cæsa,septẽ & decẽ milia capta sunt. Post hoc M.Claudius Marcellus, Cn.Cornelius Scipio,cõtra Gallos pugnauerunt. Marcellus cos.deinde cũ imprudens in manus Gallorũ incidisset,omniaq; infesta uidisset, nec euadere posset,in mediũ hostiũ irrupit. Quib. inopinata audacia perculsis, regẽ quoq; eorum Virdomarum nomine occidit. Atq; ubi spes salutis uix fuerat,inde opima detulit spolia. Postea cum collega ingentes copias Gallorũ peremit,& inter multa Insubriũ,quos ad deditionẽ coëgerat, oppida, Mediolanũ quoq; urbem florentissimã expugnauit & cepit. Grandẽ prædam Romã pertulit,ac Triũphãs Marcellus,spolia Gallici regis stipiti imposita humeris suis uexit. M.Minutio Ruso, P.Cornelio coss. Histris bellũ illatum est,quia latrocinati naues Romanorum fuerãt, quæ frumenta exhibebant,ac multo Romanorũ sanguine fuso perdomiti sunt. Hac tẽpestate Iudæorum pontifex Simon Oniæ filius extitit. Emergit hic paululum antiquus ille Romanorum improbæ laudis etiam de præsumptis parricidijs appetitus. Nam Fabius Censorius Fabium Buteonem filium suum furti insimulatum interfecit : dignum scilicet facinus, quod pater uel parricidio plectendum duceret,quod ne leges quidem insimulatum pecuniæ,aut summi exilij circa quemlibet hominum scelus censuerunt.

Manlius Torquatus Fuluius Flac. Prælium cum Insubrib. Prodigia Lunæ tres Bos locutus Carne pluit Terræmotus Flãminius cos. Gallos prælio uincit M. Claudius Cn. Cornelius Opima spolia Insubres dediti Mediolanum expugnatum M. Minutius P. Cornelius Histri perdomiti Simon pontifex Fabij nimia seueritas

BELLVM PVNICVM SECVNDVM

ANNO ab urbe cond. D.XXXIIII Bellum Punicũ secundũ Romanis illatũ est per Hãnibalẽ Carthaginensiũ ducẽ,quoniã iam dudum Hamilcari patri ad aras iurauerat,cum adhuc nouẽ esset annorum, se ut primũ posset aduersum Romanos pugnaturũ: qui idẽ tamen hoc somniũ præuiderat. Iuuenẽ humana forma augustiorẽ,qui se hortaret͏̃ in excidium Italiæ, autore Ioue secuturũ. Deinde post tergum respiciẽs intueri sibi uisus est serpentẽ uastum cũcta populantẽ,audire etiã cœli fragorem,nec nõ & nimbos cum maligna luce cœli uisere: interrogauitq; iuuenẽ præeũtẽ quid subsequat͏̃. Ille ad hæc. Vides inqt excidiũ Italiæ, cętera per-

Hannibalis somnium Hannibal Sagunto bellum infert

mitte fatis. Hannibal ergo Saguntum florentissimã Hispaniæ ciuitatem Romanis amicam oppugnare aggressus est, annũ ætatis agens uicesimum Huic Romani per Legatos denunciauere, uti bello abstineret. Is Legatos Romanorũ ad se missos iniuriosissime à cõspectu suo etiã abstinuit. Romani etiã Carthaginẽ miserunt, ut mandaretur Hannibali, ne bellum cõtra socios Romani populi gereret. Dura respõsa à Carthaginensibus data sunt. Saguntini interea fame uicti sunt, & octauo demum mense capti ab Hãnibale ultimis pœnis afficiunt̃. Quibus hoc ante portẽderat triste prodigiũ. Nã quum penè mulier enixa esset, in uterũ regressus infans ciuitatis excidiũ significauit. Huius tãtæ cladis Hãnibal autor poscit̃. Tergiuersantibus Pœnis, dux legationis: quæ inquit mora est Fabius. In hoc ego sinu bellum pacemq́ porto, utrum eligitis? Succlamãtibus: bellũ. Igitur inquit accipite. Et excusso in media Curia togæ gremio, nõ sine horrore, quasi planè sinu bellum ferret effudit. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu profectus est in Hispaniã, Tib. Sempronius in Siciliã. Hannibal relicto in Hispania fratre Hasdrubale Pirenæos montes transiuit, inter ferocissimas Gallorũ gentes ferro uiã aperuit, & nono post die à Pirenæo ad alpes peruenit. Vbi dum montanos Gallos repellere eum ab ascensu obnitentes bello superat, atq; inter inuias rupes igni, aceto, ferroq́; uiã aperit, nono post demum die cum maximo labore ad plana peruenit. Tradit̃ ad Italiã cum centũ milibus pe ditum, & XX milibus equitũ, XXXVII simul elephãtos adduxisse. Interea multi Ligures & Galli Hãnibali se iunxerũt. Sẽpronius Gracchus cognito ad Italiã Hãnibalis aduentu, ex Sicilia exercitũ Ariminũ traiecit. P. Cornelius Scipio Hannibali apud Ticinum primus occurrit, cõmissoq́; prælio, fugatis suis & penè omnibus extinctis, ipse à filio Scipione admodum prætextato, qui post Africanus cognominatus est, qui uix egressus pueritiã fuerat, ab ipsa morte liberatus est. Saucius tamẽ in castra rediјt. Pugnatum est deinde eodẽ cos. ad Trebiã fluuium, iterumq́; Romani pari clade superati sunt. Sempronius Gracchus & ipse apud eundem amnem cum Hannibale cõflixit, amissoq́; exercitu penè solus euasit: in eo tamen bello etiam Hannibal sauciatus est. Tunc se Hãnibali multi Itali dedère: qui posteaq̃ in Hetruriã primo trãsiret, in summo Apennino tẽpestate correptus biduo mansit, & cõtinuo immobiliter niuibus cum exercitu cõclusus est. Vbi magnus hominum numerus, iumenta q̃ plurima, elephãti penè omnes frigore perierunt. Diris tunc etiã Romani prodigiјs territi sunt. Nam & solis orbis imminui uisus est. Et apud Arpos parmæ in cœlo uisæ. Sol quoq; pugnasse cum Luna. Apud Capenas interdiu duas Lunas ortas. Imbre saxatili Picena regio uerberata. In Gallia iјsdẽ temporibus lupus è uagina gladium sustulit uigili. In Sardinia sanguinem duo scuta sudarunt. Faliscis scindi cœlum, uelut magno hiatu uisum est. Apud Antium quoq; metentibus messoribus cruentas spicas in corbem decidisse uisum est, & pluuiæ deciderunt

Saguntum captum

Prodigia

Bellum Carthaginen. indictum

P. Cornelius

Tib. Sempronius

Hãnibalis iter in Italiam

Hannibalis copiæ

Africani etiã tum prætextati uirtus

Pugna ad Trebiam

Tempestas dira

Prodigia

runt cruentæ. Igitur Hannibal ad Thuſciam ueniens, ſciens Flamminium cos. ſolum in caſtris eſſe, quo celerius imparatum obrueret, primo uere progreſſus arripuit propiorem ſed paluſtrem uiam: & tum forte Arnus fluuius luto redundans, pendulos & diſſolutos cāpos reliquerat. In quos cum exercitu progreſſus Hannibal, nebulis maxime, quæ de palude exhalabantur, proſpectum auferentibus, magnam partem ſociorum iumentorumq́ perdidit. Ipſe autem uni elephanto, qui ſolus ſuperfuerat, ſuperſidens uix difficultatem itineris euaſit. Sed oculum quo iam dudum in Alpib. æger erat, uiolentia frigoris, uigiliarumq́ ac laboris amiſit. Vbi uero proximus caſtris Flamminij conſulis fuit, uaſtatione circumiacentium locorum Flamminium in bellum excitauit. Hæc pugna ad Traſumenum lacum facta eſt, ubi exercitus Romanus infeliciſſima arte Hannibalis circūuentus funditus trucidatus eſt: ipſe quoq́ cos. occiſus. uigintiquinq́ milia Romanorum in eo prælio cæſa ſunt. ſex milia capta referuntur, & cæteri diffugerunt. De exercitu Hannibalis duo milia ceciderūt, tanta clade Romana: maxime cum ita ad pugnandum intentus ardor extiterit, ut grauiſſimum terræmotum, qui tunc forte tam uehemens factus eſt, ut urbes diruiſſe, montes tranſtuliſſe, diſcidiſſe rupes, & flumina retrorſum coēgiſſe referatur, pugnantes omnino non ſenſerint. Qua quidam miles Romanus ita uulneratus eſt, ut uti manibus non ualeret, cui cum quidam Numida detrahere ſpolia uellet, ceruicem hoſtis inuaſit ulnis, eiq́ nares atq́ aures morſu detruncauit. Interea miſſus aduerſus Hānibalem poſtea à Romanis Q. Fabius Maximus. is eum differendo pugnam ab impetu fregit. Nam per ſumma montium iuga, & abditos nemorum ſaltus caſtra ponens, Hānibalis feruorem eluſit. Cumq́ in prælium eum euocare Hānibal non poſſet, uaſtatis agris Italiæ, Maximi cunctatoris uillæ pepercit, ut uel ſic proditionis ſuſpitionem Romanis de eo afferret. Sed bene nota Fabij fides calliditatem Hannibalis irritam dedit Romanis. Interea Maximus inuenta occaſione pugnauit & uicit. Victus quoq́ Hannibal fertur de Fabio dixiſſe ſuis ita: Nūquid non dixi uobis, quod montana hæc nubes maxima nos in campo ui tempeſtatis obrueret? Anno ab urbe condita D. XXXX. L. Æmilius Paulus, P. Terentius Varro Coss. contra Hannibalem mittuntur, Fabioq́ ſuccedunt. Qui Fabius ambos Conſules monuit, ut Hannibalem callidum & impatientem ducem non aliter uincerent quàm prælium differendo. Verum cum impatientia rerū Varronis Conſulis, contradicente altero cōſule, apud uicum qui Cannæ appellatur, in Apulia pugnatum eſſet, ambo coss. ab Hannibale uincūtur. Nam cum comperiſſet Hannibal Aufidum amnem ingentes auras proflare mane, quæ harenarum & pulueris uertices agerent, ſic direxit aciem, ut tota uis à tergo ſuis, Romanis in ora & oculos incideret. Eaq́ de cauſa Romanorum exercitum ſtrauit. Nam in ea pugna quadraginta quatuor milia Romanorum interfecta ſunt. De exerci-

Pœni paluſtri itinere uexati

Hannibal oculo captus

Pugna ad Traſumenum

Fabius cunctator

Hannibalis dictum

L. Aemilius P. Terentius

Cannenſe prælium

Stratagema

tu uero Hannibalis tria milia cæsa sunt, & magna pars sauciata. Nullo tamen Punico bello Romani adeò ad extrema internitionis adducti sunt Perijt in eo Cos. Æmilius Paulus: qui dum saucius in quodam saxo rese disset, offerente ei Lentulo equum quo fugeret, ut cladi superesset, noluit, atque ibi persedit donec ab hostibus peremptus est. Perierunt autem ibi Consulares aut Prætorij uiginti: Senatores capti aut occisi triginta, nobiliores uiri trecenti, pedestrium militum quadraginta milia, equitum tria milia quingenti Varro Cos. cum quinquaginta equitibus Venusium fugit. Nec dubium est ultimum illum diem Romani status futurum fuisse, si Hannibal mox ad peruadendam urbem contendisset. Sed sic successu belli elatus est, ut neminem ciuium suorum in castra sua admitteret, sed responsa eis per interpretes daret. Maharbalem quoque ipsum sæpe contemneret, qui ei creberrime pollicebatur breui se in Capitolio cœnaturum, si dispositio sua omnibus modis audiretur. Interea Varro Romam redijt, gratiæq; ei à Senatu & populo actæ sunt, quod Remp. non desperaret. Non autem uitæ cupiditate, sed Reip. amore se superfuisse, reliquo ætatis suæ tempore approbauit. Nam barbam capillumq; submisit, & postea nunquã recubans cibum cepit. Honorib. quoq; cum ei à populo deferrentur, renuntiauit, dicens: felicioribus magistratibus Reip. opus esse. Hannibal igitur Romanis obtulit, ut captiuos redimerent: responsumq; est ei à senatu, eos ciues non necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea uarijs supplicijs interfecit. idem quibusdam ima pedum amputauit, alios in castris binos inter seipsos dimicare compulit, maxime fratres, aut cõsanguineos: nec prius spectaculum finiebatur, quàm unus cædibus superfuisset, sed & ipse iugulandus. & pro testimonio uictoriæ suæ tres modios anulorum aureorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum, senatorumq; & militum detraxerat. Vsq; adeo autem ultima desperatio Reip. apud residuos Romanos fuit, ut senatores de relinquenda Italia, sedibusq; quærendis consilium ineundum putarint. Quod autore Cæcilio Metello confirmatum fuisset, nisi Cornelius Scipio Tribunus tunc militum, idem qui post Africanus est dictus, districto gladio decreuisset, singulis mortem inferre minitans: ac potius pro patriæ defensione in sua uerba omnes iurare coëgit. Romani uero ad spem uitæ quasi ab inferis respirare ausi. Dictatorẽ Decium Iunium creant, qui delectu habito, ab annis decem & septem immaturæ inordinatæq; militiæ quatuor legiones undecunq; contraxit. Tunc etiam seruos spectati roboris, ac uoluntatis, uel oblatos, uel si ita opus fuit, publico precio emptos, sub titulo libertatis sacramẽto militiæ adegit. Arma quæ deerant, templis detraxerunt, egenti ærario priuatæ opes refusæ sunt. Itaq; equester ordo, ita plebs trepida oblita studiorum in commune consuluit. Iunius quoque dictator antiquum Romanæ miseriæ factum recolens, pro supplemento

Cæsorum numerus

Maharbal

Varronis modestia

Scipionis pietas in patriã

Decius Iunius dictator,

supplemento exercitus, edicto uelut asylo patefacto, homines quicunq; sceleribus ac debitis obnoxij essent, impunitate promissa militiæ mācipauit, q̄rū numerus ad sex M. uirorū fuit. Cāpania uero, uel potius omnis Italia ad Hānibalē, desperata penitus Romani status reparatione defecit. Post hoc L. Posthumius Prętor aduersum Gallos pugnare missus, cū exercitu cæsus est. Deinde Sēpronio Graccho, Q. Fabio Max. coss. Claudius Marcellus ex Prætore Proconsul designatus, Hānibalis exercitū prælio fudit primus. Qui post tātas Reip. ruinas, spē fecit Hānibalē posse supari. Interea Hispania, ubi Hasdrubal frater Hānibalis remāserat cū magno exercitu, ut eā totā Afris subijceret, à duob. germanis Scipionib. Romanis ducibus uincit̄. Perdit in ea pugna triginta quinq; M. hoīm, ex his capiunt̄ decē milia, occidunt̄ XXV milia. Mittunt̄ ei à Carthaginensib. ad reparādas uires copiarū, XXII milia peditū, & IIII. M. equitū, elephāti XX. Celtiberos milites, quam primā externā manū Romani in castris habere cœperūt, precio sollicitatos ab hostiū societate in sua castra duxerūt. Sēpronius Gracchus procōsul ab hospite suo Lucano quodā in insidias inductus occisus est. Cētenius Penula Cēturio sibi ultro bellū aduersus Hānibalē petijt. A quo cū octo milibus militū, quos in aciem deduxerat, cæsus est. Post hęc Cn. Fuluius Prætor ab Hānibale uictus amisso exercitu uix euasit. Hannibal multas ciuitates Romanorū p Apuliā, Calabriā, Brutiāq; occupauit. Quo tpe etiā Rex Macedoniæ Philippus ad eū legatos misit, promittēs auxilia cōtra Romanos, sub hac cōditione, ut deletis Romanis, ipse quoq; cōtra Græcos ab Hānibale auxilia accipet. Captis igit̄ legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniā M. Valeriū Leuinū ire iusserūt: T. Manliū Torquatū Procōsulē in Sardiniā. Nā etiā ea sollicitata ab Hānibale Romanos deseruerat. Ita uno tpe quatuor locis pugnabat̄. In Italia cōtra Hannibalē: in Hispania cōtra fratrē eius Hasdrubalē: in Macedonia cōtra Philippū: in Sardinia cōtra Sardos & alterū Hasdrubalē Carthagineñ. Is à T. Manlio Procōsule qui ad Sardiniā missus fuerat, uiuus captus est: occisa cū eo XII milia, capti mille quingēti: & sic à Romanis Sardinia subacta est. Mālius uictor Hasdrubalē & captiuos Romā reportauit. Interea etiā Philippus à Leuino in Macedonia uincit̄, & in Hispanijs à Scipionib. Hasdrubal, & Mago tertius frater Hānibalis. Pudet recordationis. Quid em̄ dicā? improbitatē magis an miseriā Romanorū? imò uerius uel improbā miseriā, uel miseram improbitatē. Quis credat eo tpe, quo ærariū populi Romani egenā stipem priuata collatiōe poscebat, miles in castris nō nisi aut puer aut seruus, aut sceleratus aut debitor, ne sic quidē numero idoneus erat, Senatus in curia omnis nouitius penè uidebat̄: postremo quū ita imminutis fractisq; omnibus rebus desperabat̄, ut consiliū de relinquēda Italia subiretur: eo tēpore cum unum domesticū, ut diximus, bellū ferri nullo modo posset, insuper tria bella trāsmarina fuisse suscepta? unū in Macedonia cōtra Philippū potētissimū Macedoniæ regē: alterū in Hispania contra Hasdrubalē Hannibalis fratrē: ter-

tium

Campani deficiunt
L. Postumius cum exercitu cæsus
Sempronius Gracchus Fabius Maximus
Marcellus Hānibalem primus prælio fudit
Hasdrubal prælio uictus
Celtiberi primi apud Ro. mercenarij milites
Gracch. procos. occisus
Penula cū exercitu cæsus
Fuluius Pr. exercitū amisit
Philippi legati ad Hannibalem
Bellum quadruplex
Sardinia subacta
Leuini uictoria
Scipionum uictoria

tium in Sardinia cõtra Sardos, & alterũ Hasdrubalẽ Carthaginensiũ ducem: extra hoc quartũ Hannibalis, quo in Italia premebant̃, & tamẽ fortis in alterutrũ desperatio, in meliora profecit. Nam in his omnib. desperãdo pugnarũt, pugnãdo uicerunt. Ex quo euidenter ostendit̃, nõ tẽpora tunc fuisse trãquilliora ocijs, sed homines miserijs fortiores. Anno ab urbe cond. D.XL III. Claudius Marcellus Syracusam opulentissimã urbẽ Siciliæ secunda oppugnatiõe uix cepit. Quã cũ iam pridẽ obsedisset, Archimedis Syracusani ciuis mirabili ingenio præditi machinis repulsus expugnare non potuit. Decimo anno postq̃ Hannibal in Italiã uenerat, Cn Fuluio, P. Sulpitio coss. Hãnibal de Cãpania mouit exercitũ, & cũ ingẽti clade omniũ per Sidicinũ Suessanũq̃ agrũ uia Latina profectus, ad Anienẽ Fluuiũ tribus milibus ab urbe cõsedit, incredibili totius ciuitatis metu: cũ Senatu, populoq̃ diuersis curis trepido, matronæ quoq̃ amẽtes pauore, per propugnacula currerent, & cõuehere in muros saxa, primæq̃ pro muris pugnare gestirẽt. Ipse aũt cũ expeditis equitib. usq̃ ad portã collinã infestus accessit, deinde omnes copias in aciẽ direxit. Sed & coss. Fuluiusq̃ Procos, nõ detrectauere pugnã. At ubi expositę utrinq̃ acies cõstiterũt, in cõspectu Romæ præmiũ uictoriæ futuræ, tãtus imber se subito è nubib. grãdine mixtus effudit, ut turbata agmina uix armis retẽtis in sua se castra colligerẽt. Deinde cũ serenitate reddita, in cãpũ copiæ atq̃ in aciẽ redijssent, rursus uiolentior fusa tẽpestas, maiore mortaliũ metu, audaciã coërcuit, territosq̃ exercitus refugere in tẽtoria coẽgit. Tũc cõuersus in religionem Hãnibal dixisse fertur: Potiundæ sibi Romæ, modo uoluntatem non dari, modo potestatem. At uero in Hispania à fratre Hasdrubale ambo Scipiones fratres, qui per multos annos uictores fuerãt interficiunt̃, exercitus tamẽ integer mãsit: Casu eñ magis erãt, q̃ uirtute decepti. In Cãpania Capua capta est à Q. Fuluio Procõsule. Principes Cãpanorũ ueneno sibi mortẽ cõsciuerãt. Senatũ oẽm Capuæ, etiã ꝓhibẽte senatu Romano, Fuluius supplicijs necauit. Duæ aũt fœminæ è Cãpanis partib. Vestia Oppia materfamilias, & Cluia Facula meretrix, benignæ fuere pro statu Romano. Quippe una pro salute populi Romani semꝑ deos precata est, altera militib. Romanis captiuis alimenta prębuit. Pro quib. meritis & libertatẽ in excidio Capuę & rẽ propriã retentarũt, & optãdi præmij priuilegia assecutæ sunt. Quo tpe etiã cos. Marcello Siciliæ magna pars capta est, quã tenere Afri cœperãt, & nobilissima, ut dixi, urbs Syracusana. Pręda uero ingẽs Romã ꝑlata est. Leuinus in Macedonia cũ Philippo & multis Græciæ populis, & rege Asiæ Attalo amicitiã fecit, & ad Siciliã profectus est. In qua Hãnonẽ quendã Afrorũ ducẽ apud Agrigẽtũ ciuitatẽ cũ ipso oppido cepit, eũq̃ Romã cũ captiuis nobilissimis misit: quadraginta ciuitates in deditionẽ accepit, uiginti sex expugnauit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, ingẽti gloria Ro. regressus est. Hãnibal itaq̃ in Italia Cn. Fuluiũ cos. subito aggressus cũ IX milib. hoĩm interfecit. Interea interfectis in Hispania duob. Scipiõib. fratrib. & oĩb. incusso pauore

Syracusæ captæ. Archimedes. Trepidatio in urbe ob aduẽtũ Hannibalis. Imber mirificus. Scipionum interitus. Capua à Ro. recepta. Vestia Oppia. Cluia Facula. Leuinus. Agrigentum Sicilia recepta. Fuluius cos. cum exercitu cæsus.

pauore cunctantibus, Scipio se admodum adolescens ultro obtulit. & cum in ærario penuria esset pecunię, Claudio Marcello & Valerio Leuino autoribus, qui tum coss. erãt, aurũ & argentum signatũ ad Questores palàm omnes Senatores in publicũ contulerunt, ita ut nihil præter anulos bullasq; sibi & filijs, ac deinde per filias uxoresq; suas singulas tantũ auri uncias, & argenti nõ amplius q̃ singulas libras relinquerẽt. Scipio annos natus uiginti quatuor uir Romanorũ omnium & sua ætate, & posteriore ferè primus. Iste est ille, qui dum senatores ob metũ Hãnibalis, ut dixi, Italiã relinquere deliberarent, districto gladio id fieri uetuit. Is imperiũ in Hispania procõsulare sortitus, ultionẽ præcipue patris & patrui animo intẽdẽs, Pirenæũ trãsgressus, primo impetu Carthaginẽ nouã Hispaniæ cepit: ubi stipendia maxima, præsidia ualida, copiæ auri argentiq; magnæ Pœnorũ habebant, & nobilissimi obsides, q̃s ab Hispanis acceperãt. Ibi etiã Magonẽ fratrẽ Hannibalis captũ cum cæteris Romã misit. Romæ ingens lætitia post hoc fuit. Scipio Hispanorũ obsides parentib. reddidit. Deniq; dũ quædã adulto flore uirgo pulcherrima ab eo cõprehensa fuisset, eã paterna pietate seruauit, cõcedens parentib. ut eã redimerẽt. Ad se etiã puellæ sponsum nobilissimi generis uirũ uenire persuadens, ei ipsam quasi pius in matrimonio genitor tradidit, dotisq; nomine puellæ preciũ quod à parẽtib. eius acceperat, cõdonauit. Pro quibus factis maxime annitẽte puellæ sponso, eiusq; parentib. omnes ferè Hispaniæ ad eũ trãsierunt. Postq; Hasdrubalẽ fratrẽ Hannibalis uictũ fugat, & prædã maximã capit. Præterea octoginta ciuitates aut deditione, aut bello in potestatẽ redegit, Afrisq; sub corona uenditis, sine precio dimisit Hispanos. Hãnibal in Italia Cn. Fuluiũ Procos. undecim pręterea tribunos & XVII milia hominũ interfecit. Marcellus cos. cum Hanniabale apud Nolã triduo cõtinuo dimicauit: primo die pari pugna discessum est: sequẽti uictus cos. Tertio uictor octo milia hostiũ interfecit. Ipsum Hãnibalẽ cũ reliquis fugere in castra cõpulit. Interea cos Q. Fabius Maximus Tarentũ q̃d à Romanis desciuerat, iterũ expugnauit & cepit. Ibiq; ingẽtes copias Hãnibalis cũ ipso duce eius Carthalone deleuit, triginta milia hominũ captiuorũ uẽdidit, prędã militib. dispertiuit: pecuniã hominũ uẽditorũ ad fiscũ retulit. Tũ multę ciuitates quæ ad Hannibalẽ trãsierãt rursus se Fabio Maximo subdiderũt. Hannibal utrunq; consulẽ Marcellũ & Crispinũ insidijs circũuẽtos cũ exercitu interfecit. Tertio anno postq; Scipio ad Hispaniã ꝑfectus fuerat rursum res inclytas gessit. Regẽ Hispanorũ magno prælio uictũ, in amicitiã accepit. & primus omniũ à uicto hoste obsides nõ poposcit. Deinde despẽs Hãnibal Hispanias cõtra Scipionẽ diutius posse retineri, fratrẽ suũ Hasdrubalẽ ad Italiã cũ omnib. copijs euocauit. Is Ap. Claudio Nerõe, & M. Liuio Salinatore coss. ex Hispanijs per Gallias ad Italiã ueniẽs, magna secũ auxilia Hispanorũ Gallorũq; sumpta deduxit. Et cum maturato aduẽtu descẽdisse iã ex Alpib. cõsulib. ꝓditus fuisset, ab exercitu

Romano

Claudius Marcellus Valerius Leuinus

Collatio priuatorum ad bellum

Scipio

Carthago noua capta

Scipionis temperantia

Hasdrubal fugatus

Hispanæ ciuitates Scipioni deditæ

Fuluij proconsulis clades

III prælia triduo

Tarentum receptum

Carthalo

Marcel. & Crispinus coss. cæsi

Hispanorum rex uictus ac in amicitiam receptus

Ap. Claudius M. Liuius

Romano, ignorante Hannibale, apud Metaurum fluuium in insidias com
posi as incidit: strēnue tamē pugnās occisus est. Diu quidē incertus belli e-
uētus, elephātis maxime Romanā infestātib. aciē: q à militib. Romanis, q̄s
à uelitādo uelites uocāt, quod genus militiæ paulò ante repertum fuerat, ut
lecti agilitate iuuenes cū armis suis post terga equitū sederent, & mox cum
ad hostem uentū esset, equis desilirent, & continuo pedites ipsi, ex alia par-
te equitibus per quos aduecti fuerant dimicantibus, hostem proturbarēt.
Ab his ergo uelitibus elephanti retro acti, quū regi iam à suis nō possent,
ferro fabrili, id est scalpro inter aures adacto necabant: id genus occidēdæ,
cū opus esset, beluæ idē dux Hasdrubal primus inuenerat. Fuit hoc prælīū
penes Metaurū fluuium, ubi Hasdrubal uictus est, ut Trasumenus lacus,
ubi exercitus Romanus: ut Cesena Piceni ciuitas, ut uicus ille Cannensis.
Nam quinquaginta & nouem milia de exercitu Hasdrubalis ibi grandi
strage occisa sunt. Quatuor autē milia ciuium Romanorum inter eos re-
perta atq; reuocata sunt, quod uictoribus consulibus solatio fuit. Nam &
de exercitu eorū octo milia ceciderūt. Magnum pondus auri atq; argenti
Romam relatum est. Hannibali caput fratris sui Hasdrubalis ante castra
proiectū est. Quo uiso & simul clade Pœnorū cognita, anno tertiodecimo
quàm in Italiam uenerat refugit in Brutios. Post hæc anno cōtinuo inter
Hannibalem & Romanos quies à tumultu bellorum intercessisse uisa est,
quia inquietudo morborum in castris erat, & grauissima pestilentia uterq;
exercitus angebatur. Post hæc Hānibal diffidere iam de belli cœpit euētu,
Romanis autem ingens animus accessit. Itaq; & ipsi euocauerunt ex Hispa
nia P. Cornelium Scipionem, qui iam uniuersam Hispaniam à Pirenæo
usq; oceanum in prouinciæ formam redegerat. Igitur Romam cum ingen
ti gloria uenit. Per idem tempus Hierosolymis Pontifex Max. Onias fi-
lius Simonis fuit. Q. Cæcilio, L. Valerio Coss. omnes ciuitates quæ in Bru
tijs ab Hannibale tenebantur Romanis se tradiderunt. Anno XIIII.
posteaquam in Italiam Hannibal uenerat, Scipio qui multa bene in Hi-
spania egerat cos. cum Licinio Crasso creatus, & in Africā missus est: cui
uiro diuinum quiddā inesse existimabatur, adeò, ut putaretur etiam cum
numinibus habere sermonē. Et reuera neq; publica, neq; priuata negocia
prius unquam attigit, quàm in cella Iouis Capitolini diutissime moraretur
antequam uideretur à quoquam. Is in Africa contra Hannonem Hamilca
ris filium ducem Pœnorum pugnauit, eumq; interfecit. Exercitum eius par
tim cæde, partim captiuitate disperdidit, castra eius cepit. Nam in eo præ-
lio cum quatuor milibus & quingētis militibus undecim milia Pœnorum
occidit. Sempronius cos. cum Hannibale congressus & uictus Romam re-
fugit. Scipio in Africa aggressus hyberna Pœnorum atq; alia Numi-
darum, quæ utraq; haud procul ab Vtica erant, noctu concubia fecit incen
di. Pœni trepidi quum casu ignem accidisse putarēt, inermes ad extinguen
dum

Hasdrubal cum exercitu cæsus
Velites
Strages ingēs
Hasdrubalis caput
Hispania prouincia
Onias Simonis
Q. Cæcilius L. Valerius
Cornelius Scipio Licinius Crassus
Hanno in Africa à Scipione uictus
Sempronius cos. ab Hannibale uictus

dum concurrunt. Qua re facile ab armatis oppressi sunt. In utrisq; castris quadraginta milia hominum de Carthaginensibus & Numidis igni ferroq; consumpta sunt, capta quinq; milia: duces ipsi miserabiliter ambusti sunt, & ægre fugerunt. Hasdrubal dux Carthaginem profugus uenit. Itaq; Syphax & Hasdrubal mox plurimum reparauere exercitum, atq; iterum cum Scipione congressi sunt, uictiq; fugerunt. Syphacem fugientē Lælius & Masinissa ceperunt. Porrò cætera multitudo ad Cirtam refugit, quam Masinissa oppugnatam in deditionem accepit. Syphacem ad Scipionem catenis uinctum deducit. Quem Scipio cum infinitis spolijs, plurimisq; captiuis perducendum Romam Lælio tradidit. Qui cum Tiburi in custodia defecisset, sumptu publico iussit Senatus honorifice sepeliri. Qua re audita omnis fere Italia Hannibalem deseruit: ipse à Carthaginensibus redire in Africam iubetur, quā Scipio uastabat. Ita anno septimo decimo Italia ab Hannibale liberata est, quam flens dicitur reliquisse, omnibus Italici generis militibus qui sequi nollent interfectis. Legati Carthaginensium pacem à Scipione petierunt. Ab eo ad Senatum Romam missi sunt, & quadraginta quinq; diebus his induciæ datæ sunt, quousq; ire Romā & regredi possent, & triginta milia pōdo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacē iussit cum Carthaginensibus fieri. Scipio his cōditionibus dedit, ne amplius q̄ triginta uaues haberēt, & quinquaginta milia pondo argenti darent, captiuos & perfugas redderēt. Interea Hannibal ad Africanum littus propinquans iussit cuidā è nauticis ascendere in arborē nauis atq; speculari inde, quā regionē tenerent. Sepulchrū dirutū se prospexisse respondit. Abominatus dictū Hānibal deflexo cursu ad Leptim oppidum copias exposuit. Qui continuo refecta multitudine Carthaginem uenit, & pax turbata est, multaq; hostilia ab Afris facta sunt. Legati tamē eorū ex urbe uenientes à Romanis capti sunt, & iubēte Scipione dimissi sunt. Hannibal quoq; frequētibus prælijs à Scipione uictus, petere & ipse iam cœpit pacem, & colloquiū Scipionis. Vbi cum se diu attoniti admiratione mutua duo clarissimi duces torue suspexissent, & colloquiū inter utrosq; esset, Carthaginensibus cōditiones displicuerunt, eo quod hisdē cōditionibus quib. prius, addita sunt quingentis milibus pondo argenti centū milia librarum propter nouam perfidiam, iusseruntq; Hannibalē pugnare. Hannibal tres exploratores ad castra Scipionis misit, quos captos Scipio circūduci per castra iussit, ostenditq; eis totū exercitū, nihil de hostibus percontatus. Mox etiam prandiū dari iussit, eisq; refectis, ac recreatis equis redire permisit, ut renunciarent Hannibali quæ apud Romanos uidissent. Interea præliū ab utroq; duce consertū est, quod diu magnis ducū artibus dispositū, magnis copiarū molibus gestū, quale uix ulla memoria fuit, cū pitissimi uiri, ut diximus, copias suas ad bellum educerent. Scipio uictor redijt, octoginta elephanti ibi uel capti, uel occisi sunt. Carthaginensiū militum interfecti sunt

Scipio bina castra hostium incendit

Syphax captus

Cirta Masinissæ dedita

Hannibal Italiam reliquit

Carthaginen. pacē petunt

Pax turbata

Hannibalis cum Scipione colloquium

Scipionis fiducia

uiginti milia quingenti. Hannibal omnia & ante præliũ & in prælio expertus, primũ cum multis equitibus, deinde cum uiginti, postremo uix cũ quatuor, inter tumultũ elapsus Adrumetũ cõfugit. Postea Carthaginem post sex & triginta annos, q̃ꝫ paruus exierat, uenit. Inuenta in castris Hãnibalis argenti põdo uiginti milia, auri octoginta: cætera suppellectilis copiosa. Iactet se licet Roma uictorijs. Hannibalẽ tamen Campaniæ luxurijs immorantẽ prouincia deliciosa superauit. Dum aquis innatat, dum piscibus atqꝫ ostreis passim inficitur, dum olet, dum potat, dum dormit, aquarũ resolutio molliuit Punicam feritatẽ: & quem alia durauerãt, Seplasia unguentis odoratis labefactauit & soluit. Igit̃ post id certamẽ Carthaginẽses nullã esse residuã spẽ nisi in petẽda pace ꝑsuasi, ut pax daret̃ denuo supplicauerũt. C. Cornelio Lentulo, P. Ælio Pœto coss. Carthaginẽsib. pax per Scipionẽ uoluntate Senatus populiq̃ꝫ cõcessa est. Tũc etiã plusq̃ꝫ quingẽtæ naues in altũ productæ in cõspectu ciuitatis incensæ sunt. Scipio iã tunc cognomẽto Africanus cũ ingẽti gloria triũphans urbẽ ingressus est. Quẽ Terẽtius qui postea comicus ex Nobilibus Carthaginensiũ subactorũ ciuibus captus, pileatus, quod insigne indultæ libertatis fuit, post currum triumphantem sequutus est. Anno ab urbe condita quingentesimo quadragesimo quinto bellũ Punicum secundũ finitũ est, post annũ nonũ decimũ q̃ꝫ cœperat.

Pax Carthaginen. data — *Claßis punica incensa* — *Africani cognomen & Triumph.* — *Terentius*

DE GESTIS ROMANORVM LIB. IIII

BELLVM MACEDONICVM



TRANSACTO igitur Punico bello secutũ est Macedonicũ cõtra Regẽ Philippũ. D. & quinquagesimo primo anno ab urb. cond. T. Quintius Flãminius aduersus Philippũ Macedonũ regẽ missus est. Qui post multa & grauissima prælia, quibus Macedones uicit, pacẽ Philippo dedit, his legib. ne Græciæ ciuitatib. quas Romani cõtra eũ defẽderãt, bellũ inferret, ut captiuos & trãsfugas redderet, L. solas naues haberet, reliquas Romanis daret: per annos X quaterna M. põdo argẽti præstaret, & obsidẽ filiũ suũ Demetriũ daret. Deinde cũ Lacedæmonijs pugnauit, uictoq̃ꝫ Nabide duce eorũ, & quib. uoluit cõditionib. infidẽ accepit, & ingẽti gloria triumphauit. Duxit ante currũ nobiliss. obsides, Demetriũ Philippi filiũ & Armenẽ Nabidis. Ro. captiui qui sub Hãnibale per Græciã uẽditi fuerãt, uniuersi recepti capitib. rasis ob detersam seruitutẽ currũ triũphãtis secuti sunt. Eodẽ tpe Insubres & Boij, à quib. Ticinũ cõd. est, atqꝫ Cenomãni, cõtractis in unũ uiribus Hamilcare Pœnorũ duce q in Italia remãserat, Cremonã urbem Placentiãq̃ꝫ uastãtes, difficilimo bello à L. Fuluio Prætore superati sunt. cos. Marcellus in Hetruria à Boijs oppressus magnã partẽ exercitus perdidit. Cui postea Furius alter cos. auxilio accessit, atqꝫ ita uniuersã Boiorũ gentẽ igni ferroq̃ꝫ uastãtes propemodũ usqꝫ ad nihilum

Philippo deuicto pax data — *Nabis uictus* — *Triumphus T. Quintij* — *Ticinum* — *Galli à Fuluio superati* — *Marcell. cos. à Boijs oppress.* — *Boij deleti*

ad nihilum deleuerunt. Postea Flaminius Procos. Philippũ regem, & cum eo Thracas, Macedonas, Illyrios præterea, multasq́; gentes quæ in auxiliũ ei uenerãt bello subegit. Victi Macedones castra amiserũt. Octo milia hostiũ eo die cæsa, quinq; milia capta Polybius scribit. Valerius dicit quadraginta milia trucidata. Claudius uero triginta duo milia interfecta cõmemorat. Sed hæc uarietas scriptorũ utiq; fallacia est. Fallaciæ aũt causa profecto adulatio est, dum uictoris laudes accumulare, uirtutéq́; patriç extollere uel præsentibus, uel posteris studẽt. Alioquin si inquisitus nõ fuisset numerus, nec qualiscunq; fuisset expressus. Quod si gloriosum est duci & patriæ plurimos hostiũ peremisse, quãto magis lætũ patriæ & ducibus beatũ potest uideri, suorũ uel nullos, uel paucissimos perdidisse. Ita lucidissima re patet, quia simili impudentia mentiendi, qua occisorũ hostiũ numero adijcitur, sociorum quoq; amissorum damna minuũtur, uel etiam omnino reticentur. Igitur Sempronius Tuditanus in Hispania citeriore bello oppressus cum omni exercitu Romano interfectus est.

Philip. à Flaminio procos. uictus

Vanitas historicorum

Sempronius Tuditanus cum exercitu cæsus

BELLVM SYRIACVM

TRANSACTO bello Macedonico secutũ est Syriacũ: L. Valerio Flacco, & M. Portio Catone coss. Antiochus Rex Syriæ bellum contra populũ Romanũ struens in Europã transijt ex Asia. Tũc etiã Hãnibal ꝓpter excitãdi belli rumores, qui de eo apud Ro. ferebãtur, exhiberi Ro. à Senatu iussus, clàm ex Africa metu profectus, ne Ro. traderetᷣ ad Antiochũ migrauit. Quẽ cũ apud Ephesum cũctantẽ inuenisset, mox in bellũ impulit. Tũc etiã lex, quæ ab Oppio Tr. pl. prolata fuerat, ne qua mulier plusq́; semiũciã auri haberet, neue uersicolori uestimẽto, nec uehiculo ꝑ urbẽ, nec foris uteretᷣ plusq́; mille passib. nisi sacrorũ causa exegisset: post XX annos abrogata est. Sublato hoc edicto in quantã licentiã matronæ uenerint, quid attinet dicere, quũ sic & uiri luxuriarentᷣ. P. Cornelio Scipione, M. Acilio Glabrione coss. Antiochus quãuis Thermopylas occupasset, quarũ munimine tutior propter dubios belli euentus fieret, tamẽ cõmisso bello à cos. Glabrione in Achaia superatus. Castra eius nocturna pugna sunt capta, ipse dux uix cũ paucis fugit è prælio, Ephesumq́; peruenit. Is habuisse ferẽ armatorũ LX M. è quibus XL milia cæsa, plus q̃ V milia fugisse referuntᷣ. Alter cos. Scipio cũ Boiorũ gente cõflixit, in quo prælio uiginti milia interfecit. Philippo quia cõtra Antiochũ Ro. fuisset auxilio, filius Demetrius redditus est. Deinde P. Scipione Africano iterũ, T. Sẽpronio Longo coss. apud Mediolanũ X M. Gallorũ cæsa sunt. Sequẽti aũt prælio XI milia Gallorũ cæsa: Romanorũ uero quinq; milia occisa sunt. Minutius à Liguribus in extremũ periculi adductus, & insidijs hostiũ circũuẽtus, uix Numidarũ equitũ industria liberatus est. Post hæc Digitius Prætor Celtiberos cũ proximis gẽtibus uicit, Regéq́; eorũ cepit. In utraq; Hispania per Flãminiũ Fuluiũq́; Prætores bella multũ horrida cruẽtaq́; utrisq; populis

L. Valerius M. Portius

Hannibal ad Antiochum fugit

Oppia lex abrogata

P. Cornelius M. Atilius

Antioch. ad Thermopylas uictus

Boij magno prælio uicti

Demetrius patri redditus

P. Cornelius T. Sẽpronius

II prælia cum Gallis

Minutius à Liguribus. circunuentus

L. Cornelius C. Lælius. Africanus fratri legatus. Africanus Hānibalē nauali prælio uincit. Antiochus ad Magnesiam uictus. Eumenes. Pax Antiocho data.

gesta sunt. L. Cornelio Scipione & C. Lælio coss. Scipio Africanus fratri suo L. Cor. Scipioni cos. legatus contra Antiochum profectus est, qui cum Hānibale colloquiū familiare habuit. Sed infecto pacis negotio ab Antiocho discessit. Sequēti anno Scipio Africanus Hānibalē, qui cū Antiocho erat, nauali prælio uicit. Ipse postea Antiochus circa Sipulū Magnesiā Asię ciuitatē à L. Cornelio Scipione cos. ingenti prælio prostratus est. Auxilio fuit in ea pugna Ro. Eumenes Attali regis frater, qui Eumeniā in Phrygia cōdidit. Quinquaginta M. peditū, & tria M. equitū in eo certamine ex parte Regis occisa sunt. Tum rex pacē petijt, filiumq́ Africani, quē utrū explorātem, an in prælio cepisset, incertū est, ultro remisit. Pax aūt ijsdē cōditionib. data est à Senatu, quāq́ uicto, quib. antea offerebat, ut ex Europa & Asia recederet, atq́ intra Taurū se cōtineret: X M. talentorū, & XX obsides pberet. Hānibalē cōcitatorē belli traderet. Eumeni Regi donatæ sunt à Senatu omnes Asię ciuitates, quas Antiochus bello pdiderat: & Rhodijs qui auxilium Ro. cōtra Antiochū regē tulerāt, multas cōcesserūt. Scipio Romā redijt, & ingenti gloria triūphauit. Nomen & ipse, ad imitationē fratris, Asiatici accepit, quia Asiā uicerat, sicut frater ipsius propter Africā Africanus appellat. Interea in Hispanię prouincia ulteriore L. Æmilius Procos. à Lusitanis cū omni exercitu cæsus interijt. Deinde L. Bebius in Hispaniam proficiscens, à Liguribus circūuētus, cū uniuerso exercitu occisus est: unde adeò ne nunciū quidē superfuisse cōstat, ut internitionē ipsam Romæ Massilienses nunciare curauerint. Fuluius cos. de Græcia in Gallogræciā, quæ nunc est Galatia transuectus, ad Olympū montē peruenit, ad quē uniuersi Gallogræci cū cōiugibus & liberis cōfugerant, ibiq́ acerbissimū bellū gessit. Nāq́ de superioribus locis, sagittis, grādibus saxis, cæterisq́ telis Romani grauiter cōtriti, tandē usq́ ad cōgressum hostiū proruperūt. Quadraginta milia Gallogræcorum eo prælio interfecta referuntur. Marcius cos. aduersus Ligures profectus, superatusq́, quatuor M. militū amisit, & nisi uictus celeriter refugisset in castra, eādē internitionis cladē, quā Bebius dudū ab ijsdē hostibus accepat, pertulisset. M. Claudio Marcello, cos. Philippus rex, qui Legatos populi Romani interfecerat, ppterq́ Demetrij filij sui quē legatū miserat uerecundissimas preces ueniā meruerat: eundē continuo uelut Ro. amicū, suiq́ proditorē, fratre quoq́ ipsius parricidiū patris ministro patrante, nihil de utroq́ miserum mali suspicantē ueneno necauit. Sp. Posthumio Albino, Q. Marcio Philippo coss. M. Fuluius de Ætolis triūphauit. Eisdem etiam diebus Hannibal uicto à Romanis Antiocho, ad Prusiā Bithyniæ Regē fugit, ne Ro. traderet. Repetitus aūt ab eo est per Q. Flaminium: & cū tradendus esset Romanis uenenū bibit, & apud Lybissam in finibus Nicomedensiū sepultus est. Philopœmenes dux Achiuorū à Messenijs captus & occisus est. Eodē anno Scipio Africanus ab ingrata sibi urbe diu exulās, apud Liternū oppidū morbo petijt, iussitq́ sepulchro suo inscribi

P.R. in Eumenem & Rhodios liberalitas. Asiatici cognomen. L. Aemilius cum exercitu cæsus. L. Bebius cum exercitu cæs. Pugna cū Galatis in Olym. Marcius à Liguribus superatus. Philippi parricidium. Fuluij de Aetolis triumph. Hannibalis exitium. Philopœmenis exitium. Africani obit.

inscribi: Ingrata patria, ne ossa quidē mea habes. In Sicilia tūc Vulcani insula, quæ ante nō fuerat, repēte mari edita, cū miraculo oīm usq; ad nūc pmanet. His quoq; dieb. actū est, q̄d de Heliodoro in libro Machabæorū narrat historia. Q. Fuluuius Flaccus Prætor in citeriore Hispania max. prælio XXIII M. hominū fudit, IIII M. captiuauit. Tiberius Sēpronius Gracchus in Hispania ulteriore centūquinq; oppida uacuata & quassata bellis ad ditionē coēgit. Eadē tēpestate L. Posthumius in citeriore Hispania XL M. hostiū bello fudit: Gracchus Prętor ibidē iterū ducenta oppida expugnauit & cepit.

Noua insula enata
Heliodorus
Præliū max. in Hispania
Gracchi uictoria
Victoria in citeriore Hispa.

BELLVM MACEDONICVM II

IGITVR Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui aduersum Romanos bellū gesserat, & postea Romanis cōtra Antiochū auxiliū præbuit, filius eius Perseus in Macedonia rebellauit ingētibus copijs adunatis. Gens em̄ Basternarū ferocissima Lepido & Mutio coss. spe prædarū sollicitata, & transeundi Istri fluminis facultate, sine ulla pugna deleta est. Nam tūc forte Danubius, qui & Ister, crassa glacie superstratus pedestrē facile transitū patiebat. Itaq; quū improuide toto & maximo simul agmine inæstimabilis multitudo hoim & iumentorū trāsirent, enormitate pōderis & cōcussione gradientiū concrepans gelu & glacialis crusta dissiliuit, & uniuersum agmē, quod diu sustinuerat, medijs gurgitibus uicta tandem & cōminuta destituit, atq; eadē rursus fragmentis impedientibus superducta submersit: pauci ex omni populo per utranq; ripā cōcisis uisceribus uix euaserunt. P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino coss. Macedonicum bellū gestū est, meritò inter maxima bella referendū. Nā in auxilio Romanorū tota prius Italia: deinde Ptolemæus rex Ægypti, & Ariarates Cappadociæ, Eumenes Asiæ rex, Masinissa Numidiæ fuerunt. Prusias aūt Bithyniæ rex, quanq; Persei sororē haberet, utrisq; tamē se æquū præbuit. Itaq; aduenienti Licinio Crasso cos. Perseus cum Cotye rege Thraciæ, & rege Illyrici Gentio nomine, q̄s in auxilio habebat occurrit, cōmissoq; prælio miserabiliter uicti fugēre Romani. Sequēti pugna pari clade partis utriusq; in hyberna discessum. Deinde Perseus profligato multis prælijs exercitu Ro. in Illyricum trāsgressus, Huscanium oppidū defensum à præsidijs Romanis pugnādo cepit. Vbi magnā Ro. præsidum multitudinē captam partim occidit, partim sub corona uendidit, partim secum in Macedoniam duxit. Mox missus est contra eum L. Æmilius Paulus cos. & in Illyricum C. Anicius Prætor cōtra Gentium. Sed Gentius facile uno prælio uictus, mox se dedidit. Mater eius & uxor, & duo filij, frater q̄q; simul in potestatē Ro. uenerunt. Bello inter triginta dies peracto, ante cognitum est Gentiū uictū, q̄ bellū cœptū nuntiaret. Cum Perseo aūt Æmilius Paulus cos. tertio nonas Septemb. dimicauit, uicitq; eum. Viginti milibus peditū eius occisis, equitatus cum rege interfugit. Romanorum exercitus C milites amiserat: Macedones uero Ro. se dediderunt. Ipse rex cum desereretur ab ami

Basternarum mirificum exitium
P. Licinius C. Cassius
II pūgnæ cum Perseo
Huscanium à Perseo expugnatum
Gētius captus
Perseus prælio deuictus

Macedonia Ro. dedita
Perseus captus

cis, uenit in Pauli potestatẽ. Sed honorẽ ei Æmilius Paulus cos. nõ quasi ui cto præbuit. Nã & uolentẽ sibi cadere ad pedes nõ pmisit, & iuxta se in sella collocauit. Quin P. Vacienus ad urbẽ Ro. nocte uadẽs, uidit duos iuuenes albis equis sedẽtes, qui iusserunt, ut die sequẽti senatui nunciaret, Perseũ regẽ Macedonũ à Paulo esse captũ. Vacienus quidẽ læta exequutus est, sed iussu senatus missus est in carcerẽ, tãq̃ temerarius incertorũ locutor. Mox literis Pauli de die uictoriaq; certa res patuit. Vacienus statim de custodia solutus agrũ dono accepit. Et Vacieno ijdẽ gemini uisi ad lacũ postea Iuturnæ sudorẽ suũ equorũq; abluẽtes. Interea Macedonijs & Illyrijs à Ro. hæ leges datæ, ut liberi essent, & dimidiũ eorum tributorũ præsentarẽt, quæ regibus præstitissent, ut appareret populũ Ro. pro æquitate magis, q̃ pro auaricia pugnare. Itaq; in cõuentu finitimorũ populorũ Paulus hoc pronunciauit, & legationes multarũ gentiũ, quæ ad eum uenerãt, magnificentiss. cõuiuio pauit, dicens eiusdẽ hominis esse debere, & bello uincere, & in cõuiuij apparatu elegantẽ esse. Mox LXX ciuitates Epiri quę cõtra se rebellauerãt, cepit, prædã militib. distribuit, Romã ingẽti pompa redijt, in naue Persei, quæ nimis inusitatæ magnitudinis fuisse tradit̃, adeò ut XVI ordines remorum habuisse dicat̃. triũphauit aũt magnificẽtissime in curru aureo cũ duobus filijs utroq; latere astãtibus. Ducti sunt ante currũ duo filij regis, & ipse rex Perseus XLV annos natus: & postea apud Albã in custodia defecit. Senatus Quæstorẽ misit ad eius exequias, qui eũ impẽsa populi Ro. regie sepeliret. Filius eius iunior fabricã ærariã ob tolerãdã inopiã Romę didicit, ibiq; cõsumptus est. Post eum etiã Anicius de Illyrijs triumphauit: Gẽtius rex cum fratre suo & filijs ante currũ eius ductus. Ad hoc spectaculũ reges multarum gẽtium Ro. uenerunt, inter quos etiã Attalus atq; Eumenes reges Asiæ: & Prusias Bithyniæ gratulatum uenit, & magno honore excepti sunt. Prusiæ aũt Senatus quæstorẽ P. Corneliũ Scipionẽ Capuæ iussit occurrere, hospitiumq; Romæ & largiss. præbuit sumptũ, ut alij armis subditi, alij capti moribus deseruirẽt. Igit̃ permittẽte Senatu, dona quæ reges attulerunt, in Capitolio posuerunt. Prusias etiã filiũ suũ Nicomedẽ Senatui cõmẽdauit. Plurima pręterea & satis diuersis prouẽtib. bella multarũ ubiq; gẽtium gesta sunt, quæ breuitatis causa prætermisi. Anno ab urbe cond. DC. L. Licinio Lucullo, A. Posthumio Albino coss. cum omnes Ro. ingẽs metus Celtiberorũ inuasisset, & ex om̃ib. nõ esset, q in Hispaniã uel miles, uel legatus ire auderet, P. Scipio qui posterior Africanus erit, ultro se militaturũ in Hispaniã obtulit, quũ iã in Macedoniã sorte deputatus esset. Itaq; profectus in Hispaniã magnam stragẽ gentium dedit, sæpius etiã militis quàm ducis usus officio. Nam & Barbarum se prouocantem, singulariter congressus occidit. Sergius autẽ Galba Prætor à Lusitanis magno prælio uictus est, uniuersoq; exercitu amisso, ipse cum paucis uix elapsus euasit. In sequenti anno L. Minutius in Lusitania bene pugnauit. Marcellus cos. postea

Miraculum
P.R. liberalitas
Pauli magnificentia
Epirus direpta
Nauis prægrandis
Pauli triumphus
Persei filius faber ærarius
Anicij triũph.
Prusias Ro. uenit
L. Licinius A. Posthumius
Scipio iunior in Hispaniam
Sergij Galbæ exercitus à Lusitanis cæsus

stea ibidē res prospere gessit. Eodē tpe Messala Censor primus theatrū in urbe cōstrui censuit. Quod ne tūc fieret, Scipio dictus Nasica grauissima oratione obstitit dicēs, inimicíss. hoc fore bellatori populo ad nutriendā desidiā lasciuiāq; cōmentū. Adeoq; mouit Senatū, ut nō solū omnia theatro cōparata tolli iusserit, sed etiā subsellia ludis prohibuerit poni, ut neq; urbani, neq; qui à foris mille passib. abessent, sedētes ludos spectarēt, ne fortitudo illorū mollesceret. Igitur in Hispania Sergius Galba Prætor Lusitanos citra Tagū flumē habitātes, quū uolūtarios in deditionē recepisset, p scelus interfecit. Simulās em̄ de cōmodis se acturū fore, ac circūpositis militib. cunctos inermes & incautos interfecit. Quæ res postea uniuersæ Hispaniæ propter Ro. perfidiā causa maximi tumultus fuit. Eodē tpe Tucia uirgo Vestæ arguebať incesti. At illa argumētis purgare se dedignata mortalib. ad Tiberim cribrū detulit, ibiq; submersit, prece addita. O Vesta inquit si pia & casta sum, hanc è Tiberi aquam ad templum tuum perferam, & pertulit.

Theatrū construi S. uetat

Galbæ crudelitas ac perfidia

Miraculum

BELLVM PVNICVM III

ANNO ab urbe cond. DC. II. L. Manlio Censorino, & M. Mālio coss. tertiū Punicū bellū exortū est. Igiť cū Senatus delendā Carthaginē cēsuisset, profecti in Africā coss. & Scipio tūc Tribunus militū, ppe Vticā maioris Africani castra tenuerūt. Ibi Carthagineñ. euocati, iussiq; arma & naues tradere, nec morati: tantaq; copia armorū repente tradita est, ut facile tota ex his Africa potuisset armari. Sed Carthaginēses postq; arma tradiderūt, & derelicta urbe, recedere procul à mari X milibus passuū iussi sunt, dolorē ad desperationē cōtulerūt, aut defensuri ciuitatē, aut cū ipsa p ipsam sepeliēdi. Mox Hasdrubales duos duces creauerūt, armaq; facere aggressi postq; æs ferrūq; defecit, aurea argēteaq; fecerūt. coss. cū aliquātā muri partē machinis diruissent, tamē à Carthagineñ. uicti sunt atq; oppressi. Quos fugiētes Scipio tunc Tribunus militū repulso intra muros hoste defendit. Phanea dux alius equitatui Carthaginēsiū præerat. Igitur Scipio tunc Scipionis Africani nepos, tribunus, ut dictū est, militū ibi militabat. Huic apud omnes gētes metus & reuerētia erat. Nā & paratiss. ad dimicandū, & cōsultiss. habebať. Itaq; per eū multa à cōsulib. gesta sunt, nec quicq; magis uel Phanea, uel Hasdrubal uitabāt, q̄ cōtra eā partē Ro. cōmittere ubi Scipio dimicarat. Per idē tēpus Masinissa rex Numidarū per annos LX ferè amicus populi Ro. anno uitæ nonagesimo septimo mortuus est, ualentissimo corpore semper perseuerās. Hic est uir qui nunq; in hymbri uel maximo caput texit, aut frigore. Tandiu in uno uestigio stetit, ut prius iuuenes lassitudine cederēt, q̄ ille loco in quo steterat moueretur. Si stetisset, nec membrū quidē tota die mouebat: si iter fuerat ingressus eques, nō descēdebat pedes, pedes nō ascendebat. Solebatq; equitās nocti sæpissime diem iungere, & sui custodiā tutelāq; sæuiss. canib. cōmittebat. Post lxxxvi annū filiū genuit, cui nomē Mechinia fuit. nihil q̄d iuuenis fecerat, æui ulti-

L. Manlius
M. Manlius

Carthaginen. desperatio

Scipionis facinus

Masinissa

mo prætermisit. Igit̃ Masinissa mortuus XL IIII filijs relictis, Scipionẽ inter filios suos diuisorem esse iussit. Scipio postq̃ Masinissæ filijs Numidiæ regnũ diuisit, Carthaginẽ est reuersus. Mãli⁹ Thegalã urbẽ expugnauit atq̃ diripuit. XII M. ibi Afrorũ cæsa, sex M. capta sunt. Hasdrubal Pœnorũ dux Masinissæ nepos subselliorũ fragmẽtis in curia à suis propter Scipionis proditionẽ occisus est. Anno ab urbe cond. DC. VI. id est, anno LI. post bellum punicũ secundũ, Cn. Lentulo, L. Mẽmio coss. quũ iam clarũ Scipionis nomen esset, iuuenis adhuc cos. factus, & cõtra Carthaginẽ est missus: contra quã cũ sex cõtinuis diebus, noctibusq̃ pugnaret, ultima Carthaginenses desperatio ad deditionẽ traxit, petentes ut quos belli clades reliquos fecit, saltẽ seruire liceret. Primũ igitur agmen mulierũ satis miserabile, post uirorũ magis deforme descendit. Nã fuisse mulierũ triginta quinq̃ M. uirorũ triginta M. memoriæ traditũ est. Rex Hasdrubal se ultro dedidit, suã tantũ salutẽ obtinuit. Trãsfugæ qui Æsculapij tẽplũ occupauerũt, uolũtario præcipitio dati, igne cõsumpti sunt. Quosquos habere potuit Ro. transfugas, Scipio crucib. affixit, Latinos securi percussit. Vxor Hasdrubalis cũ ardentem Carthaginẽ aspexisset, occurrit uiro suo unà cũ duobus liberis, eiq̃ dixit: Viue tu qui superstes esse Carthaginis potis es. Nã frustra pro nobis rogasti. Et tũ cũ uolentibus filijs uirili dolore, furore fœmineo in mediũ se iecit incẽdiũ, eundẽ nunc mortis exitũ faciens nouissima regina Carthaginis, quẽ quondã prima fecisset. ipsa aũt ciuitas XVII cõtinuis diebus arsit, miserumq̃ spectaculũ de uarietate cõditionis humanæ uictoribus suis prębuit. Diruta est aũt Carthago omni murali lapide in puluerẽ cõminuto, cuius fuisse situs huiusmodi dicitur. Viginti duo M. passuũ amplexa muro, tota pene mari cingebatur, absq̃ faucibus, quæ à tribus milib. passuũ aperiebãtur. Is locus murũ XXX pedes latũ habuit, saxo quadrato, in altitudine cubitorũ XL. Arx cui Byrsæ nomẽ erat, paulo amplius q̃ duo M. passuũ tenebat. Ex una parte murus fuerat cõmunis urbis & Byrsæ imminẽs mari. Quod mare stagnũ dicit̃, quoniã obiectu ꝓtẽtę linguæ trãquillat̃. Spolia ibi inuẽta quę uariarũ ciuitatũ excidijs Carthago collegerat, & ornamẽta urbiũ ciuitatib. Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit, quæ sua recognoscebãt. Ita Carthago DCC. an. postq̃ cõd. erat deleta est. Multitudo oĩs captiuorũ, exceptis paucis principib. uenũdata est. In quarto q̃ cœptũ fuit an. bellũ Punicũ tertiũ terminatũ est. Scipio nomẽ q̃d auus eius accepat, meruit. s. ut ꝓpter uirtutẽ etiã ipse Africanus minor uocaret̃. Igit̃ à Ro. Carthagine capta, spoliatus est à qbusdã Apollo ueste aurea. Postea inuentæ sunt cũ crustis tunicæ manus eorũ qui abstulerãt.

Thegala expugnata. Hasdrubal à suis in curia occisus. Cn. Lentulus L. Memmius. Carthago dedita. Carthago deleta. Carthaginis situs. Miraculum.

BELLVM MACEDONICVM III



INTERIM in Macedonia quidam Pseudophilippus arma mouit, & Ro. Prætorẽ Pub. Iuuentium contra se missum ad internitionem uicit. Post eum Q. Cecilius Metellus dux à Romanis cõtra Pseudophilippũ missus est, & uiginti milibus occisis, Macedoniam recepit

Clades in Macedonia. Macedonia per Metellum recepta.

cepit: ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.

BELLVM ACHAICVM



NNO ab urbe cond. DC VI. hoc est, eodem anno quo Carthago deleta est, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mumio coss. ruinã Carthaginis, euersio Corinthi subsequuta est: duarumq; potentissimarum urbium paruo unius tẽporis interuallo per diuersas partes mundi miserabile colluxit incẽdiũ. Nam cũ Metellus Prætor Achæos Bœotiosq; cõuictos duobus bellis, hoc est, primo apud Thermopylas, iterũ postea in Phocide uicisset, eorũ priore bello occisa esse uiginti milia, secũdo VII milia cæsa Claudius Historicus refert. Valerius Antiâs in Achaia pugnatũ, & uiginti milia Achæorũ cum duce suo Dieuco cecidisse confirmat. At uero Polybius Achiuus, quãuis in Africa cũ Scipione fuerit, tamen quia domesticã cladẽ ignorare non potuit, semel in Achaia pugnatũ Critolao duce asserit. Dieucũ uero adducentẽ ex Arcadia milites ab eodẽ Metello oppressum cũ exercitu docet. Sed de uarietate discordantiũ Historicorũ aliquanta iam diximus, q̃rũ sufficiat detecta hæc & male nota mendaciorũ nota, quia parũ credendũ in cæteris euidẽter ostẽdũt, qui in his quoq;, quę ipsi uidere, diuersi sunt. Igitur post extincta totius Achaiæ præsidia destitutarum euersionẽ urbiũ Metello Prætore meditãte, cos. Mũmius repẽtinus cum paucis uenit in castra. Qui dimisso statim Metello, Corinthũ nobilissimã ciuitatẽ Græciæ propter iniuriã legatorũ Romanorũ sine mora expugnauit, toto tũc orbe longe clariss. Omniũ enim artificũ atq; artificiorũ officina, & emporium cõmune Asiæ atq; Europæ, per multa retro secula fuit. Permissa igitur crudeliter est captiuos prędãdi licentia: sicq; omnia cædibus ignibusq; cõsumpta sunt, ut de murorũ ambitu quasi è camino in unũ apicẽ coartatũ exundaret incẽdiũ. Itaq; plurima parte populi ferro flãmisq; cõsumpta, reliqua sub corona uendita est. Vrbe incensa, muri funditus diruti sunt, muralis lapis in puluerẽ redactus, præda uero ingens erepta est. Sanè cũ propter multitudinẽ & uarietatẽ statuarũ simulachrorũq; in illo ciuitatis incendio permixta in unũ auri argẽti atq; æris, omniaq; simul metalla fluxissent, nouũ genus metalli factũ est. Vnde usq; in hodiernũ diẽ, siue ex ipso, siue ex imitatione eius, æs Corinthiũ, sicut memoriale traditũ est, & Corinthia uasa dicũtur. Eodẽ tpe simul III Romę celeberrimi triũphi fuerũt: Africani ex Africa, & ante currũ eius ductus est Hasdrubal: Metelli ex Macedonia, cuius currum præcessit Andriscus, idẽ qui & Pseudophilippus: Mũmij uero ex Corintho, ante quẽ signa ænea, & pictæ tabulæ, & alia urbis clariss. ornamẽta prælata sunt. Iterũ in Macedonia Pseudoperseus, qui se Persei filiũ esse dicebat, collectis seruis rebellauit, & cũ iã XVI M. armatorũ haberet, à Tremellio Quæstore superatus est. Interea Cn. Cornelio Lentulo, L. Mũmio coss. Viriatus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis, & latro, primum infestãdo uias, deinde uastãdo ꝓuincias, postremo exercitus ꝓtorũ, & coss.

Cn. Cornelius L. Mummius

Achæi uicti

Historici discordes

Corinthus expugnata inceuditur

Aes Corinthium

III triumphi simul

Andriscus

Tremellius

Viriatus

Romanorũ uincẽdo, fugãdo, ſubigẽdo, max. terrori Romanis omnib. fuit. Siquidẽ Hiberũ & Tagum maxima & diuerſiſſimorũ locorũ flumina late trãſgredienti & pugnãti C. Vetelius Prætor occurrit. Qui cõtinuo ad internitionẽ penè omni exercitu ſuo deleto, uix ipſe Pretor cũ paucis fuga lapſus euaſit. Deinde C. Plautiũ idẽ Viriatus multis prælijs fractũ fugauit. Poſt etiã Claudius Vnimanus cũ magno inſtructu belli contra Viriatũ miſſus, quaſi pro abolẽda ſupiore macula, turpiorẽ ipſe auxit infamiã. Nã cõgreſſus cũ Viriato, uniuerſas, quas ſecũ deduxerat copias, maximasq; uires Ro. exercitus amiſit. Viriatus trabeas, faſces, cæteraq; inſignia Romana, in mõtibus trophæũ præfixit. Eodẽ tpe trecẽti Luſitani cũ mille Ro. in quodam ſaltu cõtraxere pugnã, in qua LXX Luſitanos, Romanos aũt trecẽtos uiginti interfectos Claudius refert. Cũ uictores Luſitani ſparſi ac ſecuri abirent, unus ex his lõge à cæteris ſegregatus, cũ circũfuſis equitib. pedes ipſe deprehẽſus, unius eorũ equo lancea perfoſſo, ipſius gladio ad unũ ictũ caput deſecuiſſet, ita omnes metu perculit, ut proſpectãtib. cũctis, ipſe liber atq; ocioſus abſcederet. Appio Claudio, Q. Cæcilio Metello coss. Ap. Claudius aduerſus Salaſſos Gallos egreſſus & uictus V M. militũ perdidit: Sequẽti pugna V M. hoſtiũ occidit. Sed cũ iuxta legẽ, qua cõſtitutũ erat, ut quiſquis V milia hoſtiũ peremiſſet, triũphãdi poteſtatẽ haberet: iſte quoq; triũphum expetiſſet, propter ſuperiora uero damna nõ impetraſſet, infami impudentia atq; ambitione uſus, è ſuis priuatis ſumptibus triũphauit. L. Cęcilio Metello. Q. Fabio Maximo Seruiliano coss. inter cætera prodigia Androgynus Romæ uiſus iuſſu aruſpicũ in mare merſus eſt. Sed nihil impiæ expiationis procuratio profecit. Nam tanta ſubitò peſtilẽtia orta eſt, ut miniſtri quoq; faciendorũ funerũ primũ nõ ſufficerent, deinde nõ eſſent. Iamq; etiã magnę domus uacuæ uiuis, plenæ mortuis remãſerũt. largiſſimę introrſum hæreditates, & nulli penitus hæredes. Deniq; iã nõ ſolũ in urbe uiuẽdi, ſed etiã appropinquãdi ad urbẽ negabat̃ facultas: Tã ſæui per totã urbẽ tabeſcẽtiũ ſub tectis atq; in ſtratis ſuis cadauerũ putores exhalabant̃. Expiatio illa crudelis, & uiã mortis hominũ, mortẽ hominis inſtruẽs, tandẽ Ro. inter miſerias ſuas erubeſcentib. q̃ miſera & uana eſſet innotuit. Ante ẽm in ſuffragiũ præueniẽdæ cladis eſt habita, & ſic peſtilẽtia cõſecuta eſt. Quę tamẽ ſine ullis ſacrificiorũ ſatisfactionibus tantũmodo ſecundũ menſurã arcani iudicij expleta correptione ſedata eſt. Quã ſi artifices illi circũuentionũ aruſpices ſub ipſa, ut aſſolet, declinatione morborũ forte celebraſſent, proculdubio ſibi, dijs, & ritib. ſuis reductæ ſanitatis gloriã uẽdicaſſent. Igit̃ Metellus cos. in Celtiberia cõtra Luſitanos & Viriatũ dimicãs, Bacciã oppidũ, q̃d Viriatus obſidebat, depulſis hoſtib. liberauit, & in deditionẽ cũ plurib. alijs caſtellis recepit. Fecit aũt facinus, etiã ultimis barbaris Scythiæ, non dicam Romanæ fidei & moderationi execrabile. Quingentis ẽm principibus eorum, quos ſocietate inuitatos deditionis iure ſuſceperat, manus præcidit.

C. Vetelius profligatus — *C. Plautius fugatus* — *Cl. Vnimanus exercitum amiſit* — *Luſitanorum uirtus* — *Ap. Claudius Q. Cecilius* — *II pugnæ cum Salaſsis* — *Claudius priuato ſumptu triumphat* — *L. Cecilius Q. Fabius* — *Androgynus* — *Ingens peſtilentia* — *Prodigiorum procuratores taxati* — *Baccia deditur* — *Metelli crudelitas*

Bellum

BELLVM NVMANTINVM



V. Pompeius cos. ſequentis anni fines Numantinorũ ingreſſus, accepta maxima clade diſceſſit, nõ ſolũ exercitu penè proſligato, uerũetiã plurimis nobiliũ qui eius militię aderãt interẽptis. Viriatus aũt cũ per XIIII annos Romanos duces atq; exercitũ ꝑtriuiſſet, inſidijs ſuorũ interfectus eſt: in hoc ſolo Romanis circa eũ fortiter agẽtibus, quod percuſſores eius indignos prȩmio iudicauerũt, dicẽtes, Romanis nunq̃ placuiſſe à ſuis militibus interfici imperatores. At ego nõ modo nunc, uerumetiã ſæpe intertexere orientis illa inextricabilia bella poterã, quæ raro unq̃ niſi ſceleribus aut incipiũt, aut etiã terminant. Romanorũ cũ quib. nobis actio eſt, tãta ſunt, ut iure faſtidiant aliena. Mithridates tũc ſiquidẽ rex Parthorũ ſextus ab Arſace, uicto Demetrij præfecto Babylonẽ urbẽ fineſq; eius uniuerſos uictor inuaſit. Omnes præterea gẽtes quæ inter Hydaſpen fluuiũ & Indũ iacẽt, ſubegit. Ad Indiã quoq; cruẽtũ extẽdit imperiũ. Demetriũ ipſum ſecũdo ſibi bello occurrentẽ uicit & cepit. Quo capto Diodotus quidã cum Alexãdro filio regnũ eius & regiũ nomẽ uſurpauit. Qui poſtea ipſum Alexãdrũ filiũ, quẽ participẽ ꝑiculi in peruadendo regno habuerat, ne in obtinẽdo cõſortẽ haberet occidit. M. Æmilio Lepido, C. Hoſtilio Mãcino coss. prodigia apparuere diuerſa, & quantũ in ipſis fuit, ex more curata ſunt. ſed nõ ſemꝑ aucupatorib. euẽtuũ & ſtructorib. fallaciarũ aruſpicib. opportuni caſus ſuffragant. Namq; Mãcinus cos. poſtq̃ à Põpeio apud Numantiã ſuſcepit exercitũ, adeo infeliciter prælia cũcta geſſit, atq; in id ſuprema deſperatione ꝑductus eſt, ut turpiſſimũ fœdus cũ Numãtinis facere cogeret: quãuis & Põpeius aliud æque infame fœdus cũ eiſdẽ Numãtinis paulo ante pepigiſſet. Senatus diſſolui fœdus, & Mãcinũ dedi Numãtinis prȩcepit. Qui nudato corpore, manibuſq; poſt tergũ reuinctis, ante portas Numãtinorũ expoſitus, ibiq; uſq; ad noctẽ ꝑmanẽs à ſuis deſertus, ab hoſtib. aũt nõ ſuſceptus, lachrymabile utriſq; ſpectaculũ præbuit. Is cõtra Numantinos bellũ acturus, Lauinijq; ſacrificaturus cũ eſſet, emiſit cauea pullarius pullos, qui in ſyluã euolauerũt, nec repti ſunt diu multũq; quȩſiti. Nauigaturus idẽ è portu Herculis, ſine autore uocis audiuit: Mãcine mane. Cũq; ſcaphã cõſcendiſſet, immẽſum anguẽ illic exhorruit. Trib. ꝓdigijs nũciata ſunt infelicia tria, pugna, fœdus, deditio. Interea Brutus in ulteriore Hiſpãia LX M. Galleciorũ, ꝙ Luſitanis auxilio uenerãt, aſperrimo bello & difficili, quãuis incautos circũueniſſet, oppreſſit. Quorũ in eo prȩlio XL milia occiſa, ſex M. capta referuntur, pauci fuga euaſerũt. In citeriore Hiſpania Lepidus Procos. Vacceos innoxiã gentẽ & ſupplicẽ, etiã ſenatu ꝓhibẽte, ꝑtinaciter expugnare tẽtauit, ſed mox accepta clade grauiſſima, imꝓbæ ꝑtinaciæ pœnas luit. Sex M. quippe Ro. in hoc iniuſto bello prius inuictiſs. cæſa ſunt, reliꝗ exuſtis caſtris, armis etiã ꝑditis euaſerũt. Nec minus turpis hæc ſub Metello clades, q̃ ſub Mancino fuit. Ser. Fuluio Flacco, Q. Calphurnio Piſone coss. Ro. puer ex ancilla natus, quadripes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus

Clades ad Numantiam

Viriati mors

Mithridatis Parthi uictoriæ

Demetrius rex

Diodotus

M. Aemilius

C. Hoſtilius

Hoſtilij dedecus

Prodigia

Galleciorum LX. M. à Bruto oppreſſa

Vacceorum uictoria

Ser. Fuluius

Q. Calphurnius

Prodigia

auribus totidem, natura uirili duplex. In Sicilia mons Ætna uastos ignes eructauit, ac fudit, qui torrentũ modo per prona pręcipites proxima quęq; corripiẽtibus exussere flãmis: longinquiora aũt fauillis calidis cum uapore graui late uolitãtibus torruerunt. Quod Siciliæ semper uernaculum genus monstri, non portendere malum assolet, sed inferre. In Bononiẽsi agro fruges in arboribus natæ sunt.

Bellum seruile

Igitur in Sicilia bellũ seruile ortum est, quod adeo atrox, & graue multitudine seruorum instructũ, magnitudine copiarum & uirium fuit, ut non dicã prætores Romanos, quos penitus profligauit, sed consules quoq; terruerit. Nam septuaginta milia seruorũ tunc in arma conspirantium fuisse referuntur, excepta urbe Messana, quæ seruos liberaliter habitos in pace continuit.

Meßanen. serui

Siciliæ miseria

Cæterum in hoc solo Sicilia miserior, quia insula, & nunq; erga pactum sui iuris idonea, nunc tyrãnis subiecta, nunc seruis, uel illis dominatu improbo exigẽtibus seruitutẽ, uel istis præsumptione peruersa commutantibus libertatem, maxime quia clausa undiq; mari, egerere foras non facile potest. Quæ intestinum malum uiperinã quoq; conceptionẽ perditionis suæ aluit, sua libidine auctã, sua morte uicturã. In hoc aũt seruilis tumultus excitatio, quanto rarior extat cæteris, tanto truculentior est, quia qua intentione cõmouetur libera multitudo, ut patriã augeat, ea seruilis ut perdat.

Anno ab urbe cond. DCXX. cum maior pene infamia, facta de fœdere apud Numantiam facto q; apud Caudinas quondam furculas, pudorẽ Romanæ frõtis oneraret, Scipio Africanus consensu omniũ secundo consul creatus, atq; ad oppugnandã Numantiã cum exercitu missus est.

Numantia ubi

Numantia aũt citerioris Hispaniæ haud procul à Vacceis & Cantabris in capite Galleciæ sita, ultima Celtiberorũ fuit. Hæc per annos quatuordecim cum solis quatuor milibus suorũ, quadraginta milia Romanorum non solum sustinuit, sed etiam uicit, pudendisq; fœderibus affecit.

Numantinorum uirtus

Post tantã igitur ignominiã, qua à Numantinis Romani exercitus bis fuerãt subiugati, P. Scipio Africanus ad expugnandã, ut diximus, Numantiã missus est. In Hispaniam ingressus, nõ se ilico ingessit hostibus, ut quasi incautos circũueniret, sciens nunq; id genus hominũ adeo in ocio torpere atq; animo resolutũ, ut non ipsa qualitate habitudinis suæ apparatus aliorum præcelleret.

Scipionis disciplina

Sed aliquãdiu militẽ suum uitiosum & ignauum exercendo magis quàm puniendo sine aliqua acerbitate in castris, uelut in scholis exercuit. Deinde omnia quæ uoluptatis causa haberentur in castris, seuero submoueri iussit edicto. Deniq; scortorũ duo milia cum lixis è procinctu loci eius eiecta sunt. Tantumq; subito sub districto duce profecit exercitus, ut Numantiam diu perniciosissimam Romani breui solo exæquarent. Igitur cum partem æstatis, totamq; hyemẽ, ne adepta quidẽ pugna transegisset, sic quoq; parum propemodũ hæc profecit industria. Namq; ubi copia pugnandi facta est, exercitus Romanus oppressus impetu Numantinorum, terga conuertit. Sed increpatione & minis obiectantis se consulis,

manuq;

manuq́ retinentis, tandem indignatus in hostem rediit, & quem fugiebat, fugere compulit. Difficilis tũc in relatu fides, Numantinos fugere, & fugientes uidere Romani. Vnde quamuis Scipio, quia præter spem acciderat, lætatus & gloriatus esset, tamen ultra bellum aduersus eos audendum non esse professus est. Itaq; urbem obsidione conclusit, fossa etiam circumdedit, cuius latitudo pedibus decem, altitudo uiginti pedum fuit. Ipsum denique uallum sudibus præstructum, crebris turribus communiuit. Numantia autem in tumulo sita, haud procul à flumine Durio, tria milia passuũ ambitu muri amplexabatur, quamuis aliqui asserant, eam & paruo situ & sine muro fuisse. Vnde credibile est, quia hoc spaciũ cura alendorum custodiendorumq́ pecorum, uel etiam exercendi ruris commodo, cum Romano bello premerentur incluserint, ipsi arcem paruam natura munitã obtinentes: alioquin paucitatem hominum tam amplum muri spaciũ non munire magis quàm prodere potius uidebatur. Igitur conclusione diu Numantini & fame trucidati, deditionẽ sui obtulerunt, si tolerabilia iuberentur. Sæpe enim orantes iustæ pugnæ facultatem, ut tanquam uiris mori liceret: ultimè omnes subito duabus portis erumpunt, larga prius potione usi: non uini, cuius ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo cæliam uocant. Suscitatur enim ignea uis illa germinis madefactæ frugis, ac deinde siccatur: & post in farinam redacta molli succo admiscetur: quo fermento sapor austeritatis, & calor ebrietatis adiicitur. Hac igitur potione post longã famẽ recalescentes, bello sese obtulerunt. Atrox diu certamẽ, & usq; ad periculũ Romanorũ fuit. Iterumq́ Romani pugnare se aduersum Numãtinos fugiẽdo probauissent, nisi sub Scipiõe pugnassent. Numantini interfectis suorum fortissimis, bello recedũt, compositis tamen ordinibus, nec sicut fugientes reuertuntur in urbẽ. Corpora interfectorum ad sepulturam oblata accipere noluerunt. Nouissima spe desperationis in mortem omnes destinati, clausam urbem ipsi introrsum succenderunt, cunctiq́ pariter ferro, ueneno atq; igne consumpti sunt. Romani nihil ex his penitus habuere uictis, præter securitatem suã. Neq; euersa Numantia, uicisse se magis Numantinos, q̃ euasisse dixere. Vnũ Numantinũ uictoris catena non tenuit, unde triumphum uiderit Roma, quicquid suppellectilis fuit ignis absumpsit. Igitur ea tempestate, cum hæc apud Numantiam gesta sunt, apud Romam Gracchorum seditiones agitabantur. Tunc Scipio Tyresium quendam Celticum principem cõsuluit, qua de causa Numantia prius inuicta durasset, & post euersa fuisset. Tyresius respõdit: Concordia uictoriam, discordia excidium præbuit. Quod Romani tanquã sibi ac de se dictum exempli loco acceperunt. Quippe quibus de seditionibus discordantis totius urbis nuntiabatur. Hac tempestate apud Iudæos occiso Iuda Machabæo, frater eius Ionathas pontifex habetur. Tunc etiam claruit apud Brundusiũ Pacuuius Tragœdiarũ scriptor. Igitur Scipio multas

Prælium anceps

Numantiæ situs & obsidio

Cælia quid

Numantinorũ eruptio

Numantini se cũ urbe incendio perdunt

Tyresij dictũ

Ionathas põt.

Pacuuius

Hispania perdomita

Hispaniæ ciuitates, partim cepit, partim in deditionẽ accepit. Numantiam à solo euertit, reliquam prouinciam in fidem accepit. Eodem tempore Attalus rex Syriæ, frater Eumenis, mortuus est, hæredemq́ populũ Romanum reliquit. Ita Romano imperio per testamentum Asia accessit. Igitur Carthagine Numãtiaq́ deleta, oritur apud Romanos utilis de prouisione collatio, & oritur infamis de ambitione contentio. Gracchus Tr. pl. iratus nobilitati, quod inter autores Numantini fœderis notatus esset, agrum à priuatis eatenus possessum, populo diuidi statuit. Octauio Trib. pl. obsistenti ademit imperium, & successorem Minutium dedit. His causis Senatũ ira, populum superbia inuasit. Gracchus gratiam populi appetens, inuidam legem tulit, uti pecunia quæ fuisset Attali, populo distribueretur. Obsistente Nasica, etiam Pompeius spopondit se Gracchum, cum primum magistratu abisset, accusaturum. Gracchus cum niteretur ut ipse Trib. pl. subsequenti anno permaneret, pullarium domi consuluit, & ab eo ire in campum prohibitus est. Sed cum pertinaciter pergeret, sic illisit mox extra ianuam pedem, ut eius excideretur articulus. Deinde prodeunti ei tres corui cum uocibus aduersis inuolauerunt, & compugnantes, tegulam ante pedes eius deiecerunt. Cumq́ in Capitolio consuleret, similia auspicia audiuit. Et cum comitiorum die seditiones populi accenderet, autore Nasica inflammata nobilitas, fragmentis subselliorum plebem fugauit. Gracchus per gradus qui sunt super Calphurniũ fornicem, detracto amiculo fugiens, ictus fragmento subsellij corruit: rursusq́ assurgens, alio ictu claui cerebro impacti exanimatus est. Ducenti præterea in ea seditione interfecti, eorumq́ corpora in Tiberim proiecta sunt. Ipsius quoq; Gracchi inhumatũ cadauer extabuit.

Attalus hæredem P. R. reliquit

Gracchi Tr. pl. seditio ob legẽ agrariã

Octauius Minutius

Gracchi cædes

Seruorum motus

Interea orta in Sicilia belli seruilis contagio, multas late infecit prouincias. Nam & Minturnis quadringenti quinquaginta serui in crucem acti: & Sinuessæ ad septem milia seruorũ à Q. Metello, & Cn. Seruilio Cepione oppressi sunt. In Metallis quoq; Atheniensiũ idẽ tumultus seruilis ab Heraclito Prætore discussus est. Apud Delon etiam serui nouo motu intumescentes oppidanis præuenientibus pressi sunt: absq; illo primo Siciliensis mali fomite, à quo iste uelut scintillæ micantes, diuersa hæc incendia seminauerunt. In Sicilia enim post Fuluium Consulem Piso consul Mamertium oppidum expugnauit, ubi octo milia fugitiuorũ interfecit, quos autem capere potuit patibulo affixit. Cui cũ Rutilius Cos. successisset, idem quoque Taurominium & Ennam firmissima fugitiuorũ refugia bello recepit: amplius q̃ uiginti milia tunc seruorum trucidata referuntur. Misera profecto talis belli, & inextricabilis causa pereundi utiq; dominis erat, nisi insolescentibus seruis ferro obuiam iretur. Sed tamen in ipsis quoq; infelicissimis damnis pugnæ, & infelicioribus lucris uictoriæ, quanti periere uicti, tantum perdidere uictores. Anno ab Vrbe condita D C. X X I I. Motum interim in Asia bellum est ab Aristonico Eumenis filio, qui ex concubina susceptus

Piso Mamertium expugnat

Taurominiũ & Enna recipiuntur

Aristonicus

ptus fuerat. Ipse Eumenes frater Attali fuerat. Missus est aduersus eũ cum instructissimo exercitu P. Licinius Crassus Cos. & Pontifex Max. habens insuper infinita regũ auxilia. Nam & Bithyniæ rex Nicomedes Romanos iuuit, & Mithridates rex Ponti & Armeniæ, cum quo bellũ postea grauissimum fuit, & Ariarates Cappadox, & Pylemenes Paphlagon. eorũq; maximis copijs adiutus, conserto tamen bello uictus est Crassus, & cum exercitu post plurimã cędem in fugam acto ipse ab hostibus captus est: qui magis mori eligens, q̃ à barbaro abduci, uirgam qua equum agitabat, in oculum se tenentis iniecit. Barbarus autem cum ira & dolore exarsisset, latus Crassi gladio transuerberauit. Ita ille excogitato genere mortis, effugit cum dedecore seruitutẽ. Caput eius ab Aristonico sublatum, corpus Smyrnæ sepultum est. Iste tam cito Græce in castrensibus expeditionibus studuit, ut socijs Aristonici Græce omni parte illius linguæ sine interprete respõderet.

Reges auxiliares Romano.

Crassus profligatus & captus

Postea Perpenna Cos. Romanus, qui Crasso successor ueniebat, audita belli fortuna ad Asiam properauit. Aristonicũ recenti uictoria feriatũ, improuiso bello adortus, nudatũq; omnibus copijs in fugã conuertit. Cumq; Stratonicem urbem, ad quã ille confugerat, obsidione cinxisset, trucidatum fame ad deditionem coegit. Aristonicus iussu Senatus in carcere strangulatus est. Triumphari enim de eo nõ poterat, quia Perpenna Cos. apud Pergamum Romam rediens diem obierat. Eodem anno Ptolemæi Alexandrinorum regis misera uita miseriorem uitę exitũ dedit. Is enim sororem suam stupro cognitam, ac deinde in matrimoniũ assumptã, nouissime turpius q̃ duxit, abiecit. Priuignam uero suam, hoc est, filiã sororis & coniugis, coniugem asciuit: filium suum quem ex sorore susceperat, nec non & filium fratris occidit. Quã ob rem tantis incestis parricidijsq; execrabilis ab Alexandrinis regno pulsus est. Iisdem temporibus Antiochus non contentus Babylonia atq; Egbathana, totiusq; Mediæ imperio, aduersus Phrahatem Parthorum Regem congressus & uictus est: qui cum in exercitu suo centum milia armatorum habere uideretur, ducenta milia amplius Calonum atq; Lixarum immixta scortis & histrionibus trahebat. Itaque facile cum uniuerso exercitu suo Parthorum uiribus oppressus interijt. C. Sempronio Tuditano, & M. Acilio Coss. P. Scipionem Africanum pridie pro contione de periculo salutis suæ contestatum, quod sibi pro patria laboranti ab improbis & ingratis denũtiari cognouisset, alio die mane exanimem in cubiculo suo repertum, non temere inter maxima Romanorum mala recensuerim: præsertim cum tantum in ea urbe Africani uigor & modestia ualeret, ut facile uiuo eo neque sociale neque ciuile bellum posse existere crederetur. Hunc quidam uxoris suæ Semproniæ, Gracchorum autem sororis, dolo necatum ferunt, ne scelerata, ut credo, familia, ad perniciem patriæ suæ nata, inter impias seditiones uirorum, non etiam facinoribus mulierũ esset immanior. Causa autem interitus eius hæc fuit. C. Carbo Tribun. pl.

Perpennæ uictoria

Aristonicus strangulatus

Ptolemæi scelera

Antiochus à Phrahate cũ exercitu oppreßus

C. Sẽpronius M. Attilius

Africani minoris mors

C. Carbo Tr.

cupiens necem uindicare Gracchorum, & excitare seditionem sopitam, P. Scipionem Africanum eruta Numantia reuertentem in cõcione interrogauit, quid de Gracchi morte sentiret. Cui Africanus iure cæsum uideri dixit. M. Æmilio, L. Oreste Coss. Ætna uasto tremore concussa exundauit igneis globis. Rursusq́ alia die Lipare insula & uicinum circa eam mare intantum efferbuit, ut adustas quoq; rupes dissoluerit, tabulata nauium liquefactis ceris extorruerit, exanimatos pisces supernatantesq́ excoxerit. Homines quoq; nisi qui longius potuere diffugere, reciprocato anhelitu calidi aëris adustis introrsum uitalibus suffocabat. M. Plautio Hypseo, M. Fuluio Flacco Coss. uix dum Africa à bellorum excidijs quiescēte, horribilis & inusitata perditio consecuta est. Nam cum per totam Africam immensæ locustarum multitudines conualuissent, & non modo iam cunctam spem frugum abrasissent, herbasq́ omnes cum parte radicum, folia arborum cum teneritudine ramorum consumpsissent, uerum etiam amaras cortices, atq; arida ligna præroderent, repentino arreptæ uento, atq; in globos coactæ, portatæq́ diu per aërem Africano pelago immersę sunt. Harũ cum immensos aceruos longe undis urgentibus fluctus per extenta late littora propulissent, tetrum nimis, atq; ultra opinionem pestiferum odorē tabida, & putrefacta congeries exhalauit. Vnde omnium pariter animantum tanta pestilentia consecuta est, ut auium, pecudum, ac bestiarum corruptione aëris dissolutarum putrefacta passim cadauera uitium corruptionis augerēt. At uero quãta fuerit hominum lues, ego ipse dum refero, toto corpore perhorresco. Siquidem in Numidia, in qua tunc Micipsa rex erat, octingenta milia hominum: circa oram uero maritimam, quæ maxime Carthaginensi, atq; Vticensi littori adiacet, plusquam ducenta milia perisse traditum est. Apud ipsam uero Vticam ciuitatem triginta milia Romanorum militum, quæ ad præsidiũ totius Africæ ordinata fuerant, extincta atq; abrasa sunt. Quæ clades tam repentina ac tam uiolenta institit, ut tunc apud ipsam Vticam sub una die per unam portam ex illis iunioribus plusquam mille quingentos mortuos elatos fuisse narretur. Veruntamen pace & gratia omnipotentis Dei dixerim, de cuius misericordia, & in cuius fiducia hæc loquor, quamuis & temporibus nostris exoriantur aliquando, & hoc diuersis terræ partibus locustæ, & plerunq; etiam, sed tolerabiliter lædant, nunq́ tamen temporibus Christianis tanta uis inextricabilis mali accidit, ut pernicies locustarum, quæ nullo modo ferri uiua potuisset, mortua plus noceret: & quadiu uiuente perterrita erant omnia, ea perdita pereuntibus magis omnibus optãdum fuerit ne periret. Anno ab Vrbe cõdita DC.XXVII. L. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminio Coss. Carthago in Africa restitui iussa, uicesimo secundo demum anno, q̃ fuerat euersa, deductis ciuium Romanorum familijs, quæ eam incolerēt, restituta & repleta est, magno ante prodigio præcedente. Nam cum mensores ad limitandum Carthaginensem agrum

M. Aemilius
L. Orestes
Prodigium

M. Plautius
M. Fuluius

Locustarũ ingens uis

Pestilentia in Africa

Micipsa

L. Cæcilius
T. Quintius
Carthago instaurata

agrum missi, stipites terminorum indices fixos nocte à lupis reuulsos mordicus, corrososq; reperissent, aliquandiu hæsitatum est, utrum Romanæ paci expediret Carthaginem reformari. Eodem anno Gracchus, Gracchi illius qui iam occisus in seditione fuerat frater, Tribunuspl. per tumultum creatus, magna Reip. pernicies fuit. Nam cum sæpe populum Romanum largitionibus promissisq; nimijs in acerbissimas seditiones excitauisset, maxime Legis agrariæ causa, pro qua etiam frater eius Gracchus fuerat occisus, tandem à Tribunatu Minutio successore decessit. Minutius Tribunuspl. quum maxima ex parte decessoris sui Gracchi statuta conuulsisset, legesq; abrogasset, Gracchus cum Fuluio Flacco ingenti stipatus agmine, Capitolium, ubi contio agitabatur ascēdit. Ibi maximo tumultu excitato, quidam præco à Gracchianis interfectus, uelut signum belli fuit. Flaccus duobus filijs armatis cinctus, comitante etiam Graccho togato, breuemq; gladium sub sinistra occultante, quamuis & præconem frustra præmisisset, qui seruos ad libertatem uocaret, Dianium tanquā arcem occupauit. Econtra Decius Brutus, uir consularis, cum C. Publio cum ingenti certamine irruit, ibiq; Flaccus diu obstinatissime dimicauit. Gracchus uero postquam in templum Mineruæ secesserat, gladio incumbere uolens, interuentu Lectorij retentus est. Itaq; cum diu anceps bellum agitaretur, tandem sagittarij ab Opimio missi, confertam multitudinem disturbauerunt. Duo Flacci pater filiusq; cum ex æde Lunæ in priuatam quandam domum desiluissent, foresq; obiecissent, rescisso craticeo pariete confossi sunt. Gracchus diu pro se amicis pugnantibus ac pereuntibus, ægre ad pontem Sublicium peruenit: ibiq; ne uiuus caperetur, ceruicem seruo suo præbuit. Caput Gracchi excisum Consuli allatum est, corpus ad Corneliam matrem Misenum oppidum deuectum est. Hæc autem Cornelia Africani maioris filia, Misenum, ut dixi, prioris filij morte secesserat. Bona Gracchi publicata sunt. Flaccus adolescens in robore necatus est. Ex factione Gracchi ducenti quinquaginta in Auentino monte cæsi fuisse referūtur. Opimius Cos. sicut in bello fortis fuit, ita in quæstione crudelis. Nam amplius quàm tria milia hominum supplicijs necauit. Ex quibus plurimi nec dicta quidem causa innocētes interfecti sunt. Iisdem temporibus Metellus Baleares insulas bello peruagatus edomuit, & piraticam infestationem, quæ ab eisdem tunc exoriebatur, plurima incolarum cæde compressit. Cn. quoq; Domitius Procos. Allobrogas Gallos iuxta oppidū Vindalium grauissimo bello uicit, maxime cum elephantorum noua forma equi hostium hostesq; conterriti diffugissent. Viginti milia ibi Allobrogum cæsa referuntur, tria milia capta sunt. Eodem tempore Ætna mons ultra solitum exarsit, & torrentibus igneis superfusis, lateq; circumfluentibus Catinam urbem finesq; eius oppressit, ita ut tecta ædium calidis cineribus præusta & prægrauata corruerent: cuius leuandæ cladis causa Senatus decem annorum uectigalia Catinensibus remisit.

Seditio

Flaccorum cædes

C. Gracchi cædes

Opimij crudelitas

Baleares domiti

Allobroges à Cn. Domitio graui pugna uicti

Catinæ clades

Bituitus

Anno ab Vrbe condita DC.XXVIII, Fabius Cos. Bituito regi Aruernorum Galliæ ciuitatis bellũ maximo instructu comparanti adeo cum paruo exercitu occurrit, ut Bituitus paucitatem Romanorum uix ad escam canibus quos in agmine habebat, sufficere posse iactaret. Qui cum sibi ad transferendas copias unum pontem Rhodani fluminis parum esse intelligeret, alium compactis lintribus catenisq́ connexum, superstratis confixisq́ tabulis instruxit. Conserta pugna & diu grauiter agitata, uicti Galli conuersiq́ in fugam, dum sibi quisq́ timet, coaceruatis inconsulte agminibus præpropero transitu pontis uincula ruperunt, ac mox cum ipsis lintribus mersi sunt. Centum quinquaginta octo milia armatorum in exercitu Bituiti fuisse traduntur, ex quibus centum quinquaginta milia uel cæsa uel mersa sunt. Q. Martius Cos. Gallorum gentem sub radice Alpium sitam, bello aggressus est. Qui quum se Romanis copijs circumseptos uiderent, belloq́ impares fore intelligerent, occisis coniugibus ac liberis in flammas sese proiecerunt. Qui uero præoccupātibus Romanis peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captiq́ fuerant, alij ferro, alij suspendio, alij abnegato sibi cibo sese consumpserunt, nullusq́ omnino uel paruulus superfuit qui conditionem seruitutis uitæ amore toleraret. & Narbone colonia deducta est Romana, & de his triumphatũ est. Anno ab Vrbe condita DC.XXXV. C. Cato Cos. Scordiscis bellum intulit, ignominioseq́ pugnatum. C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone Coss. duo Metelli fratres eodem die unum ex Thracia, alterum ex Sardinia triumphum egerunt.

Fabius Cos. Aruernos maxima clade afficit

Q. Martius Cos.

Galli subalpini semetipsi perimunt

Narbo colonia

Scordisci

C. Metellus

Cn. Carbo

BELLVM IVGVRTHINVM

P. Nasica

L. Bestia

Iugurtha

Hiempsal

Adherbal

PVBLIO Scipione Nasica, & L. Calphurnio Bestia Coss. Iugurthæ Numidarũ regi bellũ consensu populi Ro. Senatus indixit. Igitur Iugurtha Micipsæ Numidarum regis adoptiuus hæres inter naturales eius filios factus, primum cohæredes suos, Hiempsalem occidit, Adherbalem bello uictum ab Africa expulit. Deinde Calphurniũ Bestiam Cos. aduersum se missum pecunia corrupit, atque ad turpissimas conditiones pacis adduxit, quæ à Senatu improbata est. Præterea cum ipse Romam uenisset, omnibus pecunia corruptis, aut attentatis, ad seditiones dissensionesq́ male permiscuit. Quam cum egrederetur, infami satis notauit elogio dicens, O VRBEM VENALEM, & mature perituram si emptorem inueniret. Insequenti anno Sp. Posthumium Albinum Posthumij alterius Cos. fratrem, quem is quadraginta milium armatorum exercitui præfecerat, apud Calamam urbem thesauris regis ibi conditis inhiantē bello oppressit. Cui uicto ignominiosum fœdus exegit, & uniuersam penè Africam à Romanis deficientem regno suo iunxit. Postea missus Q. Cæcilius Metellus Cos. Is exercitum ingēti seueritate & moderatione correctum, cum nihil in quenquam cruente faceret, ad disciplinam Romanam reduxit. Iugurtham duobus prælijs uicit, elephantes eius occidit uel cepit

Iugurthæ dictum

Sp. Albinus à Iugurtha uictus

Q. Metellus Cos. in Africā

cepit, multas ciuitates eius euertit. Et cū iam uidit se præsente uastari Numidiam suā, & non posse defendi, ab eo ad deditionē coactus, trecentos obsides dedit, insuper frumentū atq; alios cōmeatus persoluturū se spopondit, tria milia amplius perfugarū reddidit. Exinde cum incertus in pace improbos nō prohiberet excursus, C. Marij Cos. qui nō minore penè q̄ ipse prǣditus erat astutia, Romanisq; uiribus fractus est, maxime postq; Marius urbē Capsam ab Hercule Phœnice, ut ferūt, conditā, regijs thesauris cōfertissimā, dolo circūuenit & cepit. Diffidens deinde proprijs rebus & uiribus Iugurtha societatē cū Boccho Maurorū rege fecit, cuius equitatu in immensum auctus Marianū exercitū creberrimis incursionibus fatigauit. Postremo apud Cirtā urbē antiquā Masinissæ regiā aduersum Romanos expugnationē eius parātes, sexaginta milibus equitū instructus occurrit. Nunq; ulla Romano militi tumultuosior pugna, & terribilior fuit, adeo ut discursu & fremitu circumcursantiū & impetentiū equitū, suscitatus puluis cœlū obtexerit, diē ademerit, noctemq; obduxerit: tantus autē telorū nimbus ingruerit, ut nulla pars corporis ab ictu tuta esset. Quippe quibus & uisus ad prospiciendum, impedimēto caliginis: & expeditio ad cauendū, compressione multitudinis, deerat. Nec laborabat eques Maurus ac Numida, ut bene collocatum hostem opportuno teli impetu rimaretur, sed potius in incertum tela mittebāt, certi quod uulnera incerta nō essent: ita coacti in unum Romani equites, in unum pedites densabantur. Intercapedinem tanti periculi nox interueniens præliū diremit. Eadem postera die & belli & periculi facie erupere in hostē, q̄uis stricto miles gladio ferire non ualebat, eminus iaculo repellebat, fugere nō poterat, undiq; enim uelocior ad persequendū eques incluserat. Iam tertia dies, & nullū undecunq; suffragiū, dira undiq; mortis facies obijciebatur. Tandem Marius Cos. forti desperatione spei uiam fecit, uniuerso simul agmine prorupit è uallo, campoq; se simul & prǣlio dedit. Et cum iterū circumfusi hostes, nō solū agminis extrema laniarēt, uerum etiā media excussis telis procul cǣderēt, turbatosq; Romanos, insuper etiā æstus solis, intolerantia sitis, mortis circūstantia, usq; ad extremū desperationis defatigaret, subito notū illud Romanorū aduersus Afros tempestatum imbriumq; suffragiū cœlo missum insperatæ saluti fuit. Siquidē repentina pluuia sitientibus Romanis & æstuantibus refrigeriū potūq; præbuit. Porrò aūt Numidis hastilia telorū, quæ manu intorquere sine amentis solent, lubrica, ac per hoc inutilia reddidit. Scuta etiā, quǣ elephāti corio extento atq; durato habilia & tuta gestabāt, cuius ea natura est, ut acceptū imbrē tanq̄ spōgia ebibat, ac per hoc intractabile repētino pōdere fiat, quia circūferri nō poterāt, defendere nequiuerūt. Ita ex insperato conturbatis, destitutisq; Mauris ac Numidis, Bocchus & Iugurtha fugerunt. Post hoc nonaginta milia armatorum nouissimo bello ab ijsdem regibus sunt obiecta. Hæc quoq; usque ad internitionem uincentibus Romanis cæsa referuntur.

Iugurtha à Metello uictus

C. Marius Cos.

Capsa capta

Bocchus

Cirta regia

Præliū atrocissimum

Romani beneficio hymbrium seruati.

XC. M. hostium uno prælio cæsa

Iugurtha captus
Cimbri à Syllano uicti

Ex hoc Bocchus spem belli abijciens, pacẽ petiuit, atq; in precium pacis Iugurtham dolo captũ, catenisq; obrutũ per Corneliũ Syllã quæstorẽ legatum Marij misit ad Marium. Interea nuntiatũ est Romæ Cimbros è Gallia in Italiam transire meditari, qui à M. Iunio Syllano Cos. collega Q. Metelli, in Gallia uicti sunt. Ipso eodemq; rursus tempore etiã à Minutio Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi, & à Seruilio Cepione in Hispania Lusitani uicti sunt, & duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, secundus per Marium, acti sunt. Ante currum tamen Marij in triumphum Iugurtha cum duobus filijs ductus est catenatus, & mox iussu Coss. in carcere strangulatus est. His diebus apud Hierosolymam Ioannes dux Iudæorum & pontifex extitit, qui ab eo quod Hircanos bello uicerat Hircani nomen accepit. Per id etiam tempus Cicero Arpini nascitur, ex matre Eluia, patre equestris ordinis, ex regio Volscorum genere. Eodemq; tempore obscœnum prodigiũ ac triste uisum est. L. Cluuius eques Romanus cum uxore & filia de Roma in Apuliam rediens, tempestate correptus, cum filiam consternatam uideret, ut citius propioribus tectis succederet relictis uehiculis, arreptisq; equis, filiam uirginem equo insidentẽ in medium agmen accepit. Puella continuo ictu fulminis exanimata est: sed omnibus sine scissura aliqua uestimentis ademptis, ac pectoris pedumq; uinculis dissolutis, monilibus etiam anulisq; discussis, ipso quoq; corpore illæso, nisi quod obscœnum in modum nuda, & lingua paululum exerta iacuit. Equus quoq; ipse quo utebatur, straturis frenis & cingulis dissolutis, phaleris quoq; scissis passim ac dispersis, exanimus procul iacuit. Paruoq; post temporis intercessu, L. Veturius eques Romanus Æmiliam uirginem uestalem furtiuo stupro polluit. Duas præterea uirgines uestales eadẽ Æmilia ad participationem incesti sollicitatas contubernalibus sui corruptoris exposuit ac tradidit. Indicio per seruum facto supplicium de omnibus sumptum est. Iisdem prætere a Iugurthini belli temporibus L. Cassius Cos. in Gallia Tygurinos usq; oceanum persequutus est. Rursusq; ab eisdem insidijs circumuentus, occisus est. L. quoq; Piso legatus Cassij Cos. uir consularis occisus est. C. Publius alter legatus ne residua exercitus portio, quæ in castra confugerat, deleretur, obsides & dimidiam partem omnium rerum Tygurinis firmissimo fœdere dedit. Qui Romam reuersus à Cælio Tribunopl. die dicta, eo quod Tygurinis obsides dederat, in exiliũ profugit. Cepio Procos. è capta urbe Gallorum, cui nomen est Tolosa, centum milia pondo auri, & argenti centum decem milia, è templo Apollinis sustulit. Quod cũ ad Massiliam amicam populi Romani urbem cum præsidijs misisset, interfectis clàm, sicut quidam contestantur, quibus ea custodienda & peruehenda commiserat, cuncta per scelus furatus fuisse narratur: unde etiam magna quæstio post Romæ acta est.

Scordisci & Lusitani uicti
Io. Hircanus
Cicero nascitur
Prodigium
Suppliciũ de III. uestalibus sumptum
Cassius Cos. à Tygurinis cæsus
Tolosanum aurum

De Ge-

DE GESTIS ROMANORVM LIB. V

BELLVM CIMBRICVM



Dvm bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, anno ab Vrbe cond. DCXLII. M. Manlius Cos. & Q. Cepio Procõsul, aduersum Cimbros & Teutonas, & Tygurinos & Ambronas, Gallorũ Germanorumq́ gentes, quæ tum imperium Romanum extinguere conspirauerant, missi, prouincias sibi Rhodano flumine medio diuiserunt. Vbi dum inter se grauissima inuidia & cõtentione discordant, cum magna ignominia & periculo Romani nominis uicti sunt. Siquidẽ in ea pugna M. Manlius Cos. captus atque interfectus est, duoq́ filij eius cæsi: octoginta milia Romanorum sociorumq́ ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atq́ lixarum interfecta Antias scribit. Ita ex omni penitus exercitu decem tantum homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur. Hostes binis castris atq́ ingenti præda potiti, noua quadam atq́ insolita execratione, cuncta quæ ceperãt, pessundederunt. Vestes scissæ, aurum argentumq́ in flumen abiectũ, loricæ uirorum concisæ, phaleræ equorũ dispersæ, equi ipsi gurgitibus immersi, homines laqueis in collo inditis, ex arboribus suspensi sunt: ita ut nihil prædæ uictor, nihil misericordiæ uictus, cognosceret. Maximus tunc Romæ nõ solum luctus, uerũ etiã metus fuit, quantus uix Hannibalis tempore punicis bellis, ne cõfestim Cimbri alpes transgrederẽtur, Italiamq́ delerẽt. Iisdem temporibus Q. Fabius Maximus filiũ suum adolescentẽ rure relegatũ cum duobus seruis parricidij ministris interfecit, ipsosq́ cõtinuo seruos in pretium sceleris manumisit. Die dicta Cn. Pompeio accusante damnatus est. Igitur Marius post uictoriã Iugurthinã, secundo Cos. est factus, bellumq́ ei contra Cimbros & Teutones decretum est. Tertio quoq́ ei & quarto delatus est cõsulatus, quia bellum Cimbricum protrahebatur. Sed in quarto Consulatu collegam habuit Q. Lutacium Catulũ, & cum iuxta Isaræ Rhodaniq́ flumina, ubi in sese cõfluunt, castra posuissent, Teutones, Cimbri, & Tygurini, & Ambrones, postq́ cõtinuo triduo circa Romanorũ castra pugnarũt, si quo pacto eos excuterẽt uallo, atq́ in æquor effunderẽt, tribus agminibus Italiã petere destinarunt. Marius post digressum hostiũ castra mouit, & collem occupauit, qui campo & fluuio, ubi hostes sese diffuderãt, imminebat. Cumq́ exercitui eius aquæ ad potandũ deessent, querelisq́ omniũ coargueretur, aquã quidẽ in conspectu esse respondit, sed eam ferro uindicandã. Primis itaq́ calonibus cum clamore in pugnã ruentibus, subsecutus exercitus, mox iusto certamine cõpositis ordinibus bellũ gestũ est, &

M. Manlius Cos. cũ exercitu cæsus

Fabius parricidij dãnatus

C. Marius

Q. Lutacius

Castra Ro. oppugnata

uicere Romani. Quarto die rursus productæ utrinq; acies in campum, usq; ad meridiemq; penè simili pugnauere discrimine. Post ubi incalescente die fluxa Gallorũ corpora, in modũ niuiũ tabuerũt, usq; in noctẽ cædes potius q̃ pugna protracta est. Ducenta milia armatorũ Gallorũ in eo bello interfecta sunt, octoginta milia capta, uix tria milia fugisse referũtur. Dux quoque eorũ Theutobodus occisus est. Mulieres eorũ constantiore animo q̃ si uicissent, consuluere Cos. ut si inuiolata castitate uirginibus, sacrisq; dijs seruiendũ esset, uitã sibi reseruarẽt. Itaq; cum petita nõ impetrauissent, paruulis suis ad saxa collisis, cunctę sese ferro ac suspendio peremerũt. Hæc de Tygurinis & Ambronibus gesta sunt. Teutones aũt & Cimbri integris copijs alpiũ niues emensi, Italiæ plana peruaserũt: quorũ adeo feritas erat, læti perire in bello, in morbo cũ lamentis, amisso duce uiuere illicitũ eis uidebatur. Igitur cum plana Italiæ peruasissent, & ibi cũ rigidũ genus diu blandioribus auris, poculis, cibis ac lauacris emolliret, Marius V Cos. & Q. Catulus aduersus eos missi sunt. Die ad pugnã & cãpo dato, Hannibalis secuti ingeniũ in nebula disposuere pugnã, in sole pugnarunt. Prima siquidẽ perturbatio Gallorũ fuit, q; Romanã aciẽ prius offendêre dispositã q̃ adesse senserint: cũq; illico uulnerati equites retro in suos cogerent, totamq; multitudinẽ indisposite adhuc aduentantẽ cõturbarẽt, & sol cũ uento ortus emicuisset, ex aduerso uisus eorũ puluis oppleuit, & splẽdor hebetauit. Ita factũ est, ut tãta ac tam terribilis multitudo, minima Romanorũ clade, sua aũt ultima internitione cæderet. C X L milia eorũ tũc in bello cæsa, X L milia capta dicũtur: Romani milites ex utroq; exercitu trecenti periere. Tria & triginta Cimbris signa sublata sunt: ex his exercitus Marij duo reportauit, Catuli exercitus X X X I. Sed ab eorũ mulieribus grauiorẽ penè, q̃ ab ipsis pugnã Romani experti sunt. Hæ etenim plaustris in modũ castrorũ dispositis, ipsæ desuper pugnãtes, diu obstitere Romanis. Sed cũ ab eis nouo cædis genere terrerentur: abscisis enim cũ crine uerticibus inhonesto satis uulnere turpes relinquebãtur: ferrũ quod in hostes sumpserãt, in se suosq; uertêre. Namq; quædã cõcursu mutuo iugulatæ, aliæ apprehensis inuicẽ faucibus strangulatę: aliæ funibus per equorum crura cõsertis, ipsisq; continuo equis extimulatis, postq; suas ijsdẽ funibus, quibus equorũ crura nexuerant indidere ceruices, protractæ atq; exanimatę sunt: alię laqueo de subrectis plaustrorũ temonibus pepẽdere. Inuenta est etiã quędã, quę duos filios traiectis per colla eorũ laqueis ad suos pedes uinxerit, & cũ seipsa suspendio moritura dimisisset, secũ traxerit occidẽdos. Inter hęc multa & miserabilia mortis genera, Reguli quoq; duo strictis in se gladijs cõcurrisse referunt. Lucius & Boiorix reges in acie ceciderũt. Clondicus & Cæsorix capti sunt. Ita in his duobus pręlijs C C C X L milia Gallorũ cęsa, & C X L milia capta sunt: absq; innumera multitudine mulierũ, q̃ se suosq; paruulos fœmineo furore, ui aũt uirili, necauerunt. Is belli finis fuit: triũphus utriq; decretus est.

Igitur

CC.M. hostiũ uno prælio cæsa
Theutobodus occisus
C. Marius
Q. Catulus
Cimbrorum internitio
Reges cæsi & capti

Igitur post talem Marij triumphum Romanamq; uictoriam incredibile facinus, & nunquā antea auditum uel cognitum Romę perpetratum est, quod uersum in horrorem, gaudium in tota urbe funestauit. P. Malleolus quidā seruis annitentibus matrem suā interfecit, damnatusq; parricidij, insutusq; in culeum, in mare proiectus est. Impleueruntq; Romani & facinus & pœnā: unde & Solon Atheniensis decernere nō ausus fuerat, dum fieri posse nō credidit: & Romani qui se ortos à Romulo scirent, etiam hoc fieri posse intelligentes, suppliciū singulare sanxerūt. Anno post Vrbē conditam, DC.XLV. post Cimbricū & Teutonicū bellū, & quintū Marij Consulatum quo status imperij Romani iure cōseruatus iudicatur, sexto consulatu eiusdem C. Marij ita labefactatus est, ut penè usq; ad extremū intestina clade conciderit. Euoluere ac percurrere discordiarum ambages, & inextricabiles seditionū causas incommodū simul ac longū uidetur. Sanè breuiter me dixisse sufficiat: quia primus L. Apuleius Saturninus excitati tumultus autor extiterit, Q. Metello Numidico, uiro sanè primario acerrimus inimicus, qui eum Censorē creatū protractum domo, atq; in Capitoliū fugientem, armata multitudine obsedit. Vnde Romanorū equitum indignatione deiectus est, plurima ante Capitoliū cæde facta. A. Numiū deinde cōpetitorem suum Saturninus & Glaucia fraude C. Marij Cos. occidère. Subsequenti anno Marius VI Cos. & Glaucia Prætor, & Saturninus Trib. pl. conspirauerūt Metellum Numidicū in exiliū quacunq; ui agere. Die dicta, suppositis eisdem iudicibus per scelus innocens Metellus damnatus, in exilium cū totius urbis dolore discessit. Idem Saturninus Memmium uirū acrem & integrum, fieri Cos. timēs, orta subito seditione fugientē per P. Metium satellitem informi stipite cōminutum interfecit. Frem ente pro tantis Reip. malis Senatu Populoq; Ro. Marius Cos. accommodato ad tempus ingenio cōsensui bonorū sese immiscuit, cōmotāq; plebē leni oratione sedauit. Saturninus infamibus ausibus cōtionē domi suæ habuit, ibiq; ab alijs rex, ab alijs imperator est appellatus. Marius manipulatim plebe cōscripta alium Cos. cum præsidijs in colle disposuit, ipse portas communiuit. in foro præliū cōmissum. Saturninus à Marianis foro pulsus, in Capitoliū cōfugit. Marius fistulas quibus eò aqua deducebatur incidit. Bellū deinde in atrio Capitolij horrendū satis actū est. Multi circa Saufeium & Saturninū cæsi. Saturninus palàm clamitans, Mariū esse autorē omniū molitionū suarum cōtestatus est. Cum autē ipse Saturninus & Saufeius & Labienus, cogente Mario in Curiam cōfugissent, per equites Romanos effractis foribus occisi sunt. C. Glaucia extractus de domo Claudij trucidatus est. Furius Tribunus pl. bona omnium publicanda decreuit. Cn. Dolobella Saturnini frater per forū olitorium fugiēs cum L. Geganio interfectus est. Itaq; autoribus tantæ seditionis occisis, quies populo fuit. Tunc Cato atq; Pompeius rogationem de reditu Metelli Numidici totius Vrbis gaudio promulgarunt, quæ ne

P. Malleolus in culeum insutus

L. Apuleius Saturninus

Seditio

Cædes Numij

Metelli exiliū

Memmij cædes

Prælium in foro

Saturninus et alij seditiosi cæsi

quæ ne perficeretur, Marij Cos. & Furij Tribuni pl. factionibus intercessum est. Rutilius uir integerrimus adeo fidei atq; innocētiæ cōstantia usus, ut die sibi ab accusatoribus dicta usq; ad cognitionem, neq; capillum barbamúe demiserit, neq; sordida ueste, humiliúe habitu suffragatores conciliarit, inimicos permulserit, iudices tentauerit, orationem quoq; à prætore concessam, nihilo summissiore animo habuerit: quum euidenti oppugnaretur calumnia, & opinione bonorum omnium iure absoluendus putaretur, periurio iudicum cōdemnatus est. Qui Smyrnam commigrans, literarum studijs contentus consenuit.

Rutilij fiducia

Exilium Rutilij

BELLVM SOCIALE

ANNO ab Vrbe condita DCXLIX Sex. Iulio Cæsare, & L. Martio Philippo Coss. cum prope alia omnia bella cessarent, intestinis causis sociale bellum totam commouit Italiā. Qui cum annis numerosis iam populo Romano obedirent, tum libertatem sibi æquā asserere cœperunt. perniciosum admodum hoc bellum fuit. Rutilius Cos. in eo occisus est, & Cepio nobilis iuuenis, ac Portius Cato alius Cos. Interea Liuius Drusus Trib. pl. Latinos omnes spe libertatis illectos, quum placitum explere non posset, in arma excitauit. Eò accessit, ut mœstam urbem prodigia dira terrerent. Nam sub ortu solis globus igneus à regione Septentrionis cum maximo fragore cœli emicuit. Apud Aretinos, cum panes in conuiuio frangerentur, cruor è medijs panibus, quasi è uulneribus corporum fluxit. Præterea per septem continuos dies grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis terram latissime uerberauit. In Samnitibus uastissimo terrę hiatu flamma prorupit, & usq; in cœlū extendi uisa est. Complures præterea in itinere uidere Romani, globum coloris aurei de cœlo ad terram deuolui, maioremq; factū rursus à terra oriente sole in sublime ferri, ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse. Drusus tantis malis anxius domi suæ incerto quidem autore interfectus est. Igitur Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Samnites, Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Seruium Prætorem legatum ad se missum apud Asculum occiderunt, statimq; clausa ciuitate omnes Romanos ciues indicta cæde iugularunt. Continuo atrocissimam perniciem infandissima præcessere prodigia. Namq; omnium generum animalia, quæ manus hominū blande perpeti, atq; inter homines uiuere solita erant, relictis stabulis pascuisq; cum balatu, hinnitu, mugituq; miserabili ad syluas, montesq; fugerūt. Canes quoq; quorum natura est extra homines esse nō posse, lacrymosis ululatibus uagi luporum ritu oberrarent. Nec mora post hæc tam grauia prodigia ciuilia bella sequuta sunt. Ea tempestate apud Iudęos primus Aristobulus Rex & pontifex pariter diadematis sumpsit insigne. Igitur Cn. Pompeius Prætor cum Picentibus iussu Senatus bellum gessit & uictus est. Post quæ sibi Samnites Papium Mutilium ducem præfecerāt. Marsi autē Agamemnonem

Cato Cos. occisus

Liui. Drusus

Prodigia horrenda

Drusi cædes

Sociorum defectio

Legatorū cædes apud Asculum

Cicures animantes efferantur

Aristobulus

Cn. Pompeius à Picentibus uictus

Duces hostiū

memnonem Archipiratam præoptauerant. Iulius Cæsar Samnitium pugna uictus cæso fugit exercitu. Rutilius Cos. Marium propinquum suum legatum sibi elegit, quem assidue submonentem moram bello utilem fore, & paulisper in castris exerceri militem oportere tyronem, dolo id agere ratus contempsit, seseq; in insidias Marsorum cum uniuerso agmine exercitus sui incautus iniecit, ubi ipse Cos. occisus est, & multi nobiles interfecti, & octo milia militum Romanorum cæsa sunt. Arma & corpora interfectorum, in conspectu Marij legati Telonus fluuius pertulit, atq; in testimonium cladis euexit. Marius raptis cōtinuo copijs uictores insperatus oppressit, octo milia & ipse Marsorum interfecit. Cepio autem à Vestinis & Marsis deductus in insidias, cum exercitu trucidatus est. L. uero Iulius Cæsar postquam apud Eserniam uictus aufugerat, cōtractis undiq; copijs aduersum Samnitas & Lucanos dimicans, multa milia hostiū interfecit. Cumq; ab exercitu Imperator esset appellatus, Romamq; nuntios de uictoria misisset, Senatus Saga, hoc est, uestē mœroris, quàm exorto sociali bello sumpserat, hac spe arridente deposuit, atq; antiquum togæ decorem recuperauit. Marius deinde VI milia Marsorum occidit, septem milia armis exuit. Idem Marius Syram mulierem in castris habebat sacricolam, ex cuius autoritate asserebat se omnia aggredi. Interea L. Cornelius Sylla Prætor cum uiginti quatuor cohortibus Eserniam missus, ubi attissima obsidione Romani ciues militesq; premebantur, maximo bello & plurima cæde hostium urbem sociosq; seruauit. Cn. Pompeius Picentes graui prælio fudit, qua uictoria Senatus laticlauia & cętera dignitatis insignia recepit, cum togas tantummodo uictoria Cæsaris primo respirante sumpsisset. Portius Cato Prætor Hetruscos, Plotius legatus Vmbros, plurimo sanguine impenso, & difficillimo labore uicerunt. Sylla præliatus simulachrum Apollinis Delphis ablatum suppliciter orabat in conspectu militum, ut promissa præstaret, & uidebatur fretus inire bellum. Igitur Cn. Pompeio, L. Portio Catone Coss. Pompeius diu obsedit Asculum ciuitatem, nec tamen expugnauisset, nisi populū prorumpentem grauissima oppressione uicisset. Decem & octo milia Marsorum in ea pugna cum Franco duce suo cæsa sunt, capta tria milia. Quatuor autem milia Italici uiri ex ea cæde profugi iugum montis coacto in unum agmine forte conscenderāt: ubi exanimati, oppressiq; niuibus miserabili morte riguerūt. Namq; ut attoniti timore hostium steterant, alij stipitibus uel saxis reclines, alij armis suis innitentes, patentibus cuncti oculis, dentibusq; nudatis uiuentium in modū uisebantur. Nec ullum erat procul intuentibus mortis indicium, nisi diuturna immobilitas, quam nullo modo humanæ uitæ uegetatio diu perpeti potest. Eodem die Picentes congressi & uicti sunt, quorum dux Iudacilius conuocatis ducibus suis, post magnificas epulas largaq; pocula cunctos ad exemplum sui prouocans hausto ueneno absumptus est, cūctis factum eius laudantibus, sed

L. Cæsaris exercitus cæsus

Rutilius Cos. profligatus et cæsus

Marsi uictores à Mario cæsi

Cepio cū exercitu cæsus

L. Cæsaris uictoria

Senatus saga deponit

Marij uictoria

Esernia obsidione exempta

Cn. Pompeij uictoria

Catonis uictoria

Cn. Pompeius L. Portius

Asculum expugnatum

IIII. M. hostiū riguerunt

Iudacilius

nemine subsequente. Anno ab Vrbe condita DC.LXI.cum ad obsidendos Pompeios Romanus exercitus isset,& Posthumius Albinus uir consularis tunc L.Syllę legatus intolerabili superbia omnium in se militum odia suscitasset,lapidibus occisus est.Sylla Cos.ciuilem cruorem non nisi hostili sanguine expiari posse testatus est. Cuius rei conscientia motus exercitus, ita pugnam adorsus est,ut sibi unusquisq; pereundum uideret,nisi uicisset. Decem & octo milia Samnitum in illo prælio cæsa sunt. Iuuentium quoq; Italicum ducem,& magnum ipsius populũ persecutus occidit. Portius Cato Cos.copias Marianas habens,cum aliquanta strenue gessisset,gloriatus est non maiora C. Marium fecisse: & ob hoc cum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret,à filio C.Marij in tumultu belli quasi ab incerto autore prostratus est. C. Gabinius legatus in expugnatione hostilium castrorũ interfectus est. Marucini, Vestiniq; Sulpitio legato Pompeij persequente uastati sunt. Popedius & Obsidius Italici imperatores ab eodem Sulpitio apud flumen Theanum horribili prælio oppressi & occisi sunt. Pompeius Asculum ingressus præfectos,centuriones, cunctosq; principes eorum uirgis cecidit, securiq; percussit. Seruos prædamq; omnẽ sub hasta uendidit:reliquos liberos quidem, sed nudos & egentes abire præcepit: & cum de hac præda opitulationem aliquam in usum stipendij publici Senatus fore speraret,nihil tamen Pompeius ex ea egenti ęrario cõtulit. Namq; eodem tempore,cum penitus exhaustum esset ærarium, & ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica quæ in circuitu Capitolij pontificibus, auguribus, decemuiris, & flaminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia uendita sunt, & sufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ subsidio esset, acceptus est. Et quidem tunc in sinum ipsius ciuitatis euersarum omnium urbium, nudatarumq; terrarum abrasæ undiq; opes congregabantur, quum ipsa Roma turpi adigente inopia præcipuas suas partes auctionabatur. Quam ob rem consideret tunc tempora sua, quum quasi inexplebilis uenter cuncta consumens, & semper esuriens,cunctis urbibus,quas miseras faciebat, ipsa miserior, nihil relinquens,nihil habebat, & stimulo domesticæ famis ad continuationem bellicæ inquietudinis trudebatur. Iisdem temporibus Rex Sothimus cum magnis Thracum auxilijs Græciam ingressus, cunctos fines Macedoniæ depopulatus est, tandemq; à C.Sentio prætore superatus redire in regnum suum coactus est.

Albinus ab exercitu lapidatus

Syllæ uictoria

Cato Cos. occisus

Popedius & Obsidius à Sulpitio profligati cæsiq;

Sothimus rex

BELLVM CIVILE MARIANVM, ET BELLum Mithridaticum.



NNO ab Vrbe condita DC.LXII.nõdum finito sociali bello, quod per quinq; annos gestum est,Romæ primum ciuile bellum commotũ est. Eodem anno etiam Mithridaticum. Causam bello ciuili C.Marius sexto Consulatu dedit. Nam quum Sylla Cos. contra Mithridatem gesturus bellũ,qui Asiam & Achaiam occupauerat, mitteretur: isq;

isq; cum exercitum in Campania paulisper teneret, ut belli socialis, de quo diximus, quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiæ tollerentur: Marius affectauit septimum consulatum, & ut ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quo Sylla cognito impatiens re uera & pertinax, intemperataq; ira percitus, cum quatuor legionibus, primum ante urbem consedit, ibi Gratidium Marij legatum quasi primam uictimam belli ciuilis occidit. Mox urbem cum exercitu irrupit, faces ad inflammandam urbem poposcit, omnibus metu abditis per sacram uiam citato agmine in forū uenit. Marius cum permouere nobilitatem, inflammare plebem, equestrem deniq; ordinem perarmare, frustra attentasset, postremo seruis spe libertatis & prędæ ad arma sollicitatis, nequaquam pugnare ausus, tamen in Capitolium concessit. Sed cum in eum Syllanæ cohortes irruissent, magna suorum cęde diffugit. Ibi tunc Sulpitius Marij collega seruo suo prodēte prostratus est. Seruum uero ipsum, quod hostem indicauerat, manumitti, quod dominū uero prodiderat, saxo Tarpeio deijci Coss decreuerunt. Marius fugiens, quum persequētum insania circumseptus esset, in Minturnensium paludibus sese abdidit. E quibus infeliciter luto oblitus, ignominioseq; extractus, turpi autē spectaculo Minturnas deductus, retrususq; in carcerem percussorem ad se missum solo uultu exterruit. Deinde lapsus è uinculis in Africā transfugit, sollicitatoq; ex Vtica filio, ubi in custodia obseruabatur, continuo Romam regressus, Cornelio Cinnæ Cos. societate scelerum coniunctus est. Igitur Sylla ad Asiam profectus est. Mithridates qui Ponti rex erat, atq; Armeniam minorem, & totum Ponticū mare in circuitu cum Bosphoro tenebat, primo Nicomedē amicum populi Romani Bithynia uoluit expellere, Senatuiq; mandauit & populo Romano, bellum se ei propter iniurias, quas passus fuerat, illaturū. A Senatu respōsum Mithridati est: si id faceret, quod bellū à Romanis & ipse pateretur. Quare iratus Cappadociam statim occupauit, & ex ea Ariobarzanem regem & amicū populi Romani fugauit. Mox etiam Bithyniā inuasit, & Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus amicis populi Ro. Pylemene & Nicomede. Inde in Ephesum cōtendit, & per omnem Asiam literas misit, ut ubicunq; inuenti essent, ciues Romani uno die occiderentur. Quod & factum est. Nam octoginta milia ciuium Romanorum per omne regnum morantium sub una die interfecta sunt. Quis mœror plurimarum prouinciarum, quis gemitus occidendorū pariter atq; occidentium fuerat, quum singuli quiq; aut prodere innocentes hospites & amicos, aut ipsi periclitari pœna hospitum cogerētur. Interea etiam Methone ciuitas Achaiæ ab Aristone Atheniense Mithridati tradita est. Miserat enim iam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducē suum cum centum & triginta milibus equitum ac peditum, per quē etiam Athenæ & reliqua Græcia occupata est. Sylla cui post cōsulatum, Mithridaticum bellum ob-

Sylla urbem cum exercitu irrumpit

Sulpitij cædes

Marij fuga

Mithridates Capadociam occupat

Nicomedes et Pylemenes regnis pulsi

LXXX. M. Ro. per Asiā una die cæsa

Methone

Archelaus

Athenæ cum Græcia occupatæ

uenerat, Archelaũm apud Piræum Atheniensium portũ septemplici mu/ro communitum diu obsedit, ipsam Atheniensium urbem ui cepit: postea iusto prælio cum Archelao conflixit. Centum decem milia de exercitu Ar/chelai interfecta, uix decem milia superfuisse referuntur. Ex Syllæ exercitu, res mira, tredecim tantum homines interficiuntur. Comperta clade Mithridates lectissima septuaginta milia militum Archelao in subsidium misit ex Asia. Secundo prælio quinquaginta milia ex his interfecta sunt, ibiq; Diogenes Archelai filius trucidatus est. Tertio bello omnes copiæ, quas Ar/chelaus habebat, extinctæ sunt. Nam uiginti milia militũ eius in paludem pulsa, quum Syllæ fidem implorarẽt, insatiabili uictoris ira interfecta sunt: totidemq; alia in flumen coacta ac necata: reliqui miserorum passim truci/dati sunt. Porrò autem Mithridates in Asia nobilissimarum urbium prin/cipes occidere, bonaq; eorũ publicare animo intenderat. Cumq; iam mille sexcentos ita interfecisset, Ephesij exemplum uerentes excluso pręsidio eius portam obiecerũt. Similiter Smyrnæi, Sardij, Colophonij, Trallianiq; fe/cerunt. Perturbatus Mithridates, iussit cum Sylla de pace agi. Interim eo tempore Sylla etiam Dardanos, Scordiscos, Dalmatas & Mœsos, partim uicit, partim in fidem recepit. Sed cum legati à rege Mithridate, qui pacem petebant, uenissent, non aliter se daturum Sylla esse respondit, nisi rex reli/ctis his, quas occupauerat, ciuitatibus, ad regnum suum redisset. Postea ta/men ad colloquium ambo uenerunt, pax inter eos ordinata est, ut Sylla ad bellum ciuile festinans à tergo periculum non haberet. Igitur Marius & Cinna dum Sylla decertans in Asia Mithridatem uicit, ad profligandam uniuersam Remp. exercitum sibi in quatuor partes diuiserunt. Tres siqui/dem legiones Mario datæ: parti copiarum Cn. Carbo præpositus est: par/tem Sertorius accepit, ille scilicet Sertorius iam hic ciuilis belli incentor & particeps, qui etiam hoc finito aliud post in Hispania bellũ excitauit, quod per multos annos maximis Romanorum cladibus traxit. Cætera uero ex/ercitus portio Cinnam sequũta est. Porrò autem Cn. Pompeius, qui à Se/natu cum exercitu accersitus erat, ut Reip. opitularetur, & diu sese nouatum rerum aucupatione suspenderat, contemptus à Mario uel Cinna, ad Cn. Octauium alterum Cos. sese contulit, & mox cum Sertorio conflixit. Infe/licem pugnam interuentus noctis diremit. Sexcenteni ex utraq; parte mili/tes trucidati sunt. Postera die cum permixta corpora ad sepulturam dis/cernerẽtur, miles Pompeianus fratris sui, quẽ ipse interfecerat, corpus dum spoliat, cognouit. Dictis in deos conuicijs corpus rapuit, & sub Pompeia/nis castris rogo indidit, illico pectus gladio transuerberans: simulq; lachry/mas & sanguinem fundens, super fraternum sese cadauer igni adiecit. Igi/tur Marius Coloniam Hostiensem ui ingressus omnia ibi genera libidinis, auariciæ & crudelitatis exercuit. Pompeius fulmine afflatus interijt: exerci/tus uero

Sylla Athenas capit

Archelaus magna pugna uictus

Diogenes occisus

Archelai copiæ deletæ

Mithridatis sæuitia

Pax Mithridati data

C. Marius Cn. Carbo Sertorius

L. Cinna

Prælium nox dirimit

Casus infelix

Hostia capta

Pompeius fulmine ictus

tus uero eius pestilentia correptus, penè totus absumptus est. Nam undecim milia uirorum de castris Pompeij mortua, sex milia autem de parte Octauij desyderata sunt. Marius Antium & Ariciam ciuitates hostiliter irrupit, cunctosq; in his præter proditores interfecit, bona suis diripienda permisit. Post Cinna Cos. cum legionibus, & Marius cum fugitiuis, urbem ingressi, nobilissimos quosq; & plurimos è Senatu uiros consulares interfecerunt, multos proscripserūt, ipsius Syllæ domo euersa, filios & uxorem ad fugam compulerunt. Igitur Marius cum interfectorum ciuium capita illata conuiuijs, oblata Capitolijs, collata rostris ad spectaculum, ornatumq; congereret, maxime caput M. Antonij eximij oratoris abscissum, cum inde sanies manaret, in ipso conuiuio manu pertractauit, insultans insuper, illudensq; conuicijs, complexusq; P. Annium, qui caput illud cruentus adtulerat. Ac idem cum septimo Consulatum cum Cinna tertio Cos. peruasisset, in exordio Consularis imperij sera tandem morte præreptus est. Quis non iure miretur septem eius consulatus, & duos triumphos? Quis non in eum merito stupeat amplissimum testimonium Scipionis? Namque Scipio interrogatus in cœna, Si quid de ipso Scipione fataliter actum fuisset, quem magnum imperatorem Resp. habitura esset, cum circumtulisset oculos, uel hic inquit. Ad Marium enim tota animositate respexerat. Interea Cinna bonorum neces, malorum cæde suppleuit. Nam quum introducta primarium fugitiuorum manus insatiabilis prædandi esset, nullamq; partem autoribus prædæ Consulibus ministraret, in forum quasi stipendij causa sollicitata, militibusq; circumdata inermis extincta est. Cæsa sunt in illa die in foro urbis octo milia fugitiuorum. Idemq; Cinna quarto Cos. ab exercitu suo interfectus est. Igitur residui Senatorum qui potentiam Cinnæ, sæuitiam Marij, insaniam Fimbriæ, Sertorij audaciam fuga euaserant, transuecti in Græciam coëgerunt precibus Syllam, ut periclitanti, imò iam penè perditæ patriæ opem ferret. Ille in Italiam traiecit, bellū ciuile gesturus aduersus Norbanum & Scipionem Coss. Mox ut Campanum littus attigit, primo prælio contra Norbanum dimicauit, non longe à Capua. Tunc septem milia Romanorum Romani interfecerunt, sex eorundem ab hisdem capti sunt. Centum uiginti quatuor suorum amisit. Inde etiam ad Scipionem se conuertit, & ante prælium totum eius exercitum sine sanguine in deditionem accepit. Sed quum Romæ mutati essent Coss. & Marius Marij filius, ac Papyrius Carbo consulatum accepissent, Syllæ duces plura prælia aduersus Marianas partes infelicissima felicitate gesserunt. Nam & Q. Metellus Carinatis copias cecidit, & castra peruasit, & Cn. Pompeius Carbonis equitatum grauiter trucidauit. Damasippus Prætor incentore Mario Cos. Q. Scæuolam, C. Carbonem, L. Domitium, P. Antistium in curiam quasi ad consulendum uocatos crudelissime occidit. Corpora interfe-

Antium & Aricia captæ

Marius urbē ingressus, in Senatū sæuit

M. Antonij cædes

Marij mors

VIII. M. fugitiuorum in foro cæsa

Cinnæ exitiū

Syllæ cū Norbano cōflictus

Scipionis exercitus Syllæ deditus

Syllæ successus

Damasippi crudele facinus

ctorum per carnifices unco tracta, atque in Tyberim missa sunt. Sylla deinde contra Marium iuniorem dimicauit. In quo prælio de exercitu Marij cæsa sunt uiginti quinq; milia, sicut Claudius scribit, & ex parte Syllæ quadringenti perierũt. Pompeius Carbonem etiam castris exuit, fugientemq; insecutus, nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo, plurima exercitus eius parte priuauit. Metellus Norbani agmen oppressit, ubi nouem milia Marianæ partis occisa sunt. Lucullus cum à Quintio obsideretur, erupit, & repentina pugna obsessorem deleuit exercitum. Nam plusquam decem milia ibi tunc cæsa referuntur. Fabius uero Arianus cui imperium pro prætore erat, regnum Africæ manu seruorum affectans, à dominis eorum apud Vticam coniectis sarmentis cum omni familia uiuus incensus est. Sylla deinde cum Lamponio Samnitium duce, & Carinatis reliquis copijs ante ipsam urbem, portámque Collinam ad horã diei nonam signa contulit, grauissimóque prælio tandem uicit. Octoginta milia hominum ibi fusa dicuntur, duodecim milia sese dedidere, reliquam multitudinem in fugam uersam, insatiabilis uictorum ciuium ira consumpsit. Sylla mox ut urbem uictor intrauit, tria milia hominum qui se per legatos dediderant, contra fas & fidem datam inermes securósque interfecit. Plurimi tunc quoque, ut non dicam innocentes, sed etiam ipsius Syllanæ partis occisi sunt, quos fuisse plusquam nouem milia ferunt. Ita libere per urbem percussoribus passim uagantibus, Q. Catulus palàm Syllæ dixit: Cum quibus tandem uicturi sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Tunc L. Sylla autore Furfidio primipilari, primus infamem illam tabulam proscriptionis induxit. Prima siquidem proscriptio octoginta hominum fuit, in quibus quatuor Consulares erant, Carbo, Marius, Norbanus, & Scipio, & inter eos Sertorius tunc maxime pertimescendus. Item alia cum quingentis hominibus proposita est. Quam cum Lolius, quippe securus nihilq; sibi conscius, legeret, ubi suum repente nomen offendit, dum se trepidus adoperto capite foro subtrahit, interfectus est. Sed ne ipsis quidem tabulis fides ac finis malorum uidebantur. Namque alios quos proscripserant, iugulabant, alios autem postquam iugulauerant, proscribebant. Nec ipsius mortis erat uia simplex, aut una conditio, ut in nece ciuium saltem ius hostium seruaretur, qui nihil à uictis præter uitam exigunt. M. Marium siquidem de caprili casa extractum uinciri Sylla iussit, ductumq; trans Tyberim ad Lutaciorum sepulchrum, effossis oculis, membrisq; minutatim confractis trucidari. Post hunc P. Lectorius Senator, & Venuleius Triumuir occisi sunt. M. Marij caput Præneste missum. Quo uiso C. Marius ultima desperatione correptus, ubi à Lucretio obsidebatur, ne in manus inimicorum incideret, cum Telesino mutua morte concurrit. Cumq; uiolentius ipse in concurrentem manus adigit, circa suum uulnus

manus

Syllæ cũ Mario iuniore cõflictus

Carbo à Pompeio uictus

Metelli uictoria

Luculli uictoria

Fabius Arianus uiuus exustus

Prælium ante portã Collinã

Sylla uictor cædibus urbẽ replet

Tabulæ proscriptionis

Lolius

Marij filij exitium

manus percutientis hebetauit. Ita eo interfecto ipse leuiter uulneratus ceruicem seruo suo præbuit. Carinatem Prætorem Sylla iugulauit. Inde præneste profectus omnes Marianæ militiæ principes, hoc est Legatos, Quæstores, Præfectos & Tribunos iussit occidi. Cn. Pompeius Carbonem alterum Consulem fugientem ab Arimino, & ad Cossuram insulam fugere conantem cepit, & in Siciliam retractum, compluresq; cum eo socios eius, occidit. Sylla cognita Pompeij adolescentis industria, annos uiginti & unum nati, tantis exercitibus pręfecit eum, ut secūdus à Sylla haberetur. Occiso ergo Carbone Siciliam Pompeius recepit, & in Africam transgressus, eruptione facta circa Vticam decem & octo milia hominum interfecit. Quo bello Domitius dux Marianus dum inter primores pugnat occisus est. Idemq; Pompeius Hiarbam Numidiæ regem persecutus fugientem à Bogude Bocchi Maurorum regis filio spoliari omnibus copijs fecit, Quem continuo Bullam reuersum tradito sibi oppido interfecit. Post hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit. Cn. etiā Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, quartum & uicesimum annum agens de Africa triumphauit. Sylla Dictator creatus est, ut dominationis & crudelitatis libido honesti & præcipui nominis reuerentia & armaretur & uelaretur. uisus est tandem priuatus. Creatis itaque P. Seruilio & Appio Claudio Coss. hoc fine conclusa sunt duo bella funestissima, sociale Italicū, & ciuile Syllanū. Hæc per annos decem tracta sunt. Consumpserunt autem ultra centum quinquaginta milia Romanorum, uiros Consulares triginta tres, Prætorios septem, Ædilitios sexaginta, Senatores ducentos, absque innumeris Italiæ totius populis, qui sine consideratione deleti sunt. Post hæc tamen, Sylla mortuo, Lepidus Marianæ partis assertor aduersus Catulum Syllanum ducem surgens, rediuiuos bellorum cineres suscitauit. Bis tunc acie concertatum est, plurimi Romanorum ipsa iam paucitate miserorum, & adhuc illo furore insanientium cæsi sunt. Albanorum ciuitas, pro eo quod illuc Scipio Lepidi filius confugisset, obsidione oppugnata est, atque excruciata fame ultima miserabilium reliquiarum deditione seruata est. Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, persequente Pompeio apud Regium interfectus est. Ita hoc bellum ciuile non magis clementia Catuli, quam tędio Syllanæ crudelitatis, ut ignis in stipula, eadem celeritate, qua ex ortū est, euanuit. Hoc tempore Hierosolymis Alexandra uxor Alexandri regnabat, ex cuius ætate Iudæos rerum confusio, & uariæ oppressere clades.

Carbonis cædes

Domitius occisus

Hiarbas rex interfectus

Sylla dictator

Lepidi cū Catulo bellum

Brutus interfectus

Alexandra regina

DE GESLIS ROMANORVM LIB. VI

M. Lepidus Q. Catulus



ARCO Æmilio Lepido, Q. Catulo Coss. annus ab Vrbe cond. DC.LXXIII. sonantibus undiq; nouis bellorum fragoribus, quorũ unum in Hispania erat, aliud in Pamphylia & Cilicia, tertium in Macedonia, quartum in Dalmatia. Nam Sertorius uir dolo atque audacia potens, cum partium Marianarum fuisset timens fortunam cæterorum, qui interempti erant, fugiens ex Africa delapsus in Hispanias, bellicosissimas gentes Hispaniæ in arma excitauit. Aduersum hunc, ut breuiter definiam, duo duces missi: Q. Cæcilius Metellus, filius eius qui Iugurtham regem uicit: & L. Domitius Prætor. Quorum Domitius ab Hirtuleio Sertorij duce cum exercitu oppressus est. Manlius Procos. è Gallia in Hispaniam cum tribus legionibus, & mille quingentis equitibus transgressus, iniquam cum Hirtuleio pugnam conseruit. A quo castris copijsq; nudatus, in oppidum Hilerdam penè solus refugit. Postea cum impar pugnæ solus Metellus pugnaret, Cn. Pompeius ad Hispaniam missus est. Metellus multis prælijs fatigatus, per deuia oberrans, hostem mora fatigabat, donec Cn. Pompeij castris sociaretur. Ita duobus ducibus aduersis, Sertorius fortuna uaria sæpe pugnauit. Pompeius contracto apud Palentiam exercitu Lauronem obtinuit ciuitatem, quam tunc Sertorius superato fugatoq; Pompeio captam ui cruentissime depopulatus est. Reliquũ agmen Lauronensium quod cædibus superfuerat, miserabili captiuitate in Lusitaniam trãnsduxit. Pompeium autem, hoc est, illum Romanorum ducem à se uictum fuisse gloriatus est, quem magna præditum fiducia ad hoc bellum non pro Consule, sed pro Consulibus Roma misisset. Fuisse tunc Pompeij triginta milia peditum, mille equites Galba scribit: Sertorium autem septuaginta milia peditum, octo milia equitum habuisse commemorat. Postea uero Hirtuleius cum Metello congressus apud Italicam Beticæ urbem uiginti milia militum perdidit. Victusq; in Lusitaniam cum paucis refugit. Pompeius Belgidam Celtiberiæ urbem cepit. Sertorius deinde cum Pompeio congressus, decem milia militum eius interfecit, ex alio cornu uincente Pompeio tantundẽ ipse perdidit. Multa præterea inter eos prælia gesta sunt. Memmius Quæstor Pompeij, idemq; uir sororis eius, occisus est: Hirtuleij fratres interfecti. Perpenna qui se Sertorio iunxerat comminutus est. Postremo ipse Sertorius octauo decimo anno belli inchoati, ijsdẽ quibus & Viriatus suorum dolis interfectus est. Finis huic bello datur per Cn. Pompeium adolescentem, & Q. Metellum Pium, atque omnes prope Hispaniæ ciuitates

Sertorius bellum instaurat

Domitius cũ exercitu oppreßus

Hirtulei altera uictoria

Palentia Lauro urbs à Sertorio capta

Metelli uictoria

Sertorius cũ Pompeio æquo marte pugnat

Memmius interfectus

Hirtuleius cũ frat. cæsus

Sertorij interitus

ciuitates in deditionem Populi Romani redactæ: Romanisq; uictoriam sine gloria dedit. Quamuis Perpennam postea pars exercitus eius secuta sit, qui à Pompeio uictus cum uniuerso exercitu suo interfectus est. Ciuitatibus uero cunctis ultro ac sine mora per deditionẽ receptis, duæ tãtum restiterunt, hoc est Vxamia & Calagurris: quarum Vxamiam Pompeius euertit: Calagurrim Afranius iugi obsidione confectam, atq; ad infamem escam miseranda inopia coactam, id est uxorum cadauera atque liberorum facientes sibi cibos, ultima cæde incendioq; deleuit. Percussores Sertorij præmium ne petendum quidem à Romanis esse duxerũt, quippe qui meminissent antea Viriati percussoribus denegatum. Interea Macedonicum bellum Appius Claudius sortitus, leuia prælia habuit contra uarias gentes, quæ Rhodopam prouinciam incolebant, & Macedoniam crudelissime depopulabantur: nam inter cætera dictu audituq; horrenda, quæ in captiuos agebant, raptis quum poculo opus esset, humanorum capitum ossibus cruentis, capillatisq; adhuc, ac per interiores cauernas male effuso cerebro oblitis utebantur: quarum cruentissimi atq; immanissimi Scordisci erant. Has itaq;, ut dixi, Claudius pellere Macedoniæ finibus bello putauit, magnisq; se molibus obiecit malorum. Vnde cum animo æger & curis circumseptus, morbo insuper correptus esset, interijt. Missus est ei successor C. Scribonius Curio post consulatum, qui attentatarum superiore bello gentium uim declinans, in Dardaniam arma cõuertit, eamq; superauit, & usque ad Danubium penetrauit, & intra triennium bello finem dedit. Ad Ciliciam & Pamphyliam missus est P. Seruilius ex Consule uit strenuus. Is ergo Ciliciam, & Pamphyliam crudelissime adortus, dum subdere studet penè deleuit, Ciliciam & urbes eius obsessas oppressasq; cepit. Præterea Olympum montem peruagatus, Phaselidem euertit, Coricum diruit. Tauri quoque montis latera in Ciliciam uergentia peruagatus, Isauros bello fractos in deditionem redegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Is reuertens triumphum accepit, & nomen Isaurici meruit. At in Illyricum missus est C. Cosconius pro Consule. Is protrita, subactaq; Dalmatia Salonas urbem florentissimam post biennium tandem expugnauit & cepit, & composito bello Romam redijt. Iisdem temporibus Cos. M. Æmilius Lepidus Catuli collega ciuile bellum uoluit commouere, intra unam tamen æstatem motus eius oppressus est. Ita uno tempore multi simul triumphi fuerunt: Metelli de Hispania, Pompeij secundus de Hispania, Curionis ex Macedonia, Seruilij ex Isauria. Anno Vrbis cõditæ. DCLXX. L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta Coss. mortuus est Nicomedes Rex Bithyniæ, & testamento populum Romanum fecit hæredem. Interea Fimbria Marianorum scelerum satelles, homo omnium

Perpenna cũ exercitu cæsus

Vxamia euersa

Scordiscorum immanitas

Appius morbo perit

C. Scribonius Dardaniã superat

Cilicia Rom. subdita per Seruilium

Phaselis euersa

Coricus diruta

Isauri Ro. diditi

Cosconius Dalmatiam subigit

Salona expugnata

IIII. simul triumphi

Bithynia testamento po. Ro. relicta

Fimbriæ scele ratū facinus
Mithridates Asia pulsus

nium audacissimus, Flaccum Consulē, cui legatus erat, apud Nicomediam occidit: ac mox arrepto exercitu Mithridatis filium ex Asia ad Nicopolim fugat, stationem Mithridatis, ipsumqꝫ è Pergamo pellit, fugientemqꝫ insequutus, apud Bithyniam obsedit. Et profecto cepisset, si L. Lucullus ciuilibus discordijs curam Rei publicæ prætulisset, eumqꝫ mari coartare obiecta classe uoluisset. Inde Fimbria Iliensibus iratus, à quibus pro Syllanæ partis studio obiectu portarum repulsus uidebatur, ipsam urbem Ilium, antiquam illam Romæ parentem, funditus, cæde incendioqꝫ deleuit.

Ilium à Fimbria deletum
Fimbria cum exercitu Mithridati se adiungit
M. Marius Mithridatis dux

Sed eam Sylla continuo reformauit. Idem Fimbria apud Thyatiram cum suo exercitu, Fimbriæqꝫ profugi, Mithridati sese adiunxerunt, quorum hortatu Mithridates cum Sertorio per legatos in Hispaniam missos fœdus pepigit. Sertorius ad eum M. Marium firmandi fœderis causa misit, quem rex apud se retentum breui ducem fecit, in locum Archelai, qui se iam ad Syllam cum uxore & liberis contulerat. Interea Mithridates rupta pace Bithyniam & Asiam rursus uoluit inuadere: Marium & Eumachum duces suos aduersum Lucullum & Cottam Coss. misit cum magno exercitu. Sed ambo Consules aduersus eos non unam habuere fortunam.

Cotta Chalcedone obsessus
Mithridates Cizicum obsidens à tergo à Lucullo obsidetur
Natator eximius

Cotta apud Chalcedonem uictus ab eis acie, plurimis perditis, etiam intra oppidum coactus est, & obsessus. Mithridates Cizicum obsidendo fossa cinxit, ut Cizico capto totam Asiam inuaderet. Lucullus cum alter Cos. à tergo obsedit, & multis prælijs uicit, faméque consumpsit, eumqꝫ quod faciebat, pati compulit, atque ad ipsos Cizicenos, ut bono animo essent, nuntium misit, unum ex militibus natandi peritum, qui duobus utribus suspensus, mediam ipse regulam tenens, plantisqꝫ subremigans, septem milia passuum transmeauit. Mithridates inopia laborans, classe partem copiarum instructam armis domum abire præcepit. Quam Lucullus excipiens, uniuersam classem disperdidit. Nam amplius quàm quindecim milia hominum tunc interfecisse narratur.

Metrophanes à Mamerco uictus
Mira loci natura

Tunc etiam Fannius, qui se Mithridati iunxerat, & Metrophanes regius Prætor à Mamerco uicti, cum duobus milibus equitum in Mesiam profugerūt, atqꝫ à uia digressi in campos, collesqꝫ harenosos inciderunt: ubi non solum montes uasti uel saxa, quasi quadam fuligine obfuscata cernuntur, uerum etiam ambusto solo squalidi per quinquaginta milia passuum campi sine ullo ignis uel fornacis incendio, & pendulo in profundum cinere putres iacent: tribus etiam locis torridæ uoragines ostenduntur, quas Græci Pisas uocant: in quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti sunt, & clam in regis castra uenerunt.

Deiotarus rex

Deiotarus rex Gallogręciæ pręfectos regis trucidauit. Interea Mithridates apud Cizicū eadē hora qua obsidebat obsessus, in magnā penuriā, pestilentiamqꝫ exercitū suū coartauit. Nam plusqꝫ CCC. M. hominū fame & morbo in eadē obsidione amisisse fertur. Ipse cū paucis arrepta naue, clàm

fugit

fugit è castris. Lucullus incruento milite spectator cladis alienæ, nouum genus uictoriæ adeptus est. mox Marium adortus uicit, fugauitq;. In quo prælio plusquam undecim milia Marianorum militum interfecta referuntur. Lucullus postea cum eodem Mario nauali prælio congressus, triginta & duas naues regias, & complures onerarias aut cepit, aut demersit. Multi ex his quos Sylla proscripserat, ibi interempti sunt. Marius postera die de spelunca ubi latebat, extractus, meritas hostilis animi pœnas luit. Eodem uero impetu Lucullus Apamiam uastauit, & sub monte Olympo Prusiada munitissimam ciuitatem captā expugnatamq; diruit. Mithridates aduersus Byzantium instructa classe nauigans tempestate correptus, octoginta rostratas naues perdidit. Ipse autem quum quassata naue iam mergeretur, in myoparonem Seleuci piratæ, ipso pirata iuuante transiuit. Inde Sinopen, ac post Amison cum magna difficultate peruenit. Eodē anno apud Romam Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia uestali uirgine commisisse arguebatur, Catuli gratia fultus euasit.

Victoriæ nouum genus
Lucullus Marium uicit
Nauale prælium
Mithridatis naufragium
Catilina incesti reus

BELLVM CVM SPARTACO

ANNO ab Vrbe condita, DCLXXVIII. Macedoniam prouinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus eius qui contra Mithridatem bellum gesserat: & in Italia nouum bellum subito commotum est. Gladiatores enim septuaginta & quatuor Capuæ ludo Cn. Lentuli effracto diffugêre, qui continuo ducibus Crixo & Tinomao Gallis, & Spartaco Thrace Vesuuium montem occupauerunt. Vnde erumpentes Clodij Prætoris, qui eos obsidione cinxerat, castra expugnauerunt, ipsoq; fugato cuncta illius in prædam uerterunt. Inde per Consentiam & Metapontum circumducti, ingentia breui agmina collegerunt. Nam Crixo decem milium multitudo, Spartaco autem triplex numerus fuisse fertur. Tinomaus enim iam in superiore bello fuerat occisus. Hi itaque cum cædibus, incendijs, rapinis, stuprisq; omnia miscerent, in exequijs captiuæ matronæ, quæ se dolore uiolati pudoris necauerat, munus gladiatorum ex quadringentis captiuis, scilicet qui spectandi fuerant spectaturi, utpote lanistæ gladiatorum potius quàm militum principes, edidere. Deinde Coss. L. Gellius & Cn. Lentulus aduersus eos cum exercitu missi: quorum Gellius Crixum acerrime pugnantem prælio oppressit, Lentulus à Spartaco duce superatus aufugit. Post etiam collatis frustra ambo Coss. copijs, acceptа clade fugerunt. Dehinc C. Cassium Proconsulem idem Spartacus bello oppressum interfecit. Itaq; exterrita ciuitate non minore propemodū metu q̃ sub Hannibale circa portas fremente trepidauerat, Senatus M. Licinium Crassum cū legionibus Consulū, nouoq; supplemēto militū misit. Is mox ut pugnam fugitiuorum inijt, sex milia eorum interfecit, octo uero milia cepit. Inde priusq̃ ipsum Spartacū ad caput Silari fluminis castrametan

Clodius Pr. à Spartaco uictus
Crixus
Munus gladiatorum
L. Gellius
Cn. Lentulus
Crixus uictus
Spartacus ambos Coss. uincit
C. Caßius Procos. cæsus
M. Craßus cōtra Spartacū

metantem bello aggrederetur, Gallos auxiliatores eius Germanosq; superauit, è quibus triginta milia hominum cum ipsis ducibus occidit. Nouissime ipsum Spartacũ in Apulia, disposita acie congressum, maximasq; cum eo fugitiuorum copias perculit. Nam sexaginta milia eorum cæsa, sex milia capta referuntur, tria milia ciuium Romanorũ recepta sunt. Cæteri qui ex hoc bello lapsi oberrabant, per complures duces frequenti indagine attriti sunt, & post multas calamitates Italiæ, tertio anno bello huic finis impositus. Anno ab Vrbe condita DC.LXXXI, duo tantum grauia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum & Macedonicum. Hæc duo Luculli agebant. L. Lucullus & M. Lucullus. L. uero Lucullus post pugnã Cizicenam, quæ uicerat Mithridatem, & naualẽ qua duces eius oppresserat, persecutus est eum, & recepta Paplagonia & Bithynia etiam regnum eius inuasit. Sinopen & Amison ciuitates Ponti nobilissimas cepit. Sed Sinopen Seleucus archipirata, & Leochares Spado, qui præsidij causa præerat, expilatam atq; incensam reliquerunt. Lucullus miserorum hostium intestina clade permotus, celeri occursu immissum restinxit incendium. Ita misera ciuitas, uersa uice hostium sociorumq;, unde defendenda disperdita, & unde disperdenda seruata est. Secundo prælio apud Cabira ciuitatem, quò ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum triginta milia lectissima regis, à quinque Romanorum milibus uastata essent, Mithridates fugatus, & castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam à Tigrane rege Armeniæ, qui tunc ingenti gloria imperabat, & Persas sæpe uicerat: Mesopotamiam & Syriam, & Phœnices partem occupauerat. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, imminente hyeme, etiam regnum Tigranis, qui Armenijs imperabat ingressus est, Tigranocertam ciuitatem Arzianæ nobilissimam regni Armenij cepit. Ipsum regem cum septem milibus quingentis clibanarijs, & centum milibus sagittariorum & armatorum uenientem, cum decem & octo milibus militum uicit, ita ut magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoq; ciuitatem cum regis fratre cepit. Sed hi quos in Ponto Lucullus reliquerat cum exercitus parte, ut regiones uictas Romanorum tuerẽtur, negligenter & auare se agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt. Atq; ita bellum renouatũ est. Lucullo paranti post captam Nisibin contra Persas expeditionem, successor est missus. Eodem tempore Metellus Siciliæ Prætor cum fœdissima illa C. Verris prætura Siciliam afflictam inuenisset maxime Pirganionem archipiratam nefarijs cædibus lacerantem, qui pulsa classe Romana Syracusanum portum obtinuerat, mox eum nauali pedestriq; prælio comminutum Sicilia decedere compulit. Alter autem Lucullus, qui Curioni successerat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atq; eos ingenti prælio in monte Hæmo superauit: oppidum

Prælium cruentum

Sinope & Amisus captæ

Prælium ad Cabira

Tigranes rex

Tigranocerta capta

Pugna cum Tigrane

Nisibis capta

Pirganio archipirata

Bessi à M. Lucullo uicti

pidum Vscudamam, quod Besi inhabitabant, eodem die quo aggressus est, uicit. Cabulen cepit, & usq; ad Danubiũ penetrauit. Expugnauit etiam gentes, quæ Rhodopeis montibus erãt circunfusæ, quas Claudius iam Macedoniæ finibus pellere putauit. Inde multas supra Pontum positas ciuitates adgressus est. Illic Apolloniã euertit, Calatin, Parthenopolim, Tomos, Istrum, Burchaonem cepit, belloq; cõfecto Romam rediit. Ambo tamen magnifice triumphauerunt. Lucullus qui cõtra Mithridatem pugnauerat, maiore gloria, quum tantorum regnorum uictor redisset. Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod recedente Lucullo rex collectis auxiliis reparauerat, bellum Creticum ortum est. Ad id missus Cæcilius Metellus, ingentibus prælijs intra triennium totam insulam cepit, legesq; Minois, Romanis legibus ꝑmutauit, appellatusq; est Creticus, atq; ex insula Creta triumphauit. Quo tempore Libya quoq; Romano imperio per testamentum Appionis, qui rex eius fuerat, accessit: in qua inclytæ urbes erãt, Berenice, Ptolemais & Cyrenæ. Dũ hæc aguntur, piratæ per omnia sparsi maria, nec iam intercipientes nauium commeatus, sed etiam insulas prouinciasq; uastantes, impunitate scelerum, & cupiditate prædæ uulgo sese associantibus, in immẽsum augebantur. Quare id bellum Cn. Pompeio decretum est, quod post multam uastationem, quam terra mariq; diu egerant. intra paucos menses ingenti felicitate & mira celeritate confecit. Postea successor Luculli factus, in minori Armenia iuxta mõtem Dastracum castra Mithridatis obsidione conclusit. Rex cum omnibus copijs, eruptione per noctem facta, insuper etiam persequẽtem bello repellere statuit, sed Pompeius fugientem persequi intendit. Itaq; bellum nocte cõmissum est. Luna tunc orta à tergo Romanis erat, & milites Mithridatis longitudine umbrarum proximitatem hostium rati, cuncta in irritum tela fudere. Romani uelut inermes postea aggressi, sine labore uicerunt, castraq; ceperunt. Namq; de exercitu Mithridatis quadraginta milia cæsa & capta sunt, Romani mille uulnerati, uix autem quadraginta interfecti, & duo centuriones. Mithridates inter tumultus belli fuga lapsus, adiutus etiam beneficio sublustris noctis, euasit. Relictusq; ab omnibus amicis, philosophis, scriptoribus rerum uel carminum ac medicis, solus per deuia equum manu trahens, atq; ad omnes nocturnos strepitus trepidans in quoddam castellum diuertit, atq; in Armeniam inde perrexit. Pompeius Mithridatem insequutus, inter duo flumina, quæ ab uno mõte diuersis specubus exoriuntur, hoc est Euphratem & Araxen, urbem Nicopolim senibus, lixis & ægris uolentibus condidit. Horodis Albanorum regis exercitum præfectosq; eius ter prælio uicit. Postea Horodis epistolas & munera pro pace cum Albanis instauranda libenter accepit, ueniamq; ei & pacem dedit. Artacem regem Hiberiæ prælio fudit, totamq; Hiberiã in deditionem accepit. Armeniam minorẽ Deiotaro Galatiæ regi donauit, quia socius belli Mithridatici fuit.

Ciuitates supra Pontum

Creta à Metello subacta

Libya prouincia

Bellum piraticum

Pompeius Lucullo succedit

Nocturnum prælium

Nicopolis condita

Horodi regi pax data

Iberia dedita

Armenia minor Deiotaro donata

Attalo & Pylemeni Paphlagoniã reddidit. Aristochũ Colchis imposuit. Mox de Ponto promouens in Parthiam Ecbatana urbem caput Parthici regni quinquagesimo die peruenit. In Bosphoro Mithridate Cerealia sacra celebrante, terræmotus adeo grauis repente exortus est, ut magna clades ex eo urbiũ atq; uillarum sequuta narretur. Eodem tempore Castor Mithridatis præfectus, qui Phanagoriæ præerat, interfectis amicis regis, arcem occupauit, & quatuor filios Mithridatis ad præsidia Romana trãsmisit. Mithridates accensus ira in scelera exarsit. Nam cum plures tunc amicos suos, nec non Hypodran filiũ suũ interfecisset, cum antea iam alium Macharem parricidio trucidasset, Pharnaces alter filius eius exemplo fratrum territus, exercitum ad persequendum se missum sibi cõciliauit, & mox aduersus patrem duxit. Iusto iudicio, quia ille aduersus patrem suum de regni iure certauit. Interea Mithridates diu ex altissimo muro filium frustra precatus, ubi inexorabilem uidit, moriturus exclamasse fertur: Quoniam Pharnaces inquit mori iubet, uos, si estis, patrij Dij, precor, ut quandoq; & ipse hanc uocem à filijs suis audiat. Statimq; descendens ad uxores pellices ac filias suas, uenenum omnibus dedit. Quod cum ipse nouissimus hausisset, nec tamen propter remedia, quibus uitalia sua aduersus noxios succos sæpe obstruxerat, ueneno confici posset, frustraq; quateretur, si quo tandem modo infusa pestis per uenas uegetatione corporis acta discurreret, Gallum quendam militem iam fracto muro discurrentem inuitauit, eiq; iugulum præbuit. Hunc exitum uitæ Mithridates habuit, nobisq; scientiæ suæ fortissimum argumentum reliquit, homo omnium, ut fertur, studiosissimus: qui duarum & uiginti gentium linguis, quas sub regno habuit, locutus est, ita ut nunquam legationes sub interpretibus audiret. Perijt apud Bosphorum uir ingentis industriæ consilijq;: Regnauit annis quadraginta: alij dicunt triginta. Anno ab urbe condita DC.LXXXIX M. Tullio Cicerone oratore, & C. Antonio coss. Pompeius occisi Mithridatis nuncio accepto, Tigrani bellum intulit. Ille autem statim se ei dedidit, & in castra Pompeij sextodecimo miliario ab Artaxata uenit, ac diadema suum cum procubuisset ad genua Pompeij, in manibus ipsius collocauit. Quod ei Pompeius reposuit, magnificeq; eum habitum, regni tamen parte multauit, & grandi pecunia. Adempta est ei Syria Coele, Phœnice, Sophene. Sex milia præterea talentorum auri & argenti populo Romano dedit, quia bellum sine causa Romanis commouisset. Mox Ituræos & Arabas uicit, urbemq; eorum quam Petram nominant cepit, & cum uenisset in Syriam, Seleuciam uicinam Antiochiæ ciuitatem libertate donauit, quod regem Tigranem non recepisset: Antiochensibus obsides reddidit: aliquantulum agrorum Damascensibus dedit, quo lucus ibi spaciosior fieret, delectatus loci amœnitate, & aquarũ abundantia: Inde ad Iudæam transgressus, quibus Aristobolus expulso fratre Hircano primus ex Sacerdote

Castor ad Ro. deficit

Mithridatis filij

Mithridatis interitus

Mira linguarum peritia

Tigranes Põpeio se dedit

Cœlesyria Phœnice Sophene Ituræi uicti Petra capta Seleucia libera Antiocheni Damasci amœnitas Aristobolus

dote rex præerat: atq; ad Hierosolymam urbem eorum Gabinium cum exercitu mittit. Ipse continuo subsequutus, & à patribus urbe susceptus, sed à plebe muro templi expulsus, oppugnationem eius intendit. Id non solum natura loci, uerumetiam ingenti muro fossaq; maxima munitum, cum alias aliis legiones dies noctesq; succedere iuberet, sine requie, uix tertio mense expugnauit: quatuordecim milibus Iudæorum interfectis, cætera multitudo se dedidit: muros ciuitatis euerti, æquariq; solo imperauit, cuius circuitus quatuor milia passuum dicitur fuisse. Cumq; aliquatos principes Iudæorum securi percussisset, Hircano sacerdotium restituit, Aristobolum captiuum Romam perduxit. Hoc bellum orientis cum uiginti & duobus regibus sese gessisse ipse Pompeius pro contione narrauit.

Hierosol. templum expugnatum

CATILINAE CONIVRATIO

INTEREA L. Sergius Catilina, nobilissimi generis, sed ingenii pessimi, ad delendam patriam coniurauit cum quibusdam claris quidem, sed audacibus uiris. Cuius coniuratio per eosdem dies in urbe habita ac prodita est. in Hetruria uero ciuili bello extincta est. sed à Cicerone Catilina urbe expulsus est. socii eius comprehensi, & in carcere strangulati sunt. Ab Antonio altero consule Catilina ipse in bello uictus & interfectus est. Sed hanc historiam agente Cicerone, & describête Salustio satis omnibus notam, nunc à nobis fuisse perstrictam sat est. Motus etiam in Pelignis ortus à Marcellis patre & filio, per L. Betium proditus, patefacta Catilinæ coniuratione, quasi succisa radice compressus est: & de utroq; per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Brutiis uindicatum.

Catilina interfectus
Marcellorum motus

Anno ab urbe condita DC.XC. D. Iunio Syllano, & L. Muræna consulibus Metellus de Creta triumphauit. Pompeius de bello Piratico, & Mithridatico. Nulla unquam pompa triumphi similis fuit. Ducti sunt ante currum eius filii Mithridatis, & filius Tigranis, & Aristobolus rex Iudæorum. Prælata est ingens pecunia, & auri atq; argenti infinitum. Hoc tempore nullum per orbem terrarum graue bellum erat.

D. Syllanus
L. Muræna
Triumph. Pompeii

BELLVM GALLICVM

ANNO ab urbe condita DC.XCIII. C. Iulius Cæsar, qui postea imperauit, cum L. Bibulo cos. est factus. Decreta est ei Gallia transalpina & cisalpina, & Illyricũ cum legionibus denis in quinquennium datis: Galliam comatam postea Senatus adiecit. Hanc historiam Suetonius Tranquillus plenissime explicuit, cuius nos competentes portiunculas decerpsimus. Heluetiorum animos fortissimos Gallorum omnium gentis, ea uel maxima causa quod perpetuo penè cum Germanis bello altercabãtur, à quibus Rheno tantũ flumine dirimuntur, Orgetorix quidam princeps gentis, spe totas inuadendi Gallias in arma accenderat. Quo cęteri optimates correpto ad mortem coacto, cohibere tamen animatas semel in prædam plebes nequiuerunt. Qui coniuratione facta, ac die di

C. Cæsar
L. Bibulus
Gallia Cæs. decreta

Orgetorix

cta exustis uicis & domibus suis, ne quod desiderium & spes reuertendi fo-
ret, profecti sunt. Quos cum ad Rhodanum fluuium Cæsar obuios habu-
isset, magno difficiliq; bello bis uicit, uictos ad deditionem coëgit. Horum

Heluetij subacti

fuit, cum primum progressa est omnis multitudo, Heluetiorum, Tulingo-
rum, Latobrigum, Rauracorũ & Boiorum, utriusq; sexus, ad centum quin-
quaginta septem milia. Ex his quadraginta & septem milia in bello cecide
re. cæteri in terras proprias remissi sunt. Postea Cæsar contra Ariouistum
regem pugnans, excitantem inuehentemq; secum incredibiles Germano-
rum copias, quibus nuper uniuersos Galliarum populos se subegisse iacta-

Ariouistus uictus ac fugatus

bat, apud Sequanos fugere compulit. Cumq; diu exercitus Cæsaris Ger
manorum multitudine & uirtute perterritus, pugnam detrectasset, Arioui
stus in Germaniã arrepta nauicula Rhenum transuectus aufugit. Vxores
eius duæ, totidemq; filiæ captæ sunt. Fuerunt aũt in exercitu Ariouisti, Aru
des, Marcomanni, Triboci, Vangiones, Nemetes, Sebusij & Sueui. Pugna
maxime grauis ex phalange Germanorũ fuit, quã coacto in unum agmi-
ne, scutisq; supra capita contextis, ad irrumpendam Romanorũ aciem tuti
undiq; præstruxerant. Sed postq; Romanorũ aliqui militum agilitate au-
daciaq; insignes, supra obductã salière testudinem, scutisq; uelut squamis
singillatim reuulsis, desuper nudos deprehensorum detectorum humeros
perfoderunt: territi hostes nouo mortis periculo terribilem dissoluere com
pagem. Exinde in fugam uersi, per quinquaginta milia passuum insatiabili
ter cæsi sunt. Neq; conijci numerus Germanorum potuit, uel quantus pu-

Belgarum copiæ

gnæ affuerit, uel quantus fuerit occisorum. Post hæc Belgarũ gens, quæ
tertia pars Galliarũ est, aduersus Cæsarem exarsit, quorum distributim co
pia hæc fuit. Bellouaci qui cæteris numero & uirtute præstare uiderentur,
habuere lectissima sexaginta milia armatorum: Suessiones ex duodecim
oppidis quinquaginta milia: Neruij quorum adeo feritas prædicabatur, ut
nunquam mercatores ad se accedere sinerẽt, uina, cæteraq; uenalia deferri,
quibus inducta iocunditas torporem uirtutis afferret, habuere similiter L
milia: Atrebates etiam & Ambiani decem milia: Morini uigintiquinq; mi
lia: Menapij decem milia: Caleti decem milia: Velocasses & Veromandi
decem milia: Atuatici XVII milia: Condures & Eburones atq; Cercesi &
Pemani, qui uno nomine Germani uocantur, quadraginta milia. Ita om-
nes simul fuisse referuntur, ducenta octuaginta duo milia armatorũ lectissi

Belgæ profligati

ma. His igitur repente è syluis erumpentibus, exercitus Cæsaris pertur ꝑ ba-
tus, atq; in fugam actus, plurimis suorum amissis, tamen hortatu ducis re-
stitit, uictoresq; aggressus, usq; ad internitionem penè deleuit. Igitur Cæ-
sar magnis in Gallia rebus gestis, cum in Italiam proficisci decreuisset, Gal

Galba

bam cum legione duodecima ad Veragros Sedunosq; misit. Qui cũ hie-
mandi causa in uico Veragrorũ, cui nomen erat Octodorus, consedisset,
mediũq; oppidi, quod torrente distinguebatur, accolis cõcessisset, quadam
die

die eosdem decessisse pariter per noctem, ac proximo insedisse colli uidet. Quippe illi paucitatem uix mediæ legionis despectui habentes, ultroneam nullo cessuram negocio uictoriã arbitrabantur, finitimosq; suos in hanc cędis & prædæ societatẽ uocauerant. Igitur Galba tam præsentibus & grauibus periculis circunsepto, ac trepido atq; inter uarias cõsultationes certi consilij incerto, repente Galli descensu montis effusi, castra imperfecta circundant, raros per uallũ propugnatores saxis telisq; onerant. Cumq; iam castra irrumperẽtur, Pacuuij primipilaris, & Voluseni Tribuni cõsilio, cunctis Romani portis eruperũt, incautosq; subito aggressi hostes primũ perturbauerunt: deinde in fugã uersos miserabili strage fuderũt: nam amplius q̃ XXX M. barbarorũ tunc cæsa referuntur. Igitur Cæsar cum iam pacatas uniuersas Galliarũ gentes putaret, ad nouum & maximũ bellum retractus est. Namq; cũ P. Crassus adolescens cum legione septima Oceano uicinus apud Andegauos hiemaret, Veneti cæteriq; cõfines repente in arma coniurãt, legatos Ro. uinciunt, eosq; ita demũ se reddituros, si obsides suos recipiant, Romanis indicãt. Socios ad id bellũ Osismios, Lexouios, Nannetes, Ambibaritos, Morinos, Diablintes, & Menapios adsciscũt: auxilia q̃q; à Britãnia accersunt. Cæsar per Crassum de rebellione deditarũ gentiũ certior factus, quãuis intelligeret, quanta ineundi belli difficultas esset, tamen rem tanti negotij nõ negligendã ratus est, ne cæteris exemplo huiusmodi audendi licentia laxaretur. Itaq; terrestri prælio persequi hostes frustra adgressus, quippe cum hostes per intersusa ex oceano æstuaria atq; inaccessos recessus, tutis terrarũ finibus munirentur: naues lõgas ędificari in Ligeri fluuio iubet, per quẽ in oceanũ mitterentur. Quæ mox ut hostibus uisæ sunt, continuo ducentæ XX naues eorum paratæ, atq; omni genere armorũ instructissimæ progressæ portu ex aduerso steterũt. Bruto circunspicienti imparem longe nauium esse conflictum, quia Barbarorum naues solido robore intextæ, saxorum modo adactos rostrorum ictus retundebant, hoc primum auxilio fuit, quod falces acutissimas non pertinaciter contis præfixas, funibus autem subnexas parauerat, quibus quum opus esset, apprehensos eminus rudentes subductis hastilibus per funem falcẽ retrahendo succideret. His celeriter expeditis, disrumpi hostilium antennarum armamenta præcepit: ita antennis ruentibus, complures ilico naues uelut captas immobiles reddidit. Alij hoc periculo territi suspensis uelis, qua uentus intenderet, fugere conati sunt. Cessante uento ludibrio fuere Romanis. Itaq; incensis omnibus nauibus, & interfectis qui pugnauerant, Galli reliqui sese dediderunt. Sed Cæsar maxime ob iniuriam legatorum, & ut genti ad omnia consilia mobili, terribilis exempli notam inureret, cunctis principibus tormentis interfectis, reliquos sub corona uendidit. His diebus Titurius Sabinus legatus Cæsaris, Aulercos, Eburonices, Lexouiosq;, qui primates suos, cum autores belli resuscitandi esse nollent, inter-

Duodecima legio xxx M. Gallorum cædit

Venetorum motus

Brutus

Naualis uictoria

Titurius Sabinus

fecerant, eruptione facta incredibili cæde deleuit. P. uero Crassus, cum in Aquitaniam peruenisset, bello exceptus est. Namque Sociates magno equitatu pedestribusq; copijs præualidis adorti, diu grauiter perturbauerunt. Post uicti, atq; in oppidũ Sociatum coacti obsessiq;, cum se expugnari uiderent, armis traditis in deditionem recepti sunt. Aquitani clade permoti undiq; exercitum contrahunt, de citeriori quoq; Hispania auxilia accersunt. Duces bello maxime eos præficiunt, qui cum Sertorio militauerant. Hi omnes dum obsidionem Crasso parant, in castris suis Crasso obruente deleti sunt. Nam ex Aquitanis & Cantabris, quorum quinquaginta milia tunc in auxilium uenerant, triginta & octo milia cæsa referuntur.

Bellum in Aquitania

P. Craßi uictoria

Cæsar Germanos qui Rhenum cum immensis copijs transierant, simul & totas Gallias subijcere sibi parabant, bello adortus, usq; ad internitionem cecidit, quorum fuisse numerũ ad quadringenta quadraginta milia ferunt. Tunc Cæsar in Germaniã facto ponte transgreditur, Sicambros & Vbios obsidione liberat: Sueuos maximam & ferocissimã gentem, quorum esse centum pagos & populos multi prodidere, totamq; Germaniam aduentu suo terret. Mox in Galliam rescisso ponte se recepit. Domuit autem annis nouem omnem Galliam, quæ inter alpes, flumenq; Rhodanũ, Rhenumq; & Oceanum est, & circuitu patet ad bis tricies centena milia passuum. Inde ad Morinos uenit, unde ad Britãniã proximus & breuissimus trãsitus est. Nauibus circiter onerarijs atq; actuarijs octoginta præparatis in Britãniã transuehitur, Britannisq; bellum infert, quibus ante eum ne nomẽ quidem Romanorum cognitum erat. Ibi acerba pugna primum fatigatus, deinde aduersa tempestate correptus, plurimam classis partem, & non paruum numerum militum, equitũ uero penè omnem disperdidit. Regressus in Galliam legiones in hyberna dimisit, ac DC. naues utriusq; cõmodi fieri imperauit. Quibus iterum in Britanniã primo uere transuectis, dum ipse in hostem cum exercitu pergit, naues in ancoris stantes tempestate correptæ, uel collisæ inter se, uel harenis illisæ ac dissolutæ sunt, ex quibus XL perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Interea Sceua miles Cæsaris cum quatuor cõmilitonibus nauicula ante transuectus est ad scopulum insulæ propinquum, atq; interea recessu oceani destitutus est. Complures Britanni in paucos Romanos impetum faciunt: cæteri tamen, qui perrari comites ipsius fuerant, nauigio redeunt. Sceua imperterritus manet, undiq; telis obrutus: ac primo pilo restitit, postremo gladio rem gerit solus in plures. Cumq; fessus uulneratusq; esset, & galeam ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loricis natauit ad castra Cæsaris, & poposcit ab imperatore ueniam pro temeritate: quem Cæsar centurionatus honore subuexit.

Germanorum immensæ copiæ cæduntur

Cæsar in Germaniã transgreditur

Gallia IX annis perdomita

Cæsar in Britanniã transuectus.

Sceuæ fortitudo

Igitur Cæsaris equitatus primo congressu à Britannis uictus, ibiq; Labienus Tribunus occisus est. Secundo prælio cum magno suorum discrimine uictos Britannos in fugam uertit. Inde ad flumen Tamesim est profectus

Prælia duo cũ Britannis

Tamesis

ctus, quem uno tantum loco transmeabilem ferunt. In ulteriore ripa flu-minis cum Cassouelauno duce immensa hostium multitudo consederat, ripamq; fluminis, ac pene totum sub aqua uadum acutissimis sudibus præstruxerant. Quod ubi à Romanis deprehensum ac uitatum est, barbari legionum impetum non ferentes, syluis se abdidere, unde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac sæpe lacerabant. Interea Trinouantum firmissima ciuitas, cum Androgorio duce, datis quadraginta obsidibus Cæsari se dedidit. Quod exemplum sequutæ urbes aliæ complures in fœdus Romanorũ uenerunt, obsidibusq; datis stipendiariæ factæ sunt: ijsdemq; demonstrantibus Cæsar oppidum Cassouelauni ducis inter duas paludes situm, obtentu syluarum munitum, omnibusq; rebus confertissimum, graui tandem pugna cepit. Exin Cæsar à Britannis reuersus in Galliam, postquam legiones in hyberna misit, repentinis bellorum tumultibus undiq; circunuentus, & cõflictatus est. Namq; Ambiorix cum Eburonatibus & Atuaticis conspirans, Treuirorum consilio, Titurium Sabinum & Arunculeium Cottam legatos apud Eburonas cum tota funditus legione insidijs circunuentos interfecit. Ambiorix hac uictoria elatus Atuaticos, & Neruios, plurimosq; alios raptim in arma contrahit, atque ad Ciceronem legatum, qui similiter tunc legioni præerat, in hyberna contendit. Multitudo ex hoc hostium colligi potuit, quia cum obsidione castrorum uallum circundandum esse à captiuis Romanis docerentur, & instrumenta ruralia non haberent, gladijs cõcidendo terrã, & sagulis exportando, uix tribus horis uallũ x pedum, & fossam xv pedum per milia passuum xv in circuitu fecerunt. Præterea centum uiginti turres miræ altitudinis extruxerant. Et cum iam septem dies noctesq; succidui hostium cunei pugnarent, ac uẽtus subito exortus esset plurimus, testas feruentes intorsere fundis, flammataq; focis tela, ac mox concepto igne rutilantia inter castra iecerunt. Quo facto, per culmea culmina raptim uentus insistens sparsum animauit incendium. Sed nec sic quidem Romani, cum undique obruerentur uulneribus, laboribus, ieiunijs, uigilijs, incendijsq; cesserunt. Tandem Cæsari nunciatum est unam legionem deletam esse, alteram iam penè confectam. Aduentante cum duabus legionibus Cæsare, deserunt hostes obsidionem, atq; in eum cunctis raptis copijs ruunt. Cæsar paruissimis se castris consulto condidit, equitibusq; præmissis, ut fugam fingerent imperauit, ut ad transitum uallis, quæ media erat, sibiq; periculosa uidebatur, hostes contemptu sui inuitaret. Quibus aduentantibus, insuper obstrui portas præcepit. Quo uiso Galli, quasi iam uicissent, ad obducendum extrinsecus uallum conuersi sunt. Cæsar totis repente portis paratum effudit exercitum, acriterq; cum eis dimicans, tandem uidit unum ex militibus suis segnius præliantem, scutumq; eius rapuit, & in aduersos ruit. Quo facto erubuit exercitus, uersosque in fugam Gallos, uastissima cæde con-

Cassouelaunus

Trinouantum
Androgorius

Ambiorix

Cotta & Sabinus cum legione cæsi

Legio Ciceronis oppugnatur

Clades Gallorum

fecit. Nam sexaginta milia tunc fuisse referuntur, è quibus pauci per paludes inuias euaserunt. Induciomarus Treuirorum princeps, magnas armatorum copias habens, postquam de consensu totius Galliæ certior redditus, Labieni castra, legionemq́ cui præerat, quod facile factu arbitrabatur, delere statuit, ac deinde Eburonibus Neruijsq́ coniunctus, ad opprimendum Cæsarem pergere. Labienus quibus potest artibus, timorem simulat, atque ita Induciomarum negligentiorem cum insultantibus copijs pro uallo oberrantem repentina eruptione prostrauit. Hac uictoria Labieni reliqui Gallorum conatus repressi sunt. Et Cæsar paulo quietior reliqua parte hyemis fuit. Sed intelligens sibi maiora belli superesse negocia, maxime quia plurima exercitus parte amissa alijsq́ grauiter sauciatis, ne ad sustinendum quidem sibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorum impetum uideretur, à Cn. Pompeio Procos. conscribi legiones, sibiq́ mitti in auxilium fecit. Itaque ante hyemem exactam, tres ad eum legiones in castra uenerunt. Igitur Cæsar priusquam in unum hostium copiæ coirent, ineunte Verno aggredi trepidos & opprimere sparsos in suis finibus parat. Primum itaque Neruiorum fines diripit, prædam uero, quæ copiosissima erat exercitui permittit. Deinde Menapios, qui sibi propter immensas paludes, atque impeditissimas syluas munitissimi uidebantur, tribus agminibus inuadit, nimiáque cæde uulgo agitata residuos supplices in deditionem accepit. Labienus sequenti prælio omnes Treuirorum copias interfecit, arte in bellum prouocatas, priusquam Germanis aduentantibus iungerentur, & continuo ipsam ciuitatem cepit. Cæsar ulcisci mortem Sabini & Cottæ legatorum uolens in Ambiorigem & Eburones deletæ legionis autores, postquam in Arduennam syluam refugisse comperit, quæ sylua totius Galliæ maxima est, atque à ripis Rheni finibusq́ Treuirorum ad Neruios usque pertingit, & in longitudine plusquam quinquaginta milibus passuum patet, permetiens rem suis maximi periculi fore, si per obstructas spaciosas syluas ignoti diuiderentur, hostemq́ loci notissimum quærerent, omnem Galliam per nuncios inuitat, ut quisque secundum placitum suum reconditas in Arduenna sylua prædas quærant diripiantq́. Quo facto Gallis utrinque morientibus maximas Romanorum iniurias sine cuiusquam Romani discrimine uindicauit. Ita hoc tutissimo uincendi genere securus in Italiam redijt. Igitur Cæsare in Italiam reuerso, rursus Gallia in arma coniurat, multiq́ simul populi coëunt. Dux his Vercingentorix fuit, cuius consilio statim omnes Galli ciuitates suas ultro incenderunt, prima à suis incensa Biturico. Inde ad Cæsarem qui magnis itineribus per Narbonensem prouinciã clàm ad exercitum recurrerat, impetum faciunt. Cæsar tunc oppidum nomine Cenapum obsidione concluserat: quod diu oppugnatũ tandem post mul-

Labienus Induciomarum uincit

Neruij direpti

Menapij dediti

Treuiri capti

Arduenna sylua

Cæsaris prudens cõsilium

Galli bellum instaurant duce Vercingentorige

tas

tas Romanorum clades pluuio die cum hostilium machinarum amenta neruiq; languerant, applicitis turribus captum atq; deletum est. Quadraginta milia hominum ibi fuisse referunt: è quibus uix LXXX homines per fugam lapsi ad castra proxima Gallorum uenerunt. Præterea Aruerni cæteriq; cõfines, sollicitatis etiã ad se Heduis, multis aduersus Cæsarem prælijs bellauerunt. Qui cum se pugnando fatigati in quoddam oppidum recepissent, milites prædæ inhiantes ad expugnationem oppidi animum intendunt, frustra Cæsare de loci iniquitate causante. Itaq; ibi Cæsar erumpentibus desuper hostibus pressus, multa exercitus sui parte perdita uictus aufugit. Dum hæc ad Halestam geruntur, Vercingentorix, quem omnes consensu pari regem præoptauerãt, suadet uti ex tota Gallia, omnes qui arma ferre possent, huic bello præsto sint: hoc enim esse unum bellũ, quo aut perpetua libertas, aut æterna seruitus, aut mors omnium consequatur. Itaq; absq; eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo milia, peditum ducenta quinquaginta milia contracta sunt. Dehinc duo colles sibi inuicem obuersos Romani Galliq; ceperunt. Vnde multis sæpe eruptionibus & uarijs prouentibus præliantes, tandem Romani præcipua Germanorum equitum, quos sibi iamdudum amicos, nunc in auxilio asciuerant, uirtute uicerunt. Vercingentorix alia die congregatis omnibus qui fuga euaserant, dixit se autorem bona fide defendendæ libertatis, atq; rumpendi fœderis fuisse. Et nunc siue Romanis sese ad mortem offerant, siue se solum pro omnibus dandum, paratũ animo fore. Itaq; Galli uoluntatem quam pudore aliquandiu texerant, quasi ex consilio regis assumerent, ilico sibi ueniam precantes, eum solum uelut autorem magni sceleris dedideruñt. Bellouaci omnibus Gallorum gentibus ipsorum opinione fortiores habebantur. Hi Chorreo duce bellum instaurant, sibiq; in hanc suscepti belli societatem Ambianos, Aulercos, Caletos, Bellocases, Atrebatasq; coniungunt, & locum quendam cinctum atq; impeditum undiq; paludibus capiunt. Commissoq; prælio, magnam Rhemorum manum, quæ auxilio Romanis erat trucidant. Deinde cum oportunũ ipsi locum insidijs prouisum occupauissent, atq; hoc comperto Romani ad insidiarũ locum instructi, ordinatiq; uenissent, cõmisso prelio Romani, Gallos fugientes ijsdẽ locorum munitionibus, quibus clausi fuerãt, incluserunt, cũctosq; ad internitionem ceciderunt. Ibi Chorreus uel fugam, uel deditionem detractans, Romanos ut uiuus caperetur instantes occidendo, ut occideretur coëgit. Igitur cum pacatam Galliã uniuersam Cæsar, neq; ausuram fore ad aliquos aspirare motus arbitraretur, legiones in hyberna dimisit. Ipse autem Ambiorigis fines, qui tot bella excitauerat, hominũ horrenda strage uastauit. At uero C. Caninius legatus bellũ apud Pictonas inuenit, ubi magna hostiũ multitudo impeditã itinere legionẽ circundedit, atq; ad extremum discrimẽ adduxit. Porrò aũt Fabius legatus acceptis Caninij literis, in Pictonas proficiscitur, ibiq;

Cenapum expugnatum

Cæsar cladem accipit

Tota Gallia armatur

Ro. Germanorum auxilio uincunt

Vercingentorix deditus

Bellouaci bellum Chorreo duce instaurant

Rhemi

Chorreus occisus

ibiq; à captiuis de opportunitate locorũ certior factus inopinantes hostes opprimit, magnisq; stragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde quum Caninio signũ aduentus sui dedisset, Caninius totis castris subito insiluit, seseq; iniecit hosti. Ita Fabio ex una parte, & Caninio ex altera insistente maximo & diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatę sunt. Inde Fabius in Carnuntes profectus est. Sciebat enim Deonacum ducem antiquissimum totius rebellionis incentorem ab hoc bello elapsum, si Aremoricis gentibus adiunctus esset, maximos iterum tumultus esse in Gallia moturum. Sed eos adhuc ipsa nouitate trepidantes mira uirtute & celeritate perdomuit. Interea Draptes unaq; Literius, cum adesse Caninium & legiones in finibus suis uiderent, undiq; collectis copijs oppidũ Lugdunum occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non paruo flumine cingebatur: medio deinde descensu largissimo fonte securũ, plurimaq; introrsum copia frumenti tutum, irritos procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Romana prouisione potuit, ambos duces cum parte copiarũ plurima in campum euocatos, maximo prælio superauit. Nam uno è ducibus interfecto, alter cum paucissimis fugit, nullus in oppidum redijt. Sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaq; certior per nuntios factus Cæsar occurrit, circunspectisq; omnibus uidet, si expugnare ui moliatᷣ, ludo & spectaculo hostium delendum esse exercitum suum: unum solum esse præsidij, si quoquomodo hostes aqua arceantur. Sed & hoc quoq; nisi Cæsar non potuisset. Siquidem fons, quo ad potum utebantur, medio deuexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoueri uineas, turrimq; extrui iubet. Fit magnus illico concursus ex oppido, quibus sine periculo præliantibus, Ro. quamuis pertinaciter obsisterent, crebriusq; succederent, tamen complures trucidantur. Igitur extruitᷣ agger, & turris pedũ LX, cuius uertex adæquare ad fontis locum possit, ut uel ex ęquo tela conijci queant, uel præcipitata desuper saxorum uolumina non timeri. Oppidani autem, ubi exanimari siti non solum pecora, uerumetiam infirmiores hominũ ætates uident, cupas pice, sæuo & scindulis repletas, ac deinde immisso igne in prona præcipitant, easq; ipsi toto oppido fusi subsequuntur. Ardentibus machinis cum graue prælium suis Cæsar ac periculosum uideret, cohortes in circuitu oppidi ire uelociter per occultũ imperat, atq; undiq; subito uastũ clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendũ oppidum uolunt, ab oppugnatione turris, uel demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis uenas sub obtentu aggeris, tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus, per multa diuidendo tenuari in semetipsis, consumíque fecerunt. Oppidani fonte siccato ultima desperatione correpti deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus qui arma tulerãt, manus sustulit, & uitam reliquit, quo testatior esset etiam

Caninij & Fabij uictoria

Draptes Literius

Prælium magnum

Lugdunum deditum

etiam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam ualet propositum punitionis exemplum, quum ipsa miseri præsens forma uiuentis, & ad recordationem admonet cōscios, & ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis itaq; atq; edomitis Gallis securus Cæsar cum legionibus in Italiam rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescēs, certo se sciens minime aliquos, qui uel moueri audeant, uel si moueātur, timendi sint, reliquisse. Anno ab urbe condita DC. XCVII. M. Licinius Crassus collega Cn. Pompeij Magni in consulatu secundo prouinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis, audita in Hierosolymis tēpli opulentia, quam Pompeius intactam reliquit, in Palæstinam diuertit, Hierosolymam adijt, templum peruadit, opes diripit. Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam, quacunq; iter habuit socijs ciuitatibus auxilia indixit, precia exegit. Mox ut Euphratem transijt, ilico Bagesen ab Horode rege Parthorum ad se missum obuiam habuit: à quo uehementer increpatus est, quur cōtra fœdus Luculli & Pompeij auaritia inductus Euphratem transierit. Quamobrem sine mora futurum, ut pro auro Parthico Serico ferro oneraretur. Inde cum prope Carras cōtra omina & auspicia uentum esset, Parthi subito ingruentes cum Surena & Sylace præfectis, sagittis oppressere Romanos. Cecidere ibi plurimi senatores, aliquot etiam consulares & prætorij uiri. Crassus quoq; filius Crassi lectissimus iuuenis in acie occisus est. Præterea quatuor cohortes cum Vargunteio legato medijs deprehensæ campis & interfectæ sunt. Surenas rapto equitatu Crassum persequi intendit, eumq; circunuentum, ac frustra colloquium eius petentem cepit, & in castra perduxit, ac postremum auro in os eius infuso interfecit. Pauci noctis beneficio liberati, Carras confugēre. Cognita clade Romanorum multæ orientis prouinciæ, à societate uel fide populi Romani defecissent, nisi Cassius Quæstor collectis ex fuga militibus paucis, intumescentem Syriam egregia animi uirtute ac moderatione pressisset: Qui & Antiochum copiasq; eius ingētes prælio uicit, & interfecit. Parthos quoq; ab Horode in Syriam missos, iamq; ingressos Antiochiā bello expulit, ducēq; eorum Hosagen interfecit. Igitur Romani status agitur semper alterna mutatio, uelut forma Oceani maris, quæ omni die dispar, nunc succiduis per septem dies tollitur incrementis, nunc insequentibus totidem diebus naturali damno & defectu interiore subducitur. Anno ab urbe condita DCC. incertum unde concretus, plurimam urbis partem ignis inuasit. Neq; unquam antea tanto incendio correptam atq; uastatam ciuitatem ferunt. Nam quatuordecim uicos cum uico iugario consumptos fuisse memoriæ proditū est. Hinc iā bellū ciuile cōmittitur, quod magnis iam dudum dissensionibus ac molitionibus parabatur. Nam Cæsar rediens uictor ex Gallia, decerni sibi absenti alterū consulatum poposcit. Contradictum

Galli perdomiti

Crassus Parthos prouinciam sortitus

Crassus templum Hierosol. diripit

Horodes rex

Surena

Clades prope Carras

Crassi exitus

Cassius quæstor

Parthi cum duce Hosage uicti

Incendium magnum

Belli ciuilis initium

ctum est à Marcello consule, à Bibulo, à Catone, annitẽte Põpeio. Deinde decretum est à Senatu, ut in urbem Cæsar non nisi dimisso exercitu ueniret: & ex Marcelli cos. autoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant, Cn. Pompeius cum imperio missus est. Cæsar Rauennam sese contulit. M. Antonius, & P. Cassius Tribunip. pro Cæsare intercedentes, interdicente Lentulo cos. curia, foroq; prohibiti ad Cæsarem profecti sunt, Curione simul Cęlioq; comitantibus. Cęsar Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum uenit, quinq; cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Liuius, orbem terrarũ adortus est: quid facto opus esset edocuit: deplorans iniurias suas, causam belli ciuilis pro restituendis in patriam Tribunis esse testatus est. Inde per Antonium septem cohortes, quæ apud Sulmonem morabantur, à Lucretio recepit. Tres legiones, quæ cum Domitio apud Corfinium morabantur, ad suas partes transduxit. Consules cum Cn. Pompeio, Senatusq; omnis, atq; uniuersa nobilitas ex urbe fugit, atq; in Græciam transijt. Apud Dyracium Epirumq;, Macedoniam & Achaiam, Cn. Pompeio duce Senatus contra Cæsarem bellum parauit.

Tribuni pl. ad Cæs. fugiunt

Causa belli

Senatus fuga

Põpeius dux

CAESAR DICTATOR



AESAR uacuam urbem ingressus Dictatorẽ se fecit, negatáq; sibi ex ærario pecuniam fractis foribus inuasit, protulitq; ex eo auri pondo quatuor milia centum triginta & quinq;: argẽti pondo prope nongenta milia. Inde digressus Ariminum ad legiones, mox alpes transuectus, Massiliam uenit: ob quam oppugnandam, cum receptus non esset, Trebonium cum tribus legionibus reliquit. Quo bello miles duodecimæ legionis aduersus eos nauali certamine pro Cæsare dimicans, hostilem nauem dextra apprehendit. Qua amputata, leuam iniecit, neq; ante dimisit, quàm mergeretur. Cæsar deinde ad Hispanias contendit, quas L. Afranius, & M. Petreius, & M. Varro, Pompeiani duces cum legionibus obtinebant. ibi multis prælijs Petreium Afraniumq; superatos, composita pactione dimisit. In ulteriore Hispania duas legiones à M. Varrone suscepit. Similiter & duces eius: Curio Catonem Sicilia expulit: Valerius Cottam Sardinia, Tuberonem ab Africa Varus eiecit. Cæsar rediens Massiliam obsidione domitam, uita tantum & libertate concessa, cæteris rebus abrasit. At uero Dolabella partiũ Cæsaris in Illyrico per Octauium & Libonem uictus, copijsq; exutus, ad Antonium fugit. Basilus & Saluſtius, ducentes singulas legiones, quibus præerant, similiter & Antonius, Hortensius quoq; ab infero mari cum classe concurrens, omnes pariter aduersus Octauium & Libonem profecti, & uicti sunt. Antonius cum se Octauio cum quindecim cohortibus dedisset, omnes ad Pompeium à Libone deducti sunt. Curio ex Sicilia in Africam cum exercitu transgressus est: quem Iuba rex continuo exceptum cum omnibus copijs trucidauit. Octauius Salonas oppugnare conatus, omnes copias quas duxit amisit. Cælius

Aerarium expilatur

Trebonius Maßiliam oppugnat

Cæsar legiones Hispanienses ad se traducit

Duces partiũ

Maßilia dedita

Dolobella copijs exutus

Octauij uictoria

Curio à Iuba cum copijs cæsus

Octauius uictus

lius à Cæsare desciuit, ac se Miloni exuli iunxit. Cumq; ambo seruorum manu Capuam oppugnare molirentur, occisi sunt. Bibulus apud Corcyram pudore uictus, quod custodiæ eius, quam pelago & oppido prætendebat, hostis illuserat, inedia sese uigilijsq; confecit. Appius Claudius Censorinus qui iussu Pompeij Græciam tuebatur, iam abolitam Pythici oraculi fidem uoluit experiri. Quippe ab eo adacta uates descendere in specum, respondisse fertur de bello consulenti: Nihil ad te hoc Romane bellum pertinet: Euboica Cœla obtinebis. Cœla autem uocant, Euboicum sinum. Ita Appius perplexa sorte incertus discessit. Interea apud Dyrachiũ multi orientis reges ad Cn. Pompeium cum auxilijs uenerunt. Quo cum Cæsar uenisset, Cn. Pompeiũ obsidione frustra cinxit, ipse terram quindecim milium passuum fossa præstruens, cum illi paterent maria. Pompeius castellum quoddam propinquũ mari, quod Marcellinus tuebatur, euertit: præsidiaq; Cæsaris, quæ ibidem morabantur, occidit. Cæsar Torquatum legionemq; unam ut expugnaret aggressus est. Hoc periculo sociorũ Pompeius cognito omnes copias eò traxit, & signa eo mouente, fulmina aduersa occurrerunt. Apes quoq; obsedere uexilla. Quo uiso subitus mœror confudit exercitum, fugerunt hostiæ in templis, conuersa simulachra, alia fleuerunt, alia sudarunt. Tantus uero in aëre armorum strepitus fuit, ut Antiochiæ quasi aduentu hostium in muros concurrerent. Interea Cæsar omissa obsidione ad Pompeium se conuertit. Torquatus autem euestigio protumpens, auersum insequutus est. Ita Cæsaris milites ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustra obsistente fugerunt. Euasit tamen Cæsar, quia nocte interueniente Pompeius sequi noluit. Dixitq; Cæsar, nec Pompeium scire uincere, & illa tantũ die potuisse superari. Cæsaq; sunt in eo prælio quatuor milia militum Cæsaris, centuriones uiginti duo, equites Romani complures. Cæsus est & Sceua Cæsaris miles fortissimus. Quem cum milites Pompeij ut se traderet hortarētur, respondisse fertur, se esse fessum. Accurrit unus, uelut accepturus arma. Percutitur, plures simul sternuntur. Ipse autem uulnera accepit capite, humero, fœmore, oculumq; amisit. Scutum eius satis constitit, centum uiginti ictibus petitum fuisse. Deinde Cæsar tacito agmine per Epirum in Thessaliam perrexit. Pompeius cum maximis copijs est sequutus. Bellumq; cõmissum est. Itaq; instruitur utrinq; acies. Pompeius octoginta & octo cohortes triplici ordine locauit, fuere autem peditum plusquam quadraginta milia: equites in sinistro cornu sexcenti, in dextro quingenti. Præterea reges multi. Senatores, equitesq; Romani plurimi, absq; leuium armaturarum magna copia. Cæsar similiter octoginta cohortes triplici ordine disposuit, cui fuere minus quàm quadraginta milia peditum, equites mille. Videre ibi & gemere erat, contractas Romanorum uires in campis pharsalicis ad occisionem mutuo constitisse, quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent. Pri

Cælius & Milo occisi

Bibuli mors

Oraculum Pythicum

Prodigia

Acies Pharsalicæ

ma congressione equitatus Pompeij pulsus, sinistra latera nudauit. Deinde cum diu utrinq; dubia sorte cęderentur, atq; ex alia parte Pompeius diceret: parce ciuibus, nec tamē faceret: ex alia uero Cæsar hoc faceret, quod urgeret dicens, Miles faciem feri: tandem uniuersus Pompeij fugit exercitus, castraq; eius direpta sunt. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum quindecim milia, Centuriones triginta tres. Hic exitus pugnæ ad Palæopharsalum fuit. Pompeius fugiēs in ostio Penei amnis onerariam nauim nactus in Asiam transijt. Inde per Cyprum Alexādriam petijt, ut à rege Ægypti, cui tutor à Senatu datus fuerat propter iuuenilem eius ętatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quàm amicitiā secutus, occidit Pompeium, atq; caput eius & anulum Cæsari misit. Quo conspecto Cæsar etiā lachrymas fudisse dicitur, tanti uiri intuens caput, & generi quōdam sui. Pōpeij uxor filijq; eius fugerunt, cæteraq; Pompeiana classis direpta est, omnibus qui in ea erāt crudelissime trucidatis: ibiq; & Pompeius Bithynicus occisus est. Lentulus uero uir cōsularis apud Pelusiū interfectus est. Cæsar compositis apud Thessaliam rebus, Alexandriam uenit. Cumq; se in regiam recepisset, eludebatur à tutoribus, quo minus pecuniam acciperet, templa sua astu spoliantibus, ut & regios thesauros uacuos esse ostenderent, & in inuidiam Cæsaris populum concitarent. Præterea Achillas dux regius imbutus semel Pompeij sanguine, Cæsaris quoq; necem meditabatur. Nam iussus exercitum dimittere, cui præerat, uiginti milia armatorum, non modo spreuit imperium, uerumetiam aciem direxit, In ipso prælio regia classis ad terram subducta iubetur incendi. Ea flamma cum partem quoq; urbis inuasisset, quadraginta milia librorum proximis forte ædibus condita exussit: singulare profecto monumentum studij curæq; maiorum, qui tot tantaq; illustrium ingeniorum opera congesserant. Vnde quamlibet hodieq; in templis existāt, quæ & nos uidimus armaria librorū: quibus direptis exinanita ea à nostris hominib. nostris tēporib. memorēt, quod quidē uerū est: tamē honestius creditur, alios libros fuisse quæsitos, qui pristinas studiorum curas æmularentur, quàm aliam ullam tunc fuisse bibliothecam, quæ extra quadringenta milia librorum fuisse, ac per hoc euasisse credatur. Postea Cæsar insulam ubi Pharus est cepit. Eò Achillas cum Gabinianis militibus uenit, ingens pugna commissa est. Magna ibi Cæsarianorum multitudo cecidit: omnes etiā interfectores Pompeij interfecti sunt. Cæsar quoq; ui insistentium hostium pressus scapham ascendit, qua mox pondere subsequentium grauata ac mersa, per ducētos passus ad nauem una manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruenit. Mox nauali certamine pulsatus, magna felicitate classem regiam aut depressit aut cepit. Alexandrinis petentibus reddidit regem, monuitq; ut amicitiam Romanam quàm arma experiri studeret. Qui tamen ilico ut liber fuit, bellum Cæsari intulit. sed continuo cū toto exercitu suo & ipse deletus est. Nam x x milia hominum in eo

Pompeius occisus à Ptolemæo

Lentulus interfectus

Cæs. Alexandriam uenit

Achillas dux regius

Bibliotheca cremata

Pugna in Pharo

Naualis uictoria

Ptolemæus amisso exercitu submersus

in eo bello cæsa referuntur, duodecim milia cum septuaginta longis nauibus dedita, quingenti ex uictoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens scapha exceptus ut fugeret, multis insilientibus mersus necatusq; est. Corpus eius ad littus deuolutum, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Qua Cæsar præmissa Alexandriam, Alexandrinos omnes ad deditionem desperationemq; compulit, regnumq; Ægypti Cleopatræ dedit Ptolemæi sorori, cum qua stupri consuetudinem habuerat. Quæ postea regio comitatu urbem ingressa est. Inde Syriam peruagatus, Pharnacem Mithridatis Magni filium, qui Pompeio auxilio apud Thessaliam fuerat, rebellantem in Ponto, & multas Populi Romani prouincias occupantem uicit acie, ac postea in mortem coëgit. Inde Romam regressus, tertio se Dictatorem & Consulem fecit, cum M. Æmilio Lepido, qui & magister equitum Dictatoris causa ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas Romanorum cum Iuba Mauritaniæ rege apud Tapsum bellum reparauerat. Duces autem Romani erant: P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: hic etiam socer Magni Pompeij fuerat: M. Petreius, Varro, M. Portius Cato, L. Cornelius Faustus Syllæ Dictatoris filius. Contra hos commisso bello post multas dimicationes, maxima hominũ multitudo cæsa, uictor fuit Cæsar: castra utrorumq; direpta sunt, sexaginta elephanti capti. Cato apud Vticam sese occidit, Iuba percussori iugulum præbuit, precio dato. Petreius eodem gladio se perfodit. Scipio in naui, qua ad Hispanias fugere contendens uento coactus in Africam redierat, semetipsum iugulauit: in eadem naui T. Torquatus occisus est. Faustum Syllæ quondam Dictatoris filium, Pompeij generum, nepotes, filiamq; Pompeiam, & Afranium, & Petreium filium Cæsar præcepit occidi. Post annum inde Cæsar Romam cum quatuor triumphis ingressus. Quarto Dictator & cos. creatus, disposito reparatoq; Reip. statu continuo in Hispaniam contra Pompeios Pompeij filios profectus, septimodecimo quàm egressus ab urbe fuerat die Saguntum peruenit: statimq; aduersus Pompeios duos & Labienum atq; Accium Varum multa bella uaria sorte gessit. Vltimum bellum apud Mundam gestum est, ubi tantis uiribus dimicatum est, tantaq; cædes acta, ut Cæsar quoq; ueteranis etiam suis cedere non erubescentibus, cum cogi cædiq; aciem suam cerneret, se uoluerit occidere, ne post tantam rei militaris gloriam in potestatẽ adolescentium natus annos sex & quinquaginta ueniret. Deniq; reparatis suis, tum uersus subito in fugam Pompeianorum fugit exercitus. Equidem eo die hoc bellum gestum est, quo Pompeius pater ab urbe bellum gesturus aufugerat. Quatuorq; annis hoc bellum ciuile toto orbe indesinẽter intonuit. T. Labienus, & Accius Varus, in acie occisi sunt. Sextus Pompeius cum centum equitibus aufugit. Cn. Pompeius frater eius cõtracta celeriter non parua Lusitanorum manu, cum Cæsonio congressus & uictus, fugiensq;

Cæsar Cleopatræ regnũ dat

Pharnaces uictus

C. Cæsar M. Lepidus

Iuba cũ Pompeianis uictus

Cædes nobilium Ro.

Belli Hispanien. duces

Præliũ apud Mundam

interfectus est. Munda ciuitas cum immensa hominũ cæde Cæsare oppu-gnante uix capta est. Inde Cæsar bellis ciuilib. toto orbe cõpositis Romã redijt, agere insolentius cœpit, cõtra consuetudinẽ Romanæ libertatis. Cum ergo honores ex sua uoluntate præstaret, qui à populo antea referebantur: nec Senatui ad se uenienti assurgeret, aliaq́ regia ac penè tyrãnica faceret, coniuratum est in eum à ducentis sexaginta uel amplius senatoribus equitibusq́ Romanis. Præcipui fuerunt inter coniuratos duo Bruti, ex eo genere Bruti, qui primus Romæ Cos. fuerat, & reges expulerat, & C. Cassius & Seruilius Casca. Ergo Cæsar quum inter cæteros Senatus quadam die uenisset ad Curiam, uiginti & tribus cultris senatorijs confectus, uulneribusq́ confossus interijt. Quo facto Senatores strictis pugionibus in Capitolium secesserunt. Diu deliberatum est, utrum Capitolium cum autoribus cædis oporteret incendi. Corpus eius raptum, populus dolore stimulatus in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremauit. Eadem nocte Calphurnia uxor uidelicet eius, uidit in somnis eum fossum uulneribus in sinu suo iacere, orauit Cæsarem ne eo mane abiret in Senatum. Sed ille auspiciorum sæpe negligens, contempsit somnium, sed exitu probauit. Ante paucos dies, quàm Cæsar occideretur, in Curia boue ex more mactato, cor in extis non est repertum. Quod cum Spurina aruspex pronunciasset ad uitæ periculum pertinere, ait Cæsar constantiæ memor, Miraris si bos non habeat cor, sed mox ei finis uitę fuit. Idem Spurina ante paucos dies eidem Cæsari dixerat, cauendum ei esse idus Martias. Quo die uiso Spurinæ ait Cæsar: Idus Martiæ uenerunt, ille respondit: Sed nondum transierunt. Eodem die Cæsar confossus est, uir quo nunquã ullus homo magis bellis enituit. Eius siquidem ductu, undecies centum nonaginta & duo milia hostium cæsa sunt. Nam quantum bellis ciuilibus fuderit, noluit annotare. Signis collatis quinquagies dimicauit, M. Marcellum solus supergressus, qui triginta nouem uicibus pari modo fuerat præliatus. Ad hoc nullus celerius scripsit, nemo uelocius legit, quaternas etiã epistolas simul dictauit. Tantæ fuit bonitatis, ut quos armis subegerat, magis clemẽtia uicerit. Eodẽ tẽpore Romæ tres simul exorti soles, paulatim in eundẽ orbẽ coierũt. Inter cætera portenta, quæ toto orbe facta sunt, bos in suburbano Romæ ad arantem loquutus est, frustra se urgeri, non enim frumenta, sed homines defuturos.

Insolentia Cæsaris

Coniurati in Cæsarem

Cæsaris cædes

Cæsaris militaris gloria

DE GESTIS ROMANORVM LI. VII



NNO ab Vrbe condita D. C C. ferè ac nono, interfecto Iulio Cæsare ciuilia bella reparata sunt. Percussoribus enim Cæsaris Senatus fauebat. Antonium Cos. partium Cæsaris ciuilibus bellis opprimere conabatur. Ergo turbata Re publica inter multa scelera, quæ Antonius committebat, D. Brutum apud Mutinam obsidi-one

D. Brutus Mutinæ obsessus

one concluserat, pro qua re à senatu hostis iudicatus est. Missi ad eum expugnandum, liberandumque Brutum duo Coss. Hircius & Pansa, & cum his Octauius adolescens annos natus decem & septem, patre Octauio Senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Iuliam familiam sortitus, Cæsaris nepos, Acciæ sororis eius filius, quem ille testamento hæredem reliquerat, & nomen suum ferre iusserat. Hic est qui postea Augustus est dictus, & rerum potitus. Nam ut breuiter coaceruationem malorum explicem, bella ciuilia quinque gessit, Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Acciacum. Ex quibus duo, hoc est primum ac nouissimum, aduersus M. Antonium, secundum aduersus Brutum & Cassium, tertium aduersus L. Antonium, quartum aduersus Sextum Pompeium Cn. Pompeij filium. Igitur Pansa primo ueniens exceptus insidijs, inter suorum clades ipse quoque pilo grauiter uulneratus, & ab eodem uulnere interpositis diebus mortuus est. Hircius auxilium collegæ ferens, magnas Antonij copias uasta cæde deleuit. Cæsar eatenus castra custodiuit. Secunda aduersus Antonium pugna magnæ utrinque strages actæ sunt. Namque tunc ibi Hircius Cos. occisus est, Cæsar uictoria potitus est. Cui D. Brutus de coniuratione occisi Iulij Cæsaris confessus preces pœnitentiæ fudit. Fugatus Antonius amisso exercitu cõfugit ad Lepidum, qui Cæsaris equitum magister fuerat, & tum militum copias grandes habebat: à quo susceptus est. Dolobella Trebonium unum ex interfectoribus Cæsaris Smyrnæ interfecit. Consulum occisorum uterque exercitus Cæsari paruit. Postea D. Brutus in Gallia à Sequanis captus & occisus est. Basilus autem eques unus de percussoribus Cæsaris manu seruorum necatus est. Interea Lepido operam dante, Cæsar Antonium recepit in gratiam, atque ob fidem reconciliatæ gratiæ filiæ eius matrimoniũ sortitus est: & ut uindicaturus patris sui mortem, à quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus est. Cumque in urbe rumor de futura proscriptione ortus esset, C. Toranius uir Prætorius nihil tale metuens, incursu militum domi suæ interfectus est: alijque complures trucidati sunt: & cum Antonio ac Lepido Cæsar Remp. armis tenere cœpit. Itaque ne latius atque effrenatius incircunscripta cædes ageretur, centum triginta & duo senatorum nomina in tabula proposita sunt, primum Lepidi præcepto & nomine, deinde Antonij, tertio Cæsaris. Ibi Antonius Tullium Ciceronem inimicum suum proscripserat, ibi Lepidus L. Paulum fratrem suum in eundem proscriptorum gregem coniecerat. Adiecti sunt postea ad numerum proscriptorum triginta equites Romani, multæ diu ac uariæ cædes actæ, domus proscriptorum direptis omnibus dirutę sunt. At Dolobella in Syria multa cum Cassio interfectore Iulij Cęsaris bella gessit, à quo uictus sese interfecit. Brutus & Cassius interfectores Cæsaris magnis exercitibus comparatis per Ma-

Hircius Pansa

Augustus

Pansæ interitus

Hircij mors

Cæsaris uictoria

Lepidus Antoniũ suscipit

Trebonius interfectus

Cæsar exercitum adeptus

D. Brutus occisus

Basili mors

Antonius Cæsari reconciliatus

Vindicta Cæs.

Toranij cædes

Proscriptio triumuiralis

Cicero proscrip.

L. Paulus proscriptus

Dolobellæ exitium

Brutus et Cassius exercitus comparant

cedoniam & orientem apud Athenas conuenerunt, totamq; Græciam depopulati sunt. Rhodios Cassius terra mariq; oppugnatos ad deditionem coëgit, quibus præter uitam nihil reliquit.

Rhodus Cassio dedita

Igitur profecti sunt contra eos Cæsar Octauianus & M. Antonius. Remãserat enim ad defendendam Italiam Lepidus. Apud Philippos Macedoniæ urbem contra eos magnis bellorum apparatibus pugnauerunt, eosq; persecutos ad mortem compulerunt, quamuis manifestissime tunc illa pugna non uirtute partis Antonij, sed Cæsaris felicitate confecta sit.

Prælium apud Philippos

Cæsar enim tunc æger, cum se in castris Pharsalicis capiendæ quietis causa tenere statuisset, & apud Philippos luce uentura certaturæ ciuile bellum inter se Romanæ manus essent, hortatu & precibus medici sui Artorij, qui per somnium à Minerua admonitum sese fatebatur, ut ea die è castris Cæsarem salutis ipsius causa duceret in campum, cum lectica ægre inter copias egressus est. Sed intento eo in euentum uictoriæ, Brutus castra eius cepit. Sed rursus Cæsariani milites Bruti & Cassij castra ceperunt. Qua re ad desperationem adacti Brutus & Cassius immaturam sibi mortem ante belli terminum consciuerunt. Nam inuitatis percussoribus Cassius caput, Brutus latus præbuit. eo bello quod apud Philippos gestũ est, uisum est Cassio, q̃d purpuratũ Iuliũ Cæsarem auunculum suum equo incitato in se irruentem uideret. Qui mox gemens exclamauit: Cedamus, quando nec occidisse prodest.

Somnium

Brutũs & Caßius cæsi

Interea inter Augustum & Antonium sic est Resp. diuisa, ut Augustus Hispanias, Gallias & Italiam teneret: Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed in Italia L. Antonius Consul bellum ciuile commouit, frater eius qui cum Cæsare contra Brutum & Cassium dimicauerat. Is apud Perusium Thusciæ ciuitatem uictus & captus atq; occisus est. At Romæ uxor Antonij Fuluia, Cæsaris socrus, dominatum ut mulier agitabat, Incertum in hac mutatione consularis regijq; fastigij utrum deficientis potentiæ ultima, an incipientis prima nominanda, certe etiam in eos insolens, per quos ut insolesceret agebatur. Nam & Cæsarem reuersum apud Brundusium contumelijs & factionibus atque insidijs petijt. A quo propulsata ad Antonium concessit in Græciam.

Bellum Perusinum

Fuluia

Sex. Pompeius Cn. Pompeij filius, postquam se in proscriptorum numerum relatum comperit, conuersus in latrocinia omnem oram maritimam Italiæ cædibus rapinisq; uastauit. In Sicilia præterea ingens bellum commouit, cum his qui supererant ex partibus Bruti & Cassij, qui ad eum confluxerant, commeatibusq; impeditis Romam fame affecit. Tunc per Cæsarem Octauianum & M. Antonium superatus est bello. Mox cum eo pacem Triumuiri, ut non dicam Tyranni, id est, Lepidus, Cæsar, Antoniusq; fecerunt. Sed continuo cum contra pactum Pompeius fugitiuos allegeret, ut hostis habitus est. Mena libertus Pompeij cum sexaginta nauium classe ad Cæsarem defecit, eidemq; classi ipse

Bellũ Siculum

Mena ad Cæs. deficit

ipse iussu Cæsaris præfuit. Idemq́ cõtinuo cum Statilio Tauro aduersum Menecraten Pompeianũ ducem, nauale bellum gessit. Deinde ipse Cæsar aduersus eosdem Pompeianos cruentissimum bellum confecit. Sed continuo uictricem classem penè uniuersam apud Scyllaceũ naufragio amisit. Eodem tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit. Et L. Ventidius Bassus Persas & Parthos in Syriam irrũpentes tribus maximis bellis fudit, regemq́ eorum Pacorum Horodis regis filium in acie interfecit, ea scilicet die, qua olim Horodes rex per duces Surenam & Sulacem Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum Romę egit. Antonius uix uno castello expugnato, pacem cum Antiocho fecit, ut ipse tantam rem consummasse uideretur. Ventidium Syriæ præfecit, iussitq́ ut Antigono bellum inferret, qui Iudæos tum forte debellauerat, captaq́ Hierosolyma, regnum Herodi dederat, quem continuo uictum in deditionem recepit. Mena libertus cum sexaginta nauibus ad Pompeium rediјt, à quo clementer acceptus, Cęsaris classem incendit, quamuis alteram nuper Cæsar secundo naufragio perdidisset. Idemq́ Mena postea ab Agrippa nauali prælio circumuentus, cum sex triremibus ad Cæsarem transiјt. Sed hunc Cæsar tertio transfugã, indulta tantũ uita segnem reliquit. Deinde Agrippa inter Mylas & Liparam insulam aduersum Democham & Pompeium nauale prælium gessit, & uicit: ibiq́ tunc naues triginta aut demersit, aut cepit, reliquis laceratis Pompeius Messanam confugit. Cæsar interea Tauromínium traiecerat, quem Pompeius repentino impetu afflixit. Vnde multis nauibus suis demersis, ac magna multitudine suorum militum perdita, in Italiam Cæsar aufugit. Nec interueniente mora in Siciliam rediјt, ibiq́ Lepidum ex Africa aduentantem obuium habuit, summas sibi partes terrore, minis, ac superbia uendicantem. Post dies paucos Agrippa iussu Cæsaris à littore cum acie instructa prospectantis, atrocissimo nauali prælio aduersus Pompeium conflixit & uicit. Nam centum sexaginta & tres naues aut demersit, aut cepit. Pompeius cum decem & septem nauibus uix lapsus euasit. Lepidus magna uiginti legionum insolentia tumens, cum Messanam militibus permissam diripuisset, ipsum Cæsarem ad se uenientem semel atque iterum spreuit, ac potius telis appeti iussit. Quæ ille collecta in leuum brachium lacerna se protegendo uitauit. Mox immisso equo ad suos reuersus, instructóque exercitu aduersum Lepidum ueniens, plurimas legiones Lepidi paucis interfectis transire in suam partem compulit. Lepidus tandem intelligens, quò uanitas sua intenderet, deposito paludamẽto, assumptaq́ ueste pulla, supplex Cæsari factus uitã & bona impetrauit, ꝑpetuo quidẽ multatus exilio. Taurus præfectus Cæsaris totam penè Siciliam ferro pertentatã contritamq́ in fidem recepit. XLIIII legiones sub unius tunc imperio Cæsaris erant. Milites multitudine ferociores

Statil. Taurus

Naufragiũ uictricis classis

M. Agrippa

Pacorus rex à Ventidio in acie cæsus

Antiocho pax data

Herodes rex

Antigonus deditus

Mena ad Põpeium redit

Mena tertio transfuga

Agrippæ naualis uictoria

Legiones Lepidi ad Cæsarem transeũt

Lepidi exiliũ

Taurus Siciliam recipit

44. leg. Cæs.

quoſdam pro accipiendis agris tumultus concitauerant. Sed Cæſar animo ingens uiginti milia militum exautorauit, triginta milia ſeruorum dominis reſtituit, ſex milia, quorum domini non extabant, in crucem egit. Ouans urbem ingreſſus, ut in perpetuum Tribunitiæ poteſtatis eſſet à Senatu decretum eſt. His diebus trans Tyberim è taberna meritoria fons olei de terra emanauit, ac per totum diem largiſſimo riuo profluxit. Antonius uero contra Parthos profectus, poſtquam Araxem tranſmiſit, omnibus undiq; malis circumuentus, uix tandem Antiochiam cum paucis rediјt. Nam quum multitudine equitum & ſagittariorum ab omnibus prælijs, quæ plura tentauit, ſemper uictus effugerit, tum præterea incertis & ignotis regionis locis impeditus grauiſſima fame ad nefandos cibos coactus eſt. Plurimi militum ſeſe hoſtibus dediderunt. Inde in Græciam tranſijt, iuſſitq; Pompeium, qui uictus à Cæſare exercitum bellumq; reparabat, cum paucis ad ſe uenire. Pompeius fugiens à Tito & Furnio Antonianis ducibus ſæpe terreſtri naualiq; bello uictus & captus atq; occiſus eſt. Cæſar Illyricũ, Pannoniam, & partem Italiæ bellis ſubegit & domuit. Antonius Artabazem Armeniæ regem proditione & dolo cepit, quem argentea catena uinctum ad confeſſionem theſaurorum regiorum coëgit, expugnatoq; præſidio, in quo conditos eſſe prodiderat, magnam uim auri argentiq; abſtulit. Qua elatus pecunia, denunciari bellum Cæſari præcepit, atq; Octauiæ ſorori Cæſaris uxori ſuæ repudium indici iuſſit, & Cleopatram ſibi ab Alexandria occurrere imperauit. Ipſe Actium profectus, ubi claſſem conſtruxerat, cum prope tertiam partem nautarũ fame abſumptam offendiſſet, nihil motus, remi, inquit, modo ſalui ſint: nam remiges non deerunt, quouſq; Græcia homines habuerit. Cæſar igitur ducentis triginta roſtratis nauibus in Epirũ à Brunduſio profectus eſt. Agrippa uero præmiſſus à Cæſare multas onerarias naues frumento armiſq; graues, ab Ægypto, Syria Aſiaq; ad ſubſidium Antonio uenientes, cepit: peragratoq; Peloponnenſium ſinu Methonã urbẽ ualidiſſimo Antoniano præſidio munitã expugnauit. Inde Corcyrã cepit, fugiẽtes nauali prælio perſequutus profligauit, multiſq; rebus cruentiſſime geſtis ad Cæſarẽ uenit. Antonius defectu & fame militũ ſuorũ permotus, bellũ maturare inſtituit, ac de repente inſtructis copijs ad Cæſaris caſtra proceſſit, & uictus eſt. Tertio poſt pugnã die Antonius caſtra ad Actiũ trãſtulit, nauali prælio decernere paratus. Ducentæ triginta roſtratæ fuere Cæſaris naues, & triginta ſine roſtris triremes, uelocitate pares, & octo legiones claſſi ſuperpoſitæ abſq; cohortibus quinq; prætorijs. Claſſis Antonij CLXX nauiũ fuit, quantũ numero cedens, tantũ magnitudine præcellens. Nam decem pedum altitudine à mari aberant. Famoſum & magnum hoc bellum apud Actium fuit, qui locus in Epiro eſt: ab hora quinta uſq; in horam ſeptimã incerta uincẽdi ſpe, grauiſſimę utrinq; cędes actæ

Seruorũ VI M. in crucem
Trib. poteſtas Cæſari decreta
Prodigium
Antonius à Parthis repulſus
Sex. Pompeij exitus
Illyricum & Pannonia ſubiguntur
Artabazes captus
Antonius bellum Cæſari indicit
Antonij tyrãnica uox
Nauale prælium ad Actiũ

actæ. Reliquum diei cum subsequente nocte in uictoriam Cæsaris declinauit. Prior regina Cleopatra cum sexaginta uelocissimis nauibus fugit. Antonius quoque detracto insigni prætoriæ nauis, fugientem sequutus est uxorem. Illucescente autem die, uictoriam Cæsar consummauit. Ex uictis duodecim milia cecidisse referuntur, sex milia uulnerata sunt, è quibus mille inter curandum defecerunt. Antonius quoque & Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazæ ad rubrum mare præmittendos censuerunt. ipsi præsidijs circa duo Ægypti cornua, Pelusium Paratoniumq́, dispositis, classem & copias instaurando bello parauerunt. Cæsar sextum imperator appellatus, & quartum ipse cum M. Licinio Crasso Cos. Brundusium uenit. Vbi orbis terrarum præsidia diuisis legionibus composuit. Inde in Syriam profectus mox Pelusium adijt, ubi ab Antonianis præsidijs ultro susceptus est. Interea Cornelius Gallus præmissus à Cęsare, quatuor legiones, quas Antonius apud Cyrenas pręsidij loco constituerat, suscepit in fidem: atque inde Parętonium primam Ægypti à Libyę parte ciuitatem cepit, ipsumq́ Antonium cōtinuo apud Pharum uicit. Antonius equestre aduersum Cęsarem inijt bellum, in eo quoque miserabiliter uictus aufugit. Calendis Sextilibus prima luce Antonius cum ad instruendam classem in portum descenderet, subito uniuersę naues ad Cęsarē transierunt. Cumq́ unico pręsidio spoliatus esset, trepidus se cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente Cęsare, turbataq́ ciuitate, idem Antonius sese ferro transuerberauit, ac semianimis ad Cleopatram, in monumentum, in quod illa se mori certa condiderat, perlatus est. Cleopatra exornata diuersis ornamentis ad Cæsarem uenit, sperans eum ut cæteros sua specie ad libidinem illicere. Sed ille se intra se coartans ad eius concupiscentiam minime inflexus, eam mox custodiri mandauit. At illa postquam se ad triumphum seruari intellexit, è custodia elapsa, in precioso suo sepulchro iuxta Antonium se suum collocans, sibi aspidem in sinistro brachio admisit, & eius ueneno exanimata est, frustra etiam Cæsare admouente Psyllos, qui uenena serpentium è uulneribus hominum haustu reuocare atque exugere solent. Cæsar Alexandria urbe omnium longe opulentissima & maxima uictor potitus est, cum tota Ægypti regione, præpositúsque est ei Cn. Cornelius Gallus datus: Nam & Roma in tantum opibus eius aucta est, ut propter abundantiam pecuniarum duplicia quàm usque ad id tempus fuerant, possessionum, aliarúmque rerum uenalium precia statuerentur. Et ut annonæ urbis copiam efficeret, fossas incuria uetustatis limo clausas labore militum patefecit, & urbi annua ex Aegypto ducenties centena milia frumenti inferebantur. Interea iussu Cæsaris occisi sunt, maior Antonij filius, & P. Canidius, infestissimus quidem Cæsari, sed & Antonio infidus, & Cassius Parmensis, ultima uiolati patris Cæsaris uictima: & Quintus Ouinius, ob eam maxime notam, quod obscœnissimæ lani-

C. Cæsar M. Crassus

Pelusium Cæsari deditum

Parætonium à Gallo captū

Classis Antonij ad Cæsarē transit

Interitus Antonij

Cleopatræ mors

Corneli. Gallus Aegypto præpositus

P. Canidius Cassius Parmensis Q. Ouinius

lanificio textrinoq́ reginæ Senator populi Ronani pręesse non erubuerat. Dehinc Cęsar pedestribus copijs in Syriam uenit, deinde in Asiam ad hyberna concessit, ac post per Græciam Brundusium peruectus est.

AVGVSTVS CAESAR

C. Cæsar L. Apuleius — Anno ab Vrbe condita DCC. XXV. ipso Imperatore Cæsare Augusto V, & L. Apuleio Coss. Cæsar uictor ab oriente rediens VIII idus Ianuarij Vrbem triplici triumpho ingressus est. Du-

Triumphus Augusti — cti sunt ante eius currum Sol & Luna Cleopatræ liberi: ac tum primum

Ianus clausus — ipse portas Iani, sopitis finitisq́ omnibus bellis ciuilibus, clausit. Hodie pri-

Augusti cognomen — mum Augustus, quod Remp. auxerit, consalutatus est: quod nomen cunctis antea inuiolatum, & hucusq́ cæteris inausum, Dominis tantum orbis licite usurpatum, apicem declarat imperij: atque ex eadem die summa re-

Augustus monarcha — rum ac potestatum penes unum esse cœpit & mansit, quod Græci μοναρχίαν uocant. Nec ullo tempore ante Cæsarem Augustum magis Romana res floruit. Nã cum primo C. Cæsare auunculo suo interfecto ex Apollonia rediens urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente puro ac liqui-

Prodigium — do sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambijt: quasi eum unum ac potentissimum in hoc mundo, solumq́ clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore uenturus esset, qui ipsum solem solus mundumq́ totum & fecisset & regeret. Deinde cum secundo in Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus triginta milia seruorũ dominis restituisset, & quadraginta quatuor legiones solus imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuisset, ouansq́ urbem ingressus esset, omnia populi Romani debita

Po.Ro. debita donata — donanda, literarum etiam monumentis abolitis censuit. Anno ab Vrbe condita DCC. XXVI. Imperatore Augusto Cæsare sexies, & bis M.

Cæsar Augustus VI Agrippa II — Agrippa Coss. Cæsar parum in Hispania per ducentos annos actum intelligens, si Cantabros, atq́ Astures, duas fortissimas gentes Hispaniæ, su-

Bellum Cantabricum — is uti legibus sineret, aperuit Iani portas, atq́ in Hispanias ipse cum exercitu profectus est. Cantabri & Astures Galleciæ prouinciæ portio sunt, qua extentum Pirenæi iugum haud procul secundo oceano septentrione deducitur. Hi non solum propriam libertatem tueri parati, uerum etiam finitimorum præripere ausi, Vacceos & Turmogos & Aurigonas assiduis eruptionibus depopulabantur. Igitur Cæsar apud Segisamam castra posuit, tribus agminibus totam penè amplexus Cantabriam. Diu fatigato frustra atque in periculum sæpe ducto exercitu, tandem ab Aquitanico sinu per oceanum incautis hostibus admoueri classem, atque exponi copias iubet. Tum demum Cantabri sub mœnibus Atticæ maximo congressi bello & uicti, in Vinnium montem natura tutissimum confugerunt, ubi fame

Cãtabri uicti — obsidionis ad extremum penè cõsumpti sunt. Tracilium deinde oppidum magna ui ac diu repugnans, postremo captum ac dirutum est. Præterea ulteriores

ulteriores Gallecię partes, quę montibus syluisq; consitę oceano terminantur, Antistius & Firmius legati magnis grauibusq; bellis perdomuerunt. Nam & Medullium montem Minio flumini imminentem, in quo se magna multitudo hominum tuebatur, per quindecim milia passuum fossa circumseptum, obsidione cinxerunt. Itaq; ubi se gens hominum trux & ferox natura, neq; tolerandę obsidioni sufficientem, neque suscipiendo bello parem intelligit, ad uoluntariam mortem seruitutis timore concurrit. Nam se penè omnes igne, ferro, ac ueneno necauerūt. Astures uero positis castris apud Asturam flumen, Romanos nisi prouisi prçuentiq; essent, magnis consilijs & uiribus oppressissent. Tres legatos cum legionibus suis in tria castra diuisos, tribus ęque agminibus obruere repente moliti, suorum proditione detecti sunt. Eos postea Carusius bello exceptos, non parua etiam Romanorum militum clade superauit, pars eorum prælio elapsa Lanciam confugit. Cumq; milites circumdatam urbem incendio adoriri pararent, dux Carusius & à suis cessationem impetrauit incendij, & à Barbaris uoluntatem deditionis exegit. Studiose enim nitebatur integram atque incolumem ciuitatem uictorię suę testem relinquere. Cantabricę uictorię hūc honorem Cæsar detulit, ut tunc quoque belli portas claustro cohiberi iuberet. Ita tunc secundo per Cæsarem, quarto post Vrbem conditam clausus est Ianus. Post hoc Claudius Drusus, priuignus Cæsaris Galliam Rhetiamq́ue sortitus maximas fortissimasq; gentes Germanię armis subegit. Nam tunc ueluti ad constitutum pacis diem festinarent, ita omnes ad experientiam belli, decisionemúe fœderis undatim gentes commouebantur, aut suscepturę conditiones pacis, si uincerentur, aut usurę quieta libertate si uincerent. Norici, Illyrici, Pannonij, Dalmatę, Mœsij, Thraces, Daci, Sarmatę, plurimiq; & maximi Germanię populi, per diuersos duces, uel superati sunt, uel repressi, uel etiam obiectu maximorum fluminum Rheni, Danubijq; seclusi sunt. Drusus in Germania primos Vsipetes, deinde Tencteros & Chattos perdomuit: ipsos quoque trans Albim fluuium submouit, qui in Barbarico longe ultra Rhenum sunt. Marcomannos quoque penè ad internitionem cecidit. Postea fortissimas nationes, & quibus natura uires, consuetudo experientiam uirium, dabat: Cheruscos, Sueuos & Sycambros pariter uno bello etiam suis aspero superauit. Quorum ex eo considerari uirtus ac feritas potest, quod mulieres quoque, si quando præuentu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, uel qualibet re, qua uelut telo uti furor posset, paruos filios collisos humi, in hostium ora iaciebant, in singulis filiorum necibus bis parricidę. Tunc etiam in Africa Massulanos & Getulos latius uagantes Cossus dux Cæsaris artatis finibus coërcuit, atque à Romanis limitibus abstinere metu compulit. Interea Cæsarem apud Tarraconem citerioris Hispanię legati Indorum & Scytharum toto orbe transmisso, tandem ibi inuenerunt,

Gallecia domita

Astures uicti

Lancia dedita

Ianus secūdo per Cæsarem clausus.

Drusus
Vsipetes
Tencteri
Chatti
Marcomanni
Cherusci
Sueui
Sycambri

Germanarū immanitas
Coßus

Indorum & Scytarū lega.

inuenerunt, ultra quod quærere iam nõ possent: refuderuntq; in Cæsarem Magni Alexandri gloriam, quem sicut Hispanorũ Gallorumq; legatio in medio oriente apud Babyloniã contemplatione pacis adijt: ita hunc apud Hispaniã in occidentis ultimis supplex cũ gentilicio munere Eous Indus, & Boreus Scytha orauit. Cãtabrico bello per quinq; annos acto, totaq; Hispania in æternam pacem cum quadam respiratione lassitudinis reclinata ac reposita, Cæsar Romam redijt, quibus etiam diebus multa per se, multaq; per duces & legatos bella gessit. Nam inter cęteros Piso aduersus Vindelicos missus est. Quibus subactis uictor ad Cæsarem Lugdunum uenit. Pannonios nouo motu intumescentes, Tiberius priuignus Cæsaris cruentissima cæde deleuit. Idemq; continuo Germanos bello arripuit, è quibus quadraginta milia captiuorum uictor abduxit. Quod re uera bellum maximum, & formidolosissimum quindecim legionibus per triennium gestum est: nec ferè ullum maius bellum, sicut Suetonius attestatur, post Punicum fuit. Sub eodẽ uero tempore Quintilius Proprætor cum tribus legionibus trans Rhenum fluuium à Germanis rebellantibus, mira superbia atq; auaricia in subiectos agens, funditus deletus est cũ Tribunis & Quæstoribus. Quam Reip. cladẽ Cæsar Augustus adeo grauiter tulit, ut ueste, capilloq; ac reliquis lugentium indicijs deformis, & sæpe per uim doloris caput parieti collidens clamaret: Quintili Vare, redde legiones. Bosphoranos uero Agrippa superauit, & signis Romanis, quæ illi quondam sub Mithridate abstulerant, bello recuperatis ad deditionem coëgit. A Parthis Armeniam recepit. Parthi quasi toto orbe terrarum uel domito, uel pacato, omniũ oculis signarentur, atq; in se solos omnis uigor Romani imperij uertẽdus esset: quippe quos pristina ulciscendæ Crassianæ cędis cõscientia mordebat: ultro signa quæ Crasso abstulerant, ad Cæsarem remiserunt, obsidibusq; regijs traditis, firmum fœdus fidelissima supplicatione meruerunt. Galatia quoq; sub hoc prouincia facta est, cum antea regnũ fuisset, primusq; eam M. Lolius pro Prætore administrauit. Tanto autẽ amore etiam apud Barbaros fuit, ut reges Populi Romani amici in honorem eius conderent ciuitates, quas Cæsareas nominarent: sicut in Mauritania à rege Iuba, & in Palæstina, quæ nunc est urbs clarissima. Multi autem reges ex regnis suis uenerunt, ut ei obsequerẽtur, & habitu Romano, togati scilicet, ad uehiculum, uel ad equum ipsius cucurrerũt. Adeo deniq; turbas, bella, simultates, exe cratus est, ut nisi iustis de causis, nunquam genti cuiquam bellum intulerit: iactantisq; esse ingenij & leuissimi dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id est folia infructuosa, in discrimen per incertos euẽtus certaminum securitatem ciuium præcipitare: neq; imperatori bono quicquam minus quàm temeritatem cõgruere: satis celeriter fieri, quicquid commode gereretur: armaq; nisi maioris emolumenti spe, nequaquam mouenda esse, ne compendio tenui, iactura graui, petita uictoria similis sit hamo aureo piscantibus

Vindelici à Pisone subacti

Tiberius Pannonios domat

Bellũ Germanicum

Variana clades

Bosphorani ab Agrippa subacti

Armenia recepta

Parthi signa remittũt & obsides tradunt

Galatia prouincia facta

M. Lolius

Cæsareæ conditæ

Augusti dicta

ſcantibus,cuius abrupti amiſſiq́ꝫ detrimentum nullo capturæ lucro penſari poteſt. Auunculi quoq́ꝫ inuentum uehementer arguebat,qui milites commilitones nouo blandoq́ꝫ more appellans, dum affectabat charior fieri,autoritatem principis emollliuerat.Iſte in imperio poſitus Tribunitiam poteſtatem per ſe exercuit.Deniq́ꝫ erga ciues clementiſſime uerſatus, in amicos fidus extitit:quorum præcipui erant,ob taciturnitatem Mecœnas,ob patientiam laboris,modeſtiaq́ꝫ Agrippa.Diligebat præterea Virgilium, Flaccumq́ꝫ poetas:Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas conſtantiſſimus: Liberalibus ſtudijs præſertim eloquentiæ intantum incumbens,ut nullus ne in procinctu quidē laberetur dies, quin legeret, ſcriberet, declamaret.Leges alias nouas,alias correctas protulit ſuo nomine. Auxit ornauitq́ꝫ Romam ædificijs multis,iſto glorians dicto: Vrbem latericiam reperi,relinquo marmoream.fuit mitis,gratus,ciuilis animi & lepidi, corpore toto pulcher, ſed oculis magis, quorum acies clariſſimorum ſyderū modo uibrans,libenter accipiebat cedi ab intendentibus tanquam ſolis radijs aſpectui ſuo.A cuius acie dum quidam miles auerteret oculos,& interrogaretur ab eo,cur ita faceret,reſpondit:quia fulmen oculorum tuorū ferre non poſſum.Nec tamen uir tantus carere uicijs potuit. fuit enim paululum impatiens, leuiter iracundus,oculte inuidus,palàm factioſus.Porrò autem dominandi, ſupra quàm æſtimari poteſt, cupidiſſimus, ſtudioſus aleæ luſor. Cumq́ꝫ eſſet uini ac cibi multum,aliquatenus uero ſomni abſtinens,ſeruiebat tamen libidini uſq́ꝫ ad probrum uulgaris famæ. Nam inter duodecim catamitos,totidemq́ꝫ puellas cubare ſolitus erat.Abiecta quoq́ꝫ uxore Scribonia amore alienæ coniugis obſeſſus,Liuiam quaſi marito concedente ſibi cōiunxit.Cuius Liuiæ iam erāt filij Tiberius & Druſus. Cumq́ꝫ eſſet luxuriæ ſeruiens,erat tamen eiuſdem uitij ſeueriſſimus ultor,more hominum qui in ulciſcendis uicijs,quibus ipſi uehementer indulgent,acres ſunt.Nam poetam Ouidium, qui & Naſo, pro eo quod tres libellos artis Amatoriæ ſcripſerat,irreuocabili damnauit exilio. Quodq́ꝫ eſt læti animi uel amœni, delectabatur omni genere ſpectaculorum,præcipue ferarum incognita ſpecie & infinito numero.Nam & in adipiſcendo principatu oppreſſor libertatis eſt habitus,& in gerendo ciues ſic amauit, ut tridui frumento in horreis uiſo,quondam ſtatuiſſet ueneno emori,ſi è prouincijs claſſes interea non uenirent:quibus aduectis,felicitati eius ſalus patriæ eſt attributa. Itaque Anno ab Vrbe condita DCCLII. Cæſar Auguſtus ab oriente in occidentem,à ſeptentrione in meridiem,ac per totum oceani circulum cunctis gentibus una pace compoſitis,Iani portas tertio ipſe tūc clauſit, quas ex eo per duodecim ferè annos,quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo ſignauit.Nec unquam niſi ſub extrema ſenectute Auguſti, pulſante Athenienſium ſeditione, & Dacorum commotione patuere. Clauſis igitur Iani portis Remp.quā bello quæſierat,pace nutrire & amplificare ſtudēs, leges

Auguſti laudes

Mecœnas
Agrippa
Virgilius
Flaccus

Vrbs pro latericia marmorea

Auguſti uitia

Naſonis exilium

Auguſtus tertio Ianū clauſit

plurimas statuit, per quas humanũ genus libera reuerentia disciplinæ morem gereret. Domini appellationẽ ut opprobriũ declinauit. Nam quum eo spectãte ludos, pronuntiatũ esset in Mimo: O dominũ æquũ & bonũ, uniuersiq; quasi de ipso dictum esset, exultanter approbauissent, & statim quidem manu uultuq; indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumq; se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut nepotibus suis uel serio uel ioco passus est. Huius temporibus Romæ sapientes insignes erant, Virgilius, Flaccus, Salustius, Liuius, Horatius, Athenodorus Tarsensis, & Sotio Alexãdrinus. Idem uero Augustus habitatoribus Romanæ urbis, per facies dinumeratis, inuenit uirorum habitantium in ea centies tricies & semel milia triginta septem. Igitur eo tempore, id est, quadragesimo secundo imperij sui anno, quo firmissimam uerissimamq; pacem ordinatione Dei Cæsar cõposuit, natus est CHRISTVS, cuius aduentui pax famulata est. In cuius ortu audientibus hominibus exultantes Angeli cecinere: GLORIA IN EXCELSIS DEO, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Anno ab Vrbe cõdita DCC. LX. quatuordecim uicos Vrbis, incertum unde cõsurgens flamma consumpsit. Nec unquam, ut ait Liuius, maiore incendio uastata est, adeo ut post aliquot annos Cæsar Augustus ad reparationem eorum, quæ tunc exusta erant, magnam uim pecuniæ ex ærario publico largitus sit. Postquam redemptor mundi Dominus IESVS CHRISTVS uenit in terras, & Cæsaris censu ciuis Romanus ascriptus est, cum per duodecim, ut dixi, annos clausæ belli portæ beatissima pacis tranquillitate cohiberẽtur, Caium nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas Ægypti, Syriæq; prouincias misit. Qui præteriens ab Ægypto fines Palestinæ apud Hierosolymam in templo dei tunc sancto & celebri adorare cõtempsit, sicut Suetonius Tranquillus refert. Quod Augustus ubi per eum comperit, prauo usus iudicio, prudenter eum fecisse laudauit. Itaq; anno imperij Cæsaris XLVIII, adeo dira fames Romanos cõsequuta est, ut Cæsar lanistarum familias, omnesq; peregrinos, seruorum quoq; maximas copias, exceptis medicis & pręceptoribus trudi Vrbe præceperit. Ita peccante principe in Sanctũ dei, & correpto per famem populo, quantitatem offensionis, qualitas ultionis ostẽdit. Deinde, ut uerbis Cornelij Taciti loquar, sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarũ terminos nouæ gentes sæpe ex usu, & aliquando cum damno quæruntur, usq; ad Vespasiani durauit imperium. Interea Cæsar Augustus annos natus octo & septuaginta ingressus, Nolam morbo interijt: quanquam alij scribant dolo Liuiæ extinctũ, metuentis, ne quia priuignum Agrippam, quem odio nouercali in insulam relegauerat, reduci compererat, eo summam rerum adepto pœnas daret. Sepultus Romæ est in campo Martio. Igitur mortuum seu necatum, multis nouisq; honoribus Senatus censuit decorandum. Nam præter id quod antea Patrem patriæ dixe-

Augusti ciuilitas — *Scriptores clari* — *Christus natus* — *Incendium Romæ* — *Caius Augusti nepos* — *Fames Romæ* — *Ianus rursum apertus usque ad Vespasia.* — *Augusti obitus*

triç dixerat,templa tam Romç, quàm per Vrbes celeberrimas ei consecra/uit,cunctis iactantibus uulgo: Vtinam aut non nasceretur,aut non moreretur,uir qui non immerito ex maxima parte deo similis est putatus . Neque enim facile ullus eo aut in bellis felicior fuit , aut in pace moderatior. Quadraginta & quatuor annis,quibus solus gessit imperium,ciuilissime uixit,in cunctos liberalissimus,in amicos fidelissimus,quos tantis euexerat honoribus,ut penè æquaret fastigio suo.Imperauit annos quinquaginta & sex:duodecim cum Antonio & Lepido:quadraginta & quatuor solus . Qui certe nunquam Reip.ad se potentiam traxisset,aut tam diu ea potiretur,nisi magnis naturæ & studiorum bonis abundasset.Remp. beatissimam Tiberio successori reliquit.

Templa Augusti

TIBERIVS CAESAR

ANNO ab Vrbe condita DCC.LXVII. Tiberius Cæsar Liuiæ filius secundus imperiū adeptus est:qui priuignus Cæsaris , mox gener,postremo adoptione filius fuerat.Iste quia Claudius Tiberius Nero dicebatur,eleganter à iocularibus Caldius Biberius Mero ob uinolentiam nominatus est . Satis prudens in armis, satisq; fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit , ut non immerito Reip. dominatus ei committeretur.Inerat ei scientia literarum multa:eloquio clarior,sed ingenio pessimo,truci,auaro,insidioso,simulans ea se uelle,quæ nollet, his quasi infensus quibus consultum cupiebat:his uero quos oderat,quasi beniuolus apparens . Repentinis responsionibus aut consilijs melior quàm quæsitis. Deniq; delatum à patribus principatum,quod quidem astu perfecerat,finxit se abnuere,quid singuli dicerent uel sentirent , atrociter explorans,quæ res bonos quosq; pessundedit. Æstimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis molestiæ magnitudinem declinare,cum sententias ad eius uoluntatē promunt, incidere exitia suprema . Nusquam ipse pugnauit,sed ne per legatos quidem aliqua grauia bella gessit:nisi quod tantum aliquantis in locis præcogniti cito gentium tumores comprimebantur. Sanè quarto imperij eius anno,Germanicus Drusi filius,Caligulæ pater, de Germanis,ad quos ab Augusto sene missus fuerat,triumphauit . Quosdam reges per blanditias ad se euocatos,nunquam remisit,in quibus Archelaū Cappadocem:cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit,& maximam ciuitatem appellari suo nomine iussit,quæ nūc Cæsarea dicitur , cum antea Mazaca diceretur. Getulorum latrocinia repressit . Marobodum Sueuorū regem callide circumuenit . Plurima sui parte imperij,cum magna & graui modestia Reip.præfuit,adeo ut in quibusdam prouincijs augenda præsidibus tributa suadentibus scripserit,Boni pastoris esse,tondere pecus,non deglubere. Et postquam passus est Dominus IESVS CHRISTVS, & à mortuis resurrexit,& discipulos suos ad prædicandū misit,Pilatus præses Palæstinæ prouinciæ ad Tiberium imperatorem,atq; ad Senatum retulit

Ingenium Tiberij

Germanici triumphus

Cappadocia prouincia facta

Cæsarea

Marobodus

Tiberij dictū

de passione & resurrectione CHRISTI, consequentibusq́ uirtutibus, quę uel per ipsum palàm factæ fuerant, uel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant: & de eo quod certatim crescente plurimorum fide deus crederetur.

Tiberius ad Senatum de Christo colendo refert

Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit ad Senatū, ut CHRISTVS deus haberetur. Senatus indignatione motus, quod non sibi prius secundū morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem CHRISTI recusauit, edictoq́ constituit, exterminandos esse urbe Christianos: præcipue cum & Seianus præfectus Tiberij suscipiendę religioni obstinatissime contradiceret. Tiberius tamē edicto accusatoribus Christianorū, mortem comminatus est. Nam & plurimos Senatorū proscripsit & in mortē coëgit. Viginti sibi patricios uiros consilij causa legerat, horū uix duos incolumes reliquit, cæteros diuersis causis necauit. Seianum præfectum suum res nouas molientē interfecit: filios suos Drusum & Germanicum, qui adoptiui erant, manifestis ueneni signis perdidit. Filios Germanici filij sui interfecit. Hic tertio & uicesimo imperij sui anno, ætatis uero septuagesimo octauo, & mensæ quarto, cum immani furore, insontes, noxios, suos pariter, ut diximus, externosq́, puniret, resolutis militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœsia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Gallia à finitimis gentibus direptæ sunt. Ipse cum ingenti omnium gaudio, insidijs Caligulæ in Campania extinctus est. Huius etiam imperij anno duodecimo noua & incredibilis clades apud Fidenatium urbem accidit. Nam Amphitheatri cauea populo gladiatorum munus spectante collapsa est, & plusq́ uiginti milia hominū occidit. Deinde anno eiusdem septimodecimo cum Dominus IESVS CHRISTVS uoluntarie se quidem tradidit passioni, sed impie à Iudæis apprehensus, & patibulo suffixus est, maximo terræmotu per orbem facto, saxa in montibus scissa, maximarumq́ urbiū plurimæ partes, plus solita concussione ceciderunt. Eadem quoque die à sexta hora diei usq́ in horam nonam, sol in totum obscuratus, tetraq́ nox subito obducta est terris: & sicut dictum est,

Tiberij sæuicia

Seianus occisus

Prouinciæ direptæ à Barbaris

Tiberij mors

Clades noua apud Fidenas

Terræmotus

Nocturnæ tenebræ interdiu

Impiaq́ æternam timuerunt secula noctem.

Vsq́ adeo autē neq́ lunam lumini solis, neq́ nubes obstitisse manifestum est, ut quartamdecimam eo die lunam, tota cœli regione interiecta longissime à conspectu solis abfuisse, & stellas tunc diurnis horis, uel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulsisse referatur, quod non solum sanctorum Euangeliorū fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Quanquam nonodecimo anno imperij Tiberij hæc facta referuntur. Scribens inter cæteros autem & Phlegon, qui Olympiadas enumerat, in tertiodecimo sermone eisdem uerbis asserit hæc. Porrò quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis facta est defectio solis maxima, & nox hora sexta diei facta est, ita ut etiam stellæ in cœlo apparerent. Terræmotus etiā magnus in Bithynia factus, plurimam Niceæ partem urbis subuertit.

Phlegon

C. CAESAR CALIGVLA



NNO ab urbe condita DCC.XC. Tertius ab Augusto Caius cognomento Caligula regnare cœpit, Germanici filius, Drusi priuigni Augusti, & ipsius Tiberij nepos: & quia natus in exercitu fuerat cognomentũ calciamenti militaris idem Caligula sortitus est, homo omnium ante se sceleratissimus, & qui etiã Tiberij dedecora purgauerit. Ante principatũ charus omnibus acceptusq́ꝫ fuit, In principatu uero talis, ut non immerito uulgaretur, atrociorẽ illo dominũ nõ fuisse. Nã ut breuiter magnitudinem crudelitatis eius exponam, exclamasse fertur: Vtinã populus Ro. unam ceruicem haberet. Sæpe etiã de conditione temporum suorum conquestus est, quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Bellum ipse contra Germanos suscepit, & ingressus Sueuiam nihil strenue fecit. Stupra tribus sororibus suis intulit: ex una etiam natam filiam cognouit. Incedebat habitu deorum suorum, Iouem ob incestum, de choro autem Bacchanali Liberum se asserebat. De quo nescio an decuerit memoriæ prodi, nisi forte quia iuuat de principibus nosse omnia, ut improbi saltem famæ metu declinent talia. In palatio matronas nobiles publicæ libidini subiecit. Primus diademate imposito, dominum se appellari iussit. In spacio trium milium quod in sinu Puteolano intra molem iacet, duplici ordine naues cõtexens, arenæ aggestu ad terræ speciẽ uiam solidatã, phalerato equo insignis querquea corona quasi triumphans indutus aureo paludamẽto, curruq́ꝫ biiugi decucurrit. Hisdem autem diebus Iudæi, qui iam tunc ob passionẽ CHRISTI meritis ubiq́ꝫ cladibus exagitabantur, apud Alexandriã seditione excitata profligati cæde, atq́ꝫ ex urbe propulsi, expromendarum querelarum causa Philonem quendam uirum sanè in primis eruditũ, secunda uice legatum ad Cæsarem miserant. Is Romam ueniens locutus est cum Apostolo Petro, eiusq́ꝫ amicitias habuisse fertur. Sed Caligula cũ omnibus hominibus, tum præcipue Iudæis infestissimus, spreta legatione Philonis, omnes Iudæorũ sacras ædes, atq́ꝫ in primis antiquũ illud Hierosolymis sacrarium prophanari sacrificijs gentiliũ, ac repleri statuis simulacrisq́ꝫ imperauit, seq́ꝫ ita ut deũ coli præcepit. Pilatus aũt præses, qui sententiam damnationis in CHRISTVM dixerat, postq́ꝫ plurimas seditiones Hierosolymis excepit ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coartatus est, ut sua se transuerberans manu, malorũ cõpendiũ mortis celeritate quæsierit. Igitur Caius cum aduersus cunctos ingenti auaricia, libidine, crudelitate sæuiret, interfectus est, à militibus in palatio, anno ætatis suæ XXXVIII. imperij III, mense X. dieq́ꝫ VIII. Qui postq̃ occisus est, duo libelli in secretis eius repti sunt, quorũ alteri pugio, alteri gladius pro scripto nominis ascriptũ erat, ambo lectiss. uirorũ utriusq́ꝫ ordinis senatorij uidelicet & equestris nomina & notas continebant, morti destinatorũ. Inuẽta est & archa ingens uariorũ uenenorũ, quib. mox Claudio Cæsare iubẽte demersis infecta maria traduntᷣ, nõ sine pisciũ magno exitio, quos enecatos ꝑ proxima littora passim æstus eiecit.

Caligulæ cognomentum

Vox plusquã tyrannica

Caligulæ probra

Caligula primus diademate ac domini appellatione usus

Nouum spectaculum

Pilati exitus

Caligula occisus

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER OCTAVVS



NNO ab Vrbe condita DCC.XCV. Claudius ab Augusto quartus regnũ adeptus est, patruus Caligulæ, Drusi filius priuigni Cæsaris Augusti, cuius Caligula nepos erat, qui apud Mogontiacum monumẽtum habet. Iste cum Senatus censuisset gentem Cæsarum exterminari, deformi latebra latere repertus, quia uecors erat, & mitissimus uidebatur imprudentibus, à militibus imperator est effectus. Hic uentri, uino, libidini fœde obediẽs, uecors & prope hebes, ignauus & pauidus, libertorum & coniugis imperijs subditus fuit. Huius tempore Scribonianus Camillus intra Dalmatias imperator creatus, continuo occiditur. Mauri prouincijs à Cæsare pulsi, cæsa Musulaniorũ manus. Aqua Claudia Romæ introducta. Igitur in exordio regni eius Petrus apostolus domini nostri IESV CHRISTI Romã uenit, & salutarẽ cunctis credẽtibus fidem fideli uerbo docuit, potentissimisq; uirtutibus approbauit, atq; exin Christiani Romę esse cœperũt. Sensit hoc collatũ fidei suę Roma beneficiũ. Accidit enim eodẽ tempore præsentis gratiæ dei grande miraculũ. Siquidem Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus bellũ ciuile molitus, legiones multas fortissimasq; ad sacramẽti mutationẽ pellexerat. Itaq; die dato, ut in unum undiq; ad nouũ imperatorẽ cõueniretur, neq; Aquilæ ornari, neq; conuelli quoquomodo signa, moueriúe potuere. Exercitus tanta & tam inusitata miraculi fide motus, & conuersus in pœnitentiã, statim quinta die Scribonianũ destitutũ interfecit, seseq; sacramẽto prioris militiæ continuit. Igitur Claudius medie imperauit, multa gerens trãquille atq; moderate, quædã crudeliter & inconsulte. Idẽ XXXV Senatores, & CCC simul equites Romanos minimis causis interfecit. Britanniæ bellum intulit, quod nullus Romanorũ post C. Cæsarẽ attigerat, eaq; deuicta per Cn. Sentium & A. Plautiũ illustres & nobiles uiros, triumphũ celebrẽ egit. Quasdã etiã insulas ultra Britannias in oceano positas imperio Romano addidit, quæ appellantur Orcades. Filio aũt suo Britannici nomen imposuit. Tam ciuilis aũt circa quosdã amicos extitit, ut etiã Plautiũ nobilẽ uirum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, Triumphantem ipse prosequeretur, & cõscendẽti Capitoliũ, læuus incederet. Huius uxor Messalina primo passim quasi iure adulteris utebatur, ex quo facto plures metu abstinentes extincti sunt. Dehinc atrocius accẽsa, nobiliores quasq; nuptas & uirgines scortorũ modo secũ proposuerat: coacti mares, ut adessent. Quod si quis talia horruerat, afficto crimine, in ipsum, omnẽq; familiã sæuiebat, ut magis uideret ipsa imperare uiro, q̃ imperatori nupta esse. Ita liberti eius summã potesta-

Drusi monumentum

Claudius à militibus imperator est effectus

Vitia Claudij

Scribonianus tyrannus

Aqua Claudia

Petrus Romã uenit

Miraculum

Britannia deuicta

Orcades additæ imperio

Messalinæ adulteria

potestatem adepti, stupris, exilio, cæde proscriptionibus omnia fœdabant. Ex quibus Felicem legionibus Iudeæ præfecit. Posidonio Eunucho post triumphum britannicũ inter militariũ fortissimos, arma insignia tanq̃ participi uictoriæ donodedit. Polybiũ inter Consules mediũ incedere fecit. Hos omnes anteibat Narcissus ab epistolis, dominũ se gerens ipsius domini, palamq́ Pretorijs ornamẽtis sublimatus, adeo diues, ut causante eo inopiam fisci lepidissime famoso elogio uulgatũ sit, abunde ei pecuniã fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur. Hic ciues Romanæ urbis describens, inuenit sexies decies centena milia nongentos & quadraginta unũ. Huius imperij anno quinto inter Theram & Therasiam in mari Ægæo insula de profundo emicuit, triginta stadiorũ spacio extenta. Anno eius septimo sub procuratore Iudeæ Cumano in Hierosolymis tanta seditio in diebus Azymorum exorta est, ut in portarum exitu populo coartato triginta milia Iudæorum cæde prostrata, & cõpressione suffocata referantur. Veruntamen anno eius VIII tanta fames Romæ fuit, ut medio foro imperator correptus à populo cõuicijs & fragminibus panis turpissime infestatus, ægre per pseudothyrũ in palatiũ refugiens, furorẽ excitatę plebis euaserit. Huius temporibus uisus est apud Ægyptũ phœnix, quã uolucrem fertur anno sexcentesimo quinquagesimo quarto ex Arabia memorato loco aduolare. Et Apollonius ex Tyanensibus ortus, Pythagoricus philosophus Romæ pollebat, ita ut hunc ipso quoq̃ Pythagora Philostratus & alij, acrioris ingenij fuisse describant. Hic Agrippinã Germanici fratris sui filiã duxit uxorem, quæ filio imperiũ procurans, primo priuignum Britannicũ in palatio insidijs multiformibus appetijt: Dehinc ipsum coniugẽ ueneno interemit. Vixit annos sexaginta quatuor, imperauit annos quatuordecim. Post mortẽ consecratus est, Diuusq́ appellatus. Cuius funus ut quondã in Tarquinio Prisco diu occultatũ est, dum arte muliebri custodes corrupti ægrũ simulãt. Nero priuignus eius imperij iura suscepit.

Libertorũ insolentia
Felix
Posidonius
Polybius
Narcissus
Ciuiũ Romanorũ nũerus
Noua insula enata
Iudæorum clades
Fames sub Claudio
Phœnix uisus
Apollonius Tyanensis
Agrippina Claudiũ ueneno necat
Claudius in diuos relatus

NERO CAESAR

ANNO ab Vrbe cond. DCCCVIII. Domitius Nero, patre Domitio Ænobarbo genitus, ab Augusto quintus principatũ adeptus est. Iste quinquẽnio tolerabilis fuit: unde quidam prodidere Traianũ solitũ dicere: procul distare cunctos principes Neronis quinquennio: Postea in omnibus Caligulæ auunculo suo simillimus, qui Romanum & deformauit imperium, & minuit, Inusitatæ luxuriæ, sumptuumq́, ut qui exẽplo Caligulæ in calidis, frigidisq́ lauaret unguẽtis, retibus aureis piscaretur, quæ blateis funibus extrahebat. Plurimos senatorũ nulla existẽte causa bonis priuauit, Necatorũ omniũ sub una die, tormẽtis q̃q adhibitis, omnem penitus cẽsum abstersit. Crudelitatis aũt rabie ita effrenatus est, ut plurimã senatus partẽ interficeret, equestrẽ ordinẽ penè destitueret, Bonis omnibus hostis fuit. Libidinib. porrò tãtis exagitatus est, ut ne à matre quidẽ, uel sorore, ullãue cõsanguinitatis reuerẽtia abstinuisse referat: uirũ in uxorẽ duxerit. ipse à uiro amictus nubẽtiũ uirginũ specie, palàm cõuocato senatu,

Neronis quinquennium
Nero Caligulæ æmulus
Luxus Neronis
Crudelitas Neronis
Neronis libidines

dote dicta, cũctis festa more frequentantibus, ut uxor acceptũs est. Ad postremũ tanto se dedecore prostituit, ut omnia penè Italiæ ac Græciæ theatra perlustrãs, assumpto etiã uarij uestitus dedecore saltaret, cantaret, in scena citharœdico habitu, uel tragœdico. Parricidia multa cõmisit, fratre, matre, sorore interfectis. Vrbem Romã per sex dies septemq́ noctes incendit, ut spectaculi eius imagine cerneret, qualiter olim Troia capta arserat. Et ipse ex altissima illa Mœcenatiana turre prospectans, lætusq́ flammę pulchritudine tragico habitu Iliada decantabat. Horrea quadro structa lapide, magnæq́ illæ ueterũ insulæ, quas discurrens flãma adire nõ poterat, magnis machinis ad externa quõdã bella pręparatis, labefactatę atq́ inflammatæ sunt. Auaritię aũt tam pręruptæ extitit, ut post hoc incendiũ nemině ad reliquias rerũ suarũ adire permiserit, Cuncta quæ flammæ quoquomodo superfuerãt, ipse abstulit. Centies centena milia H-S annua ad expensas Senatũ sibi cõferre imperauit. Octauiã & Sabinã cognomẽto Popeam in matrimoniũ duxit, uiris earũ trucidatis. In re militari nihil omnino auxit. Britanniã penè amisit. Nam duo sub eo nobilissima oppida illic capta atq́ euersa sunt. Armeniã Parthi sustulerũt, legionesq́ Romanas sub iugo miserunt. Duæ tamẽ sub eo prouinciæ factæ sunt: Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, & alpes Cottiæ, rege Cotta defuncto. Tũc Galba prætor Hispaniæ, & C. Iulius imperiũ corripuere. At ubi aduenientẽ Nero Galbã didicit, Senatusq́ sentẽtia cõstitutũ est, ut nudus per publicum ductus, furca collo eius inserta, uirgis usq́ ad mortẽ cæderet͛, atq́ ita saxo præcipitaretur: igitur desertus undiq́ è palatio fugit, noctis medio Vrbẽ egressus, sequẽtibus eũ Phaone, Epaphrodito, Neophitoq́, & spadone Sporo, quẽ quondã exectum formare in mulierẽ tentauerat, & in suburbano se liberti sui, quod est inter Salariã & Nomentanã uiam, ad quartũ urbis miliarium, ictu gladij transegit, adiuuante trepidantẽ manũ impuro, de quo diximus, eunucho, quũ sanè prius nullo reperto à quo feriret͛, exclamaret: Itáne nec amicũ, nec inimicũ habeo? Dedecorose uixi, turpius peream. Ædificauit Romæ thermas, quæ antea Neronianæ dictæ, nunc Alexandrinæ appellantur. Obijt ætatis trigesimo primo anno, imperauit decimo quarto atq́ in eo omnis Augusti familia consumpta est. Huius tẽporibus poëtæ pollebant Romæ, Lucanus, Iuuenalis & Persius, Senecaq́ Tragicus, Musonius atq́ Plutarchus Philosophi. Hunc Persæ tantũ dilexerãt, ut legatos mitterent, orantes copiã cõstruendi monumenti. Cæterũ adeo cunctæ prouinciæ, omnisq́ Roma in interitu eius exultauit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam sæuo exempta domino triumpharet. Deniq́ omnibus flagitijs suis hoc etiã addidit, quod primus Romæ Christianos supplicijs & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutiõe excruciari imperauit. Ipsum quoq́ nomen extirpare conatus, beatissimos apostolos Petrũ cruce affixit, Paulũ capite gladio secuit. Mox aũt aceruatim miserã ciuitatẽ obortæ undiq́ oppressere clades. Nã subsequẽte autumno tãta urbi pesti-

Scelera Neronis — *Auaricia Neronis* — *Armenia amißa* — *Prouinciæ duæ factæ* — *Neronis fuga* — *Nero ipse se interimit* — *Poetæ ac philosophi clari* — *Prima persecutio Christianorum*

ubi pestilentia incubuit, ut triginta milia funerũ in rationẽ libitinæ uenirent.

SERGIVS GALBA

ANNO ab Vrbe cond. DCCC.XXII. de Hispania Ser. Galba surrexit, & ab Augusto sextus principatũ adeptus est, antiquissimę nobilitatis senator, Sulpiciorũ gente progenitus, cũ LXXIII ætatis ageret annũ, ab Hispanis & Gallis imperator electus, mox ab uniuerso exercitu libẽter acceptus. Qui mox ut Neronis mortẽ cõperit, Romã uenit, & Pisonẽ nobilem industriumq; adolescentẽ sibi in filium atq; in regnum adoptauit. Iste in adolescentia infamis, ad uescendũ intemperans fuit: trium amicorũ cõsilio, id est, Iunij, Cornelij, Icelij, cuncta dispones, adeo ut intra Palatinas ædes pariter habitarent, & uulgo pædagogi dicerentur. Nam priuata eius uita insignis fuit militaribus & ciuilibus rebus: sępe Cos. sæpe procõsul, frequẽter dux, grauissimis bellis militẽ suũ ita seuerissime tractauit, ut ingresso eo castra, uulgaretur statim: Disce miles militare, Galba est, nõ Getulicus. Huius breue imperiũ fuit, quod haberet bona exordia, nisi ad seueritatẽ propensior uideret. Insidijs Othonis occisus est, imperij mẽse VII, iugulatus in foro Romę, sepultus in hortis suis, qui sunt Aurelia uia nõ longe ab urbe Roma.

Piso

Amici Galbæ

Militaris disciplina Galbæ

Galba occisus

OTHO SALVIVS

LVCIVS Saluius Otho occisis Galba & Pisone ab Augusto septimus inuasit imperiũ, splendidis ortus maioribus ex oppido Ferentano. Attamẽ materno genere nobilior, q̃ paterno, neutro tamen obscuro. In priuata uita mollis, maxime in adolescẽtia omni turpis, & Neronis familiaris, in imperio documentũ sui nõ potuit ostẽdere. Nã cum ijsdem tẽporibus, quibus Otho Galbã occiderat, etiã Vitellius à Germanicis exercitibus imperator factus esset: belloq; ciuili cõtra eũ suscepto, tribus primũ leuibus bellis, hoc est, uno apud Alpes, alio circa Placentiã, tertio circa locũ quẽdã, quẽ Castores appellãt, cõtra Vitellianos duces cõgressus uictor extitisset: quarto cũ apud Bebriacũ in Italia leui prælio uictus esset, ingentes tamẽ copias ad bellũ haberet, spõte semet occidit, petẽtibus militib. ne tam cito de belli desperaret euentu: cũ tanti se nõ esse dixisset, ut propter eũ bellũ ciuile oriretur, uolũtaria morte obijt XXXVIII. ætatis anno, XCV imperij die. Adeo militib. proprijs amabilis fuit, ut plerique corpore eius uiso, suis manibus interirent.

Otho quater cum Vitellio conflixit

Othonis dictum

Otho semet occidit

A. VITELLIVS

DEIN Vitellius VIII ab Augusto imperio potitus est, familia magis honorata q̃ nobili. Nã pater eius L. Vitellius nõ admodũ clare natus, tres tamẽ ordinarios gesserat consulatus. Iste tumẽs, crudelis, auarusq; cũ profusione fuit, & cũ multo dedecore imperauit, grauiq; sęuicia notabilis, pręcipue ingluuie & uoracitate: quippe cũ die sæpe quarto uel quinto feratur epulatus: notissima certe cœna memorię mãdata est, quã Vitellius frater exhibuit, in qua supra cęteros sumptus II M. pisciũ, & VII. milia auiũ apposita tradũtur. Hic cũ Neroni similis esse uellet, atq; id adeo

L. Vitellius III. Cos.

Vitia Vitellij

Cœna Vitellij

Vitellius Neronis æmulus

præ se ferret, ut etiã reliquias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerãt, honoraret, ab omnibus exosus est. Postq̃ autẽ de Vespasiano cõperit, primũ deponere molitus est imperiũ: Deinde à quibusdã animatus, Sabinũ Vespasiani fratrem, nil tum mali suspicantẽ, cum cæteris Flauianis in Capitolium cõpulit, succensoq́ templo, & mixta simul flamma ruinaq́ omnes in unum pariter interitũ ac tumulũ dedit. At uero Vespasianus postq̃ apud Palæstinã imperator creatus est, in Gręciã uenit, gaudẽs ut Gręci fatẽtur, in his quæ audiebat à Tyanensi Apollonio de tempore imperij sui, ac cęteris bonis fortioribus, loquẽs cũ eo apud Ægyptũ ab Indis & Bragmanis & gymnosophistis illic degentibus redeunte. Igitur Vitellius à Vespasiani militibus sub muris urbis certamine habito superatus, ab exercitu suo destitutus est, appropinquãtibusq́ hostibus iam trepidus, cũ se in quandã proximã palatio cellulã cõtulisset, turpissime inde protractus, iunctis post tergũ manibus circũducitur ad spectaculũ uulgi. Cumq́ per sacrã uiã publice nudus duceretur, ne impudens in extremis saltẽ malorũ quæ gesserat, rubore faciẽ demitteret, erecta coma & capite, subiecto in mentũ gladio, seminudus, multo cœno fimoq́ & cęteris dictu turpioribus purgamẽtis ore & pectore inuolutus, in forũ deductus est, atq́ per scalas Gemonias trahit, ubi Sabinũ Vespasiani fratrẽ permiserat necari. minutissimorũ ictuũ crebris ictib. excarnificatus, etiã cõmuni caruit sepultura. Perijt aũt ætatis anno LVII imperij mense VIII, & die primo. Multis autem & nefarijs modis per complures dies à Vespasiani militibus aduersum Senatum P.Q.R. indiscreta cæde sæuitum est. Huic Vespasianus successit nonus ab Augusto.

Sabinus cum Capitolio crematus

Apollonius Tyanensis

Vitellij supplicium

DE GESTIS ROMANORVM LIB. IX.

FLAVIVS VESPASIANVS



NNO ab Vrbe condita DCCC.XXV. Breui illa quidem sed turbida tyrannorũ caligine discussa, tranquilla sub Vespasiano serenitas redijt. Is obscure quidem natus, sed optimis comparandus, priuata uita illustris, ut qui à Claudio in Germaniam, deinde Britanniã missus, tricies & bis cum hoste cõflixerit, duas ualidissimas gentes, uiginti oppida, insulam Vectam Britanniæ proximam imperio Romano adiecerit. Namq́ ut paulo altius repetam, Iudæi post passionem CHRISTI destituti in totum gratia dei cum omnibus undiq́ malis circumuenirentur, quibusdã in Carmelo monte seducti sortibus, quæ portenderent, exortos à Iudęa duces rerũ potituros fore, pręedictũq́ ad se trahẽtes, in rebellionẽ exarserũt. Extinctisq́ Romanis pręsidijs, legatũ quoq́ Syrię, suppetias ferentem, rapta aquila, & cęsis copijs fugauerũt. Ad hos Vespasianus à Nerone missus

Vecta insula

Sortes in Carmelo

Iudæi rebellant

missus, Titum filium suum maiorem in itinere habuit. Nam multas & ualidas legiones uiginti & octo in Syriam traiecit. Itaq; cum Iudæos multis eorum oppidis captis in urbe Hierosolymorum præcipue ob diem festum congregatos obsidione clausisset, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regum & ducum, maxime Iosephi ducis Iudæorum sententia: qui captus cum in uincula coniiceretur, constantissime dixerat, sicut Suetonius refert, continuo se ab eodem sed imperatore soluendum: imperium adeptus est. Relictoq; in castris ad procurationem obsidionis Hierosolymorū filio Tito, profectus est Romam. Sed cognita interfectione Vitellij, paulisper Alexandriæ substitit. Titus uero magna ac diuturna obsidiōe Iudæos premens, machinis, cunctisq; bellicis molibus, non sine multo suorum sanguine tandem muros ciuitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam reclusam multitudo sacerdotū ac principum tuebatur, maiore ui & mora opus fuit. Nam intra uiginti dies capta est. Quod tamen postquā in potestatem redactum, opere mirandū atq; antiquitate suspexit, diu deliberauit, utrum tanquā incitamentum hostium incenderet, an in testimonium uictoriæ reseruaret. Itaq; cum nunciatū ei à Roma fuisset, quod pater eius imperio potiretur, ex hilaritate nimia, sura eius dextra crementum carnis accepit, ita ut calciamentum nō reciperet. Quæ Iosephi ducis Iudæorum consilio, ut alia restituta est, qui iusserat ante eum transire, in quem plurimum odij habebat. Igitur Titus Imperator ab exercitu pronuntiatus templum Hierosolymis incendit ac diruit, quod à die cōditionis primæ usq; ad diem euersionis ultimæ manserat annis mille centū & duobus. Muros urbis uniuersos solo ęquauit. Sexcenta milia Iudæorū eo bello interfecta, Cornelius & Suetonius referūt. Iosephus uero dux Iudæorum, qui eo bello tunc præfuit, & apud Vespasianū propter prædictū imperium ueniam gratiamq; meruerat, scribit undecies centena milia gladio & fame perisse. Reliquias uero Iudæorum diuersis actas conditionibus toto orbe dispersas, quorum numerus ad nonaginta milia hominū fuisse narratur. Quibus ante obscœna & dira prodigia, ut idem Iosephus dicit, uel uisa uel nunciata sunt. Etenim stella præfulgens gladio similis per omnia, imminere desuper ciuitati, & cometes præterea exitialibus flammis ardere per totum uisa est annum. Sed & ante tempus excidij ac belli, cum populi ad diem festum azymorum conuenirent, octauo die mensis Aprilis, noctis tempore hora nona, tantus fulgor luminis arā, templūq; circūdedit, ut putarent omnes diem clarissimū factū: & permansit spacio horæ dimidiæ. Quod imperitis quidē & ignaris prosperū uidebat, sed legisperitos & probos quosq; doctores nō latuit exitiale portentū. In eadē quoq; festiuitate uictima sacrificijs admota, & aris assistens inter ipsas ministrorum manus enixa est agnum. Sed & ianua interioris ædis, quæ respiciebat orientē, cum esset ære solido induta, ac perinde immensi ponderis, quæ uix à uiginti uiris summo

Iosephi præsagium

Titus Hierosolymam obsidet

Hilaritatis mirus effectus

Templum domini dirutum

Cædes inaudita Iudæorum

Prodigia

conatu

conatu impellentibus clauderetur, ferreis quoq; uectibus & seris munita,ac pessulis in altum dimissis teneretur obstricta,hora noctis sexta apparuit re pente patefacta.Sed & transacto die festo post aliquot dies,prima & uicesi ma die mensis Maij prodigiosus apparuit uisus, & fidem pene excedens, quod uere falsum putaretur,nisi oculorum fides cõfirmasset.Etenim prope solis occasum uisi sunt currus & quadrigæ in omnem regionem per aërem, & armatorum cohortes misceri nubibus, & urbem circumdare agminibus improuisis. In alio itidem die festo,qui Pentecoste appellatur, nocte sacer dotes ingressi templum ad ministeria ex more complenda: primo quidem motus quosdam,strepitusq; senserunt:tum deinde uoces subitas audiũt di centes,Migremus hinc.Additur etiã his aliud terribilius. Etenim quidam Ananiæ filius Iesus nomine,uir plebeius & rusticus, ante septimũ belli an num,dum adhuc ciuitas in abundantia duraret,in die festo tabernaculorũ repente clamare cœpit:Vox ab oriente,uox ab occidẽte,uox à quatuor uen tis,uox super Hierosolymam & templũ,uox super sponsos & sponsas, uox super populum. Et indesinenter die noctuq; per omnes plateas circuiens hæc declamabat,usq; quo quidam ex populo primores uiri, uelut infausti prodigij indignatione commoti correptum hominem multis uerberibus afficiunt.At ille nequaquam pro se aliquid loquens,sed neq; eos quidẽ qui se circumsteterant, deprecans, easdem uoces pari obstinatione & clamore repetebat.Tunc principes numinis aliquid intelligentes (ut res erat) esse in uiro,producunt eum ad Iudicem Romanum.Apud quem flagris ad ossa usq; laniatus,neq; preces neq; lachrymas fudit.Sed eandem uocem misera biliter,& cum quodam ululatu emittens,per singula penè uerbera profere bat,addens etiam hoc: Væ uæ Hierosolymis. Igitur Vespasianus & Ti tus imperatores magnificum de Iudæis triumphum agentes,urbẽ ingressi sunt.Pulchrum & ignotum antea cunctis mortalibus,inter trecentos uigin ti triumphos,quid in id tempus acti erant,hoc spectaculum fuit:patrem & filium uno triumphali curru uectos,gloriosissimam ab his,qui patrem & fi lium offenderant,uictoriã reportasse. Igitur Vespasianus Romæ se in im perio moderatissime gessit,pecuniæ tantũ auidior fuit, ita ut eam nonnul lis iniuste auferret.Quam cum omni diligentiæ prouisione colligeret,tamẽ studiosissime largiebatur, maxime indigentibus. Nec facile ante eum cu iusquam principis,uel maior est liberalitas comperta uel iustior.Placidissi mæ lenitatis,ut qui maiestatis contra se reos non facile punierit, ultra exilij pœnam. Huius inter cætera bona illud singulare fuit, obliuisci inimicitias, adeo ut Vitellij hostis filiam locupletissime dotatam splendidissimo con iungeret uiro. Ferebat patienter amicorum motus, contumelijs eorum,ut erat facetissimus,iocularibus uerbis respondens. Namq; Licinium Mutia num,quo adiutore ad imperium peruenerat, fiducia meritorũ insolentem lepide flectebat, adhibito aliquo utriq; familiari id unum dicens:Nosti

Iesus Ananiæ

Triumphus de Iudæis

Vespasianus auarus colli- gendo, largi endo liberalis

Vespasiani uirtutes

me uirum esse. Sed quid mirum in amicis, cum etiam offensarum & inimicitiarum immemor fuerit. Obliqua causidicarũ in se dicta, & philosophorum contumaciam leniter tulit, diligens tamen coërcitor disciplinæ militaris. Iste exsanguem diu, fessumq; terrarum orbem breui refecit, prudentissime ratus nefaria ministeria à pluribus metu curari. Preterea legibus æquissimis monendo, quodq; uehementius est, uitæ specie uitiorum plura aboleuerat. Infirmus tamen, uti quidam praue putant, aduersum pecuniam, cum satis cõstet, ærarij inopia & clade urbium nouas eum neq; postea habitas uectigalium pensiones exquisisse. Hic Romam deformem incendijs ueteribus ac ruinis, permissa, si domini deessent, uolẽtibus ædificandi copia, Capitolium, ædem Pacis, Claudij monumenta reparauit, multaq; noua instituit: per omnes terras, qua ius Romanum est renouatæ urbes cultu egregio, uiæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cauati montes per Flamminiam sunt prono transgressui, quæ uulgariter Pertusa petra uocitatur. Millæ gentes compositæ, cum ducentas ægerrime reperisset, extinctis sæuitia tyrannorum plerisq;. Rex Parthorũ Vologeses metu solo in pacẽ coactus est. Tunc deinde sine ullis bellorum tumultibus in immensum Resp. Romana prouehitur. Siquidem Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, quæ liberæ ante id tempus fuerãt: item Trachea Cilicia, Comagene, quam hodie Augustofratensem nominamus, quæ sub regibus amicis erant: tunc primum redactæ in prouinciarum formam, iudicibus Romanis legibusq; paruerunt. Nono autem anno imperij eius, tres ciuitates Cypri terræmotu corruerunt, & Romæ magna pestilentia fuit. Hic monentibus amicis, caueret à Metio Pomposiano, de quo senio percrebruerat regnaturum fore, Cos. fecit, alludens tali cauillo: Quandoq; memor erit tanti beneficij. Institutum uero uniforme omni imperio tenuit, uigilare de nocte, publicisq; actibus absolutis charos admittere, dum salutatur calciamenta sumens & regium uestitum. Post autem negocijs, quæcunq; aduenissent auditis, exerceri uectatione: deinde requiescere. Postremo ubi lauisset, remissiore animo conuiuium curabat. Plura dicere studium coëgit imperatoris boni, quem ab Augusti morte post annos quinquaginta & sex Romana Resp. exanguis tyrannorum sæuicia, quasi fato quodam ne rueret penitus, assequuta est. Post hæc cum Senatui, populo, postremo cunctis amabilis ac iucundus esset, serijs ioca quibus delectabatur admiscẽs interijt. Quippe primo cum crinitum sydus, quod Græci κομήτην uocant, apparuisset, istud inquit, ad regem Persarum pertinet, cui est capillus effusior: deinde profluuio uentris fessus, in uilla propria circa Sabinos, assurgens, Stantem, ait, imperatorem terris excedere decet. Genituram filiorum ita cognitam habuit, ut cum multæ coniurationes contra eum fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in Senatu dixerit, aut filios sibi successuros aut neminem.

Roma reparata

Vologeses rex

Prouinciæ nouellæ

Terræmotus

Cauillum Vespasiani uitæ institutum

Vespasiani bonitas

Vespasiani mors

TITVS VESPASIANVS



NNO ab Vrbe condita DCCC. XXVIII. Titus Vespasiani & Domicillæ libertæ filius, decimus ab Augusto post mortem patris successit, qui & ipse Vespasianus dictus. Iste à puero præclaris probitatis studijs, militiæ, literarũ, instantissime deditus, quid contenderit, animi & corporis muneribus ostendit. Hic ubi patriæ curam suscepit, incredibile est, quantum quem imitabatur patrem anteierit, præcipue clemẽtia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniæ contemptu. Quæ eo amplius grata fuere, quod ex nonnullis à priuato adhuc patratis asperior, luxuriæq; & auariciæ amans credebatur fore. Nam præfecturam prætorianam patre imperante adeptus, suspectum quenq; & oppositum sibi, immissis qui per theatra & castra inuidiosa iactantes ad pœnam poscerent, quasi criminis cõuictos oppressit. In queis Cecinam consularem adhibitum cœnæ, uix dum triclinio egressum, ob suspitionem stupratæ Berenicis uxoris suæ iugulari iussit. Iurgia autem ab eo sub patre uenundata, rapinarum quoq; cupidus erat. Vnde Neronem cuncti opinantes uocantesq;, summam rerum nactum grauiter acceperant. Sed hæc in melius conuersa, adeo ei immortalem gloriam contulere, ut deliciæ atq; amor humani generis appellaretur. Deniq; ut subijt pondus regium, Berenicen nuptias suas sperantem regredi domum, & eneruatorũ greges abire præcepit. Quo facto quasi signum protulit, mutatæ intemperantiæ prioris. Et cum donata concessáue à principibus prioribus firmare insequentes solerent, simul ut imperium cœpit, talia possidentibus edicto sponte cauit. Iste facũdissimus, bellicosissimus, moderatissimus fuit. Causas Latine egit, poëmata & tragœdias Græce composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, duodecim propugnatores, duodecim sagittarum ictibus cõfecit. Tantam autem pietatem erga Iudæos habuit, ut circuiens Hierusalem, & repletos cadaueribus uallos, & humani corporis tabe patriam eorum terram rigari uidens, cum ingenti gemitu eleuatis ad cœlum manibus deum inuocaret testem, hoc opus suum non esse. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret. Clementiam uero usq; eo perduxit, ut cõuictos aduersum se coniurationis causa dimiserit, & in eadem familiaritate habuerit, qua ante habuerat. Nam ut breuiter eius clementiam depromam, cum aduersus eum duo amplissimi ordinis coniurassent, neq; abnuere cogitatũ scelus quirent, monuit primo: post deductos in spectaculun se utrinq; assidere iussit: petitoq; mirmilonum ex industria, quorum pugnæ uisebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem uni atq; alteri commisit. Quibus perculsis, & constantiam mirantibus dicebat: Videtis ne potestates fato dari, frustraq; tentari facinus, potiundi spe, uel amittendi metu? Fratrem quoq; Domitianum parantem insidias, militumq; animos sollicitantẽ flens sæpius obtestatus est, ne patricidio assequi cuperet, quod & se uolente esset obuenturum

Titus patre melior

Cecinæ cædes

Mutata indoles

T. deliciæ humani generis

Berenice

Titi laudes

uenturum ei,& iam haberet,cum sit particeps potestatis.Facilitatis & liberalitatis tantæ fuit,ut nulli quicq; negaret,& cũ ab amicis reprehenderetur, responderit,nullũ tristem ab imperatore recedere debere. Præterea quum quadam die recordatus in cœna fuisset, nulli se illo die quicquã præstitisse, uenerando cœlestiq; dicto ait: O amici hanc diem perdidimus.Hic Romę amphitheatrum ædificauit, & quinq; milia ferarũ in dedicatione eius occidit. Huius tempore repentinum incendium Romæ sine nocturna requie per triduum fuit, plurimæq; ædes publicæ concrematæ sunt. Abrupto tunc etiam uertice Vesaui montis Campaniæ magna profusa incendia ferunt, torrentibusq; flammarum uicina regionis cum urbibus hominibusq; deleta esse. Lues quoq; Romę,quanta uix unquam ante, fuit: quibus tamen malis,nullo uexato,pecunia propria subuenit cunctis remediorum generibus: nunc ægrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum mortibus afflictos. Post hæc inusitato fauore dilectus morbo perijt,in ea qua pater uilla,post biennium & menses octo,diesq; uiginti, quàm post patrem imperauerat: ętatis anno altero & quadragesimo. Huius mors credi uix potest,quantum luctum urbi,prouincijsq; intulerit, adeo ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa uesperam nuntiato,nocte irrupit in curiam,& tantas ei mortuo laudes, gratiasq; concessit, quantas nec uiuo unquam egerat & præsenti: inter diuos translatus est.

Titi dicta

Amphitheatrum

Incendium Romæ

Vesaui conflagratio

Pestilentia

Titi obitus

FLAVIVS DOMITIANVS



ANNO ab Vrbe condita DCCC.XXX. Domitianus Vespasiani & Domicillæ libertæ filius,germanus Titi iunior,undecimus ab Augusto suscepit imperium. Iste Neroni,aut Caligulæ,aut Tiberio similior fuit, quàm patri aut fratri suo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit: mox ad ingentia uitia profusus, libidinis,iracundiæ,crudelitatis,auariciæ,tantum in se odij concitauit,ut merita fratris & patris aboleret. Interfecit nobilissimos è Senatu. Dominum se & deum primus appellari, scribi colicq; iussit. Segnisq; ridicule,remotis omnibus muscarum agmina persequebatur: furens libidine, cuius fœdum exercitium Græcorum lingua κλινοπάλην uocabat. Hinc percunctanti cuidam,quisquam ne in palatio esset,responsum,Ne musca quidem. Nullam sibi nisi auream aut argenteam statuam in Capitolio passus est poni. Consobrinos suos interfecit. Superbia quoq; in eo execrabilis fuit. Iste apud Romanos eunuchizari uiros iussit,ut in palatio haberet, uxoremq; suam Augustam nuncupari. Expeditiones quatuor habuit: unam aduersus Sarmatas,alteram aduersus Chattos, duas aduersus Dacos. Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fusco duce prælia, quantaq; Romanorũ clades, ubi Oppius Sabinus cõsularis,& Cornelius Fuscus præfectus prætorij cum magnis exercitibus occisi sunt,longo textu euoluerem, nisi Cornelius Tacitus,qui hanc historiã diligentissime cõtexuit, de reticendo interfe-

Domitianus degener

Vitia Domitiani

κλινοπάλη

Ne musca quidem

Augustæ cognomen

Expeditiones Domitiani

ctorũm numero, & Salustium Crispũ, & alios autores q̃ plurimos sanxisse, & seipsum idem potissimũ elegisse dixisset. Domitianus autẽ prauissima elatus iactantia, de Dacis Chattisq́ sub nomine superatorũ hostiũ de extinctis suis legionibus triumphauit. De Sarmatis solã lauream usurpauit, ubi legio eius cum duce interfecta est. Verũ cum ob scelera uniuersis exosus esset, Antonius accensus maxime iniuria uerborũ Domitiani, qua se scortũ uocari dolebat, cum curans Germaniam superiorem esset, imperium corripuit, & Domitianus eum per Norbanũ Appium acie strauit. Romę quoq; multa ædificia uel cœpta, uel à fundamentis construxit. In his Pantheũ, Capitolium, forum transitoriũ, odeum, porticus, Isium ac Serapiũ & stadium, horrea piperata, Vespasiani templũ, Mineruã Calcidicam, Ludum matutinum, Micam aureã, Metam sudantẽ. Bibliothecas incendio cõsumptas, petitis undiq; præsertim Alexandria exemplis reparauit. Sagittarũ tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus uiri procul positi spicula transuolarent. Iste persecutionẽ in Christianos agi secundus à Nerone imperauit, qua multi martyrio coronati sunt, ut Orosius scribit. Inter quos & Flauia Domicilla, Flauij Clementis cos. ex sorore neptis, in insulã Pontiam ob fidei testimonium exiliatur. Quo tempore etiam beatissimus Ioannes apostolus in Pathmũ insulã relegatus fuit. Inter Iudæos quoq; acerbitate tormentorũ, & cruentissimæ quæstionis exquiri genus Dauid atq; interfici præceptũ est, quasi adhuc futurus esset ex semine Dauid, dum prophetis sanctis & inuidetur & creditur, qui regnũ possit adipisci. Igitur & metu crudelitatis & cõscientia sua, coniurauere pleriq;, impulsoribus Parthenio procurante cubiculũ, Stephanoq́; & tum ob fraudẽ interceptæ pecuniæ supplicium suspectante Clodiano, ascita etiã in consilio tyranni uxore Domitia, ob amorẽ Paridis histrionis à principe cruciatus formidante. Domitianum multis uulneribus cõfodiũt, post annũ uitæ quintũ & quadragesimũ, imperij quintumdecimũ. At Senatus gladiatoris more funus eius ignominiose & cum dedecore per uespillones efferri iussit, radendumq́; nomẽ decreuit, & ignobiliter est sepultus. Huius tempore seculares ludi celebrati sunt. Hactenus Romæ seu per Italiã orti imperiũ rexere. Hinc aduenæ. Vnde compertum est urbẽ Romã externorũ uirtute creuisse. Quid enim Nerua prudẽtius aut moderatius? quid Traiano diuinius? quid prę̃stãtius Adriano?

Antonius à Norbano uictus

Aedificia Domitiani

Bibliothecæ reparatæ

Sagittarũ peritia

Persecutio secunda

Domicilla

Ioannes in Pathmum relegatus

Domitianus à cõiuratis confossus

DE GESTIS ROMANORVM LI. X

COCCEIVS NERVA



ANNO ab urbe condita DCCC. XLVI. Vetere & Valente Coss. Resp. ad prosperrimum statum redijt, bonis principibus ingenti felicitate commissa. Domitiano enim exitiabili tyranno interfecto, Cocceius Nerũa oppido Narniensi genitus, duodecimus ab Augusto imperator electus est. Is in priuata uita moderatus & strenuus

nuũs,nobilitatis mediæ,senex admodum,operam dante Petronio Secũdo præfecto prætorio,item Parthenio interfectore Domitiani, imperator factus,æquissimum se & ciuilissimum præbuit. Iste cum imperiũ suscepisset, mox rumore orto,uiuere atq; adfore Domitianũ,perinde trepidauit, ut colore mutato,uerbis amissis,uix consisteret. Sed à Parthenio confirmatus recepta fiducia ad solenne delinimentũ cõuersus est. Qui cum in curiam à Senatu gratãter acceptus esset, solus ex omnibus Arrius Antoninus uir acer, eiq; amicissimus, conditionẽ imperantiũ prudenter exprimens, amplexus eum,gratulari se ait Senatui,populo,prouincijsq;,ipsi autẽ nequaq̃: cui satius fuerat malos semper principes eludere,q̃ tanti oneris uim sustinẽtem, non modo molestijs periculisq; subijci,sed famę etiam inimicorũ pariter & amicorum:qui cum se mereri omnia præsumant, si quicq̃ non extorserint, atrociores sunt ipsis quoq; hostibus. Iste quicquid ante pœnæ nomine tributis accesserat,indulsit,afflictas ciuitates releuauit,puellas,puerosq; natos egestosis parentibus, sumptu publico per Italiæ oppida ali iussit. Hic primo edicto suo cunctos exules reuocauit. Vnde & Ioannes apostolus hac generali indulgẽtia liberatus Ephesum redijt. Hic ne accessu maleuolorum tereretur,Iunij Maurici constantis uiri dicto sic admonetur. Qui conuiuio familiari adhibitus, cum Veientonem consulari honore functum quidem apud Domitianum,tamen multos occultis criminationibus persequutum, adesse uidisset,inter colloquia mentione Catuli facta,calumniatoris præcipui,dicente Nerua: Quid nunc faceret, si Domitiano superuixisset? nobiscum inquit Mauricus cœnaret. Hic iurgiorum disceptator & frequens fuit & scientissimus. Calphurnium Crassum promissis ingentibus animos militum pertentantem, detectum confessumq; Tarentum cum uxore remouit,patribus lenitatem eius increpantibus. Cumq; interfectores Domitiani ad exitium poscerentur,tantum consternatus est,ut neq; uomitum, neq; impetum uentris ualuerit differre,& tamen uehementer obstitit, dictitans æquius esse mori,quàm autoritatem imperij fœdare,proditis sumendæ potentiæ autoribus. Sed milites neglecto principe Petronium uno ictu,Parthenium uero demptis prius genitalibus, & in os coniectis iugulauere,redempto magnis sumptibus Casperio,qui scelere tam truci insolentior,Neruam compulit referre apud populum gratias militibus, quod pessimos nefandissimosq; omnium mortaliũ peremissent. Reip. diuina prouisione consuluit,Traianum in liberi locũ & partem adoptando. Qui dum suggerente ira,uoce q̃ maxima contra quendã Regulũ nomine inclamaret,sudore correptus est. Quo refrigescẽte, horror corporis nimius initia febri præbuit,nec multo post uitã finiuit, post annũ & quatuor menses imperij & dies octo, ætatis septuagesimo atq; altero anno,atq; inter diuos relatus est. Corpus à Senatu,ut quondã Augusti,humeris delatũ,in sepulchro Augusti in cãpo Martio sepultũ est. Eo die quo interijt,solis defectio facta est.

Petronius Secundus Parthenius

Arrius Antoninus

Iunius Mauricus Veiento

Calphurnius Crassus

Petronius & Parthenius iugulati

Nerua Traianum adoptat

Exitus Neruæ

Nerua inter diuos relatus

VLPIVS TRAIANVS



Anno ab urbe condita. DCCC. XLVII. Vlpius Crinitus Traianus ex urbe Tudertina, Vlpius ab auo dictus, Traianus à Traio, paterni generis autore, uel de nomine Traiani patris sic appellatus, decimustertius ab Augusto imperiũ adeptus est, natus in Hispania, familia antiqua magis quàm clara. Nam pater eius primum Cos. fuit. Imperator autem apud Agrippinã nobilem Galliæ coloniã factus est, habens diligentiam in re militari, in ciuilibus lenitatem, in subleuandis ciuitatibus largitionem. Cumq́ue duo sint quæ ab egregijs principibus expectentur: sanctitas domi, in armis fortitudo, utrobiq́ue prudentia: tantus in eo erat maximarum rerum modus, ut quasi temperamento quodam uirtutes miscuisse uideretur, nisi quod cibo uinoq́ue paululum deditus erat. Remp. ita administrauit, ut omnibus principibus merito præferatur, inusitatæ ciuilitatis & fortitudinis. Romani imperij quod post Augustũ defensum magis fuerat, quàm nobiliter ampliatũ, fines longe lateq́ue diffudit. Vrbes trans Rhenũ in Germania reparauit. Daciam Decibalo uicto subegit: prouincia trans Danubium facta, in his agris quos nunc Thaiphali, nunc Victophali & Teruingi habẽt. Ea prouincia decies centena milia passuũ in circuitu tenuit. Armeniã quã occupauerant Parthi, recepit, Pharmatasire occiso qui eã tenebat. Albanis regẽ dedit. Hiberorũ regem, & Sauromatarũ & Bosphoranorũ, Arabum, & Hosdroenorũ & Colchorũ in fidem accepit. Carduenos, Mardomedos occupauit. Et Antemusiũ magnã Persidis regionẽ, Seleuciã & Ctesiphontem, Babylonẽ & Edessam uicit ac tenuit. Vsq́ue ad Indiæ fines & mare rubrũ accessit, atq́ue ibi tres prouincias fecit, Armeniã, Assyriã, Mesopotamiam cum his gentibus, quæ Madenã attingunt. Arabiam postea in prouinciẹ formã redegit, in mari rubro classem instituit, ut per eam Indiẹ fines uastaret. Gloriã tamen militarẽ ciuilitate & moderatione superauit, Romæ & per prouincias æqualẽ se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans, uel ægrotantes, uel cum festos dies habuisset: conuiuia cum eisdem indiscreta uicissim habens, sæpe in uehiculis eorum sedens, nullum Senatorem lædens, nihil iniustum ad augendum fiscum agens, liberalis in cunctos, publice priuatimq́ue ditans omnes, & honoribus augens quos uel mediocri familiaritate cognouisset, orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens, nihil non tranquillum placidumq́ue agens, adeo ut in omni eius ætate unus tantum senator damnatus sit, atq́ue is tamen per Senatum ignorante Traiano. Ob hæc per orbem deo proximus nihil non uenerationis meruit, & uiuus & mortuus. Inter alia dicta hoc ipsius fertur egregium. Amicis eum culpantibus, quod nimium circa omnes communis esset, respondit talem se imperatorem esse priuatis, qualem sibi imperatorem priuatus optasset. Hic ob honorem Suræ, cuius studio imperium arripuerat, lauacra condidit. De quo superuacaneũ uidetur cuncta uelle nominatim

Agrippina colonia

Traianus omnibus principibus melior

Dacia prouincia

Armenia recepta

Reges in fidẽ accepti

Vrbes Persarum captæ

Armenia, Assyria, Mesopotamia, Arabia prouinciæ

Ciuilitas Traiani

Traiani dictũ

Sura

natim promere, cum satis sit excultum atq; emendatum dixisse. Fuit enim patiens laboris, studiosus optimi cuiusq;, ac bellicosi: magis simpliciora ingenia, q̃ eruditissimos (quũ ipse parcæ esset scientiæ, moderateq; eloquẽs) diligebat. Iusticiæ uero ac iuris humani diuiniq; tam repertor noui, q̃ inueterati custos. Quæ omnia eo maiora uisebãtur, quod per multos atq; atroces tyrãnos perdito atq; prostrato statu Romano in remediũ tantorũ malorum diuinitus credebatur opportune datus, usq; eo, ut aduenientem imperiũ eius pleraq; mirifica denũciauerint. In queis præcipuũ, cornicẽ è fastigio Capitolij Atticis sermonibus effatã, ἔσαι καλῶς. Hic in persequendis sanè Christianis errore deceptus, tertius à Nerone, cũ passim repertos cogi ad sacrificandum idolis, ac detractantes interfici præcepisset, & plurimi interficerẽtur, Plinij Secundi, qui inter cæteros Iudices, ut Tertullianus refert, persecutor datus erat, relatu admonitus est, eos homines nihil morte gerere dignum, nisi quod dijs non immolarent, & Christũ ueluti deum ante lucem surgentes laudarent, à malis omnibus abstinentes. Ad quem Traianus rescribit, Christianos pro fide nullatenus inquirendos. Veruntamen cõtinuo Romæ aurea domus, à Nerone totis priuatis publicisq; rebus impensis condita, repentino conflagrauit incendio: ut intelligeretur missa etiam ab alio persequutio in ipsius potissime monimẽtis, à quo primum exorta esset, atq; in ipso autore pu iri. Terræmotu quatuor urbes Asiæ subuersæ: Elæa, Myrina, Pitane, Cyme: & Græcæ ciuitates, Opuntiorũ, & Oriciorũ. Tres Galatiæ ciuitates eodem terræmotu dirutæ. Pantheum Romæ à Domitiano constructũ, fulmine concrematum est. Terræmotus in Antiochia penè totam subruit ciuitatem. Incredibili deinde motu sub uno tempore Iudæi quasi rabie efferati per diuersas terrarum partes exarsere. Nam per totam Libyam aduersus incolas exarserũt, & atrocissima bella gesserũt: quæ adeò tunc interfectis cultoribus desolata est, ut nisi postea Adrianus Imperator collectas undiq; aliũde colonias deduxisset, uacua penitus terra, abraso habitatore mansisset. Ægyptum uero totam & Cyrenen, & Thebaidam cruentis seditionibus turbauerunt. In Alexandria tunc commisso prælio uicti & attriti sunt. In Mesopotamia quoq; rebellantibus iussu imperatoris bellum illatum est. Itaq; multa milia eorũ uasta cæde deleta sunt. Sanè Salaminam urbem Cypri interfectis omnibus accolis deleuerunt. Igitur Traianus post ingentem gloriam belli domiq; quæsitã, è Perside rediens, apud Seleuciam Isauriæ profluuio uentris extinctus est. Obijt autem ætatis anno sexagesimo tertio, & mense uno, die quarto: imperij nonodecimo, mense sexto, die quintodecimo. Inter diuos relatus est. Huius exusti corporis cineres in urna aurea relati Romam, humatiq; in Traiani foro sub eius columna, cuius altitudo centũ quadraginta pedes habet: & imago superposita sicut triũphantes solent, in urbem inuecta, senatu præeunte & exercitu. Eo tempore multo perniciosius quàm sub Nerua Tiberis inundauit, magna

Prodigium
Persecutio III
Plini. Secũdus
Aureæ domus conflagratio
Terræmotus
Iudæorum rebellationes
Salamina Cypri à Iudæis deleta
Traiani mors
Traianus inter diuos relatus

clade ædium proximarum: & terræmotus grauis per prouincias multas, atroxq́ pestilentia, famesq́ & incendia facta sunt. Quibus omnibus Traianus per exquisita remedia multipliciter opitulatus est, statuens ne domorum altitudo sexaginta superaret pedes, ob ruinas faciles, & sumptus si quando talia contigerint, exitiosos. Vnde merito pater patriæ dictus est.

Acclamatio

Huius tantum memoriæ delatum est, ut usq; ad nostram ætatem non aliter in Senatu principibus acclamaretur, nisi, Felicior Augusto, melior Traiano. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut uel assentantibus uel uere laudantibus occasionem magnificentissimi præstet exempli.

AELIVS ADRIANVS



NNO ab urbe condita DCCCLXVII Ælius Adrianus stirpis Italicæ ex Hispania, Ælio Adriano Traiani principis consobrino Adriæ orto genitus, quod oppidum agri Piceni, etiam mari Adriatico nomen dedit, quartusdecimus ab Augusto Imperator est creatus. Hic sine aliqua uoluntate Traiani imperator est factus, operam dante tamē Plotina uxore Traiani. Nam eū Traianus, quanq; cōsobrini sui filiū, uiuus noluerat adoptare. Qui Traiani gloriæ inuidens, statim prouincias tres abstulit, quas Traianus addiderat: id est, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, reuocauit exercitus, ac finē imperij esse uoluit Euphraten. Idem de Dacia facere conantē amici terruerunt, ne Romani ciues multi traderentur: propterea quia Traianus uicta Dacia ex toto orbe Romano infinitas eo copias transtulerat, ad agros & urbes colendas. Daciæ enim diuturno bello Decibali uires fuerant exhaustæ, pacem tamen omni sui imperij tempore habuit. Semel tantum per præsidem cum Sauromatis dimicauit & uicit. Orbem Romanum circuiuit, multa ædificauit. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem uirum fide sapientiaq; plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis instructus atq; eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum Proconsulem Asiæ datam, ut nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare, idemq́ continuo pater patriæ in Senatu ultra morem maiorum appellatur, & uxor eius Augusta. Textus autem epistolæ hic est: Accepi literas ad me scriptas à decessore tuo Serenio Germano clarissimo uiro, & non placet mihi relationem silentio præterire, ne & innoxij perturbentur, & calumniatoribus latrocinandi occasio tribuatur. Itaq; si euidenter prouinciales huic petitioni suæ adesse ualent aduersum Christianos, ut pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi nō prohibeo. Precibus autem in hoc solis & acclamationibus uti eis nō permitto. Etenim multo æquius est si quis uolet accusare, te cognoscere de obiectis. Si quis igitur accusat, & probat aduersum leges quicquā agere memoratos homines, pro merito peccatorū etiam supplicia statues. Illud me hercle magnopere curabis, ut si quis calumniæ gratia quenquam horum

III prouinciæ ab Adriano relictæ

Pacatū Adriani imperium

Quadratus Aristides Serenus Granius

Epistola Adriani

tum postulauerit reum, in hunc pro sui nequitia supplicijs sæuioribus uindicces. Igitur Adrianus Remp. iustissimis legibus ordinauit. Iudæos sanè perturbatione scelerum suorum exagitatos, & Palæstinam prouinciam quondam suam depopulãtes ultima cæde perdomuit, excidio Hierosolymis nouissime desolatis, ita ut nec lapis super lapidem secundum diuinam uocem sit in ea relictus, ultusq; est Christianos, quos illi Chozbea duce, quod sibi aduersus Romanos non assentirentur, excruciabant. Præcepitq; ne cui Iudæo introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantum ciuitate permissa, quam ipse in oppidi statum murorum extructione reparauit, & Æliam de prænomine suo uocari iussit. Per idem tempus Romæ Phauorinus & Palæmon rhetores insignes, nec non & Herodes Atheniensis & Marcus habebantur. Iste facundissimus Latino sermone, Græcis literis eruditissimus fuit, ita ut à plerisq; Græculus appellaretur. Atheniensium studia, moresq; auxit, peritus non solum sermone, sed & cæteris disciplinis, canendi, psallendi, medendiq; scientia, Musicus, Geometra, pictor, fictorq; ex ære & marmore, proxime Polycletos & Euphranoras. Proinde omnino ad ista est factus, ut elegantius nunquam quicquam humanæ res expertæ uideantur. Memor supra quàm cuiquam credibile est, locos, negocia, milites, absentes quoq; nominibus recensere: rem immensi laboris: quippe qui prouincias omnes pedib. circuierat, agmen comitantium præuertens, cum oppida uniuersa restitueret, augeret ordinibus. Namq; ad specimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genusq; cunctum extruendorum mœnium, seu decorandorum, in cohortes centuriauerat. Varius, multiplex, multiformis, atque ad uitia & uirtutes quasi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium inuidum, triste, lasciuum, & ad ostentationem sui insolens, callide tegebat, continentiam, clementiam facilitatem simulans, contraq; dissimulans ardorem gloriæ quo flagrabat: acerrimus ad lacessendum, & respondendum serijs, ioco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dicto, prorsus præmeditatum crederes aduersus omnia. Huius uxor Sabina dum propè seruilibus iniurijs afficitur, ad mortem uoluntariam compulsa: quæ palàm iactabat se quod immane ingenium probauisset elaborasse, ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur. His morbo subcutaneo, quem diu placide sustinuerat, uictus, dolore ardens impatiensq; plures è Senatu extinxit. A regibus multis pace occultis impetrata muneribus, iactabat palàm plus se ocio adeptum, quàm armis cæteros. Officia sanè publica & Palatina, nec non militiæ, in eam formam statuit, quæ paucis permutatis hodie permanet. Dehinc miserabili exitu consumptus est, cruciatu membrorum omnium cõfectus, in tantum ut crebro sese interficiendum ministrorum fidelissimis precans offerret, ac ne in semetipsum sæuiret, charissimorum custodia seruaretur. Hic non magnam clementiæ gloriam habuit, diligentissimus

Hierosolyma excisa

Chozbea

Rhetores insignes

Adrianus doctus

Oppida restituta

Sabina Augusta

Forma officiorum statuta

Adriani exitus

tissimus tamen circa ærarium & militum disciplinam. Obijt in Campania apud Baias, imperij anno uicesimo primo, mense decimo, & die uicesimo: ætatis sexagesimo & altero anno. Senatus ei tribuere noluit diuinos honores. Tamen cum successor ipsius Titus Aurelius Antoninus Fuluius hoc uehementer exigeret, & uniuersi senatores palàm resisterent, tandem obtinuit.

Adrianus in diuos relatus

ANTONINVS PIVS



RGO Adriano successit quintus decimus ab Augusto Antoninus Fuluius Boionius, idem etiam Pius postea nominatus, genere claro, sed non admodum uetere. Iste ab Adriano in filium adoptatus, cuius gener fuerat, uir insignis, qui merito Numæ Pompilio conferatur, ita ut Romulo Traianus æquatur. Vixit ingenti honestate priuato maior imperio, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari moderata gloria, defendere magis prouincias quàm ampliare studens, uiros æquissimos ad administrandam Remp. quærens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans, regibus amicus esse studens: cum orbem terræ nullo bello per annos uiginti tres sola autoritate rexerit, adeo trementibus atq; amantibus cunctis regibus, nationibusq; & populis, ut parentem seu patronum magis quàm dominum imperatorem'ue reputarent, omnesq; in morem cœlestium propitium optantes, de controuersijs inter se iudicem poscerent. Quin etiam Indi, Bactri, Hircani legatos misere, iusticia tanti Imperatoris comperta: quam ornabat uultu serie pulchro, procerus membra, decenter ualidus: priusquam salutandus prodiret, degustans panis aliquantum: ne frigescente circum præcordia sanguine, per ieiunium uiribus exesis interciperetur, eoq; actui publicorum minime sufficeret: quem incredibili diligentia ad speciem optimi patris familias exequebatur, appetentia gloriæ carens & ostentatione: adeo mansuetus, ut instantibus patribus ad eos, qui contra eum coniurarent, persequendos, compresserit quæstionem: profecto sciens necesse non esse sceleris in semet ipsum cupidos pertinacius indagari, quia si plures reperirentur, quantis odio esset intelligeretur. Hic ante imperium ditissimus fuit: omnes quidem opes suas stipendijs militum, & circa amicos liberaliter erogando comminuit. Verum ærarium opulentum reliquit. Pius propter clementiam dictus est. Huius temporibus Iustinus philosophus librum pro Christiana religione compositũ eidem Antonino tradidit, benignumq; eum erga Christianos homines fecit. Qui non longe post suscitante se persecutione & crescente, scripsit uniuersis plebibus Asiæ epistolã in his uerbis. Ego quidẽ non ambigo etiã ipsis dijs curæ esse, ne qui noxius lateat: multo em̃ magis ipsis cõuenit punire eos, qui sibi immolare nolũt, q̃ uobis. Sed uos cõfirmatis eorũ, quos psequimini sententiã, quã de uobis habẽt, uos impios & sine deo esse. Vnde & optabilius habent animam ponere pro deo suo, & mortem

Antonini laudes

Legationes ad Antoninum

Iustinus philosophus

Epistola Antonini

tem libenter amplecti, quàm uobis acquiescere,& in uestræ religionis iura concedere. De motibus autem terræ,qui uel facti sunt,uel etiam nunc fiũt, absurdum non erit mœrorem uestrum iusta commonitione solari. Quoniam quidem comperi, quod in huiuscemodi rebus ad illorũ inuidiam communes casus transfertis. In quo illi quidem maiorem fiduciam accipiunt apud deum. Vos autem in omni tempore, quo de talibus ignoratis, cæteros quidẽ deos negligitis:cultũ uero immortalis dei, quẽ Christiani colunt, expellitis & deturbatis,usq; ad mortẽ cultores illius obseruantiæ persequentes. super quibus plurimi ex prouincijs iudices etiam uenerabili patri nostro scripserant. Quibus rescriptum ab eo, ut nihil molestiæ huiuscemodi hominibus generarent, nisi forte arguerentur aliquid aduersum Romani regni statum moliri. Sed & mihi ipsi de his quamplurimi retulerunt, quibus ego paternam sequutus sententiam pari moderatione rescripsi. Quod si quis persistit huiuscemodi hominib. absq; ullo crimine mouere negocia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit,absoluatur,etiamsi probetur id esse quod ei obijcitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnę ipsius quam obiecit existat. Proposita Ephesi publice in conuentu Asiæ. Per idem tempus Romæ agnoscitur Arrianus philosophus Nicomediensis prætor,nec non & Maximus Tyrius. Isti etiam magistri Verissimi Cæsaris extitere. Igitur Antoninus apud Lorias uilla propria milibus passuum duodecim ab urbe,febri paucorum dierum, post uitæ annum septuagesimum septimum, Imperij uicesimum tertium consumptus est, atq; inter diuos relatus est,& merito cõsecratus, ita ut in honorem eius templa, sacerdotes, atq; infinita alia decreta sint. Vsqueadeo autem mitis fuit, ut cum ob inopiæ frumentariæ suspitionẽ lapidibus à populo Romano perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quàm ulcisci seditionem.

Arrianus

Maximus Tyrius

Antoninus mortuus consecratur

MARCVS ANTONINVS



NNO ab urbe condita DCCCC.XI. M. Aurelius Antoninus Verus, sextusdecimus ab Augusto imperium adeptus est,haud dubie nobilissimus: Quippe cum eius origo paterna à Numa Pompilio,materna à Salentino rege penderet: & cum eo L. Annius Antoninus Verus. Tumq; Romana Resp. duobus æquo iure imperium administrantibus paruit,cum usq; ad eos singulos semper habuisset Augustos. Hi & genere cõiuncti inter se fuerunt,& affinitate. Nam Verus nepos. Antoninus gener Antonini Pij fuit, per uxorem Galeriam Faustinam minorem consobrinam suam. Hi bellum contra Vologesum regem Parthorum gesserunt, qui post uictoriam Traiani primum rebellauerat, & graui eruptione Armeniam, Cappadociam, Syriam'que uastabat. L. Verus Annius Antoninus ad id bellum profectus est. Qui dum Athenis sacrificaret, ignis in cœlo ab occidente in orientem ferri uisus est. Qui Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces suos ingentia patrauit.

Marci genus

L. Annius Verus

Duo Impp.

Vologesus rex

Bellum Persicum

Seleuciam

Seleucia capta

Seleuciam Assyriæ urbem nobilissimam, super Hydaspen fluuium sitam cum quadringentis milibus hominum cepit. Parthicum triumphum reuexit. Obijt tamen in Venetia inter Altinum & Concordiã ciuitatem, quum proficisceretur, & cum fratre in uehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi, quem Græci ἀπόπληξιν uocant: carminũ maxime Tragicorum studiosus, ingenij asperi atq; lasciui, reuerentia tamen fratris nihil unquam atrox ausus. Cumq; obijsset undecimo anno imperij, inter diuos relatus est.

L. Verus apoplexi perit

Post eum Marcus Antoninus Verus Remp. solus tenuit, quem mirari facilius quisquã quàm laudare possit: à principio uitæ tranquillissimus, adeo ut ab infantia quoq; uultũ nec ex gaudio, nec ex mœrore mutauerit, Philosophiæ deditus stoicæ. Ipse etiam non solum uitæ moribus, sed etiam eruditione philosophus, tantæ admirationis adhuc iuuenis, ut eum successorem parauerit Adrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pio, generum ei idcirco esse uoluerit, ut hoc ordine ad imperium perueniret. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium, ad scientiam literarum Græcarum per Sextum Cheronensem Plutarchi nepotem. Latinas autem literas eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo iure egit, ad nullam insolentiam elatus est. Imperij fastigio liberaliter usus est, & promptissime. Prouincias ingenti benignitate & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe feliciter res gestæ sunt. Iste uirtutum omnium, cœlestisq; ingenij extitit, erumnisq; publicis quasi defensor obiectus est. Etenim nisi ad illa tempora natus esset, profecto quasi uno lapsu ruissent omnia status Romani. Quippe armis quies nunquã erat: perq; omnem orientem, Illyricum, Italiamq; bella fluebant, Terræmotus non sine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locustarum acies in agris infestæ prorsus, ut propè nihil quo summis angoribus atteri mortales solent, dici seu cogitari queat, quod non illo imperante sæuierit. Credo diuinitus attributum, ut dum mundi lex, seu natura aliquid hominibus incognitum gignit, rectorum consilijs, tanquam medicinæ remedijs leniatur. Hic permisit uiris clarioribus, ut conuiuia eodem cultu quo ipse & similibus ministris exhiberent.

Antoninus philosophus

Apollonius

Sextus

Fronto

Marci laudes

Erumnæ publicæ

Is in diebus Parthici belli persequutiones Christianorum quarta iam post Neronem uice agi imperauit, quæ tam graues eius præcepto extitere, ut in Asia & Gallia multi sanctorum martyrio coronati sint. Bellum unum ipse gessit Marcomannicum, sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur. Nam eo grauius est factum, quod uniuersi exercitus Romani perierant. sub hoc tantus casus pestilentiæ fuit, ut post uictoriam Persicam, Romæ ac per Italiam prouinciasq;, maxima hominum pars, militum omnes ferè copiæ languore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatione cum apud Carnuntum iugi triennio perseuerasset, Marcomãnicum bellum confecit: quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatæ, Sueui, atq; omnis penè Germania gerebat

Persecutio quarta

Bellum Marcomannicum

Pestilentia

gerebat. & in Quadorum usque fines progresso exercitu, circumuentoq; ab hostibus, propter aquarum penuriam, cum tam sitis, quàm hostis periculum sustineretur, ad inuocationem Christi nominis quam subito magna fidei constantia quidam milites effusi in preces palàm fecerunt, tanta uis pluuiæ effusa est, ut Romanos quidem largissime ac sine iniuria refecerit: Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coëgerit. Quorum terga Romani usq; ad internitionem cædentes, gloriosissimam uictoriam, & omnibus penè antiquorum titulis præferendam rudi paruoq; militum numero, sed potentissimo Christi auxilio reportarunt. Igitur multa milia hominum interfecta: ac Pannonijs seruitio liberatis, Romæ rursus cum Commodo Antonino filio suo, quem Cæsarem fecerat, triumphauit. Ad huius belli sumptū, cum ærario exhausto, largitiones quas militibus impenderet, nullas haberet, neq; indicere Senatui aut prouincialibus aliquid uellet, instrumentū regij cultus, facta in foro Traiano diu sectione distraxit, uasa aurea, pocula crystallina & murrina, uxoriam ac suam sericam & aureā uestem, multa ornamenta gemmarum: ac per duos cōtinuos menses uenditio habita est, multumq; auri redactum. Post uictoriam tamen emptoribus precium restituit, qui reddere comparata uoluerunt. Molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hic in æditione munerum adeo magnificus fuit, ut centum semel leones exhibuisse tradatur. Huius tempore Cassius tyrānidem arripiens extinctus est. Hic etiā præteriti temporis per omnes prouincias tributa donauit, omniaq; simul fiscalium negociorum calumniosa monimenta coniecta in foro iussit incendi, seuerioresq; leges nouis constitutionibus temperauit. Per idem tempus Romæ pollebat Galenus optimus medicus, genere Pergamenus. Et Saluius Iulianus Romæ leges promebat, & Fronto rhetor, & Aristides Smyrnæus sophista, Oppianusq; poëta, & Atticus Platonicus philosophus Romæ erant. Igitur cum fortunatam Remp. uirtute & mansuetudine reddidisset, obijt apud oppidum Vendobonam duodeuigesimo imperij anno, ætatis sexagesimo primo. De eius morte nuncio Romam peruecto, confusa luctu publico urbe, Senatus in Curiam ueste tetra amictus conuenit, & quod de Romulo ægre creditum est, omnes pari sensu præsumpsere, Marcum cœlo receptum esse: ob cuius honorem templa, columnæ, multaq; alia decreta sunt.

Exercitus Romanus ad preces militum Christianorū seruatus

Instrumentum regium auctionatur

Caßius tyrannus

Galenus
Iulianus
Fronto
Aristides
Oppianus
Atticus
Vendobona

Marcus in diuos relatus

COMMODVS

HVIC successit L. Aurelius Cōmodus filius eius, qui & ipse Antoninus dictus, & ab Augusto decimus septimus Impator est creatus. Hic qualis futurus esset, in ipso primordio ostendit. Namque cū in supremis moneretur à patre suo, attritos iā Barbaros, ne permitteret uires recipere, respōderat: Ab incolumi quāuis paulatim negotiū perfici posse, à mortuo nihil. Iste nihil paternū habuit, nisi q;

contra Germanos feliciter & ipse pugnauit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. Sed luxuriæ & obscœnitatis dedecore plurimo deprauatus, gladiatorijs quoque armis sæpissime in ludo depugnauit. Deinceps etiam in amphitheatro cum huiusmodi hominibus & cum feris decertauit. Interfecit etiam plurimos Senatores, maxime quos animaduertit nobilitate industriaque excellere flagitia regis, inter quos etiam Saluium Iulianum legislatorem occidit. Pœna urbis insequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam maiorum cura, studioque compositam, ædesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit. Deinde aliud incendium postea Romæ exortum est, ædem Vestæ & Palatium plurimamque urbis partem solo æquauit. Huic Marcia generis libertini uxor fuit, forma tamen meretricijsque artibus pollens, quæ cum animum eius penitus deuinxisset, egresso è balneo ueneni poculum obtulit. Ad extremum ab immisso ualidissimo palæstrita compressis eius faucibus expirauit in domo Vestiliani, cum annis duodecim post patrem, & octo mensibus imperasset: uitæque anno uigesimo secundo.

Commodus gladiator — *Crudelitas Commodi* — *Incendia duo* — *Commodi exitus*

PERTINAX

HVIC successit Heluius Pertinax, qui octauusdecimus ab Augusto imperium adeptus est. Iste grandæuus, & qui septuagenariam attigisset ætatem, Præfecturam urbis tunc agens ex Senatusconsulto coactus imperium repugnansque suscepit. Proinde tale cognomentum sortitus est. Octogesimo primo die imperij Prætorianorum militum seditione, & Saluij Iuliani scelere multis uulneribus obtruncatur. Huius caput tota urbe uectum est. Hoc exitu obijt, uir ad humanæ conuersationis exemplum, per laboris genera uniuersa ad summos usque prouectus honores, usque eò, ut Fortunę uocaretur pila. Is origine ortus sordida. Nã libertino genitus patre apud Ligures in agro squalido Lollij Gentiani, cuius in præfectura quoque se clientem esse liberalissime fatebatur, fuit doctor literarum, quæ à Grammaticis traduntur. Blandus magis quàm beneficus. Vnde eum Græco nomine χρηστόλογον appellauere. Nunquam iniuria accepta ad ulciscendum ductus. Amabat simplicitatem. Communem se, affatu, conuiuio, incessu, præbebat. Huic mortuo diuinum nomen decretum est. Ob cuius laudem ingeminatis ad uocis usque defectum plausibus acclamatum est: Pertinace imperante securi uiximus, neminem timuimus, patri pio, patri Senatus, patri omnium bonorum.

Breue imperium — *Pila fortunæ* — *Pertinax in diuos relatus*



DIDIVS IVLIANVS

POST eum Didius Saluius Iulianus ortu Mediolanensis, Nonusdecimus ab Augusto Remp. inuasit, uir nobilis & iure peritissimus, nepos Saluij Iuliani, qui sub Diuo Antonino perpetuum composuit edictum, factiosus, præceps,

regni

regni auidus. Hoc tempore Niger Pescennius apud Antiochiam, & in Sabario Pannoniæ oppido Septimius Seuerus creantur Augusti. Ab hoc Seuero Iulianus uictus est apud Miluium pontem bello ciuili, & fugiens in palatio captus est, & in abditas Palatij balneas ductus, extenta damnatorum modo ceruice decollatur, caputq; eius in rostris ponitur, post septē menses quàm imperare cœperat.

Pescennius Niger

Iulianus decollatus

SEPTIMIVS SEVERVS

ANNO ab urbe condita DCCC. XLVII Septimius Seuerus, uicesimus post Augustum Romani imperij administrationem suscepit. Iste ex Africa oriundus, prouincia Tripolitana, oppido Lepti, fuit. Solus omni memoria & ante & postea ex Africa Imperator fuit. Hic primum fisci aduocatus fuit, mox militaris Tribunus, per multa deinde & uaria officia atq; honores usq; ad administrationem totius Reip. uenit. Bella multa & feliciter gessit. Pescennium Nigrum, hominem omnium turpitudinum, qui in Ægypto & Syria rebellauerat, apud Cizicum interfecit. Parthos uicit, & Arabas interiores, & Adiabenos. Arabas eousq; superauit, ut etiam prouinciam ibi faceret. Idcirco Parthicus, Arabicus, Adiabenicus dictus est. Multa toto orbe Romano reparauit. Sub eo etiam Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Iuliano, Cæsarem se in Gallia fecit: uictusq; apud Lugdunū & interfectus est. Hic fuit bellicosissimus omnium qui ante eum fuere. Acer ingenio, & ad omnia quæ intendisset usq; in finem perseuerans: beneuolentia quò inclinasset mirabili ac perpetua. Ad acquirendum diligens, ad largiendum liberalis: in amicos, inimicosq; uehemens pariter: quippe qui Lateranum Cilonem, Anulinum Bassum, cæterosq; alios ditaret ædibus quoq; memoratu dignis, quarum præcipuas uidemus, Parthorum quæ dicuntur ac Laterani. Hic nulli in dominatu suo permisit honores uenundari. Iste Iudæos & Samaritas rebellare conantes ferro coërcuit. Quinta post Neronē persecutione Christianos excruciauit, plurimiq; sanctorū per diuersas prouincias martyrio coronati sunt. Igitur Seuerus præter bellicam gloriam etiam ciuilibus studijs clarus fuit, & literis Latinis doctus, Philosophiæ scientiam ad plenum adeptus, Græcis sermonibus eruditus, punica eloquentia promptior. Nouissimum bellum in Britannia habuit, atq; receptas prouincias omni securitate muniuit. Itaq; magnam fossam, firmissimumq; uallum, crebris insuper turribus, per centum & triginta duo milia passuum à mari ad mare deduxit. Ibiq; apud Eboracū oppidū, cum membrorū omniū, maxime pedū dolorē pati nequiret, ueneni uice, quod ei negabatur, cibos grauis ac plurimæ carnis auidius inuasit. Quos cum conficere nō posset, cruditate pressus expirauit, Anno imperij XVIII mensēq; decimo: uitæ anno sexagesimo quinto, Diuusq; appellatus est. Nam filios duos successores reliquit, Bassianum & Getam. Sed Bassiano Antonini nomen à Senatu petijt imponi.

Seuerus ortu Afer

Pescennius interfectus

Victoriæ Seueri

Arabia prouincia

Seueri cognomina

Clodius Albinus

Seuerus bellicosissimus

Laterani ædes

Persecutio V

Seueri obitus

Seuerus diuus

Geta

ANTONINVS CARACALLA

ITAQVE dictus est M. Aurelius Antoninus Bassianus Caracalla, patriq́; successit, Lugduni genitus. Hic Bassianus ex aui materni nomine dictus est. At cum è Gallia uestem plurimam deuexisset, talaresq́; Caracallas fecisset, coëgissetq́; plebem ad se salutandum indutam talibus introire, de nomine huiuscemodi uestis Caracalla cognominatus est. Hic fratrem suum Getam peremit, ob quam causam furore pœnas dedit, dirarum insectatione, quæ non immerito Vltrices uocantur, à quo post furore conualuit. Hic corpore Alexandri Macedonis conspecto, Magnum Alexandrum se iussit appellari: assentantium fallacijs eousque perductus, ut truci fronte, & ad leuum humerum conuersa ceruice, quod in ore Alexandri notauerat, incedens, fidem uultus simillimi persuaderet sibi. Iste morum ferè paternorum fuit, paulo asperior & minax. Opus Romæ egregium fecit lauacri, quæ Antonianæ appellantur: nihil præterea memorabile. Impatientis libidinis, qui nouercam suam Iuliam uxorem duxerit. Is dum moliens aduersus Parthos expeditionem mouisset, cum Carras iter faceret, apud Edissam in Osdroëna secedens ad officia naturalia, à milite qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est, anno imperij sexto mense secundo, uix uitæ egressus quadragesimũ tertium annum. Corpus eius funere publico Romam relatum.

Carac. fratricida

Alexandri simia

Nouerca uxor

OPILIVS MACRINVS

DEINDE Opilius Macrinus, qui præfectus prætorio erat, cum filio Diadumeno, ab exercitu imperatores creati, nihil memorabile ex temporis breuitate gesserunt. Nam imperium eorum duorum mensiũ & unius anni fuit. Ambo pariter ab eodem exercitu apud Archelaidem obtruncantur, pro eo quod Macrinus militatem luxuriam, & stipendia profusiora comprimeret.

Diadumenus

Macrinus ab exercitu occisus

VARIVS HELIOGABALVS

ANNO ab urbe condita DCCCCLXXII. Post hos creatus est Marcus Aurelius Antoninus Varius uigesimus tertius ab Augusto Imperator. Hic Antonini Caracallæ ex Semea consobrina sua occulte stuprata filius, Sacerdos autem Heliogabali templi erat. Proinde Heliogabalus dictus. Huius matris Semeæ auus Bassianus nomine fuerat, Solis sacerdos, quem Phœnices, unde erat, Heliogabalum nominabant, à quo iste Heliogabalus dictus est. Is cum Romam ingenti & militum & senatus expectatione uenisset, probris se omnibus contaminauit, impudicissime & obscœnissime uixit. Cupiditatem stupri, quam assequi naturæ defectu non poterat, in se conuertens, Bassianam se, pro Bassiano iusserat appellari. Vestalem uirginem quasi matrimonio iungens suo, abscissisq́; genitalibus, Magnæ matri se sacrauit. Hic Marcellum, qui post Alexander dictus est, consobrinum suum, Cæsarem fecit. Bienniocq́; post

Semea

Heliogabali probra

Vestalis nupta

Heliog. gallus

post, & octo mensibus, quàm imperare cœperat, Romæ tumultu militari interfectus est, anno uitæ sextodecimo, & cum eo mater sua misera. Huius corpus per urbis uias more canini cadaueris à militibus tractum est, militari cauillo appellantium indomitæ rabidæque libidinis catulam. Nouissime cum angustum foramen cloacæ corpus minime reciperet, usque ad Tyberim deductum, adiecto pondere, ne unquam emergeret, in fluuium proiectum est, atque ex his quæ acciderant, Tiberinus Tractitius appellatus est.

Heliog. occisi corpus in Tyberim proiectum

ALEXANDER SEVERVS

ANNO ab urbe condita. DCCCC. LXXV. huic successit in imperium uigesimusquartus ab Augusto Aurelius Seuerus Alexander, ab exercitu Cæsar, à Senatu Augustus appellatus, iuuenis admodum. Susceptoque aduersus Persas bello, Xersen eorum regem gloriosissime uicit. Militarem disciplinam seuerissime rexit, quasdam tumultuantes legiones integras exauctorauit. Assessorem habuit, uel scriniorum magistrum, Vlpianum iuris conditorem. Cuius mater Mammea Christiana Origenem presbyterum audire curauit. Bonus quoque Reip. fuit. ærumnosus sibi. Huius temporibus Taurinus in oriente Augustus effectus ob timorem ipse se Euphrate fluuio abiecit. Tunc etiam Iulius Maximinus apud Gallias regnum arripuit, pluribus de exercitu corruptis. Alexander uero cum deseri se ab stipatoribus apud Magontiam uidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans, accurrente percussore, obuoluto capite, ceruices manibus ualde compressas præbuit, anno uitæ uicesimosexto, imperij decimotertio & die octauo. In Mammeam matrem suam unice pius fuit, & ob id omnibus amabilis. Hæc eò filium coëgerat, ut & illa ipsa permodica, si mensæ prandioque superessent, quamuis semesa, alteri conuiuio reponerentur.

Persæ uicti

Vlpianus
Mammea
Origenes
Taurinus

Alexander occisus

IVLIVS MAXIMINVS

POST hunc Iulius Maximinus genere Thrax ad imperium accessit, uigesimus quintus ab Augusto, anno ab urbe condita DCCCC. LXXXVIII. Is primus ex corpore militari Imperator factus, sola militum uoluntate, cum nulla Senatus intercessisset autoritas, neque ipse Senator esset. Hic bello aduersum Germanos feliciter gesto, dum pecuniosos persequitur, insontes pariter noxiosque, apud Aquileiam à Pupieno occisus est, deserentibus eum militibus suis, cum filio Diadumeno nomine adhuc puero, cum quo imperauerat triennio & paucis diebus, cunctis militari ioco conclamantibus: Ex pessimo genere ne catulum habendum. Iste persequutionem in Christianos sextus à Nerone exercuit. Huius imperio duo Gordiani pater & filius principatum arripientes unus post unum interierunt.

Maximinus Thrax
Imp. à militib. creatus

Pupienus
Maxim. cum filio cæsus
Sexta persecutio
Gordiani

GORDIANVS

DEINDE Gordianus nepos Gordiani ex filio, uicesimus sextus ab Augusto Imperator creatus est, ortus Romæ clarissimo pa-tre: qui consensu militum, cum Proconsulatum Africæ gereret, Maximino imperante fuit princeps electus. Itaq; cum Romam uenisset, Balbinus atque Pupienus interfecti sunt. Gordianus admodum puer cum Tranquillinam Romæ duxisset uxorem, Iani gemini portas aperuit: quas utrum post Vespasianum & Titum apertas constet, neminem scri-psisse memini. Et ad orientem profectus Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erumpere. Quod quidem mox feliciter gessit, prælijsq; in-gentibus Persas afflixit. Rediens haud longe à Romanis finibus apud Ctesiphontem ciuitatem Persidis interfectus est, fraude Philippi præfe-cti prætorij, qui post eum imperauit, accensis in seditionem militibus, an-no uitæ uicesimo, imperij sexto. Miles ei tumulum uigesimo miliario à Circeso, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, ædi-ficauit. nomenq; loco dedit Sepulchrū Gordiani: exequias uero Romam reuexit, ipsum Diuum appellauit. Huius temporibus Porphyrius Plotini Platonici philosophi auditor Romæ habetur. Theopompus philosophus apud Cheroniam, & Nicanor Sophista apud Athenas pollebant.

Balbinus & Pupienus occisi

Ianus apertus

Parthi uicti

Gordianus occisus

Gordianus diuus

Porphyrius

Theopomp.

Nicanor

IVLIVS PHILIPPVS

ANNO ab urbe condita DCCCC. XCVII. M. Iulius Philip-pus uicesimus septimus ab Augusto, unà cum filio Caio Iulio Saturnino Philippo imperium inuasit, atq; exercitu incolumi reducto ad Italiam ex Syria profecti sunt. Isti primi omnium imperatorum Christiani Romæ facti sunt, & in die Paschæ, id est in ipsis uigilijs cum interesse uoluissent, & communicare mysterijs, à Fabiano E-piscopo Romano non prius est permissum, nisi confiteretur peccata sua, & inter pœnitentes staret: nec ullo modo copiam sibi mysteriorum futuram, nisi prius per pœnitentiam culpas, quæ de eo ferebantur plurimæ, diluis-set. Fertur igitur libenter quod à sacerdote sibi imperatum fuerat, suscepis-se, diuinum sibi inesse metum, & fidem religionis plenissimam, rebus atq; operibus comprobans. His tertio anno imperantibus, millesimus an-nus urbis Romæ ingenti ludorum apparatu spectaculorúmque celebratus est. Ambo deinde ab exercitu interfecti sunt. Senior Philippus Vero-næ, medio capite supra ordines dentium præciso: iunior Romæ, post-quam annos quinq; imperauerunt: inter Diuos tamen relati sunt. Ex qui-bus iunior Philippus duodecim annorum interfectus est: qui adeo seue-ri & tristis animi fuit, ut iam tunc à quinquenni ætate nullo prorsus com-mento cuiusquā ad ridendum solui potuerit: patremq; ludis secularibus pe-tulantius cachinnantem, quanquam adhuc tener, uultu auersato notauerit.

Philippus primus Christianus Imp.

Fabianus

Vrbis millesimus annus

Philippi ab exercitu cæsi

Philippi diui

Agelastos

Is

Is Philippus humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronũ ductore.

DECIVS

ANNO ab urbe condita M.III. Decius è Pannonia inferiore Bubaliæ natus uigesimusoctauus ab Augusto interfecto Philippo imperium inuasit. Hic septimus post Neronem ad persequendos interficiendosq; Christianos feralia dispersit edicta, plurimosque sanctorum ad coronas Christi de cruciatibus suis misit. Iste bellum ciuile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit: Decium filium Cæsarem fecit. Romæ lauacrum ædificauit, uir artibus, cunctisq; uirtutibus instructus, placidus & communis domi, in armis promptissimus. Huius temporibus, cum plurimi Gothi Histrum fluuium transmeassent, Romanorum ciuitates deuastantes Misam & Nicopolim capientes uastauerunt. Decius autem unà cum filio illos bello aggressus, apud Abritum, qui locus Foroterebronij dicitur, triginta milibus barbarorum interfectis, de suis plurimis perditis maxime Thracibus, ipse quoque eodem bello inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita ut nec cadauer eius potuerit inueniri: filiusq; eius bello extinctus est: anno imperij secundo. Scythæ uero cum plurimis spolijs & captiuis reuersi sunt, desertam dimittentes Philippopolim ciuitatem Macedoniæ. Huius temporibus Valens Licinianus Imperator effectus ilico occiditur.

Septima persecutio

Decij laudes

Prælium cum Gothis

Decius submersus

Valens Licinianus

VIRIVS GALLVS

MOX exercitus Imperatores creauit Virium Gallum, & filiũ Galli Volusianum. Horum temporibus Hostilianus Perpenna à senatu imperator creatus, nec multũ post pestilentia consumptus est. Sub his etiam Æmilianus in Mœsia imperator effectus est. Contra quem imperatores ambo profecti, apud Interamniam bellum ciuile molientes, ab exercitu suo cæduntur, anno ætatis patris septimo circiter & quadragesimo, imperij anno secundo: creati in insula Meninge, quæ nunc Girba dicitur. Isti nihil omnino clarum gesserũt. sola pestilentia & morbis atq; ægritudinibus noti, quod nulla ferè prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali pestilentia correpta atq; uastata sit.

Hostilianus

Gallus cum filio ab exercitu occisus

Meninx quæ & Girba

AEMILIANVS

AEMILIANVS uero Maurus genere, obscurissime natus obscurius imperauit. Siquidem auarus fuit, ac quarto mense damnatus apud Spoletium, siue pontem, quem ab eius cæde Sanguinarium accepisse nomen ferũt, inter Otriculũ Narniamq; Spoletiũ & urbem Romã regione media positũ, extinguitur anno uitæ quadragesimo septimo.

LICINIVS VALERIANVS

ANNO ab urbe condita M VIII. Licinius Valerianus cognomento Colobius, tricesimus ab Augusto in Rhetia & Norico agens ab exercitu Imperator, & mox Augustus est factus. Gallienus

quocp filius eius Romæ à Senatu Cæsar est appellatus. Is parentibus est ortus splendidissimis, stolidus tamen & multũ iners, necp ad usum aliquem publici negocij consilio seu gestis accõmodatus. Hic Cornelium Valerianum Gallieni filij sui filium Cæsarem fecit. Sub his etiam Germani Rauennam uscp peruenerunt. His imperantibus Regillianus in Mœsia, Cassius Labienus Posthumus in Gallia Gallieni filio interfecto imperatores effecti sunt. Pari modo Lolianus apud Magontiacum, in Ægypto Æmilianus, apud Macedonas Valens, Mediolani Aureolus inuasere. Tunc Gothi rursus Istrum transeuntes, Thessalonicam urbem Illyrici uastauerunt, & prædis onustati ad propria redierunt. Tunc & Heruli quingentis nauibus per Mæotidas paludes ad Pontum nauigantes, Byzantium & Chrysopolim ceperunt. Valerianus igitur in Mesopotamia bellum gerens à Sapore Persarum rege superatus est. mox etiã captus apud Parthos ignobili seruitute consenuit. Nam quandiu uixit, rex eiusdem prouinciæ, incuruato eo pedem ceruicibus imponens, equum conscendere solitus erat. Hic mox ut arripuit imperium octauus à Nerone adigi per tormenta Christianos ad Idololatriam, abnegantescp interfici iussit, fuso per omnem Romani regni latitudinem sanctorum sanguine.

Cornelius Valerianus — *Germani Rauennam uscp ueniunt* — *Regillianus* — *Posthumus* — *Lolianus* — *Aemilianus* — *Valens* — *Aureolus* — *Gothi Thessalonicã uastant* — *Heruli Byzantium capiunt* — *Valerianus à Sapore captus* — *Octaua persecutio*

GALLIENVS

GALLIENVS igitur filius eius in loco Cornelij filij sui Saloninum alterum filium subrogauit: amori diuerso pellicum deditus, Saloninæ coniugis, & concubinæ, quam per pactionem concessa parte superioris Pannoniæ, à patre Marcomãnorum rege matrimonij specie susceperat, Pipam nomine. Interea Gallienus, cum adolescens factus esset Augustus, imperium feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam iuuenis in Gallia & in Illyrico multa strẽnue fecit: occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumpserat, & Regilliano, diu placidus & quietus, mox in omnem lasciuiam dissolutus, tenendæ Reip. habenas probrosa ignauia & desperatione laxauit. Alemanni uastatis Gallijs Italiam penetrauerũt. Dacia quæ à Traiano ultra Danubium fuerat adiecta, tum amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia uastata per Gothos: Pannonia à Sarmatis Quadiscp depopulata est. Germani usque ad Hispanias penetrauerunt. Parthi Mesopotamia occupata Syriam sibi cœperunt uendicare. Iam desperatis rebus, & deleto penè imperio Romano, Posthumus in Gallia obscurissime natus, purpuram sumpsit: & per annos decem ita imperauit, ut consumptas penè prouincias ingenti uirtute & moderatione reparauerit. Qui seditione militum interfectus est, quod Magontiacum, quæ aduersus eum rebellauerat cum Loliano res nouas moliente, diripiendã militibus tradere noluisset. Post eum Marius uilissimus opifex purpuram accepit, & secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, uir strenuissimus. Sed cum libidinis nimiæ esset, &

Salonianus — *Ingenuus & Regillianus occisi* — *Dacia amissa* — *Barbari in prouincias effusi* — *Posthumus interfectus* — *Marius*

& matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ occisus est, actuario quodam dolum machinante, imperij sui anno secundo. Huic successit Tetricus senator, qui Aquitaniam honore præsidis administrans, absens à militibus imperator electus est, & apud Burdegalam purpuram sumpsit, seditiones multas militum pertulit. Sed dum hæc in Gallia geruntur, in oriente per Odenatum Persæ uicti sunt, defensa Syria, recepta Mesopotamia: usque ad Ctesiphontem Odenatus penetrauit. Igitur Gallieno Remp. deserente, Romanum imperium in occidente per Posthumum, per Odenatum in oriente seruatum est. Gallienus interea aduersus Aureolum profectus est, quem cum apud pontem, qui ex eius nomine Aureolus appellatur, obtentum, detrusum'que Mediolanum obsedisset, eiusdem Aureoli ducis sui commento unà cum Valeriano fratre à suis occiditur. Regnauit annis quindecim, sex cum patre, nouem solus. Vixit annos quinquaginta.

Tetricus

Odenatus

Gallienus à suis occisus

CLAVDIVS



ANNO ab urbe condita M. XXIIII. Claudius ab Augusto tricesimus primus ei successit, electus à militibus, à Senatu Augustus appellatus. Hunc pleriq; putant Gordiano satum, dum adolescens à muliere matura institueretur ad uxorem. Hic Claudius Gallieni morie͠tis sententia Imperator designatur: ad quem Ticini positum per Gallonium Basilium indumenta regia direxerat. Hic Gothos, qui sub Decio dispersi Illyricum Macedoniamq; per quindecim annos uastauerant, ingenti prælio & incredibili strage deleuit: Parcus uir ac modestus & iusticiæ tenax, ac Reip. gerendæ idoneus. Extinctoq; à suis Aureolo, receptis legionibus, aduersus trecenta milia Alemannorum haud procul à lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia superfuerit. Claudius uero cum ex fatalibus libris, quos inspici præceperat, cognouisset pestilentiæ in Senatu primi morte remedium desiderari: Pomponio Basso, qui tunc primus erat se offerente, ipse uitam suam, haud passus responsa frustrari, dono Reip. dedit: Qui tamen intra imperij sui biennium apud Sirmium morbo interijt, diuusq; appellatus est: præfatus neminem tanti ordinis primatem haberi, quàm Imperatorem. Ea res sic erat cunctis grata, ut non diuinum uocabulum modo, sed ex auro quoque statuam prope ipsum Iouis simulachrum in Capitolio, atq; in Curia clypeum ipsi aureum, proceres sacrauerint.

Gothi uicti

Aureolus à suis occisus

Alemanni ad Benacum cæsi

Pomponius Bassus

Exitus Claudij

Claudius diuus

QVINTILIVS



QVINTILIVS post eum Claudij frater, consensu militum imperator electus est, unicæ moderationis uir & ciuilitatis, æquandus fratri, uel præferendus. consensu Senatus appellatus est Augustus, decimoseptimo imperij die occisus est.

Quintilius occisus

Anno

AVRELIANVS



NNO ab urbe condita M. XXVII. Aurelianus tricesimus secundus ab Augusto imperator creatus est. Iste genitus patre mediocri, & ut quidam ferunt, Aurelij Clarissimi Senatoris colono, Dacia Ripensi, quæ est inter Daciam & Macedoniam, oriundus fuit: uir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propensioris: Quique Gothos in Danubio strenuissime uicit, ditionemque Romanã antiquis terminis statuit. Iste haud dissimilis fuit magno Alexandro, seu Cæsari dictatori. Nam Romanum orbem triennio ab inuasoribus recepta uit: cum Alexander annis tredecim, per uictorias ingentes ad Indiam peruenerit, & C. Cæsar decennio subegerit Gallos, aduersus ciues quadriennio congressus. Iste in Italia tribus prælijs uictor fuit, apud Placentiam, & iuxta amnem Metaurum ac Fanum fortunæ: postremo Ticinensibus campis. Huius temporibus apud Dalmatas Septimius Imperator effectus, mox à suis obtruncatur. Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque & omni aurata ueste, quod adhuc ferè incognitum Romanis moribus uidebatur, usus est. Hic muris ualidioribus & latioribus urbem sepsit, templum Solis ædificauit in quo infinitum auri gemmarumque constituit. Porcinæ carnis usum populo instituit. Superauit in Gallia Tetricum apud Catalaunos, ipso Tetrico prodente exercitum suum, cuius assiduas seditiones ferre non poterat. Quin etiam per literas occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia uersu Vergiliano uteretur:

Aureliani laudes — *Septimius* — *Cultus imperatorum* — *Templũ Solis* — *Tetricus superatus*

ERIPE ME HIS INVICTE MALIS

Quem Aurelianus correctorem Lucaniæ prouexit, aspergens hominem eleganti ioco: Sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, quàm trans alpes regnare. Zenobiam quoque occiso Odenato marito, qui orientem tenebat, haud longe ab Antiochia, magis prælij terrore, quàm prælio cepit. Ingressus Romam nobilem triumphum quasi receptor orientis occidentisque egit, præcedentibus currum Tetrico & Zenobia. Hoc imperante etiam in urbe Monetarij rebellauerunt, uitiatis pecunijs & Felicissimo rationali interfecto. Quos Aurelianus uictos ultima crudelitate compescuit: plurimos nobiles capite damnauit, sæuus & sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, in nullo amabilis Imperator: trux omni tempore etiã filio sororis interfecto: disciplinæ tamen militaris, & morum dissolutorũ magna ex parte corrector. Prouinciã Daciam, quam Traianus ultra Danubiũ fecerat, intermisit, uastata omni Illyrico & Mœsia desperans eam posse retineri. Abductosque Romanos & urbibus & agris Daciæ in Mœsia media collocauit, appellauitque eã Daciã, quę nunc duas Mœsias diuidit. & est dextera Danubio in mare fluẽti, cũ ante fuerit læua. Iste cum persequutionẽ agi aduersus Christianos nonus à Nerone decerneret, fulmen

Zenobia capta — *Triumphus Aureliani* — *Monetarij rebellãt* — *Nona persecutio*

fulmen ante eũm magno pauore circunſtantium ruit:ac non multo poſt in itinere occiditur ſerui ſui fraude: qui ad quoſdam militares uiros amicos ipſius nomina pertulit annotata, falſo manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipſos pararet occidere. Itaq; ut præueniretur ab ijſdem interfectus eſt, in itineris medio, quod inter Byzantium & Heracliam eſt, ſtratæ ueteris. locus Cenophrurium appellatur. Mors tamen eius inulta non fuit, meruit quoq; inter Diuos referri. Imperauit annos quinq; & menſes ſex.

Nona perſecutio

Aurel. interfectus

Aurel. diuus

TACITVS

POST hunc Tacitus trigeſimus tertius ab Auguſto imperium ſuſcepit, uir egregie moratus, & Reip. gerẽdæ idoneus: nihil tamen potuit oſtendere. Intra ducenteſimum enim Imperij diem apud Tarſum febre moritur.

FLORIANVS

FLORIANVS qui Tacito ſucceſſerat, duobus menſibus & diebus uiginti in Imperio fuit. Sed cum magna pars exercitus equitum, Probum militiæ peritum legiſſet, Florianus quaſi per ludum imperio uſus, inciſis à ſemetipſo uenis effuſo ſanguine cõſumptus eſt.

PROBVS

ANNO ab urbe cond. M.XXXIII. Probus triceſimus quintus ab Auguſto imperiũ adeptus eſt. Hic genitus patre agreſti, hortorũ ſtudioſo, Dalmatio nomine, gloria militari ad adminiſtrationẽ Reip. acceſſit, Gallias à Barbaris occupatas ingenti prçliorũ felicitate reſtituit. Bella deinde ciuilia equidẽ plurimo ſanguine duo geſſit contra quoſdam Imperatores ab exercitu creatos. Vnum in oriente aduerſus Saturninũ, alterum aduerſus Proculum & Bonoſum Agrippinæ, quos magnis certaminibus oppreſſit. Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit: opere militari Almum montẽ apud Sirmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperiorẽ, uineis conſeruit, & prouincialibus colendos dedit. Hic cum bella innumera geſſiſſet, pace parata, dixit breui milites neceſſarios non futuros: Vir acer, ſtrennuus, iuſtus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum autem ciuilitate ſuperaret. Interfectus tamen eſt Sirmio, tumultu militum, in turri ferrata. Imperauit annos ſex & menſes quatuor.

Galliæ receptæ

Saturninus
Proculus
Bonoſus
Sirmium

Laus Probi
Probus interfectus

CARVS

ANNO ab urbe condita M.XL. Carus Narbonæ natus in Gallia, triceſimus ſextus ab Auguſto imperauit. Iſte cõfeſtim Carinum & Numerianum filios Cæſares fecit, cum quibus regnauit annis duobus. Sed dum bellum aduerſus Sarmatas gerit, nunciato Perſarum tumultu ad orientem profectus eſt. Qui cum Antiochiæ degeret, Numerianus filius eius uoluit intrare in eccleſiã, explorare myſteria Chriſtianorum. Ac uero Sanctus Babylas prohibuit eum dicens: Non licet tibi uidere diuina Chriſtianorum myſteria, cum ſis pollutus idolicis ſacrificijs. Qui indignatus

Babylas martyr

gnatus occidit eum. Hic contra Persas res nobiles gessit, ipsos prælio uicit, Seleuciam & Ctesiphontem urbes nobilissimas cepit. Et cum castra super Tigridem haberet, ui diuini fulminis perijt. Numerianus quoq; filius eius quem secum Cæsarem duxerat ad Persas, adolescens egregiæ indolis, cum oculorum dolore correptus in lectulo ueheretur, impulsore Apro, qui socer eius fuerat, per insidias occisus est. Et quum dolo occultaretur ipsius mors, quousq; Aper inuadere posset imperium, fœtore cadaueris scelus est proditum. Milites enim qui eum sequebantur, putore commoti, deductis lecticulæ pallijs, post aliquot dies mortem eius notam habere potuerunt. Interea Carinus, quem Cæsarem ad Parthos proficiscens Carus, in Italia, Illyrico & Gallia reliquerat, Sabinum Iulianum imperium inuadentem, in campis Veronensibus occidit, omnibusq; se sceleribus inquinauit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia nobilia corrupit. Condiscipulis quoq;, qui eum in auditorio uersuta fatigatione taxauere, pernitiosus fuit, atq; omnibus bonis inuisus. Non multo post interficitur, præcipue eius Tribuni dextera, cuius dicebatur coniugem polluisse. Nam de Perside uictor exercitus rediens, cum Carum Augustum fulmine, Numerianum Cæsarem insidijs perdidisset, Diocletianum Imperatorem creauit.

Seleucia & Ctesiphon captæ — *Carus fulmine perit* — *Numerianus occisus* — *Carinus* — *Sabinus Iulianus occisus* — *Carinus interfectus*

DIOCLETIANVS



ANNO ab urbe condita M. XLII. Diocletianus trigesimus septimus ab Augusto Imperator creatus, Dalmatia oriundus uir obscurissime natus, adeò ut à plerisq; scribæ filius, à nonnullis Anulini Senatoris libertinus fuisse credatur: matre pariter atq; oppido nomine Dioclea, quorum uocabulis, donec imperium sumeret, Diocles est appellatus. Vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanũ morem conuertit. Is primum militi in concione iurauit, Numerianũ nullo suo dolo interfectum: & cum iuxta eum Aper, qui Numeriano insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus manu Diocletiani percussus est gladio. Postea Carinum, quem Carus Cæsarem in Illyrico reliquerat, omniũ odio & execratione uiuentem, apud Murgum ingenti prælio uicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat: certe desertum inter Viminatium & Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus, cum tumultum Rustici in Gallia concitauissent, & factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent, duces autem haberent Amandum & Ælianum, ad subigendos eos Maximianum Herculeum Cæsarem misit: qui leuibus prælijs agrestes domuit, & partem Galliæ reformauit. Per hæc etiam tempora Carausius, qui uilissime natus, serenæ militię ordine famam egregiam fuerat consequutus, cum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum oceanum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis, nec præda integra aut prouincialibus reddita, aut imperatoribus missa, sed sibi soli uẽdicata: cum suspitio esse cœpisset, cõsulto ab eo admitti

Diocletianus Aprũ occidit — *Præliũ apud Murgum* — *Bagaudarum tumultus* — *Carausius Britanniam occupat*

mitti Barbaros, ut transeuntes cum præda exciperet, atq; hac se occasione ditaret, à Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupauit. Ita cum per omnem orbem terrarum res turbatæ essent, Carausius in Britannia, Achilleus in Ægypto, Iulianus in Italia imperatores effecti, diuerso exitu perierunt. E quibus Iulianus adacto per costas pugione in ignem se abiecit. Narseus rex Persarum orientem debellabat. Africā Quinquegentiani infestabant. Diocletianus mox Aurelium Maximianū cognomento Herculium ex Cæsare fecit Augustum. Constantium & Galerium Maximianum cognomento Armentarium Cæsares creauit. Quorū Constantius per filiam nepos Claudiј imperatoris traditur, Maximianum Galerium etiam affinitate cōiunxerat. Constantius priuignam Herculiј Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit. Galerius filiam Diocletiani Valeriam accepit uxorem. Ambo uxores prius habuerant, sed eos repudiare compulit. Cum Carausio tamen cum bella frustra tentata essent contra uirum rei militaris peritissimum, ad postremum pax conuenit. Eum post septennium Alectus socius eius occidit, atque ipse post eum Britannias triennio habuit: qui dolo Asclepiodoti præfecti prætorio oppressus est. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. Per idem tempus à Constantio Cæsare in Gallia bene pugnatū est circa Lingonas. Die una aduersam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repente Barbaris ingruentibus, intra ciuitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, uix quinq; horis mediјs aduentante exercitu LX. ferè milia Alemannorum occidit. Maximianus quoq; Augustus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis & ad pacem redactis. Diocletianus obsessum Alexandriæ Achilleum nono mense superauit, eumq; interfecit, Victoria acerbe usus est, totam Ægyptum grauibus proscriptionibus, cædibusq; fœdauit. Ea tamen occasione ordinauit prouinde multa & disposuit, quæ ad nostram ætatem manent. Erat autem cū ipso & Constantinus filius Constantiј. Qui cum adhuc ualde iuuenis esset, fortiter agebat in præliјs, & cum Christianis sentiebat. Quem intuens Diocletianus intellectu animæ, & corporis robore, atq; ingenio circa eruditionem proficere, & deprehendens hunc futurum tyrannidis & eius dogmatis destructorem, inuidia ductus, dolo perimere satagebat. Deus autem hunc inopinate saluauit, & patri restituit. Interea Diocletianus in oriente, Maximianus Herculeus in occidente uastari ecclesias, affligi, interficiq; Christianos decimo post Neronem loco præceperunt. Quæ persecutio omnibus ferè actis diuturnior atq; immanior fuit. Nam per decem annos incendiјs ecclesiarum, proscriptionibus innocētium, cędibus martyrum incessabiliter acta est. Sequitur terræmotus in Syria, ex quo apud Tyrum & Sidonē passim labentibus tectis multa milia hominum prostrata sunt. Galerius Maximianus primum aduersus Narseum prælium secundū habuit, inde inter Cal-

Achilleus

Maximianus

Theodora

Valeria

Pax Carausio data

Alectus

Asclepiodotus

Britannia recepta

Alemāni cæsi

Africa pacata

Achilleus interfectus

Constantinus

Decima persecutio

Terræmotus

Duo prælia cum Persis

linicum Carrasq́ cõgressus, cũ inconsulte magis quàm ignaue dimicasset, (admodum enim parua manu cum copiosissimo hoste commisit) pulsus & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurrisset, tanta insolentia à Diocletiano fertur exceptus, ut per aliquot milia passuum purpuratus tradatur ante uehiculum eius cucurrisse. Mox tamẽ per Illyricum, Mœsiamq́ contractis copijs, rursus cum Narseo Hormisdæ & Saporis auo in Armenia minore pugnauit successu ingenti, nec minore consilio simul & fortitudine: quippe qui etiam speculatoris munus cum altero & tertio equite suscepit. pulso Narseo, castra eius diripuit, uxores, sorores, liberos cepit: infinitam extrinsecus Persarum nobilitatem abduxit, gazam Persicã copiosissimam: ipsum in ultimi regni solitudines egit. Quare ad Diocletianũ in Mesopotamia cum præsidijs tum morantem ouans regressus, ingenti honore susceptus est. Varia deinceps & simul & uiritim bella gesserunt, Carpis & Basternis subactis, Sarmatis uictis. Quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Diocletianus morigeratus callide fuit, sagax preterea & admodum subtilis ingenio, & qui seueritatem suam aliena inuidia uellet obtegere: diligentissimus tamen & solertissimus princeps: & si imperio Romano primus regiæ consuetudinis formam, magis quàm Romanæ libertatis, inuexerat, adorariq́ se iussit, cum ante eum cũcti imperatores ut iudices salutarẽtur. Ornamẽtũ gemmarũ uestibus calciamentisq́ indidit. Nam prius imperij insigne in chlamyde purpurea tantum erat, reliquaq́ communia. Herculius autem propalàm ferus & inciuilis, ingenij asperitatem uultus horrore significans, naturæ suæ indulgens, Diocletiano in omnibus etiam seuerioribus consilijs obsequutus est. Cum tamen ingrauescente æuo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, auctor Herculio fuit, ut in uitam priuatam concederent, & stationem Rei publicæ tuendę uiridioribus iuuenioribusq́ mandarent. Cui ægre collega obtemperauit, tamen uterque una die priuato habitu imperij insigne mutauit, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompa ferculorum illustri, qua Narsei coniuges, sororesq́ & liberi ante currum ducti sunt. Concesserunt tamen, Salonam unus, alter in Lucaniam. Diocletianus priuatus in uilla, quæ haud procul à Salonis est, præclaro ocio senuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquam pestem aliquã detestans, in hunc modum respondit. Vtinam Salonæ possetis uisere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum iudicaretis. Vixit annos sexaginta octo, è quibus post imperium in communi habitu prope nouem exegit. Morte consumptus est, ut satis patuit, per formidinem uoluntaria. Quippe cum à Constantino atq; Licinio uocatus ad festa nuptiarũ, per senectam quo minus interesse ualeret, excusauisset: rescriptis minacibus acceptis, quibus in-

Narseus uictus

Carpi Basternæ Sarmatæ

Diocletianus primus adoratus

Chlamys purpurea

Diocletianus & Maximianus imperio se abdicant

Diocletiani dictum

bus increpabatur, Maxentio fauisse, ac Maximiano fauere, suspectans necem dedecorosam, dicitur uenenum hausisse, inusitata uirtute usus, ut solus omniũ post conditum Romanũ imperiũ ex tanto fastigio sponte ad priuatæ uitæ statum ciuilitatemq; remearet. Contigit igitur ei, quod nulli post natos homines, ut cum priuatus obijsset, inter Diuos tamen referretur.

Diocletianus ueneno perit

Diocletianus diuus

DE GESTIS ROMANORVM LIB. XI

CONSTANTIVS CHLORVS



HIS igitur abeuntibus administratione Reipu. Constantius & Galerius Augusti creati sunt, diuisusq; est inter eos ita Romanus orbis, ut Gallias, Italiam, Africam Constantius: Illyricũ, Asiam, Orientem Galerius obtineret: sumptis duobus Cæsaribus, Seuero per Italiã, Maximo Galerij sororis filio per Orientem. Eodemq; tempore Constantinus Cæsar efficitur. Constantius tamen contentus dignitate Augusti, Italiæ atq; Africæ administrandæ solicitudinẽ recusauit: uir egregius & præstantissimæ ciuilitatis, diuitijs prouincialium ac priuatorũ studens, fisci commoda non admodum affectans, dicensq; melius publicas opes priuatis haberi, quàm intra unum claustrum reseruari. Adeo autem cultus modici, ut feriatis diebus, si cum amicis numerosioribus esset epulandum, priuatorum ei argento ostiatim petito triclinia sternerentur. Hic non modo amabilis, sed uenerabilis fuit, Gallis etiam præcipue, quod Diocletiani suspectã prudentiam, & Maximiani sanguinariam temeritatẽ, imperio eius euaserãt. Obijt in Britannia Eboraci, principatus anno decimotertio, atq; inter Diuos relatus est. Galerius uir & probe moratus, & egregius in re militari, cum Italiam quoq;, sinente Constantio, administrationi suę accessisse sentiret, Maximum Cæsarem in orientem direxit, & Seuerum in Italia reliquit, ipse in Illyrico moratus est.

Imperium diuisum

Seuerus

Maximus

Constantinus

Constantij laudes

Constantij dictum

Constantius diuus

Galerius

FLAVIVS CONSTANTINVS



ANNO ab Vrbe condita M. L XI. Constantio mortuo, Constantinus ex obscuriore matrimonio eius filius, in Britannia trigesimus octauus ab Augusto imperator creatus est, & sexto Calendas Augusti in locum patris exoptatissimus moderator accessit. Hic dum iuuenculus à Galerio in urbe Roma religionis specie uice obsidis teneretur, fugam arripiens, atq; ad frustrandos insequentes publica iumenta, quaqua iter egerat interficiens, ad patrem in Britanniam peruenit. Et forte eisdem diebus ibidem Constantium parentem fata ultima perurgebãt. Quo mortuo, cunctis qui circa eum erant annitentibus, sed præcipue Alemannorum rege Eroco auxilij gratia cum Constantino comitato, imperium capit. Hic

Erocus rex

Constantia Licinio nupta sororem suam Constantiã Licinio Mediolano accito cõiungit, filiumq; suum Crispum nomine, ex Minerua cõcubina susceptũ, idem Constantinus eisdem diebus natũ oppido Arelatensi, Licinianũq; Licinij filiũ mensium ferè uiginti Cæsarẽ fecit. *Crispus Licinianus* Romæ interea Prætoriani excitato tumultu, Maxentium Herculij filiũ, qui in uilla publica morabatur, sex milibus ab urbe discreta itinere Lauicano, Augustũ nuncupauerũt. *Maxentius* Quo nuncio Maximianus Herculius ad spem arrectus resumendi fastigij, quod inuitus amiserat, Romã aduolauit è Lucania, quã sedẽ priuatus elegerat, in agris amœnissimis cõsenescens. Diocletianũ quoq; etiã per literas adhortatus est, ut depositas resumeret potestates, quas ille irritas habuit. Sed aduersum motũ prætorianorũ atq; Maxentij Seuerus Cæsar missus Romã à Galerio cũ exercitu uenit, obsidensq; urbem, militũ suorũ scelere desertus ab Herculio ad tres tabernas extinguitur: funusq; eius Gallieni sepulchro infertur: quod ab urbe abest per uiam Appiam milibus nouẽ. *Seuerus occisus* Post hæc Herculius Maximianus solatio exercituũ, filium Maxentiũ imperio nudare conatus, seditionẽ & conuitia militũ tulit. Auctæ Maxentio opes, confirmatũ est imperium. Herculius ad Gallias profectus est, dolo composito, tanquam à filio esset expulsus, ut Constantino genero iungeretur, moliens tamẽ Constantinum reperta occasione interficere, qui in Gallijs & militũ & prouincialiũ ingenti iam fauore regnabat, cæsis Francis atq; Alemannis, captisq; eorũ regibus, quos etiã bestijs, cum magnificũ spectaculũ muneris parasset, obiecit. Detectis igitur insidijs per Faustam, quę dolũ uiro nunciauerat, profugit Herculius, Massiliæq; à Constantino oppressus est. *Fausta* Ex ea enim nauigare ad filium pręparabat. Sed à Constantino captus pœnas dedit, mortis genere postremo, fractis laqueo ceruicibus, uir ad omnẽ asperitatẽ sæuiciamq; proclivis, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers, stolidus, ortu agresti, Pannonioq;: *Maximianus laqueo perit* nam etiamnunc haud longe Sirmio eminet locus, palatio ab eo ibidem constructo, ubi parentes eius exercebant opera mercenaria. Interijt ætate sexaginta annorũ, uiginti imperator. Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium & Faustã coniugem Constantini: cuius patri Constantio tradiderat Theodorã priuignã. Per hoc tempus à Galerio Licinius imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod aduersum Narseum gesserat, strenuus laboribus, & officijs acceptus. *Licinius fit imperator* Interea Galerius persequutionem, quæ à Diocletiano & Maximiano in Christianos fuerat missa, ipse atrocioribus edictis accumulauit. Ac postq; per annos decem omni genere hominũ prouincias exhausit, putrefacto introrsum pectore, & uitalibus dissolutis, cũ ultra horrorẽ humanę miseriæ etiã uermes eructaret, medicíq; iam ultra fœtorẽ nõ ferẽtes, crebro iussu eius occiderẽtur: *Exitus Galerij* à quodã medico constantiã ex desperatione sumente increpitus, iram dei esse pœnã suã, atq; ideo à medicis non posse curari: edictis late missis, Christianos de exilio reuocauit: Ipse aũt cruciatus non sustinens,

nens,finem uitæ suæ attulit. Fuit,licet inculta agrestiq;,iusticia satis laudabilis,pulcher corpore,eximius & felix bellator,ortus parentibus agrarijs, pastor armentorũ,unde ei cognomen Armentarius fuit,ortus Dacia Ripensi, ibiq; sepultus est. Quem locum Romulianã ex uocabulo Romulæ matris appellarat. Is insolenter affirmare ausus est, matrẽ more Olympiadis Alexandri Magni creatricis compressam Dracone semet concepisse. Interea Resp. tum à nouis quatuor imperatoribus tenebatur, Constantino, Maxentio filijs Augustorum,Licinio,Maximino nouis hominibus. Quinto tamen imperij sui anno Constantinus bellum aduersus Maxentium ciuile commouit,pro eo quia senatorum,& maxime nobilium, matronas publice abstrahi,atq; ad suam libidinem deduci imperabat,& post contaminationem uiris suis reddi iubebat,non tam expleta adulterij libidine, quàm immutata. Tãtus uero metus patres plebemq; oppresserat,uti nec hoc ipsum quidem q in metu erant,palàm ostendere auderent. Sed ferebãt insuetam seruitutem gementes,& aliquid pro libertate cogitare metu inhibebantur, cum ille non iam ira,sed libidine cædis agitaretur. Deniq; quadam die imperabat militibus suis exire per plateas totius urbis,& omnes qui occurrissent,cuiuscũq; ætatis, & cuiuslibet sexus,gladijs cæderẽt. Innumeræq; multitudines populi Romani,non hostium,sed ciuium telis deiectæ sunt. Senatores uero & hi maxime qui uel honoribus,uel opibus clariores in curia uidebantur,confictis criminibus tanquam rei puniti proscriptiq; sunt. Magicæ quoq; artis industriam summis studijs excolebat, ad quæ ministeria explenda perquirebãtur mulieres nobiles grauidæ,& adhibitæ mediæ scindebantur,rapiebantur & paruuli infantes,eorumq; exta uisceribus reuulsa perscrutabãtur. Iugulabãtur & leones,& nefandis quibusdam cõmentis ac precaminibus dæmonica arte cõpositis,bella per hęc dicebãtur arcere,& credebantur,iussaq; regni per nefas posse seruare. His uero malis omnibus etiam illud additur,quod illi qui per cæteras urbes uel agros fuerant,tyrannica crudelitate deterriti,dum sibi nihil ad uitã tutum putãt,relictis agris per loca abdita latebris eunt:omniq; studio arandi,serendiq; cessante, tanta fames urbem,atq; omnia loca inuaserat,ut nihil reliqui ad uitæ subsidium fieret. Constantinus igitur eius copias multis prælijs fudit,tamẽ propter magicas artes eum ualde metuebat. Cumq; in hæsitatione multa consisteret, multaq; secum de imminentis belli necessitate peruoluens iter ageret,atq; ad cœlũ sæpius oculos leuaret,& inde sibi auxiliũ diuinum precaretur, uidit per soporẽ ad orientem partẽ in cœlo signum crucis igneo fulgore rutilare. Cumq; tanto uisu fuisset exterritus,ac nouo perturbaret aspectu,astare sibi uidet angelos dicẽtes: ἐν τούτῳ νίκα Cõstantine,quod est: In hoc uince. Fertur aũt & ipsum Christũ apparuisse ei,& signũ monstrasse crucis, ac pręcepisse,ut figurã similẽ faceret,& in prælijs hoc auxiliũ haberet, quo uictoriæ iura cõquireret. Eusebius itaq; Pamphilus iureiurando ipso imperante

IIII. imperatores

Maxentij libido

Maxentij crudelitas

Magica sacra

Fames

Visio

dicente audisse se refert, quia circa meridiē declinante iam sole crucis signū ex lumine factum, & scripturam consertam ei dicentē: In hoc uince, uidisset ipse, & milites qui cum eo tunc essent. Pergenti namq; cum aliquo exercitu pariter in loco, hoc inquit ei miraculum ostensum. Dumq; cogitaret quid esset, nox superuenit, & dormienti CHRISTVS cum signo quod uidit in cœlo apparuit, iussitq; ut fieret eius signi figuratio, quæ foret auxilium in congressionibus præliorum. Tum uero lætus redditus, & de uictoria iam securus, signum crucis, quod in cœlo uiderat, in militaria uexilla transformat, ac labarum quem dicunt ex auro & lapidibus preciosis in speciem crucis dominicæ. Hoc enim signum bellicum inter alia preciosius, eo quod imperatorem præcederet, & adorari id à militibus moris esset. Vnde præcipue Constantinum reor nobilissimum decus imperij Romani in signum mutasse crucis, ut frequenti uisione atque cura desuescerent à priore more subiecti, & eum solum arbitrarentur deum, quem coleret imperator, uel quo duce atq; auxiliatore eueheretur aduersum hostes. Semper enim hoc signum proponebatur ante ordines uniuersos, quod maxime laborantibus aciebus in prælijs adesse præcipiebat. Constituit itaq; certos signiferos, qui in eo laborarent, quorū opus erat, ut uicibus humeris eum ueherent, & omnes acies ita lustrarent. Fertur enim, quod aliquando quidam ferens hoc signum, repente hostibus inuadentibus expauisset, dedissetq; alteri deuehendum. Cumq; se de prælio subtraxisset, & iacula declinasset, subito percussus interijt. Ille uero qui sacrum suscepit trophæum, multis se iaculantibus permansit illæsus. Mirabiliter enim diuina regente uirtute, sagittæ hostium figebantur in signo, à signifero autem inter pericula protinus euoluebantur. Dicitur autem neque alium unquam huiusmodi ministrum, ut solet in bello, uulnere mortuum, aut cladem captiuitatis perpessum. Igitur cum iam Constantinus haud procul à ponte Miluio castra posuisset, subito Maxentius agitur in occursum, & proruens urbis Romæ sequi se reliquum exercitum iubet, prior ipse præcurrit armatus. Iusserat autem nauibus ad decipulam compositis fluuium sterni, & superpositis pontibus exæquari. Tunc Constantinus crucem aûream quā formauerat, ante se iussit portare, factâque congressione superati sunt qui circa Maxentium fuerant, plurimis ex his interemptis. Maxentius autem fugiens, paulo superius à ponte Miluio, in pontem nauigijs compositum ab latere ingredi festinās, lapsu equi in profundum demersus est, uoratumq; limo pondere thoracis corpus uix repertū. Erat is annus imperij Constantini septimus. Inter hæc Diocletianus Salonæ defunctus est. Fertur autem Maxentiū subpositum arte muliebri, tenere mariti animum laborantis, auspicio gratissimi partus cœpti à puero. Is Maxentius nulli unq; charus fuit, nec patri aut socero quidem Galerio. Interea ciues Romani, qui Constantinū poposcerāt, ut in eorum exurgeret adiutoriū, à maligni Maxentij tyrannide liberati, ciuitatem coronant

Crux militare signum

Miraculum

Constantinus Maxentium uincit

Maxentius submersus est

coronant,& cum gaudio uictorem Constantinũ unà cum uiuifica cruce su/
scipiunt,& Deũ collaudantes,nec non & per septẽ dies adorantes , & Con/
stantinum uictorem laudibus magnificantes. Non multo post deinceps in
oriente quoq; aduersum Liciniũ Maximinus Cæsar res nouas molitus, ui/
cinum exitiũ fortuita apud Tarsum Cilicię & simplici morte præuenit. Hic
sorore Armentarij progenitus,uero'q; nomine ante imperiũ Daza dictus,
post imperiũ Galerius Maximinus appellabatur . Cæsar quadriennio,de/
hinc per orientẽ Augustus triennio fuit: Ortu quidẽ atq; instituto pastora/
li,uerũ sapientissimi cuiusq; ac literarũ cultor,ingenio quieto , auidior uini,
quo ebrius,quædã corrupta mẽte aspera iubebat,quod cum pigeret factũ,
differri quæ præcepisset in tempus sobrium ac matutinũ statuit. Valens
interea in oriente ab exercitu imperator appellatus,ab eodẽ Licinio morte
multatur. Deinde Alexander qui apud Carthaginẽ imperator est factus,
à Constantini exercitu iugulatur . Iste fuit Phryx origine,ingenio timidus,
inferior aduersus laborẽ uitio senectæ ætatis. Igitur Constantinus decimo
quarto imperij sui anno totius Romani imperij Monocrator effectus,om/
nem curã transtulit ad diuina,ecclesias erigens,& liberaliter has ex ratione
publica ditans. Iste primam legem scripsit,idolorum templa his tradi , qui
CHRISTO sunt deputati : cum eo sanè leges proferebat Crispus filius
eius: Secundã uero,Christianos solos militare,gentibusq; ac exercitib. prin
cipari: Tertiã,duas paschales hebdomadas , unã scilicet ante, & alterã post
resurrectionẽ,sine labore cuiusq; operis celebrãdas. His ita gestis,pax pro/
funda & tranquillitas obtinuit orbẽ,& exultatio fideles,cõcurrentibus assi/
due omnibus nationibus ad fidem CHRISTI,& baptizatis,ac patria con
quassantibus simulacra. Verũenimuero,ut imperia difficile concordiã custo
diunt: Constantinus uir ingens,& omnia efficere nitens,quæ animo prępa
rasset,simul principatũ totius orbis affectans, Licinio bellũ intulit , quanq;
necessitudo & affinitas cum eo esset: ac primo eum in Pannonia uicit: secun/
do apud Cibalas,iuxta paludẽ Hiulcam nomine, Constantino castra Li/
cinij nocte irrumpente, Licinius fugã petijt,Byzantiumq; fuga uolucri per/
uenit , ubi Martinianũ officiorum magistrũ Cæsarẽ creat . Constantinus
omni Dardania,Mœsia , Macedonia potitus numerosas prouincias occu/
pauit. Varia deinde inter eos bella, & pax recõciliata rupta est. Deniq; Lici
nius denuo pugnaturus cõtra Constantinũ,spem uictoriæ habebat per di
uinationes & sacrificia. Deniq; etiã Græci dicũt,tunc eum expertũ diuinati/
onem Delphici,Geminiq; Apollinis,eiq; cõsulenti de bello respondisse fer/
tur dęmoniũ: O senex ualde te iuuenes pugnatores obseruãt,tuaq; uita so/
luta est,sæuaq; senectus te excipiet. Interea Constantinus acie potior, Lici/
nium nauali & terrestri prælio uicit,& eũ apud Nicomediã Bithyniæ urbẽ
indumentũ regium deferentẽ in deditionem cepit, & contra sacramenti re/
ligionem Thessalonicæ in custodiã missum , priuatũ unà cum Martiniano

Maximini mors

Valens occisus

Alexander occisus

Leges Constantini

Constantinus Licinio bellũ infert

Martinianus

Oraculum

Licinius cum Martiniano occisus

iussit occidi, metuens Herculij Maximiani soceri sui exemplo, ne iterũ depositam purpurã in perniciem Reip. sumeret. Hic Licinius annũ dominationis fere post decimumquartũ, uitæ proxime sexagesimũ occiditur: Auariciæ cupidine pessimus, necꝫ alienus à luxu uenerio, asper admodũ, haud mediocriter impatiens, infestus literis, quas per inscientiã immodicã uirus ac pestem publicam nominabat, præcipue forensem industriã. Agraribus plane ac rusticantibus, quod ab eo genere ortus esset, & alitus, satis utilis, ac militiæ custos ad ueterũ instituta seuerissimus. Spadonũ & aulicorũ omniũ uehemens domitor, tineas, soricesꝙ palatij eos appellans. Eodem tempore res Romana sub uno Augusto & tribus Cæsaribus, quod nuncꝙ aliâs, fuit, cũ liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæꝙ præessent. Verum insolentia rerum secularium aliquantum Constantinũ ex illa fauorabilis animi docibilitate mutauit. Primum necessitudines persequutus, egregium uirum, & bonæ indolis iuuenem sororis filiũ Commodũ interfecit. Mox Crispum Fausta coniuge, ut putant, suggerẽte necari iubet: dehinc uxorẽ suam Faustam in balneas ardentes coniectam interemit, cum eum dolore nimio nepotis, mater Helena increparet. post numerosos interfecit amicos: Vir primo imperij tempore optimis principibus, ultimo medijs cõparandus. Innumeræ in eo animi corporisꝙ uirtutes claruere, militaris gloriæ appetentissimus, fortuna in bellis prospera fuit, uerum ita ut non superaret industriã. Nam etiam Gothos, fortissimas gentes & copiosissimas, post ciuile bellum in illo Barbaricissimo solo, hoc est, in Sarmatarum regione uarie profligauit, pace his ad postremum data, ingentemꝙ apud Barbaras gentes memoriæ gratiam collocauit. Calocerum quendam in Cypro aspirantem nouis rebus, oppressit. Tricennalibus suis Dalmatium fratris sui Dalmatij filium Cæsarẽ legit. Fuit uero ultra quàm æstimari potest, laudis auidus. Hic Traianum herbam parietariam ob titulos multis ædibus inscriptos appellare solitus erat. Hic pontem in Danubio construxit, habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate. Commodissimus tamen multis rebus fuit, calumnias sedare legibus seuerissimis, ciuiles nutrire artes, præcipue studia literarum, legere ipse, scribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum, affectator iusti amoris, quẽ omnem sibi & liberalitate & docilitate quæsiuit, sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius, nihil occasionum prætermittẽs, quo opulentiores eos, clarioresꝙ præstaret. Multas leges erogauit, quasdam ex bono & æquo, plerasꝙ superfluas, nonnullas seueras. Primusꝙ urbem nominis sui ad tantum fastigium euehere molitus est, ut Romæ æmulam faceret. Nam cum ei omnia prospere cederent, propriam uoluit habere ciuitatem. Veniensꝙ ad campum ante Ilium positum iuxta Hellespontum super Aiacis tumulum, ubi Achiui contra Troiam pugnantes habuerũt castra, ciuitatẽ designauit, portasꝙ fecit, quæ hactenus uidentur à nauigãtibus. Hæc agenti per noctem deus

Licinij mors — *Cõmodus occisus* — *Crispus necatus* — *Fausta interempta* — *Constantini uirtutes* — *Gothi profligati* — *Calocerus occisus* — *Dalmatius* — *Constantinopolis*

deus apparuit, monens ut alium quæreret locum: eumq; monens pergere ad Byzantium Thracię, illic eum habitare iussit. Quã cum primitus Byzantium uocaretur, auxit, & maximo circundedit muro, & diuersis ornatam fabricis, æquam imperiali Romæ cõstituit, & denominatã Constantinopolim appellari secundã Romã lege firmauit, sicuti lex ipsa in marmorea platoma noscitur esse cõscripta, & iuxta equestrem statuã eius in Strategio est constituta. Eaq; summa liberalitate ditata, in illustribus domibus eos qui ab urbe Roma erãt, uiros rationabiles collocauit: & ex alijs locis secundum genus eligens, & domos magnas eis distribuẽs, ut habitaretur ciuitas, egit. Tunc etiam templũ sanctæ Sophiæ & sanctæ Heirenæ, & Apostolorum, & sancti Motij, & Archangeli, dei amicus princeps ædificauit. Tunc funditus templo Asclepij penes Ægas, & Veneris in Affacis situ destructo, multisq; alijs euersis, horũ redditus donauit ecclesijs. Simulacra namq; ornata publice in Constantinopolitana urbe proposuit, & tripodas Delphicos in circo ad spectaculum dedit, quæ cum ipso uideantur aspectu, superfluere feruntur. Tunc multæ gentes ad baptismũ accesserunt, miraculis actæ, quæ patrata sunt à captiuis sacerdotibus, qui fuerant sub Gallieno captiuati. Interea mater imperatoris Helena nomine in somnis admonita, Hierosolymam properauit, & sepulchrum Christi, licet difficillime, tamen inuenit, sordibus coopertũ, & desuper templũ Veneris ædificatũ, ubi uirgineis cantibus insultabãt: præcepitq; destrui sceleratissimũ, ipsumq; puluerẽ funestis sacrificijs uiolatũ eijci, & procul à ciuitate dispergi. Exin locũ purgari præcipiente, statim palàm monumentũ domini apparuit. Apparuerũt & circa illud suffossę tres cruces & claui, simul & titulus literis Hebræis, Gręcis & Latinis cõscriptus, IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Dicitur aũt quia etiã mortuus crucis tactu surrexit. De hoc ligno Sibylla dixit apud Paganos. O ter beatũ lignũ in quo deus extensus est. Tunc ergo quæ crux domini esset, quę latronũ, dubitare cœperũt. Proinde Macarius ciuitatis præsul huiusmodi tractatu dubitationẽ soluit. Mulieri nãq; nobilitate claræ longa ægritudine fatigatæ, unã illarũ crucium cum oratione promptissima adhibens, uirtutẽ Saluatoris agnouit. Mox enim ut mulierẽ attigit crux, passionẽ sæuissimæ ægritudinis effugauit, & fœminę salutẽ restituit. De clauis quidẽ, quibus manus Christi fuerãt perforatæ, alios in galeam misit imperatoris, filij capitis prouidentiam gerens, ut iacula bellica submoueret: alios freno equino permiscuit, & cautelam imperatoris agẽs, & ueterem philosophiam adimplens. Olim enim Zacharias propheta clamauerat dicens, Et erit quod in freno est sanctum domino omnipotenti. Saluatoris uero crucis partẽ quidẽ aliquã filio distribuit, quã Constantinus suscipiens, & credens saluari ciuitatẽ, ubi hæc particula seruaretur, in sua statua, sicut fertur, in foro Constantini positam super columnam porphyreticam deuote condidit. Reliquam uero partem in argentea theca clausam, Macario sacer-

Tripodes Delphici

Helena Hierosolymam profecta

Monumentũ Christi

Crux Christi inuenta

Miraculum

Sibyllæ uersus

Macarius

Miraculum

Claui Christi

Lignũ crucis

rio sacerdoti ciuitatis, reliquit, & undique congregans artifices, maximas illic, ornatasque ecclesias ædificauit. Post hæc imperator curã habens maximam Christianorum, paganorum superstitionem auersabatur, remouitque monomachias, & suas imagines in templis poni præcepit: & cubitũ quo mensuratur Nilus, nõ iam in templum Serapidis annis singulis, sed in ecclesijs portari sanciuit. Igitur Constantinus bellum aduersus Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, tricesimo & secũdo anno imperij, ætatis uero sexagesimo & sexto ęgritudine captus, ex urbe Constantinopolitana, quasi ad calidas aquas egressus est Nicomediam. In Villa publica morbo consumptus est, facto testamento tribus filijs, consulatu Feliciani & Taciani undecimo Calendas Iunij. Fuit irrisor potius quam blandus, unde prouerbio uulgari Trachala dictus. Decem annis præstantissimus, duodecim sequentibus latro, decem nouissimis pupillus, ob profusiones immodicas nominatus. Mors eius etiam ante biennium denuntiata est per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquandiu fulsit: eam Gręci κομήτην uocant: atque inter diuos meruit referri. Corpus autem eius in aureo locello collocatum, Constantinopolim est deuectum, & in palatij celso loco repositum. Quod in multis honoribus atque ueneratione, quasi uiueret habebatur, donec aliquis filiorum eius assisteret. Postea uero ab oriente Constantio ueniente, cum imperialibus exequijs funus eius sepultum est in ecclesia Apostolorum in sepulchro porphyretico.

Constantini obitus

Constantinus diuus

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS ET CONSTANS

IS successores filios tres reliquit, atque unũ Dalmatij fratris filium. Hi singuli has partes regendas habuerunt. Constantinus filius eius primus, in decennali suo eius genitor fecit eum habere principatum super cuncta trans alpes. Secundum Constantiũ in uicennali suo in Oriente constituit, à freto Propontidis in Asiam atque Orientem. Constantem uero iuniorẽ in tricennalibus suis in Illyricũ, Italiãque & Africã ordinauit. Dalmatiũ in Thraciã, Macedoniãque & Achaiã: Annibalianũ Dalmatij Cæsaris cõsanguineũ in Armeniã, nationesque circũ socias. Verũ Dalmatius Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multo post oppressus est factione militari, & Constantio patrueli suo sinente potius quam iubente. Constantinus igitur dum nititur partes iunioris fratris inuadere, bellũ contra eum cõmouit, & dum inconsultius apud Aquileiam bellum aggressus est, à Constantis ducibus interfectus est, & in fluuium proiectus est, cui nomen Alpha est, non longe ab Aquileia, Consulatu Acindini & Procli. Quam ob rem Romani imperij principatus, Occidentalium quidem partium peruenit ad Constantẽ. Orientalis autẽ ad Constantiũ. Eodem tẽpore etiã Remp. cõtigit ualde turbari. Gens namque Francorũ circa Gallias cõstituta Romanis erat infesta, quã Constans oppressit, & Ro. imperio subiecit. Tũc etiã terrę motus maximus in oriẽte factus est, et pręcipue in Anti

Diuisio imperij

Constantius Constans

Dalmatius Annibalianus

Dalmatius occisus

Constantinus interfectus

Franci Romanis subiecti

in Antiochia, quæ anno iugiter est commota, & Neocæsarea ciuitas Ponti cecidit. Constantius autem & Constans leges ediderũt, Iudæum non emere seruum, alioquin auferri eum, & publicis rationibus tradi. Porrò si & circuncidere ausus fuerit seruum, gladio puniri talia præsumentẽ. Igitur Constantis imperium strenuum aliquandiu & iustum fuit. Mox cum & ualetudine improspera & amicis prauioribus uteretur, ad grauia uitia conuersus, cum intolerabilis prouincialibus, militi iniucundus esset, & cum circa Gallias uenandi cupidine per syluas saltusq; erraret, conspirauere aliquanti militares in eius necem, autoribus Crestio, & Marcellino, simulq; Magnentio. Qui ubi patrãdi negotij dies placuit, Marcellinus natalem filij simulans plerosq; ad cœnam uocat. Itaq; tum in multam noctem conuiuio celebrato, Magnentius quasi ad uentris solita secedens, apud Augustudunum habitum imperialem capit. Ea re cognita Constans fugere conatus, apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum non longe ab Hispanijs, à Gaisone cum lectissimis misso interficitur, anno imperij decimoseptimo, ætatis tricesimo. Nam Cæsar triennio fuit. Hic fuit debilis pedibus manibusq; articulorum dolore, fortunatus cœli temperie, fructuum prouentu, nulla à Barbaris formidine per omne tempus, sine graui crudelitate terribilis. Diuersa Constantij fortuna fuit. A Persis enim multa & grauia perpessus, sæpe captis oppidis, urbibus obsessis, cæsis exercitibus, nullumq; ei contra Saporem prælium fuit prosperum, nisi quod apud Singarum haud dubiam uictoriam militum ferocia amisit, qui pugnam seditiose & stolide contra rationem belli die iam præcipiti poposcerunt. Per idem tempus Dyrachium Dalmatiæ terræmotu collapsum est. Interea terræmotu magno & in ciuitate Beryto Phœnices facto, plurima pars eius corruit, ita ut multi gentiles ingrederẽtur ecclesiã, se ritũ Christianorũ seruituros spondẽtes. Igitur post Constantis necẽ, Magnentio Italiã, Africã, Gallias obstinẽte, etiã Illyricũ res nouas habuit. Vetranio enim magister militũ ad imperium in Pannonia apud Mursam cõsensu militũ electus est. Quẽ grandæuũ iam & cũctis amabilẽ diuturnitate & felicitate militiæ ad tuendũ Illyricũ principẽ creauerunt, uitũ probum & ueterũ morum, ac iucundæ ciuilitatis, sed omnium liberalium artium expertem, adeo ut ne elementa quidẽ primarũ literarum, nisi grandæuus & iam imperator acceperit. Tunc Constantius imperator Gallũ patruelẽ suũ Cæsarem fecit, cui nomẽ suũ imponens, Syriam Antiochiæ habitandã destinauit, ut partes per eũ custodirentur orientales. Quo ad Antiochiã ueniẽte, circa orientem signũ apparuit in cœlo die Pentecostes. Columna nanq; sub specie crucis in cœlo uisa est, speciem luminis habens extensam à Golgotha usq; ad montẽ oliuarũ. In circuitu aũt eius corona erat, uelut Iridis speciẽ habens. Hoc & Constantius Gallus uidit. Interea Constantius Augustus ad ultionem fraternę necis bellũ ciuile commouerat, castra metatus in Illyricũ. Cogebat enim eũ fraternæ necis ultio, & ma-

Coniuratio

Magnentius purpurã sumit

Constans interfectus

Sapores rex

Terræmotus

Vetranio ad imperiũ à militib. eligitur

Gallus

Prodigium

& maxime Vetranionis, qui per milites Augustus fuerat factus. Cumq; uenisset Sirmium, mutuo fœderibus habitis Vetranionem uidit. Factumq; est, ut milites qui eum cōstituerāt, transirent ad fauorem Constantij. Quo facto, solum Constantium imperatorem Augustum uoce missa clamauerunt. Cumq; de Vetranione nulla memoria fieret, ille repente sciens se traditum, ad pedes se prostrauit imperatoris. Porrò Constantius auferens ei coronam simul & purpuram, clementer ei locutus est, monens ut sub schemate priuato quiesceret, quod eius utiq; ætati conuenientius, quàm habere nomen sollicitudinibus onustatum. Iussitq; ei sumptus uberrimos ex publicis functionibus exhiberi, fuit enim prope ad stulticiā simplicissimus. Cūq; in Prusa Bithynię Vetranio moraretur, Constantius scripsit ei dicens, quia multorum bonorum ei causa fuisset, quem à tantis cogitationibus & malis sibi prouenientibus liberasset: nec se bene fecisse, quia quæ sibi præstare debuerat, illi potius impendisset. His diebus Romæ Nepotianus Eutropiæ Constantij sororis filius hortantibus perditis Augusti nomē rapit. Quem octauo die uigesimoq; Magnentius oppressit. Caput eius pilo per urbē circumlatum est, grauissimæq; proscriptiones & nobilium cædes fuerunt. Hoc tempore Constantius cū Magnentio apud Mursam dimicans uicit, in quo bello penè nunquam amplius Romanæ consumptæ sunt uires, totiusq; imperij fortuna pessundata. Dehinc enim cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit, & ut uictoria solet, audacius persequens, ueniensq; Romam, multos peremit Senatores & populos. Ibiq; agnoscēs uicinos esse contra se milites Constantij, accessit ad Galliæ partes occidentalis. Cumq; multa & grauissima inibi prælia in alterutros exercerent, modo isti, modo illi uictores esse uidebantur. Nouissime autem deuictus Magnentius fugit, uidensq; milites quasi de perditione tristes, stans excelsiori eos nitebatur alloquutionis consuetudine confortare. Tunc illi fauorem solitum Magnentio exhibere parati, inuiti & nolentes clamauerunt omnes una uoce: Constanti Auguste, tu uincas. Hoc auguriū Magnentius traxit ad semetipsum, tanquam non ei diuinitus concederetur imperium, & propterea ad ulteriora tendebat. Sequentibus autem Constantij militibus, circa montem Seleucum facta congressione, solus fugiens uenit in Lugdunensem urbem, comprehendensq; suam matrem, & fratrem seniorem, quē ad tuendas Gallias Cæsarem constituerat, occidit. Nec multo post à Constantij militibus ibidem coangustatus, gladio occulte prouiso, ictum pulsu parietis iuuās transfosso latere, ut erat uasti corporis, naribusq; & ore cruorem effundens, mense imperij quadragesimo secundo, ætatis prope quinquagesimo expirauit, anno imperij Constantij sexto, & Galli Constantij consulatus anno secundo XVIII Calendas Septembris. Fuit is ortus parentibus Barbaris, qui Galliam inhabitabant. Legendi studio promptus, sermone acer, animi tumidi & immodici, timidus, artifex tamē ad occultandā audaciæ spe-

Vetranio ad priuatam uitam redit

Nepotianus occisus

Prælium ad Mursam

Magnentius seipsum occidit

ciæ specie formidinem. Eius morte audita Decentius frater eius laqueo fa/ scia composito uitam finiuit. In his igitur prælijs ingentes Romani imperij uires consumptæ sunt, ad quælibet bella externa idoneæ, quæ multū triumphorum possent, securitatisq́ conferre. Sed neq; sic circa Remp. quies euenit. Nam post paululum apud occidentales Gallias, Syluanus quidam res nouas molitus, tyrānus est exortus, quem duces Constantij uicesimo octauo die perimunt. Fuit ingenio blandissimus, quanquam barbaro patre genitus, tamen institutione Romana satis cultus & patiens. Porrò Iudæi in Diocæsarea Palæstinę residentes, uicina loca turbabant, & sumentes arma, tentabāt resultare Romanis. Post hæc itaq; Gallus Cæsar cum Antiochiæ degeret, exercitu destinato eos interfecit, ciuitatemq́ uastauit. Cumq́ sibi uideretur prospere gessisse, felicitatem non ferens, accessit ad tyrannidem, & insinuans Imperatori suam intentionem, Quæstorem uocabulo Magnum & Domitianum præfectum Orientis occidit. Ob quam rem Constantius indignatus, euocauit eum. Qui cum contemnere non ualeret, pergebat ad principem. Cumq́ contra insulam Falconensem uenisset, illic eum Cōstantius præcepit interimi, anno imperij sui septimo, & consulatus ipsius Galli anno tertio. Vir fuit natura ferus, & ad tyrannidem promptior, si suo iure imperare licuisset. Solus in imperio Romano eo tempore Cōstantius princeps & Augustus fuit. Nunc igitur de Claudio Iuliano pauca dicenda sunt, eiusq́ genere ac disciplina, & quomodo uenerit ad imperium. Cōstantinus qui Byzantium suo nomine Constantinopolim appellauit, duos habuit ex eodem patre, non ex eadem matre germanos. Quorum unus Dalmatius, alter Constantius uocabatur. Constantius autem duos habuit natos Gallum & Iulianum. Post mortem Constantini conditoris Constantinopolitanæ ciuitatis, dum milites iuniorem Dalmatium peremissent, tunc & isti functo iam patre penè mortis periculum sustinuerant cum Dalmatio: nisi Gallum quidem ægritudo, quæ putabatur ineuitabilis, liberasset: Iulianum ætas infantilis: erat enim annorum octo. Cumq́ ab eis feruor Imperatoris quieuisset, Gallus circa Ephesum apud doctores erat, ubi etiam à progenitoribus possessiones habebat. Porrò Iulianus crescēs in auditorijs Constantinopolitanæ urbis, exercebatur in Basilica, ubi doctores erant, habitu priuato procedens: habebatq́ pædagogum eunuchum nomine Mardonium, grammaticum Nicoclem Laconensem, rhetoricam uero legebat apud Ecybolium Sophistam. Erat enim Iulianus ab initio Christianus. Cumq́ lectione proficeret, etiam fama per populum uolitabat, quia posset etiam Remp. gubernare. Quod dum latius panderetur, æstuationes induxit Constātio imperatori. Quamobrem abstinuit eum ab urbe regia, & misit Nicomediam, præcipiens ne cōueniret apud Libanium sophistam Syrum. Tunc enim Libanius à pædagogis Cōstantinopoli expulsus, Nicomediæ morabatur. Prohibebatur ergo Iulianus apud Libanium legere,

Decentius laqueo perit

Syluanus tyrānus cæsus

Diocæsarienses Iudæi rebelles

Magnus & Domitianus occisi

Gallus interfectus

Genus Iuliani

Iuliani adolescentia

Mardonius Nicocles Ecybolius

Iuliani priuata uita

Libanius

eo quod paganus esset: ueruntamen librorum eius lectionibus utebatur: cumq; proficeret in rhetorica, superuenit in Nicomedia Maximus philosophus, non ille Byzãtius pater Euclidis, sed Ephesius, quẽ postea quasi artes magicas exercentem Valentinianus Imperator præcepit occidi. Tunc igitur non ob aliã causam Nicomediã uenerat, nisi Iuliani fama protractus. Apud quem cum Iulianus uerba philosophica prægustasset, cœpit etiã doctoris imitari religionem. Is enim etiam Imperij cupidinem in animũ eius immiserat. Cumq; hæc non laterent aures imperatoris, inter metũ spemq; constitutus, suspitionẽ cælare uolens, quia qui dudum integer fuerat Christianus, postea proditor est effectus, tõsus monachicam simulabat uitam: & latenter quidem exercebatur in Philosophica, in manifesto autem sacros Christianorum legebat libros. Deniq; in ecclesia Nicomediæ lector est constitutus, & diuinos codices in ecclesia audiente populo legebat. Porrò sub hoc habitu furorẽ declinauit Imperatoris. Hæc equidẽ pro timore faciebat, nequaquam à spe recedens, quam mente cõceperat: dicebatq; plurimis amicorum suorum, felicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur. Post paululum uero perempto Gallo Iulianus repente fit suspectus Imperatori, qui etiã eum custodiri præcepit. & dum fuga lapsus fuisset, diuersa circumeundo saluatus est. Vixq; sero uxor Imperatoris Eusebia cælatum inueniẽs, supplicauit Imperatori, quatenus nihil mali pateretur, sed ut potius ad philosophandum mitteretur Athenas. Cœpit igitur Iulianus Imperialia sceptra desiderare. Quamobrem discurrens uniuersam Helladam, uates quærebat responsa reddentes, consulens si ad suum Imperium perueniret: Inuenitq; uirum, qui ei desiderata se dicere fateretur. Is eum perducens ad quendam Idolorum locum, & intromittẽs in adytum, seductores dæmones euocauit. quibus solenniter apparentibus, terrore compellitur Iulianus in fronte sua crucis signaculũ formare. Tũc dæmones trophæi dominici figuram respicientes, repente disparuerunt. Quod agnoscens magus, cœpit culpare Iulianum. At ille terrorẽ significauit, & crucis se dixit obstupuisse uirtutem, eo quod uidentes hoc signum dæmones euanuerunt. Porrò magus: Non hoc suspiceris ó bone uir, quia timuerũt sicut ais, sed abominati hoc signum potius recesserunt. Et ita capiens miserum, odio repleuit Christiani signaculi Iulianum. Post hæc igitur Constantius euocauit Iulianum, & cõstituit Cæsarem septimo idus Nouembris, dansq; ei coniugẽ Helenam sororem suam, quæ Constantia dicta est, contra Barbaros eum destinauit ad Gallias. Hi namq; Barbari, quorum Imperator Constantius contra Magnentium solatia petierat, cum nihil profuissent contra tyrãnum, Romanorum uastabant urbes, alias expugnabãt. Vbiq; fœda uastitas erat, Romanũq; Imperium non dubia iam calamitate nutabat. Cum esset ergo iuuenculus Iulianus, iussit ei Imperator, ut præter consilium ducum nihil moliri præsumeret. Cumq; duces accepta potestate negligerent, & propterea Barbari superarent

Maximi duo philosophi

Iulianus lector

Eusebia

Virtus crucis

Iulianus fit Cæsar

superarent, tunc Iulianus duces quidem delicijs uacare permisit: sumens autem milites, eisq; spolia interemptorum hostium compromittens, initium uincendi Barbaros fecit, & amorem suum apud milites collocauit. Fertur itaq;, quod dum in quandam ciuitatem fuisset ingressus, corona laurea, quibus solent ciuitates ornari, inter columnas pendens, rupto fune, super caput eius decidit, eumq; aptissime coronauit. Quo facto cuncti clamauere, quia ei signum foret imperij. Interea Iulianus, cum apud Imperatorem de ducum negligentia quereretur, alter armorum mittitur magister, eius alacritati conueniens, cuius ministerio cum barbaris fiducialiter est congressus. Et dum illi per legatos literas Imperatoris eos ad prouincias inuitantis ostenderent, tunc ille legatos eorum misit in uincula: factaq; congressione cum modicis copijs Romanorum apud Argentoratum Galliæ urbem ingentes copias hostium extinxit. Stabant acerui montium similes, fluebat cruor flu minum modo, captus rex nobilis Chonodomarus, & Constantio missus, fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessionis. Ac postmodum cum Alemannis apud Rhenum fluuium residentibus dimicans, potentissimum eorum regem Badomarium cepit: claraq; uictoria decoratus, cum mediocritate uitæ, atque mansuetudine militibus præesset, ab eis appellatur Augustus. Cumq; corona deesset imperialis, unus signa portantium torquem quem habebat in collo sumens, Iuliani capiti circumposuit. Hoc ergo modo Iulianus Imperator est factus. Hoc facto nihil de Constantio cogitans, iudices ab illo factos honoribus mulcebat, & ad illius inuidiam literas proferebat, quibus ostenderet eum propter bellum cōtra Magnentium gestum in Romanorum terras Barbaros induxisse. Hunc Constantius urgere legationibus, ut in statum nomenq; pristinum reuertatur. Iulianus mandatis mollioribus refert, se sub nomine celsi Imperij multo officiosius pariturum. Igitur Iulianus repente religione mutata, cum prius Christianus esse putaretur, semetipsum pontificem nominabat: & ueniens ad templa Paganorū sacrificabat, suadebatq; subiectis talia colere: & Christianorum baptisma, sacrificijs & innouationibus, quas expiationes Pagani uocant, & sanguine imolationū studebat abluere, & abrenunciare Christianæ professioni. Cumq; Constantius propter bellum Persicum Antiochiæ moraretur, sperans ille, quia sine bello posset Illyricum detinere, ad eos agebat iter, dicens se uelle Cōstantio satisfacere, tanquam non sponte, sed uolūtate militum infulas Imperij suscepisset. Dicitur itaq; dum ad hos terminos accessisset, uindemia iam collecta circa occasum Pleiadum, uuas denuo fuisse prolatas: insuper etiam imbrem ex aëre descendentem in eius uestem simul ac cæterorum, singulas crucis signacula guttulas formasse. Hoc facto uidebatur & ipsi & alijs, quia botris extra tempus illatis, bonum ei panderetur indicium: imber autem cadens uestem super quam ceciderat roboraret. Alij uero dicebant uuarum signum præter tempus signifi-

Prodigium

Pugna Argentoratensis

Chonodomarus captus

Badomarius captus

Iulianus Aug. appellatus

Iulianus à pietate deficit

Prodigia

care perditionem Imperatoris, ad instar huiusmodi botrorum, & parui temporis fore eius Imperium. Porrò de cruce dicebant, præminitare hoc signum, quia sit cœleste dogma Christianorum, & oporteat signari cunctos crucis signaculo. Cum audisset itaque Constantius contra se uenire Iulianum, instructione belli Parthici derelicta Constantinopolim ueniebat. Cumq; iter faceret magis magisq; ardens dolore, atque ut erat talium impatiens, acriter festinaret, in radicibus Tauri montis apud oppidum Mopsocremen inter Ciliciam & Capadociam febri acerrima, quam indignatio nimia uigilijs augebat, interijt III. Nonas Nouembris, consulatu Tauri & Florentij, anno Imperij tricesimo octauo, ætatis quinto & sexagesimo. Ex quibus tredecim cum patre regnauit, uiginti quatuor post illum: id est, septem solus, cum fratribus atque Magnentio sedecim: meruitq; inter Diuos referri. Eodem tempore, magno terræmotu Constantinopolis pars diruta est. Iste fuit uir egregiæ tranquillitatis, placidus, nimium amicis & familiaribus credens: mox etiam uxoribus deditior: qui tamen in primis se Imperij annis ingenti modestia egerit. Familiarium etiam locupletator, neque inhonorans, quorum laboriosa expertus fuisset officia. Ad seueritatem tamen propensior, si suspicio Imperij moueretur, mitis fuit aliâs: felix bellis ciuilibus, externis lachrymabilis, mirus artifex in sagittis, à cibo uinoq; & somno multum temperans, patiens laboris, facundiæ cupidus: quam cum assequi ingenij non ualeret tarditate, alijs inuidebat: Spadonum, aulicorum, uernaculorumq; amori deditus, uxorumq;: quibus contentus nulla libidine transuersa aut iniusta polluebatur. Sed ex coniugibus quas plurimas sortitus est, præcipue Eusebiam dilexit, decoram quidem, uerum per Adamantias, & Gorgonias, & alia importuna ministeria, uexantem famam uiri, contra quàm fœminis modestioribus mos est, quarum sæpe præcepta maritos iuuant. Namq; ut cæteras omittam, Pompeia Plotina, incredibile dictu est, quantum auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores cum calumnijs prouincias agitarent, adeo ut unus ex his diceretur locupletum quenq; ita conuenire, quæ habes? unde habes? tertium, pone quod habes: illa coniugem corripuit, atq; increpans, quod laudis suæ esset incuriosus, talẽ reddidit postea, ut exactiones improbas detestans, fiscum lienem uocaret, quod eo crescente reliqui artus tabescunt.

Constantij mors — *Constantius diuus* — *Mores Constantij* — *Eusebia.* — *Plotina* — *Traiani dictũ*

IVLIANVS



IGITVR defuncto Constantio, Iulianus iam Thracas obtinebat: & deinceps Constantinopolim ueniens appellatus est Augustus. Interea dum Constantinopolim fuisset ingressus, cœpit cogitare sibi populum complacare, & eorum fauorem decenter acquirere: quod hac arte fecit. Bene namq; sciebat Constantium ab omnibus populis nomen cõsubstantialitatis amplectentibus odiri: ob quam rem ab ecclesijs

Iulianus Constantinopolim uenit

sijs uidebantur exclusi,& Episcopi confiscati,exilioq; deuecti. Simul etiam nouerat & paganos fuisse contristatos prohibitione sacrificiorum, & desiderare adipisci tempus, quo eorum aperirentur templa, ut haberent idolis immolandi licentiam. Sic igitur utrunq; populum mœroribus uulneratum à defuncto cognoscēs,& cōmuniter omnes Eunuchorum uiolentia,& præcipue Eusebij Nicomedensis episcopi rapinis ingemiscentes, qui suā sedem reliquerat, & Constantinopolitanam inuaserat: Iulianus ita apud omnes semetipsum artificioso uelamine cōmendabat. Et alijs Christianis quidem amare se fingebat, alijs autem Paganis per uanam gloriam largus erat. omnibus tamen qualis esset in commune religione monstrabat. Et primū quidem crudelitati Constantij circa subiectos derogans,& eam coram uniuerso populo redarguens, iubet episcopos exilio deportatos euocari,& cōfiscatas eorū reddi substātias. Tēpla quoq; Paganorū uelociter suos necessarios præcepit aperire: eos aūt qui fuerāt ab Eunuchis oppressi, recipere, quæ male ab eis fuerant abiecta sanciuit. Eusebiū uero præsidentē imperiali cubiculo morte damnauit, nō solū quia multos oppresserat, sed quia Gallū quoq; fratrē eius consilio audierat interemptū. Et corpus quidē Constantij regio honore sepeliuit. Eiecit uero è palatio Eunuchos, tonsores,& coquos: Eunuchos quidē quia uxor eius obierat, post quā nō duxit aliam: coquos aūt eo quod cibis simplicibus uteret: tōsores uero, quia multis inquit, sufficit unus. Scriptorū aūt plurimos antiquæ fortunæ restitués, reliquis eorū mercedem scripturæ dare præcepit. Abscidit quoq; etiā publicū cursum mularū & caballorū. Hæc eius opera laudant pauci, uituperant multi. Is enim etiā noctibus uigilans cōscribebat libros,& descendēs in senatu publice recitabat. Solus enim Imperatorū à Iulio Cęsare in curia senatus recitauit orationes. Honorabat disciplinarū cultores, maxime philosophantes. Habebat aūt plurimū uanæ gloriæ uitiū,& in oratione quā de Cæsaribus scripserat, cunctos ante se principes lacerauit. Hac ergo arrogātia motus, etiā contra Christianos cōscripsit libros. Vt ergo coquos atq; tonsores expelleret, opus philosophi, non tamen imperatoris egit: ut detraheret atq; laceraret, nec philosophi nec principis fuit. Igitur Iulianus dudum studens Paganitatē in omni sua ditione dilatari, & Christianitatem exterminari, primum quidem Galilæorum filijs (sic enim Saluatoris nostri cultores denominabat) præcepit ne poëtarum, aut philosophorum legerent disciplinas. Proprijs, inquit, pennis uulneramur, secundum prouerbiū: ex nostris enim armati conscriptionibus, contra nos bella suscipiunt. Et templa quidem erant aperta, sacrificiaq; Paganorum per ciuitates secundum uoluntatem illius procedebant: ipse aūt æstuabat, ne feruor eius Christianorū abundantia frustraretur. Et maxime pulsabatur, quia multi sacerdotum suorum Christianos habebant uxores & filios & seruos. Arbitratus autem Christianitatis statum ex uita bona & conuersatione consistere, studuit ubique templa Paganorum

Eusebij episcopi rapinæ

Iulianus populum conciliat

Eusebius Cubicularius damnatus

Iuliani libri & orationes

Christiani à scriptis gentilium arcentur

Prouerbium

Quib. artib. Iulianus conatus sit populos retrahere ad paganismum

ganorum instructione & ordine Christianæ religionis ornare sedibus atq; processionibus: paganorum dogmatibus atq; monitionibus lectores suæ superstitionis instituit, ad instar clericorum, ut horas certas, & dies, & orationes solenniter obseruarent: præcipiens pariter habere curas uirorū atq; mulierum philosophare sciētes, habitaculis peregrinorū & pauperū, aliaq; prouidentia circa egenos exhibita paganorum religionem cōponere, & pietatis habere nomen. *Si quis aūt sponte uel inuitus peccaret, secundum tradi*tionem Christianorū instituit, ut post pœnitentiā mediocrē constitutā sustineret correptionē. Præcipue uero zelatus dicitur notas literarū episcopalium, quibus solent alterutris scribentes cōmendare peregrinos, & ubi proficiscuntur, & quibus ueniūt modis indicare, & solatia promereri, tanq; noti & amici sint, testimonio directi signaculi. Hæc cōsiderans, festinabat ut Pagani Christianorū consuescerent officijs. Scribens enim Arsabo pontifici Galatiæ tali modo epistolā: Paganorū, inquit, ritus nondū agitur secundū intentionem nostrā, propter cultores eius in negligentia positos. Nam deorum claritas magnitudo atq; sublimitas, omni ratione, omniq; spe maior est. sed propicij sint nostris animis Dij, propter negligentiā quā habemus, cum illorū prouidentia in paruo tempore tanta facta mutatio sit, quantam nec orare primitus quicunq; præsumpserat. Cur ergo credimus hoc posse sufficere, neq; respicimus quemadmodū superstitionē Christianorū auxit cura peregrinorum, & circa sepulturas & mortuos multa solatia, honestaq; cōuersationis studia, nō uera sed ficta. Quas res arbitror sub ueritate apud nos debere geri. Non itaq; fas est te solū talē esse, sed omnes absolute circa Galatiā sacerdotes: q̃s aut deprecare, aut oratione flecte, aut certe festinātet à sacerdotali ministerio remoue, nisi dijs cū cōiugibus & filijs atq; seruis colla submiserint, nō ferētes ulterius eorū seruos aut filios hoc facere: contēnentes aūt Galilæos impie contra Deos agentes, & impietates pietatibus præponētes. Deinde cūctos admone, ut sacerdos neq; ad spectacula procedat, neq; in tabernis bibat, aut cuilibet arti, aut operibus turpib. aut impudentibus præsit. Qui obediūt honorentur: inobedientes expelle. Xenodochia constitue per singulas ciuitates, ut nostra peregrini clementia perfruantur, non tantū nostri, sed etiā extranei pecunijs indigētes. Vt aūt habeas unde fiat, interim decreui singulis annis triginta milia modios tritici per uniuersam dari Galatiā, & sexaginta milia uini sextarios. Horū quinta pars pauperibus tēpla obseruantib. debet expendi, reliqua peregrinis indigētibusq; distribui. Turpe nanq; est, ut Iudæos quidem non abijciant, sed potius nutriant impij Galilæi & suos pariter & nostros, nostri uero nostrorū solatio deserantur. Quapropter doce etiā collationes facere paganos ad talia ministeria, paganorumq; uicos offerre dijs primitias frugum, eosq; huiusmodi benefactis institue, docens eos hoc opus olim fuisse nostrorū. Homerus enī hoc ꝓbat, introducēs Eumæū talia facientē. Nos ergo neq; bona nostrorū

Iuliani epistola

imitamur

imitamur, sed alijs remittimus, negligentia non confusi, magis autem deorum reuerentiam respuentes. Si igitur hæc te facientem cognouero, ego læticia plenus ero. Præsides prouinciarum rarius domi suscipe, frequenter eis scripta transmitte. Ingredientibus eis ciuitatem, nullus sacerdotũ occurrat. Cumq; ad templa uenerint Deorum, intra ianuas eis nemo præcedat militum, aut forte præcedentiũ officiorũ, sed qui uoluerit subsequatur. Cumq; ad ipsum limen templi peruenerit, priuatus existat. Tu enim, sicut nosti, iudex intus es. Hoc enim etiam sacra sanctio uidetur exigere. Obedientes igitur pro ueritate pij sunt, reluctantes uanæ gloriæ comprimantur. Quid enim patiatur, aut quod mereatur auxiliũ, qui matrem deorum propiciam habere noluerit? Qui ergo eam neglexerint, non solum sine querela non erunt, sed etiam nostræ indignationis impetum sustinebunt. Neq; enim fas est ut illi parcatur, qui deos habuerit inimicos. Suade siquidem eis, ut si mea uoluerint frui tuitione, omnes matri Deorum studeant offerre cultu tam. Hæc itaq; faciens Imperator ad destructionem Christianorũ, neq; subiectis præualuit, & aperte Christianis uim parare erubuit. Inter hæc ut ad Paganitatem milites insuescerent, studuit ad priscum schema reformare signum illud labarum sublimius Romanorũ, quod Constantius sicut prædictum est, in crucis formam mutauerat. Verum in publicis imaginibus depingebat Iouem quasi de cœlo sibi coronam & purpurã deferentem, Mercuriũ & Martem in se respicientes, uelut pro testimonio sapientis & fortis. Et hoc agebat imaginibus, ut sub occasione Imperij latenter adorarentur dij, & hoc modo subiecti clanculo fallerẽtur. Arbitrabatur enim, quia si hoc sponte eis imponeret, postea quæ uellet impleret: si uero respuẽtes agnoscerent, uenia sublata torqueret, tanq; circa Ro. solennia reluctantes, & in Rep. atq; ipso Imperio delinquentes. Pauci siquidẽ etiã pœnis subditi, cognouerunt dolum, quia sicut moris erat, adorare noluerũt. Turba uero, ut assolet, per ignorantiã simpliciter imagines adorabat, quod tamẽ Imperatori nihil profuit. Cũq; multa excogitaret, quibus Paganorũ ritus extolleret, inuenit modũ, qui plurimis Christianis militib. claræ uirtutis coronã dedit. Cũ uenisset itaq; tẽpus, quo imperialia milites solẽt dona percipere (hoc eñ agitur plerunq; die Calendarũ Ianuariarũ, & natali principũ & urbiũ regiarũ) exquisiuit quatenus eos simpliciter ex prisca consuetudine fallere potuisset. Iussitq; ut unusquisq; ad manus Imperatoris accedentiũ, ab officijs admonitus, primo incensum offerret (erat eñ ante eũ thus positũ & ara) secundũ antiquã Ro. consuetudinẽ. Tunc alij quidẽ licenter suã ostenderũt fortitudinem, & neq; incensum offerre, neq; donũ accipere passi sunt. Alij uero occasione legis & antiquitatis neq; mẽte perceperũt quod cõmisere peccatũ. Verũ alij propter lucrũ capti, aut timore perturbati, seu iussione repentina cõclusi, licet intellexerint, tamen Paganitatẽ declinare nõ potuerũt. Plurimi siquidẽ p ignorãtiã decepti, dũ inter cibos, ut assolet, & pocula inuocarẽt in

Imagines Iuliani

Astus Iuliani in fallendis Christianis militibus

alterutros Christum, respondens quidam dixit: Quid patimini inuocantes Christum, quem ante paululum denegastis, dum donū ab imperante percipientes, thus in ignem mitteretis? Cumq; hoc milites audissent, & quod gesserant agnouissent, statim exilientes, publice currebant, atq; impetu facto clamabant, Deumq; suum & cunctos homines testabātur se Christianos esse, & in eo nomine permanere, atq; per ignorantiam se fecisse, & si dici posset, solam manum paganam esse, cōscientiam uero nihil simul egisse.

Pœnitentia militum de ceptorum

Cumq; uenissent ad principem, proiecerunt aurū quod acceperant, & forti uoce poscebant, ut reciperet, quod dedisset, & occideret illos. Sic enim pœnitentiam agere fatebātur, eo quod improuide eorum dextera peccasset, & studere propter Christum, totum corpus pœnæ tradere. Cumq; Iulianus talia audisset, furore commotus, præcepit capita eorum incidere. & cum ducerentur ad mortem, sequente populo, & mirante uirtutem eorum pro pietate susceptam, uenerunt ad locū, quo rei puniri solent. Tunc spiculatorem rogauit senior omnium, ut ante omnes caput cuiusdam nomine Romani adhuc adolescentis abscideret, ne dum aliorum respiceret mortem, frangeretur. Cumq; ille genua fixisset in terra, & spiculator gladium euaginasset, uenit repente nuncius clamore prohibens necem. Porrò iuuenculus ille occisione priuatus ait: Non fuit Romanus dignus ut Christi martyr appellaretur. Et licet sanguinem malignus Imperator prohibuisset effundi ductus inuidia, uerūtamē nō eos in ciuitatibus habitare permisit, sed ad ultima Romanorum loca exilio destinauit. Postea uero præcepit, ut qui sacrificare noluerint, in palatio nō intrarent, & neq; collegio, neq; foro eos, neq; arbitrio, neq; ulla dignitate, nec qualibet communione participare iussit. Interea Iulianus dum Constantinopoli apud Fortunæ sacrificaret, accessit ad eum

Mares episcopus

Mares episcopus Chalcedone, & publice impiū, ac sine Deo, apostatamq; uocauit. Ille uero solam ei improperasse fertur cæcitatem. Erat enim senex, & pro imbecillitate oculorum manu alterius agebatur. Super hæc etiam uolens lacerare eum, consuete dixit: Neq; Galilæus Deus tuus curare te potest. Respondens uero Mares: Ego quidem Deo meo gratias ago pro cæcitate, quia hoc ideo gestum est in me, ne te uideam pietate nudatum. Imperator autem nihil respondens abscessit. Sic enim putabat potius roborari paganitatem, si se patientem ac mitem erga Christianos demonstrasset.

Persæ bellum mouent

Igitur dum Persæ mortuum cognouissent fuisse Constantium, capta fiducia uenerunt ad terminos Romanorum, denunciantes bellum. Ob quam rem Romanas uires contractas undique Iulianus aduexit, ut ad destinatam secum traheret perditionem. Misitq; in Delphos ad Delum atque Dodonem ad percipienda responsa, si expediret ei bella suscipere. Tunc uniuersi uates, & pugnandi fiduciam dabant, & uictoriam promittebant. Vnum uero responsum pro exemplo mendacissimæ seductionis inserere

Oracula falsa

non pigebit. Est enim huiusmodi: Nunc omnes aggredimur Dei uictoriæ

trophæa

trophæa referentes circa fluuium Tigrem. Horum ego dux ero belligerator Mars. Horum itaq; carminum ridiculum conuenit diuulgare, qui rationalem Dominum, Musarumq; principem Pythium eum uocant. Ego autem mendacium seductionibus eius inueniens inditum ingemisco. Tigrem namq; fluuium Tigrim uoluit appellare, quoniam Tigris eius est nominatiuus, & per Assyriorum arua discurrens, in Persicum sinum descendit. Per hæc ergo responsa deceptus infelix, & uictoriam mente somniabat, & post Parthicum triumphum pugnam Galilæis inferre parabat. Multos itaq; uicos castraq; detinens iam etiam ciuitates capiebat, Assyriamq; depopulatus, castra apud Ctesiphontem ciuitatem habuit. In qua in tantum obsedit regem, ut crebris legationibus uteretur, offerens dare suę patrię partē, si soluto bello discederet. quod ille noluit, neq; supplicantibus est misertus, neq; mente percepit, quia uincere quidem bonū est, superuincere autem nimis inuidiosum: Credens præcipue magicis artibus, quas ei Maximus Philosophus exhibebat, & arbitratus Alexandri Macedonis se gloriam perceptarum, aut certe potiorem. Putabat enim secundum Pythagoream Platonisq; sententiam, ex mutatione corporum Alexandri animam possidere, aut esse potius in alio corpore alius Alexander. Ob hanc itaq; causam Persarum regis noluit preces admittere. Interea cum in deserto loco captiuorum primo habuisset ducatum, postea quidam senior transfuga, sub schemate proditoris se ei compendiosum iter ostendere compromisit. Cumq; tribus diebus ambulantes ad maiorem solitudinem uenissent, in insidias inciderunt. Statim illum quidem senem fustibus occiderunt, confitentem se hoc fecisse pro patrię libertate, & libenter omnia tormenta sustinere. Cumq; eum Parthi hinc urgerent, è castris iam positis, arrepto tantū clypeo procurrit. Cumq; sic inconsulto ardore nititur ordines ad prælium componere, ab uno ex hostibus, & quidē fugiente, conto percutitur. Relatusq; in tabernaculum, rursum ad hortãdos suos egressus, paulatim sanguine uacuatus, circa noctis ferè medium defecit. Quidam autem dicunt iaculum repente delatum discurrens per brachium eius in latus immersum esse. Qui uero iustissimum intulit uulnus, hactenus ignoratur. Sed alij quendam inuisibiliū uirtutū esse ferunt, alij uero unū pastorē Ismahelitarū, alij militem fame & itinere fatigatū. Sed siue homo siue angelus fuerit, palàm est, quod diuinis iussionibus ministrauit. Calistus aūt qui inter familiares tunc Imperatoris militabat, & heroico uersu eius conscripsit historiam, ait eum uulneratum à Dæmone. Libanius sophista Syrus, inter cæteras laudes, quas de uita eius scripsit in fine libri sic ait: O dæmonū alumne, dæmonumq; discipule, & dæmonum obseruator. Iulianus ergo quarto consulatu suo, quem egerat cum Salustio, VII. Calendas Iulij interijt, anno imperij sui tertio, septimo uero ex quo Cæsar à Constantio fuerat ordinatus, uitæ anno trigesimo primo. Post cuius mortem eius magiæ Carris compertæ sunt.

Iulianus pacē dare Persis recusat

Persæ in patriam pietas

Iuliani interitus

Calistus scriptor

Libanius uitā Iuliani scripsit

Per

Per hanc iter agens, quoniam per Edessam pro piæ religionis cultu transi-re noluerat, in templũ quod à paganis colitur est ingressus. Vbi dum quæ-dam cum suis consortibus sacrilega celebrasset, ianuas & claustra disposuit: & quosdam ibi milites obseruare præcepit, ut interius nullus accederet, do-nec ipse remearet. Cũq; mortuus fuisset Iulianus, & Iouianus pius succes-sisset, ingredientes in templum, inuenerunt mulierem à capillis appensam extensas habentem manus, cuius uterum aperuerat, ut Persarũ uictoriam in iecore eius inspiceret. In qua urbe cum eius nunciatus fuisset interitus, pu blicam cuncti habuere festiuitatem: & non solum in ecclesijs & sepulchris martyrum exultabant, sed etiam in theatris uictoriam prædicabant cum sacerdotibus exultantes. Communiter enim clamabant omnes: Maxime fatue, ubi sunt uaticinia tua? Vicit deus & Christus eius. Hic fuit uir egre-gius, & Remp. insigniter moderaturus, si per fata licuisset, liberalibus di-sciplinis adprime eruditus. Æquauerat enim Philosophos & Græcorum sapientissimos, facundia ingenti, usu promptior, memoriæ tenacissimę atq; amplissimæ, in amicos liberalis, sed minus diligẽs quàm principem decuit. corpore ualidus quidem, sed breuis fuit, barba prolixa, oculi currentes huc illucq; directi. in prouinciales iustissimus, & tributorum, quãtum fieri pos-set, repressor, ciuilis in cunctos, mediocrem habens ærarij curam, gloriæ aui-dus, ac per eam animi plerunq; immodici, nimius Christianæ religionis in-sequutor, perinde tamẽ, ut à cruore abstineret. M. Antonio non absimilis, quem etiam æmulari studebat: cultu numinũ superstitiosus. Præfatus con-sulto sese de imperio nihil mandare, ne (uti solet in multitudine discrepanti-bus studijs amicorũ) ex inuidia regni præ discordia exercitus periculũ para ret. Audax plusq; Imperatorem decet, cui salus propria, cum semper ad se curitatem omnium, tum in bello maxime seruanda est. Ita illum cupido gloriæ flagrãtior peruicerat, ut neq; terræmotu, neq; plerisq; præsagijs qui-bus uetabatur Persidem petere, adductus sit finem ponere ardori: ac ne no ctu quidẽ uisus ingẽs globus cœlo lapsus ante diem belli cautũ præstiterit.

Iuliani magia

Mores Iuliani

IOVIANVS



IGITVR altera die absq; omni dilatione Iouiano insulas Impe ratoris imponunt. Erat enim uir fortis & nobilis, & illo tempore Millenarius, quo Iulianus electionem militibus lege proposuit, ut aut sacrificarent, aut militia cederent. Qui cingulum magis elegit amitte-re, q̃ Imperatoris præceptionibus impijs obedire. Hunc ergo tunc Iulia-nus propter belli necessitatem inter uiros militares habebat. Qui cũ uiolen ter à militib. ad imperiũ traheret, clamabat dicẽs: nõ se uelle paganis homi nibus Imperare, cũ ipse Christianus existeret. Cũq; uox omniũ cõmuniter proclamasset, dicentiũ, se quoq; esse Christianos, suscepit imperiũ. Is exerci tu in Perside inopia laborãte, pacẽ cũ Sapore rege Persarũ, necessariã q dẽ, sed ignobilẽ fecit, mutatis finib. ac nõnulla Imperij Romani parte tradita: quod

Pax igno miniosa

quod ante eum ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam accidit. Quin etiam legiones nostræ ita & apud Caudium per Pontium ducem Samnitium, & in Hispania apud Numantiam, & in Numidia sub iugum missæ sunt, ut nihil tamen finium traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendenda foret, si fœderis necessitatem, tum cum integrum fuit, mutare uoluisset, sicut à Romanis omnibus his bellis, quęcunqꝫ memoraui, factum est. Nam & Samnitibus & Numantinis, & Numidis confestim bella illata sunt, neqꝫ pax rata fuit. Sed dum æmulum sui imperij ueretur, intra Orientem residens, gloriæ parũ consuluit. Tunc Imperator discessit ab Antiochia, & uenit ad Tarsum Ciliciæ, ibiqꝫ corpus Iuliani sepeliuit honorifice. Et cum cuncta solennia funeri eius exhibuisset, designatus est consul unà cum Varroniano filio suo. Cumqꝫ Constantinopolim festinaret, uenit ad prædium nomine Dadastam, inter Galatiam & Bithyniam: ubi Themistius philosophus cum alijs Senatorib. occurrens consularem recitauit orationem. In prædicto nanqꝫ prædio hyemis tempore languore constrictus repentina morte obijt. Multi exanimatum crapulitate opinantur: Inter cœnandum enim nimium epulis indulserat. Alij odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis graue quiescentibus erat. Quidam nimietate prunatum, quas graui frigore adoleri iusserat multas. Decessit imperij mense septimo, XIII Cal. Martij, ætatis ut qui plurimum uel minimum tradunt trigesimo & tertio anno: ac benignitate principum qui ei successerunt, inter diuos relatus est. Hic fuit genitus patre Varroniano incola agri Singidonensis, prouinciæ Pannoniæ. Eius patri, cum liberos crebro amitteret, præceptum est somnio, eum qui iam instante uxoris partu edendus foret, diceret Iouianum. Fuit enim insignis corpore, lætus ingenio, literarum studiosus: nam & ciuilitati propior, & natura admodum liberalis: uir inter alias uirtutes neqꝫ imprudẽs, neqꝫ iners. Cumqꝫ in Niceam Bithyniæ uenisset exercitus, Valentinianum ordinauit Imperatorem, V Calend. Martij, uirum optimum, & apice principali dignissimum.

Themistius


Iouiani repentina mors

Iouianus diuus

Somnium

PAVLI DIACONI DE GESTIS RO. LIB. XII AD HISTORIAM EVTROPII ADDITVS

VALENTINIANVS



ANNO ab urbe condita M.C.XVIII. Valentinianus quadragesimus secundus ab Augusto imperator appellatus est. Iste fuit Pannonius genere, de Cibala ciuitate. Cum esset Tribunus scutariorum, tunc ei militum cura fuit cõmissa, eo quod probatissime nouerat militarem disciplinam. Fuit enim uir magnanimus, & semper præsenti fortuna melior

Valent. laudes

na melior apparebat:non modo fortitudine tantum, quantum prudentia, temperantia atq; iusticia, & corporis magnitudine præfulgebat. Sic enim fuit regalis & urbanus, ut dum exercitus tentasset alium sociare consortem, ille respondisset, quod cantatur ab omnibus. Vestrum inquit, fuit ô milites, Imperatore non existente, mihi dare regimen imperij. Verum ubi hoc ego suscepi, meum iam est, nõ est uestrum de rebus cogitare communibus. Cuius uerba mirati milites, eius sequuti sunt uoluntatem. Cumq; Cõstantinopolim uenisset post dies triginta Imperij sui, fratrem Valentem in communionem regni assumpsit, largitus ei partes Orientales, sibi retentis occidentalibus. Huius pater Gratianus mediocri stirpe ortus apud Cibalas, Funarius appellatus est, eo quod uenalitiũ funem portanti quinq; milites nequiuerint extorquere. Eo merito ascitus in militiam, usque ad præfecturæ prætorianæ potentiam ascendit. Ob cuius apud milites cõmendationem Valentiniano Imperium allatum est. Qui cum sub Iuliano Augusto Christianitatis integram fidem gereret, cum, ut dictum est, scutariorum Tribunus esset, ingressus est cum Iuliano in templum Fortunæ: & ministri templi ex utraq; parte ianuarum stantes, aspersione aquæ, sicut ipsi dicebant, purgabant ingredientes. Valentinianus præcedens principem, aspersionis guttam sua uidit in chlamyde, & indignatus pugno percussit templi ministrũ, dicens se maculatum potius quàm mundatum. Quod respiciens Iulianus, iussit eum in custodiam retrudi, dicens: Aut sacrifica idolis aut militia excede. Qui sponte discessit. Nec mora Iuliano interfecto, Iouianoq; mortuo, qui pro nomine Christi amiserat Tribunatum, in locum persequutoris sui accepit Imperium. Qui cum iam anno tertio Imperium cum fratre Valente ageret, Gratianum filium, nec dum plene puberem, hortatu socrus & uxoris Augustum creauit. Igitur Valentinianus dum in initio regni sui de urbe Constantinopolitana per Thracias properaret Romam, tunc episcopi Hellesponti, Bithyniæ, & quicunq; consubstantialem patrem & filium prædicabant, legatum miserunt ad eum Hypatium Heracleæ Perinthi episcopum, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Is cum adisset Imperatorem, & episcoporum legationem intimasset, respondens Valentinianus: Mihi inquit cũ subiecto populo de huiusmodi negocijs curiose agere fas non est. Vt ergo uidetur uobis sacerdotibus, facite. Tunc uenientes apud Lãpsacum, & duobus illic mensibus commorati, nouissime irrita fecere, quæ ab Eudoxio & Acacio Constãtinopoli sunt patrata: tenendamq; fidem apud Seleuciam expositam decreuerũt. Sed impius Valens, quæ apud Lãpsacum gesta sunt destruxit: & episcopos qui ibi conuenerãt, exilio relegauit. Interea Valens in Antiochia plurimo tempore commoratus, omnibus licentiam dedit sua sacra celebrare: gentilibus scilicet atq; Iudæis, nec non & omnibus hæreticis. Nam & Gentiles festiuitates agebant, dæmonibus ministrantes. Et post Iulianum à Iouiano Idololatriæ uanitates

Valẽt. dictum

Valens imperator

Gratianus Funarius

Gratianus imperator creatur

Episcoporum legatio

Synodus Lãpsacena

Valens Arianus

tes extinctas, rursus florere permisit, & Iouis cultum atq; Dionysij, sacraq; Cereris iam non in occulto tanquam sub pio imperatore celebrabant, sed per mediam plateam bacchantes ubiq; currebant. Illis tantummodo tunc princeps erat inimicus, qui Apostolicam doctrinam prædicare uidebãtur. Eodem anno apud Atrebatas uera lana de nubibus pluuiæ mixta defluxit, & Constantinopolim IIII Nonas Iunij grando miræ magnitudinis decidens, nonnullos homines extinxit. Quidã sanè aiunt de Valente, quod Dominica uxor eius persuaserit ei ab orthodoxa fide, quã suus germanus credebat, recedere, & tam ualenter Arrij sensum sectari. Porrò alij scribũt, quod postquam imperauerit, & ab Eudoxio rebaptisatus sit, iuramento ei firmauerit in ipso baptismate cum Arrio se sensurum, & Homousion minime recepturum. Interea Valente in Syria morã faciente, surrexit Constantinopoli tyrannus Procopius nomine. Qui paruo tempore multam sibi militiam cateruans, festinabat aduersum imperatorem. Quod cum ei nuntiatum fuisset, paululum suum impetum retinuit. Cumq; belli euentus interea parturiret, terræmotus factus est per uniuersum orbẽ, ita ut Siciliæ, & multarum insularum urbes concussæ & subrutæ, innumerabiles etiam populos ruinis oppresserint. Circa Bithyniam uero tam ingens fuit, ut Niceam subuerteret urbem: sed etiam mare terminos suos immutauit, & in quibusdam locis tanto impetu influxit, ut loca quæ pridem ambulari poterant, rigarentur. Ab alijs uero locis tantũ recessit, ut arida tellus inueniretur. Sequenti autem anno Gratiani Dagalaisiq; Consulatu bella parãtur. Cumq; tyrannus Procopius de Constantinopoli egressus, castra moueret aduersum Imperatorem, audiens Valens uenit ab Antiochia, & cum eo congressus est circa ciuitatem Phrygiæ Nacoliam. Et prima quidem pugna deuictus est. Post paululum uero Procopium cepit, tradentibus eum Agelone, Gomarioq; militibus, quos etiam postea inopinatis quibusdam supplicijs iussit expendi. Despiciens enim iusiurandum quod eis præbuerat, serris diuisos crudeliter interemit. Tyrannũ uero duabus uicinis arboribus flexis, singulos in eis pedes eius ligari fecit, quæ dimissæ aërem repetentes, Procopium diuiserunt. Eodem tempore dæmon quidam erroneus crudelitate Valentis abusus, ei persuasit, ut perscrutaretur, quis post eum esset suscepturus imperium. Quam ob rem necromantiã fecit. Quibus artibus adimpletis, plurimos ille dæmon, non quidem aperte, sed obliqua fraude responsa proferens interemit. Nam cum de imperio consuleretur, quatuor literas demonstrauit Θ Ε Ο Δ, dicens hoc nomen post Valentem imperij culmen accipere. Quod dũ ad aures uenisset imperatoris, zelo ductus multos peremit, quos tyrannidem assumere iudicauit. Occidebãtur itaq; Theodori, Theoduli, Theodoti, & quicunq; has literas in capite sui nominis habuissent. Inter quos etiam Theodosius, uir fortis, ex Hispania prouincia genus ducens, pater Theodosij, qui post imperio præfuit, occisus est. Hoc ergo timore plu-

Licentia paganorum

Lana pluit

Grando prodigiosa

Dominica

Eudoxius

Procopius tyrannus

Terræmotus uniuersalis

Procopius captus

Proditorum supplicium

Procopij supplicium

Responsum dæmonis

Valentis sæuitia

rimi sua nomina mutauerunt, quæ prius habuissent negãtes cũm iuramento, ut pericula declinarent. Interea Auxentio Arriano Mediolanensi episcopo defuncto, Valentinianus conuocans episcopos, huiusmodi uerba apud eos loquutus est. Nostis aperte, eruditi quippe diuinis eloquijs, qualem oporteat esse pontificem, quia non decet eum uerbo solum, sed etiam conuersatione gubernare subiectos, & totius se imitatorem uirtutis ostendere, testemq; doctrinæ, conuersationem bonam habere. Talem itaq; eligite, & in pontificali constituite sede, cui & nos qui gubernamus imperium, sincere capita nostra submittamus, & eius monita dum tanquam homines deliquerimus, necessario ueluti curantis medicamenta suscipiamus. Hoc cum dixisset imperator, petijt synodus, ut magis ipse decerneret, sapiens & pius existens. At ille: Super uos, inquit, est talis electio. Vos enim gratia diuina potiti, & in illo splendore fulgentes, melius poteritis eligere. Tunc sacerdotes congressi, de episcopali sede tractabant. Verum ciuitatis habitatores, ut assolet, tumultus faciebant, alij hunc, alij illum ordinari cupiẽtes. Qui enim erant de Arriani Auxentij secta, similem sibi fieri concertabant, rursum orthodoxi sui dogmatis nitebantur habere episcopum. Hanc seditionẽ Ambrosius, cui tunc fuerat præsidialis cura commissa, cognoscens, & metuens ne quid in urbe consurgeret, ad ecclesiam confestim accessit. At illi cessante seditione communem dederunt uocem, petentes ut pastor gregis ordinaretur Ambrosius, qui nondum fuerat baptizatus. Hoc imperator agnoscens, repente iussit baptizari, & tanquam dignum uirum ordinari pontificem. Nouerat enim eius certiorem omni pondere uoluntatem, & totius regulæ decreta subtiliora, arbitratus etiam diuinum in eo esse iudiciũ, dum in eius electione etiam pars contraria consonaret. Is ergo sacri baptismatis donũ potitus, gratiam quoq; simul suscepit episcopatus. Quo facto optimus imperator hunc hymnum Saluatori & domino obtulisse fertur. Gratias, inquit, tibi ago domine omnipotẽs & saluator noster, quia huic uiro ego quidem commisi corpora: tu autem animas, & meam electionem ostendisti iusticiæ cõuenire. Cumq; post paucos dies sanctus Ambrosius cum multa fiducia apud imperatorẽ quereretur, quia male à iudicibus agebatur, tunc Imperator ait: Hanc, inquit, confidentiam tuam dudum noui, & aperte probans non solum non restiti, sed etiam in electione ordinationis tuæ socius fui. Festina itaq; sanare, sicut in diuina lege præcipitur, delicta animarum nostrarum. Igitur Valentinianus Saxones, gentem in oceani littoribus & paludibus inuijs sitam, uirtute atq; agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoq; nouorum hostium cœpit nomen nouum, qui plusquàm LXXX milia, ut fertur, armatorum ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta Germania interiore à Druso & Tiberio adoptiuis filijs Cæsaris per castra dispositos in magnã coaluisse gentem

Auxentius episcopus

Valentiniani uerba ad episcopos

Ambrosius quomodo episcopus factus

Valentinianus & Ambrosius certatim officio funguntur

Saxones uicti

Burgundiones noui hostes

tem, atq; ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per limitem habitacula constituta Burgos uulgo uocant, eorumq; esse præualidam & pernitiosam manũ, Galliæ hodieq; testes sunt, in quibus præsumpta possessione consistunt. Qui tamen non multo post tempore Christiani effecti sunt. Valentinus inter hæc antequam tyrannidem inuaderet, oppressus est. Valentinianus uero anno imperij sui undecimo, cum Sauromatarum gens, quæ pusilla & infima gens est, contra eum insurgens, sese per Pannonias diffudisset, easq; deuastaret, belloq; ab eo superata, apud Brigitionem oppidum Quadorum legatis missis pacem expostularet: cum à legatis eorum sciscitaretur, utrum Sauromatæ tales & tam uilium corporum omnes existerent, respondentibus imperatori: Quia meliores eorum hic habes & uides: tum ualidissime ille clamans ait: Attocia Romanum imperium sustinet ad Valentinianum pertingens, si Sauromatæ tales existentes contra Romanos insurgunt. Ex animositate autem nimia & plausu manuum uena corporis recisa, & plurimo erumpente sanguine, quæ Græce ἀπόπληξις uocatur, uoce amissa, sensu integer expirauit: quod quidem intemperantia cibi, ac securitate qua artus diffuderat, accidisse plures retulere: anno ætatis quinquagesimo & quinto, Consulatu Gratiani & Equitij, XV. Calen. Decembris. Fuit autem imperator egregius, uultu decorus, solers ingenio, animo grauis, Aureliano similis, sermone cultissimus, quanq; esset ad loquendum parcus, seuerus, uehemens, infestus uitijs, maximeq; auariciæ. Seueritatem tamen eius nimiam & parcitatem, quidam crudelitatẽ & auariciam interpretabãtur. Acer in his quę memoraturus sum, Adrianoq; proximus, pingere uenustissime, multa meminisse, noua arma meditari, fingere cera seu limo simulachra, prudenter uti locis, temporibus, sermone, atq; ut breuiter cõcludam, si ei infidis hominibus, quibus se quasi fidissimis prudentissimisq; dederat, carere, aut probatis eruditisq; monitoribus uti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset. Itaq; eo mortuo Italiæ milites sexto die post mortem eius Valentinianum puerum eius filium adhuc quadriennem, autore Equitio & Merobaude è propinquo ubi cũ matre fuerat allatum, creant imperatorẽ. Cuius imperiũ frater & patruus licet ingrate, quod eis ignorantibus factum sit, tamen postea susceperunt.

Valentinus tyrannidẽ meditans opprimitur

Sauromatæ uicti

Valentinianus apoplexi perit

Valentiniani elogium

Valẽtinianus puer imperator à militib. creatus

VALENS

ANNO ab urbe condita M.CXXVIII Valens quadragesimus tertius imperium Orientis quatuor annis Valentiniano mortuo tenuit, Gratiano Valentiniani filio in Occidentali parte regnãte, unà cum Valentiniano fratre paruulo. Hic enim Valentinianus de Iustina secunda uxore Valentiniani natus erat, quã iubente Seuera cõiuge priore, Valentinianus hoc modo duxisse probatur. Iustus Iustinæ pater cũ esset Piceni iudex Constantij temporibus, uidit in somnis quomodo ex dextero fœmore imperialẽ purpurã genuisset. Cumq; uisio per multos recitaretur, ad aures Constantij peruenit. At ille cõsiderãs somniũ, tanq; imperator ex

Iustina

Seuera

Somnium

Iustus occisus

eo nasceretur, mittens occidit Iustum. Cuius filia Iustina uirgo permansit. Posteriore uero tẽpore peruenit ad noticiã Seueræ, ad quã frequentius ueniebat, & amabatur ab ea, ita ut etiam balneis cum ea uteretur. Cumq; Seuera secum lauantẽ Iustinam diutius inspexisset, pulchritudine uirginis oblectata, & amore capta, dixit imperatori, quod sic esset speciosa Iustina uirgo, ut etiã ipsam deceat esse uxorẽ Imperatoris. Valentinianus uero eius sermone concepto, Iustinam ducere tractabat uxorẽ, non tamen Seuerã abiicere,

Lex de binis matrimonijs

ex qua natus fuerat Gratianus. Legẽ itaq; publice protulit per ciuitatẽ dispositam, ut omnes qui uoluissent impune bina matrimonia susciperent. Nam ideo populosas fore gẽtes, quia hoc apud eas solenne est. Cumq; posita lex haberetur, ipse Iustinæ cõiunctus est, ex qua natus est Valentinianus iste & filiæ tres, Iusta, Grata, Galla. Quarum duæ quidẽ in uirginitate permanserũt. Gallã uero postea maior Theodosius imperator duxit uxorem, ex qua Placidia eius filia noscitur esse progenita, quę postea de matris

Valens monachos ad militiam cogit

nomine Gallæ cognomentũ accepit. Valens interea impietatẽ quã dudum meditatus fuerat, operibus explens, lege data ut monachi militarẽt, nolẽtes per Tribunos & milites fustibus interfici iussit. Quorũ innumera multitudo, per uastas tunc Ægypti solitudines habitabat, harenasq; diffusas. Quę propter sitim ac sterilitatẽ, periculosissimamq; serpentiũ abundantiã conuersatio humana cum non esset, magna eam habitantiũ monachorũ multitudo cõpleuerat, præcipueq; apud Nitriam martyrij consequuta est palmam. Ac per singulas ubiq; prouincias aduersus Catholicas ecclesias, & rectę fidei populos, diuersa sunt illata incõmoda. Interea in partibus Africæ,

Firmus tyrannus

Cæsarea direpta

quidã Firmus sese excitatis Maurorũ gentibus regem cõstituens, Africam Mauritaniamq; uastauit. Cæsareã urbẽ nobilissimã Mauritaniæ dolo captam Barbaris in prædã dedit. Contra quẽ Theodosius pater Theodosij, qui postmodũ imperio præfuit, comes à Valentiniano maiore missus, effusas Maurorũ gentes multis prælijs fudit, ipsum Firmum afflictũ & oppressum ad mortẽ coẽgit.

Firmus mori coactus

Theodosius comes interfectus

Qui postq; experientissima prouidentia totam cum Mauritania Africam cõposuisset, stimulante inuidia iussus à Valente interfici, apud Carthaginem baptizari in remissionẽ peccatorũ præoptauit. At postq; sacramentũ Christi quod quæsierat assequutus est, post gloriosam seculi uitã, de uita æterna securus, percussori ultro iugulũ præbuit.

Gothorũ ciuile bellum

Fridigernus

Athalaricus

Circa hęc tempora Gothi trans Istrum cõstituti, ciuile bellũ inter se duabus partibus cõmouerũt. Vnius præerat Fridigernus, alterius Athalaricus. Fridigernus autẽ cum suis omnibus Arrianus erat, Athalaricus uero cum suis Paganus.

Vlfias episcopus literarum Gothicarũ inuentor

Sacra scriptura Gothorum lingua

Cumq; præualuisset Athalaricus, Fridigernus auxiliũ à Valente postulat, per Vlfiam episcopũ suũ Arrianũ, qui moratus sub Constantio fuerat cum Eudoxio & Acacio Arrianis, qui etiã literas Gothicas primus adinuenit, & scripturas diuinas in eam linguã cõuertit. Statim Valens præcepit Thracię militib. ut Fridigerno auxilia cõmodarẽt. Hoc solatio uictus Athalaricus,

etiam

etiam in fugam est conuersus. Non post multum uero tempus denuo Gothis inter se comparatis, Vlfias non solũ Fridigerni Gothos, sed etiã Athalarici edocebat. Tunc Athalaricus religionem propriã uiolari dolens, multos ex suis Arrianos factos supplicijs tradidit, quos hactenus Arriani martyres appellant. Quam ob rem Fridigernus cum suis occidentalem partem petijt. Athalaricus uero cum suo exercitu ibidem remãsit. Hi uero qui cum Fridigerno occiduas petierãt regiones, ab occidente lingua patria Visegothi, id est, occidentales Gothi sunt appellati: Hi uero qui cum Athalarico in proprijs sedibus remanserant, Ostrogothi, id est, Orientales Gothi sunt dicti. Ea tempestate gens Hunnorum diu in proprijs & inaccessis clausa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosq́ conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Nam hos, ut refert antiquitas, ita extitisse comperimus. Filmer rex Gothorũ Godarici magni filius, post egressum Scantiæ insulæ iam quinto loco tenens principatum Getharum, qui & terras Scythicas cum sua gente introijt, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas Gothico sermone Alyrumnas uocant: easq́ habens suspectas, de medio sui proturbauit, longeq́ ab exercitu suo fugatas, in solitudine coëgit errare. Quas syluestres homines, quos nonnulli Faunos Phicarios uocant, per desertum uagantes dum uidissent, & earum complexibus in coitum se miscuissent, hoc genus ferocissimum ediderunt. Quod fuit primũ inter paludes Mæotidas, minutũ, tetrum, atq; exile, quasi inhumanum genus, nec alia uoce notum, nisi quod humani sermonis imaginẽ assignabat. Tali igitur stirpe Hunni creati, Gothorũ finibus aduenerunt. Nam & quos bello forsitan minime superabant, uultus sui terrore nimium pauorẽ ingerebant, & terribilitate fugabant. Eo quod erat eis species pauendæ nigredinis, & uelut quædã, si dici fas est, offa deformis, non facies, habensq́ magis puncta q̃ lumina: quorũ animi fiduciã, toruus prodit aspectus. Qui etiã in pignora primo die nata desæuiunt. Nam maribus ferro genas secant, ut antequã lactis nutrimenta percipiant, uulneris cogãtur subire tolerantiam. Hinc imberbes senescũt, & sine uenustate ephebi sunt: quia facies ferro sulcata tempestiuam pilorũ gratiã in cicatrices absumit. Exigui quidẽ forma, sed argutis motibus expediti, & ad equitandũ promptissimi, scapulis latis, & ad arcus, sagittasq́ parati: firmis ceruicibus, & superbia semper erecti. Hi uero sub hominũ figura uiuũt beluina sæuitia. Quod genus expeditissimũ, multarumq́ nationũ grassatorium ut uiderunt Gothi, transito Danubio fugientes à Valente sine ulla fœderis pactione suscepti sunt. Tribuẽs eis terras Thraciarum ad habitandũ, arbitratus præparatũ solatium ab eis habere cõtra Barbaros, hac pro re milites de cætero negligebat, & eos qui dudum cõtra hostes elaborauerũt, Imperator despiciebat. Etiã collatores suos præcepit prouinciæ per uicos & ciuitates, per unũquenq; militẽ octoginta solidos exigere. Hoc ergo fuit initium, ut illo in tempore Romana Resp. calamitatibus

Visegothi

Ostrogothi

Gothi à Hunnis sedibus pulsi

Filmer rex

Scantia uetus Goth. patria

Hunnorum origo

Hunnorum descriptio

Gothi Thraciam ad sedes à Valente accipiunt

Gothi prouincias populantur

mitatibus subderetur. Barbari namq; cum Thracias continuissent, licenter Romanorũ uastabant prouincias, depopulantes uicinas ciuitates. Interea Valens ab Antiochia Constantinopolim ueniens, apud Bosphorũ cognoscens Gothorũ gentem cõmotam fuisse ad bellũ, mox ad Valentinianum fratrem misit solatia petens. At ille rescripsit ei, quia religiosum nõ esset, nec iustum, talem uirum iura imperij regere, qui deo rebellis existeret, sed magis esset iustũ, ut eius superbia sedaretur. Quod dum ille miserrimus agnouisset, licet maiori necessitate constrictus, non tamen à sua nimietate cessauit, sed fuit rebellis. Terentius igitur interim uictor reuersus est ab Armenia, uir optimus, & pietate decenter ornatus. Tunc ei iussit Valens poscere dona quæ uellet. At ille, quod decebat pium uirum cogitare, respondit, non aurum, non argentum, non prædium, non cingulũ se petere, neq; domum, Sed ut eis qui pro apostolica doctrina pericula sustinuerint, una præberetur ecclesia. At ille petitionẽ ex scripto susceptã cognoscens disrupit, eumq; alia postulare præcepit. Verum ille uerba precum, inquit, suscipe o imperator, & habeo donum: aliud uero non postulo. Intentionis meæ iudex, est uniuersorum iudex. Cum ergo Valens Bosphoro traiecto uenisset in Thraciam, primum quidem Constantinopoli commoratus est, præparans bellum. Deinde Traianum magistrum cum expeditis contra Gothos destinauit. Qui uictus ignominiose est reuersus. Cui cum Valens mollitiem exprobraret, respondit: Non ego uictus sum imperator, sed tu, qui contra deum pugnas, & Barbaris nutum eius cõcilias. An nescis, quos ab ecclesijs expulisti, & quibus eas tradidisti? Interim Barbari per Thracias discurrentes, etiam Constantinopoleos suburbana incendijs cędibusq; uastabant, non existente, qui eis fortiter resistere præualeret. Qui dum usq; ad muros uenissent urbis, afflicta ciuitas contra Imperatorem murmurat. Ille sera peccati pœnitẽtia stimulatus, episcopos, cæterosq; sanctos reuocari de exilijs imperauit. Circenses igitur agebantur ludi, & illic Valentẽ conuicijs accumulabant inualidum & bellorum fugacem, clamabant dicentes: Da arma & nos pugnamus. Hinc ira accensus Imperator III Idus Iunij à Constantinopoli egressus est, interminans se pœnas pro iniurijs, cum rediret, à Constantinopolitanis ciuibus exacturum, quod primitus uidebantur Procopio præbuisse solatium, ita ut ciuitatem aratro uertere minaretur. Isacius uero sacer monachus tenens frenũ equi regis Valentis, cum nouissime egrederetur in pręliũ, ait ad eum: Quó uadis imperator aduersum Deũ pugnans, & deum aduersariũ habens? Quem iratus carceri tradidit, mortẽ illi minatus si rediret, quemadmodũ Micheæ quondã Achab. Post congressionẽ autẽ eius quidam ex suis confessi sunt, quod pręceperit diuinationes fieri de impetu belli, quod sibi imminebat. Deduxit igitur Constantinopolitanos usq; ad urbẽ Adrianopolim, quæ est in confinio Macedoniæ. Deniq; quintodecimo imperij sui anno, lachrymabile cũ Gothis bellũ cõmisit. Ad primũ Gothorum

Valenti auxilium à fratre negatum

Terentius quid ab imperatore optauerit

Traianus à Gothis uictus

Traiani responsum

Gothi Cõstantinop. incursant

Orthodoxi ab exilio reuocati

Isacius Imperatorẽ à profectione deterret

Adrianopolis

thorum impetum perturbatæ sunt Romanorum equitũ turmæ, nudatosq; pedites deseruere. Qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti, cum amentes metu huc illucq; fugitarẽt, funditus cæsi insequentum gladiis contisq; periere. Ipse Imperator sagitta saucius, uersusq; in fugam, ob dolorem nimium, dum de equo laberetur, in uilissima deportatur casa. Vbi superuenientibus Gothis, igne supposito, incẽdio crematus est, V Idus Augusti, anno uitæ quinquagesimo, imperij anno cum fratre Valentiniano decimotertio: post mortẽ eius annos duos, mẽses quinq;, dies tredecim. In quo probanda hæc fuere. Fuit possessoribus & cultoribus bonus, mutare iudices ratus, in amicos fidus, irasci sine noxa, ac periculo cuiusquam, sanè ualde timidus. Quidam autem dicũt, quod diuinus Isacius in carcere, dum cremaretur, fœtores eius diuina gratia, & mundicia animæ deprehenderit, prædixeritq; interemptionem eius his qui secum erant, anteq; nuntij aduenissent, qui gesta prælij nuntiarent. Iusto itaq; Dei iudicio ab illis igne crematus est, quos igne perfidiæ succenderat: namq; petentibus Gothis, ut eis episcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta susciperent, ille doctores Arriani dogmatis misit. Sicq; uniuersa gens illa Arriana effecta est. Gothi uero imperatore occiso, denuo iam securi, usq; ad muros Constantinopoleos uenientes, eius suburbana uastabant. Qua propter ciues qui arma tulerant, & portare ualebant, quæ inuenissent, hostibus ut poterant, resistebant. Dominica uero uxor Valentis, præmia ex ærario publico bene pugnantibus secundũ consuetudinẽ militũ ministrabat. Quibus etiam Sarraceni præbuere solatia, quæ eorũ Regina nomine Mauia Romanorũ fœderata direxerat.

Gothi prælio uincunt

Valens crematus

Isacius præsagus

Gothi denuo Cõstantinop. impugnant

Mauia regina

GRATIANVS

ANNO ab urbe cond. M.C.XXXII Gratianus XLIIII ab Augusto, post mortẽ Valentis sex annis imperiũ tenuit. Igitur Gratianus admodũ iuuenis, cũ inęstimabilẽ multitudinẽ hostiũ Ro. finibus infusam cerneret, fretus Christi potẽtia, longe impari militũ numero sese in hostẽ dedit: & cõtinuo apud Argentoratũ oppidũ Galliarũ formidolosissimum bellũ incredibili felicitate cõfecit. Nã plusq; XXX milia Alemannorũ, minimo Romanorũ detrimẽto, in eo prælio interfecta narratur. Eo tempore in Gallijs apud Turonos beatissimus Martinus multis lampadabat uirtutibus, totoq; orbe doctrinis & sciẽtię lumine clari, apud Bethlehem ciuitatẽ Palæstinæ Hieronymus presbyter, apud Hipponem ciuitatẽ Numidię Augustinus episcopus radiabãt. Porrò Gratianus cũ animaduertisset, Thraciã Daciãq; tanq; genitales terras possidẽtibus Gothis Thayfalisq;, atq; omni pernicie atrociorib. Hunnis & Alanis, extremũ omni Ro. imperio periculũ instare, relicta Italia in Pannoniã uenit. Ea tẽpestate Theodosius tam propter parentũ nobilitatẽ, q; pro fortitudine propria nominatissimus habebat, & ob hanc causam inuidia similiũ Iudicũ fatigatus, in Hispania morabat, ubi & ortus fuerat & nutritus. Cumq; imperator quid faceret

Alemanni apud Argentoratum cæsi

Martinus

Hieronymus

Augustinus

hæsitaret, quippe cũ Barbari eleuati uictoria inexpugnabiles esse uiderentur, eadem prouisione, qua quondam elegerat Nerua Hispanũ uirum Traianum, per quem Resp. reparata est, asciuit & ipse nihilominus ęque ab Hispania Theodosium, & eius ducatu credens Barbaros posse superari. Repente siquidem eum magistrũ militũ esse denuntians, cum exercitu ad Barbaros destinauit. Itaqꝫ Theodosius afflictam Remp. ira dei, credidit misericordia dei reparandã. Omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens, maximas illas Scythicas gentes, formidatasqꝫ cunctis maioribus, Alexandro quoqꝫ illi magno, sicut Pompeius Corneliusqꝫ testati sunt, euitatasqꝫ extunc, extincto Romano exercitu, Romanis armis, equis instructissimas, hoc est Alanos, Hunnos, Gothos, incunctanter aggressus est. Barbari uero impetũ non ferentes suas acies reliquerunt: & illi quidẽ fugiebant, hi uero sequebantur, immensaqꝫ cædes tunc facta est Barbarorũ. Pauci uero qui euaserant, latenter Istrum fluuiũ transierũt. Mox dux optimus exercitu dispersо per uicinas urbes, ipse uelociter remeauit ad principem, ita ut ipse triumphorum suorũ nuntius extitisset. Quod tamen ipsi imperatori dum miraretur factum, incredibile uidebatur. Inuidi siquidẽ etiã eum fugisse dicebant, & exercitũ perdidisse. At ille derogãtes sibi petijt dirigi, qui uiderent multitudinẽ peremptã. His uerbis imperator flexus, direxit, qui res actas inspicerent, eiqꝫ nuntiarent. Porrò dux optimus inter hæc diuinã uisionem uidit, & ab ipso omniũ Deo aperte sibi monstratã conspexit. Viderat enim in somnis, quia sanctus Meletius Antiochiæ ciuitatis episcopus eum chlamidem uestiret imperialẽ, & corona caput ornaret. Hæc cum nocte uidisset, cuidam mane retulit amicorũ. At ille clarum esse somniũ dixit, & nihil ænigmaticum, nihil dubiũ continere. Cumqꝫ pauci transissent dies, qui pro uictoriæ inspectione missi fuerant, remearunt, peremptaqꝫ hostium multa milia narrauerũt. Quam ob rem lætatus princeps Gratianus Theodosium cunctis fauentibus apud Sirmium purpura induit, ætatis annũ tricesimum & tertium agentẽ, Orientisqꝫ & Thraciæ simul imperio præfecit, Consulatu Ausonij & Olibrij. Igitur Theodosius urbem Constantinopolim triumphans intrauit. Et ne paruã ipsam Romani exercitus manũ assidue bellando detereret, fœdus cum Athalarico rege Gothorũ percussit. Athalaricus Constantinopolim uenit ad Theodosiũ, quẽ ille mira animi iucunditate suscepit, & affectione. Deniqꝫ cum urbem Athalaricus intrasset, & tam ædificia ciuitatis, quàm quæ quasi ad diem festum confluxerat, populi frequentiã cerneret, ac per singula inhæreret mente, cumqꝫ deinceps imperatoris regiã ingressus, obsequia, officiaqꝫ diuersa cõspiceret: Sine dubio, inquit, deus terrenus est imperator, contra quẽ quicunqꝫ manũ leuare nisus fuerit, ipse sui sanguinis reus erit. Nec mora tamen superueniente inualitudine rebus excessit humanis. Cuius exequias imperator ipse præcedẽs, digne eum tradidit sepulturæ. At uniuersæ Gothorũ gentes, rege defuncto, aspiciẽtes

Theodosius Barbaros è Ro. solo fugat

Somnium

Theodosius imperator fit Orientis

Fœdus cum Gothis

Athalarici mors

uirtutem benignitatemq; Theodosij, Romano sese imperio dediderunt. In his etiam diebus Parthi, qui Iuliano interfecto, alijsq; imperatoribus sæpe uictis, nunc etiam Valente acto, recentissimæ uictoriæ satietatē cruda insultatione ructabāt, ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemq; supplices poposcerunt, iunctumq; cum eis fœdus est. Interea Theodosius causa fœderis à Gothis acceptis obsidibus Thessalonicam uenit. Vbi cum in ægritudinē incurrisset, baptizari cupiens, Acolium eius ciuitatis episcopū requisiuit, cuius fidei esset, quo respondēte, quod Arriana pestis in Illyricū non ualuisset accedere, sed inuiolatam ab initio Niceni concilij fidem cōseruarent: Ille libenter uerba eius suscipiens baptizatus, atq; ab ægritudine liberatus est. Inter hæc imperator Theodosius filiū suum Arcadium designauit Augustum, Consulatu Merobaudis secundo, & Saturnini, XIIII Calen. Februarij. In Italia uero puero satis existente Valentiniano, rerum curam Probus ex Consule atq; præfectus habebat. Iustina uero Valentiniani mater cum esset Arriana, uiuo quidē marito lędere nō præsumpsit orthodoxos. Eo mortuo, & filio ualde iuuenculo, Mediolanū ueniens Ambrosio erat infesta, ita ut eum iuberet exilio destinari. Cumq; de ecclesia iuberetur exire, Ambrosius ait: Ego sponte hoc nō ago, ne lupis ouium septa contradere uideat, atq; blasphemantibus Deū. Hic si placet occide, hoc loco mortē prona uoluntate suscipiam. Ea tempestate Maximus, uir quidē strenuus & Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Britannia ab exercitu inuitus Imperator creatus, in Galliam transijt. At uero Gratianus, dum exercitū negligeret, & paucos ex Alanis quos ingenti auro ad se transtulerat, ueteri ac Romano militi anteferret, adeoq; Barbarorum comitatu, & prope amicitia captus esset, ut nonnunquam eodem habitu iter faceret, odia contra se militum excitauit. Maximus igitur ab infensis Gratiano militibus & legionibus exceptus, eundem subita incursione perterritum, atque in Italiam transire cupientem, dolis circumuentum interemit. Causa autem interfectionis eius hæc fuit. Maximus enim opinionem misit in uulgus, quia uxor Gratiani suo uiro festinaret occurrere in Lugduno Galliæ ciuitate fluuium transeunti. Gratianus autem credens coniugem Creusam uenire, quam nuper acceperat, non præcauens insidias, & ueluti cæcus in foueam immanis hostis incurrit. Dum ergo uenisset Gratianus quasi ad uxoris uehiculū, ex improuiso exiliens Andragatius Gratianū interemit. Mortuus est autē Consulatu Merobaudis & Saturnini, anno imperij decimoquinto, uitæ uicesimo nono. Mox Maximus Valentinianū Augustū cum matre Iustina Italia expulit in Illyricum. Deinde Constātinopolim uenit, & à Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiā imperio restitutus est. Fuit aūt Gratianus Sirmij genitus, literis haud mediocriter institutus: carmen facere, ornate loqui, explicare controuersias Rhetorū more: nihil aliud die noctuq; agere, nisi spiculis meditari,

Gothi ultro dediti

Fœdus cum Parthis

Arcadius Augustus designatus

Probus

Ambrosij constantia

Maximus tyrannus

Gratianus occisus


Maximus Italiam occupat

Gratiani mores

summæq; uoluptatis, diuinæq; artis credere, destinata ferire, parcus cibi, somniq; & uini ac libidinis uictor, cũctisq; esset plenus bonis, si ad cognoscendam Reip. gerẽdæ scientiã animũ intendisset, à qua prope alienus, non modo uoluntate, sed etiam exercitio fuit, id est plus ferè lætus quàm sufficiebat, & plus uerecundus quàm Reip. interérat.

DE GESTIS ROMANORVM LI. XIII

THEODOSIVS



ANNO ab Vrbe condita M. C. XXXIX Theodosius genitus patre Theodosio, matre Thermãtia, Quadragesimusquintus ab Augusto, interfecto per Maximũ Gratiano, Imperiũ Romani orbis solus obtinuit, mansitq; in eo annis undecim cum iam in Orientis partibus sex annis Gratiano largiente & simul imperãte regnasset. Necessarijsq; causis ad bellũ ciuile permotus, cum è duobus Augustis fratribus unius interfecti ultionem, alterius restitutionẽ procuraret, sese aduersus Maximum tyrannũ sola fide maior, nam longe minor uniuersi apparatus bellici cõparatione, proripuit. Aquileiæ tunc Maximus insedebat. Andragatius Comes eius summã belli administrabat: qui cũ largissimis militũ copijs astuto cõsilio omnes alpiũ ac fluminũ aditus cõmunisset, dum nauali expeditione incautũ hostem præuenire parat, & obruere, sponte eadẽ claustra quæ obstruxerat deseruit. Ita ergo Theodosius nemine sentiente uacuas alpes intrauit, atq; Aquileiã improuisus adueniens, magnum hostẽ ac trucem Maximũ, & ab immanissimis quoq; Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exigentẽ, sine cõtrouersia clausit. Cumq; Maximi milites impetũ Imperatoris sustinere nõ pręualerent, apprehendentes tyrannũ, uinctũ ei protinus obtulerunt. Qui eorũ consulatu peremptus est VI Calen. Septẽbris. Hanc Maximo perditionem beatus Martinus ante prædixit. Valentinianus recepto potitus imperio est. Andragatius comes, qui peremerat Gratianũ, cognita Maximi nece, præcipitẽ è naui in uicino fluuio semetipsum projciẽs suffocatus est. Theodosius incruentam uictoriã Deo procurãte suscepit. Victorẽ quoq; Maximi filium, quẽ imperatorẽ pater Gallis infantili ætate reliquerat, extinxit. Tunc igitur imperatores Valentinianus & Theodosius peracta uictoria Romã uenere. Erat enim cum eis Honorius adhuc puer, quẽ pater post uictoriã contra Maximũ gestam ab urbe Constantinopolitana euocauerat. Theodosius igitur imperator in urbe Roma cõsistens multum profuit ciuitati, alia præbendo, alia utiliter auferendo. Duas tamen res dignas cõfusione prohibuit. Erat ab initio in urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricata, in qua panis fiebat, qui uniuersæ ciuitati ministrabatur. Horum mancipes tempore

Andragatius comes

Maximus à suis deditus interficitur

Valẽtinianus imperium recepit

Andragatius necatus

Theodosius Romã uenit

tempore procedente pistrina publica latrocinia esse fecerunt. Cum enim essent molę in locis subterraneis constitutæ, per singula latera earũ domuum tabernas instituentes, meretrices in eis prostare faciebant, quatenus per eas plurimos deciperent, alios qui pro pane ueniebant, alios qui pro luxuriæ turpitudine ibi festinabant. Arte namque mechanica in molam de taberna cadebant, & hoc patiebantur maxime peregrini, & ita latebant clausi, ut multi usque ad senectutis tempus laborantes, inde non permitterentur exire, æstimantibus eorum propinquis esse defunctos. In huiusmodi laqueos miles quidam Theodosij incurrit. Cúmque fuisset clausus ad molam nec dimitteretur exire, euaginato gladio prohibentes occidit. At illi terrore detenti militem dimiserunt. Hoc agnoscens Imperator & mancipes supplicijs occidit, & ipsam pistrinam destruere funditus præcepit. Aliam rursus abrogauit huiusmodi causam. Si qua mulier in adulterio capta fuisset, hoc non emendabatur, sed potius ad augmentum peccandi contradebatur. Includebant eam in angusto prostibulo, & admittentes qui cum ea fornicarentur, hora qua turpitudinem agebant, tintinnabula percutiebant, ut eo sono illius iniuria fieret manifesta. Hæc audiens Imperator permanere non est passus, sed ipsa prostibula iussit destrui. His actis relicto Valentiniano Romę, ipse cum Honorio Constantinopolim remeauit, consulatu Daciani & Symmachi IIII Idus Nouẽbris. Igitur Theodosius imperator habuit passionum quoque permotionem, iustóque furori immensam permiscens crudelitatem, iniustam operatus est passionẽ. Quam rem narrare necessarium est, & pro utilitate legentium, & pro memorabili opinione uirtutum. Thessalonica ciuitas est grandis & populosa, in qua dum orta fuisset seditio, quidam iudicum lapidati sunt atque tracti. Hinc indignatus Theodosius, iracundiæ non refrenauit infirmitatem, sed ad ludos Circenses inuitari ciues iussit, & super omnes iniustos gladios euaginari præcepit, & unà cum nocentibus innocentes interimi. septem milia hominum, sicut fertur, occisi sunt. Huiusmodi cladem gemitibus plenam audiens Ambrosius, cum princeps Mediolanum uenisset, & soléniter in sacrum uoluisset intrare templum, occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his sermonibus à sacri liminis ingressu prohibuit dicens: Nescis imperator perpetratæ necis quanta sit magnitudo, neque post causam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit? Sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperij. Decet tamen ut uincat hic ratio potestatem. Scienda quippe natura est, eiusq́ mortalitas atque resolutio, & puluis progenitorum ex quo facti, ad quẽ redigendi sumus: & nõ flore purpureo confidentem, infirmitates oportet corporis ignorare. Coæqualiũ hominũ es imperator & conseruorum. Vnus enim omniũ dominus rex & creator. Quibus igitur oculis aspicies cõmunis domini templũ? q̃bus calcabis pedibus sanctũ illius pauimẽtũ? Quomodo manus extendes, de quib. adhuc sanguis stillat

Decipula

Adulterarum pœna

Theßalonicen. cædes

Ambrosius Theodosium templo arcet

iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies domini corpus? Qua præsumptione ore tuo poculum sanguinis preciosi percipies, cum furore sermonum tantus iniuste sit effusus sanguis? Recede igitur, recede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Suscipe uinculũ, quo te omnium dominus nunc ligauit. Est enim medicina maxima sanitatis. His sermonibus imperator obediens, (erat enim diuinis eruditionibus enutritus.) & aperte sciens quæ sint propria sacerdotũ, quæ regum, gemens & deflens ad regalia remeauit. Cumq; octo mensium continuorum transissent tempora, appropinquauit natiuitas Saluatoris nostri. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lachrymas incessabiliter expendebat. Ingressus autem Rufinus magister, & singularem apud principem fiduciam habens, & uidens in lamentatione principem prostratum, accessit, lachrymarum causas inquirere. At ille amarissime ingemiscens, & uehemẽtius lachrymas fundens: Tu inquit Rufine ludis, & mea mala non sentis. Ego autem lamentor & gemo calamitatem meam, quia seruis quidẽ mendicantibus aperta sunt templa dei, & proprium dominum licenter exorant, mihi uero ingressus ad eum non est. Insuper & cœli sunt clausi. Hæc dicens uerba singula singultibus rumpebat. Rufinus, curro, inquit, si tibi placet, & pontifici precibus persuadeo, ut soluatur uinculum quod ligauit. Ait imperator, non inquit suadebis Ambrosio. Noui ego decretũ illius esse iustum, neq; reuerebitur imperialem potentiam, ut legem possit præuaricare diuinam. Cumq; Rufinus uerbis plurimis uteretur, ut promitteret Ambrosium esse flectendum, Imperator eum cum festinatione pergere præcepit. Ipse uero spe data post paululum est sequutus, credens Rufini promissionibus. Porrò uir mirandus Ambrosius, mox ut uidit Rufinum ait. Impudentiam canũ imitatus es ô Rufine: tantæ uidelicet necis autor existens, pudorem ex fronte detergens, nec erubescis, nec metuis contra imaginem latrare diuinam. Cumq; Rufinus supplicaret, & imperatorẽ diceret esse uenturum, superno zelo accensus ait. Ego tibi Rufine prædico, quoniã eum ingredi limina prohibebo. Si uero imperium in tyrannidem mutauit, necem ego libenter suscipio. Hæc & alia Rufinus audiens, nuntiauit imperatori uotum antistitis, monens ne de palatio forte procederet. At imperator in media platea iam cognoscens: pergo inquit, & iustas in facie suscipio cõtumelias. Cumq; ad sacra limina peruenisset, in sanctam quidem Basilicam non præsumpsit intrare, sed ueniens ad Antistitem, & inueniens eum in Salutatorio residentem, supplicabat ut eius uincula resolueret. At ille tyrannicam eius dicebat esse præsentiã, & contra deum insanire Theodosiũ, eius calcare leges. Verũ imperator: Non assurgo inquit aduersus Ecclesiasticas sanctiones, nec inique ingredi limina sacra cõtendo, sed te soluere uincula mea deposco, & communis domini pro me exorare clementiam, nec mihi ianuam claudi, quam cunctis pœnitentiã agentibus dominus noster aperuit. Tunc

Rufinus

Ambrosij constantia

Antistes: quam pœnitentiam, inquit, ostendisti post tantas iniquitates? qui bus medicaminibus incurabilia uulnera plagasq; curasti? At Imperator, tuum, inquit, opus est edocere, & medicamina temperare, meum uero obla ta suscipere. Tunc & Ambrosius. Quando furori inquit, tuum iudiciũ com misisti, & non ratio protulit sententiam, sed potius iracundia: scribe legem, quæ legẽ furoris euacuet: & triginta diebus sententia necis atq; proscriptio nis tantummodo in literis maneat, & iudicium rationis expectet. Quibus transactis diebus, ira uidelicet iam cessante, ratio causam iudicans apud se metipsam, quæ cognouerit, sub ueritate disponat. In his eñ diebus cogno scitur, si iusta sit quam protuleris sententia, aut iniusta. Et si quidem ratio probauerit iniusta quæ sunt prolata, disrumpet: si uero iusta, firmabit. Die rum uero numerus ad hæc examinanda sufficiet. Hanc admonitionem Im perator libenti animo suscipiens, & optimam esse confidens legem, conscri bi repente præcepit, & propriæ manus literis confirmauit. Quo facto uincu la eius soluit Ambrosius. Quæ lex hactenus obseruatur. Est autẽ huiusmo di: Imperatores, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Augusti, Flauia no prætorio præfecto Illyrici. Si uindicari in aliquos seuerius contra no stram cõsuetudinem iusserimus, pro causæ intuitu, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta super statuta eorum sors & fortuna suspensa sit. Reos sane accipiat uincla atq; custodia, & excubijs solertibus uigilanter obseruentur. Sic igitur sacratissimus Impe rator ingredi limina præsumens, non stans domino supplicauit, neq; fle xit genua: sed pronus in pauimento iacens, dauidicam proclamauit uocem: Adhæsit pauimento anima mea, uiuifica me secundum uerbum tuum. Ma nibus barbam capillosq; euellens, frontem percutiẽs, & pauimento lachry marum guttas aspergens, ueniam impetrare poscebat. Cumq; tempus ac cederet, quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lachrymis est in gressus. Cum uero obtulisset, sicuti solitus erat, intra cancellos stetit. Rur sus autem Ambrosius non quieuit, sed differentiam locorũ edocuit. Et pri mo quidem requisiuit, quid ibidem expectaret. Imperatore dicente, sustine re se sacrorum perceptionem mysteriorum, per archidiaconũ remandauit: O Imperator, interiora loca tantum sacerdotibus sunt collata, quæ cæteri nec contingere, nec ingredi permittuntur. Egredere igitur, & hanc expecta tionem cum cęteris habe communem. Purpura nanq; Imperatores, non sa cerdotes facit. Tunc fidelissimus Imperator etiam hanc traditionem gra tanti animo suscipiens, remandauit: Non audaciæ causa intra cancellos ste ti, sed in Constantinopolitana urbe hanc consuetudinem esse cognoui. Vn de gratias ago pro huiusmodi medicina. Tanta igitur & tali uirtute præsul & Imperator pollebant. Ego namq; utriusq; opus admiror. Illius fiduciã, huius aũt obedientiam: illius zeli feruorẽ, huius fidei puritatẽ. Porrò regu las pietatis, quas à magistro sacerdote recepit, etiam reuersus in Constan

Lex de non præcipitanda pœna

Theod. pœnitens absolutus

Theod. obedientia

tinopolitana urbe seruauit. Nam dum festiuitatis tempore ad ecclesiam processisset, oblatis in altare muneribus mox egressus est. Cumq; Nectarius tunc præsul ecclesiæ mandasset, cur intus stare noluisset, mandauit princeps. Vix, inquit, potui discere, quæ distantia sit Imperatoris & sacerdotis. Vix enim inueni ueritatis magistrum. Ambrosium namq; solum noui uocari digne pontificem. Habebat igitur Imperator & aliam utilitatis causam & occasionem, per quam de bonis operibus triumpharet. Coniunx enim eius diuinas leges eum sæpius admonebat, se ipsam tamen prius erudiens perfecte. Non enim regni fastigijs eleuata est, sed potius diuino amore succensa. Beneficij namq; magnitudo maius ei desiderium benefactoris adhibebat. Repente namq; ut uenit ad purpuram, claudorum atq; debilium maximam habebat curam, nõ seruis, non ancillis, non alijs ministris utens, sed per semetipsam agens, & ad eorũ habitacula ueniens, & unicuiq; quod opus haberet præbens. Sic per ecclesias & per ecclesiarum Xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorũ tergens, ius gustans, offerens coclearia, panem frangens, cibosq; ministrans, calicem diluens, & alia cuncta faciens, quę seruis ac ministris mos est solenniter obseruare. His autem qui eam rebus talibus nitebantur prohibere, dicebat: Aurum distribuere opus imperij est. Ego autem pro ipso Imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nam uiro suo sæpe dicebat: Oportet te semper marite cogitare, qui dudum fuisti, qui modo sis. Hæc si semper cognoueris, ingratus creatori benefactori non eris, sed imperium quod suscepisti legaliter gubernabis, & harum rerum autorem placabis. His ergo sermonibus uelut optimam quandam utilitatem, uirtutisq; abundantiam, coniugis sui sermonibus offerebat. Igitur grammaticus quidam nomine Eugenius literarum Latinarum doctor, relinquens scholas in palatio militabat, eratq; Imperatoris Valentiniani antigraphus, & propter eloquentiam à multis honoratus. Tunc ergo fertur, non mediocriter cogitans, cooperatorem assumpsisse Arbogastem de minoribus Gallis ortum, militaris ordinis ducem, uirum sæuum, & necibus præparatum, cultoremq; sordidissimum Idolorum. Quo facto declinauit ad tyrannidem, & contra Valentinianum necem machinabãtur, cubicularios apud Viennam Galliæ urbem corrumpentes eunuchos. At illi dormientem principem suffocauerũt, atq; ut uoluntariam sibi mortem consciuisse putaretur, laqueo suspensus est. Quo extincto Arbogastes tyrannum creauit Eugenium, eligens hominem cui titulum Imperatoris imponeret, ipse acturus Imperium: uir barbarus animo, consilio, manu, audacia potentiaq; nimius. Contraxit undiq; innumeras & inuictas copias, uel Romanorũ præsidijs, uel Barbarorum auxilijs: alijs potestate, alijs cognatione subnixus. Hæc audiẽs Imperator Theodosius, rursus sollicitudinibus obstrictus, secunda certamina post Maximũ præparabat. Congregansq; militarem uirtutẽ, & Honorium filium designans

Augustæ religio

Eugenius grammaticus

Arbogastes

Valent. suffocatus

Eugenius fit tyrannus

gnans Imperatorem, consulatu suo & Abundantij, IIII idus Ianuārij, denuo ad partes occidētis magno studio festinabat. Interea euentū belli considerans, mittit ad Thebaida, ad Ioannem monachum perspicientē clara. Ad quem destinauit Eutropium Eunuchum sibimet fidelissimum, ut aut eum, si uellet uenire, deduceret, aut nolentem de euentu belli requireret. At ille Ioannem quidem deducere non præualuit, sed mandatum retulit eius, quod uinceret & perimeret tyrannum, & post uictoriam in Italia moreretur. Igitur cum Theodosius relictis ambobus filijs in urbe Constantinopolitana, pergeret contra Eugenium bellaturus, plurimi trans Istrum fluuium barbari sunt secuti, cum eo pugnaturi contra tyrannum, paruoq; tempore cum manu maxima uenit ad Gallias. Illic enim præparabat bellum, ubi iam multa milia habebat exercitus. Eugenius igitur atq; Arbogastes cum omni instructa acie alpium transitus tenerent, & Theodosius in summis alpibus constitutus esset, expers cibi ac somni, cum lachrymis orationi incumbens, & circa gallicantum sopore compressus, uidit in somnis, quasi iaceret in campo, & astarent ei duo quidam uiri in uestibus albis, & equis candidissimis residentes, eumq; iubentes habere fiduciam, & diluculo armare milites ad uictoriam, dicebantq; se pro solatio destinatos. Quorum alter Ioannem Euangelistam, alter se Philippum dicebat apostolum. Hac uisione comperta, nequaquā ab oratione cessauit, sed lachrymas uberiores effudit. Quæ uisio etiam alicui militum reuelata est, & per diuersos uenit ad principem. At ille non propter me, inquit, iste hæc uidit, sed ne quis crederet quia finxi, quod ego uidi, ideoq; etiam isti monstratum est. Nam primum mihi hoc dominus communis ostendit. Cumq; se à suis distinctum sciret, ab hostibus circunseptum nesciret, fiducialiter arma corripiens, signo crucis signum belli dedit, ac se in prælium, etiam si nemo sequeretur, immisit, uictor futurus. Prima salutis uia extitit Arbitio hostiliū partium comes. Qui cum ignarum Imperatorem circumpositis excepisset insidijs, conuersus mox ad reuerentiam Imperatoris, eum non solum periculo liberauit, uerumetiam auxilio instruxit. Fit ergo congressio circa fluuiū uocabulo Frigidum. Igitur in parte qua Romani contra Romanos confligebant, bella erant æqualia: unde uero barbari auxiliatores Imperatoris, pars Eugenij potior esse uidebatur. Imperator aūt uidens barbaros deperire, in maximā ueniens æstuationē, & stans in edita rupe, unde & cōspicere & conspici posset ab utroq; exercitu, proiectis armis ad solita se uertit auxilia, & prostratus in terra iacuit, adiutorem deum inuocans & dicens: Omnipotens deus, tu nosti, quia in nomine Christi filij tui ultionis iustæ ista prælia suscepi. Si sæuis, in me uindica: si uero cum causa probabili, & in te confisus huc ueni, porrige dextram tuis, ne forte dicant Gentes: Vbi est Deus eorum? Et statim petitione frustratus nō est. Quidam enim Barbarius nomine

Io. monachus

Theod. contra Eugenium mouet

Somnium

Arbitio comes

Prælium ad Frigidum

mine, magister militum eius, uir fide & pietate & uirtute animi pollens, repente sic confortatus est, ut cum primis ducibus concurreret ad eam partem qua Barbari præliabantur. Quo facto, disrupit acies, & in fugam mox uertit inimicos. Fitq; denuo ex hora miraculum. Turbo uentorum uehemens à parte Theodosij, in ora hostium pectoraq; illisis grauiter scutis euerberabat, nunc impressis pertinaciter obstricta claudebat, nunc auulsis uiolenter destituta nudabat, nunc oppositis iugiter in terga trudebat. Tela etiam quæ ipsi uehementer intorserant, excepta uentis, impetu supinato, ac retrorsum coacto, in ipsos infeliciter confligebat: & ea quæ ab eius parte spicula erant missa, ultra mensuram humani iactus per magnum inane portata, ualenter hosti infigebat. Hoc itaque modo dimicatione consumpta, Tyrannus concurrens ad pedes Imperatoris exorabat promereri salutem. Qui circa pedes eius à militibus capite secatus est, XV. Calend. Octobris, consulatus Archadij anno tertio & Honorij secundo. Arbogastes autem tantorum causa malorum, post duos congressionis dies fuga lapsus cum cognouisset quia uiuere non posset, proprio gladio se peremit. Præmiserat deniq; prius Theodosius decem milia Gothorum auxiliatorum, quæ ab Arbogaste comite funditus deleta sunt. Quos utiq; Theodosio perdidisse, magis lucrum, quàm detrimentũ fuit. Ad cuius laudem ob insignem uictoriam poëta quidam nomine Claudianus, eximius sed paganus, inter cætera huiusmodi Deo & homini testimonium cecinit:

Eugenius occisus

Arbogastes se ipse interfecit

O nimium dilecte Deo, tibi militat æther,
Et coniurati ueniunt ad classica uenti.

Prodigium

Ea tempestate in orientis partibus, apud Palæstinam prouinciam in castello Emaus, natus est puer, perfectus, ab umbilico & sursum diuisus, ita ut haberet duo pectora, & duo capita, & unusquisq; suos sensus: & unus edebat & bibebat, & alter nõ edebat: unus dormiebat & alter uigilabat, nõnunq; insimul dormiebant. Insimul tamen ludebant ad alterutrũ, & flebat uterq;, & percutiebãt inuicẽ. Porrò uixerũt annis fermè duobus. Et unus quidem mortuus est, alter superuixit diebus quatuor. Igitur Theodosius Imperator post laborem publicum corpore fatigatus in ægritudinem incurrit, & sperans se ægritudine moriturum, potius de Rep. cogitabat, considerans quæ solent prouenire hominibus Imperatore moriente. Filium itaque Honorium de Constantinopoli euocauit, & Imperatorem Romæ ordinauit. Cumq; Honorius Mediolanum uenisset, Theodosius ex ægritudine relevatus, Circum de uictoria celebrabat. & ante prandium quidem spectaculum quasi sanus exhibuit, post prandium repente prægrauatus est, & ad spectaculum uenire non potuit. filium tamen ludis adesse præcepit. Superueniente uero nocte defunctus est, Cõsulatu Olibrij & Probini XVI Cal. Februarij. Anno Imperij decimoseptimo, uitæ uero quinquagesimo. Huic

Theodosij mors

fertur

fertur nomen somnio parentes monitos sacrauisse, quod in Latinum à deo datum potest intelligi. Fuit aūt propagator Reip. ac defensor eximius, moribus & corpore Traiano similis, quantū scriptura ueterū & picturæ docēt, à quo & originē traxit. Sic eminens status, membra eadem, par cæsaries, os absq; eo quod illi aliquantū euellendo steriles genæ, neq; tā ingentes oculi erant: nescio an & tanta gratia, tantusq; flos in facie, seu tāta dignitas in incessu. Mens uero prorsus similis, adeo ut nihil de illo dici queat, quod nō ex libris in istum uideatur trāsferri. In omnes homines honorificus, uerū effusius in bonos. Simplicia ingenia diligere, erudita mirari, præsertim quorū erga se uel parum aspero casu officia probauerat. Illa tamen uitia, quib. Traianus aspersus est, uinolētiā scilicet & cupidinē triūphādi, usq; adeo detestabatur, ut bella non mouerit, sed inuenerit: ministeria lasciua, psaltriasq; comessationibus adhiberi lege prohibuit, tantū pudori tribuēs & cōtinentiæ, ut consobrinarū nuptias tanquā sororū interdixerit. Si nimiū perfectos contemplemur, literis mediocriter doctus, Sagax planè multumq; diligens ad noscenda gesta maiorum. E quibus non desinebat execrari, quorū facta superba, crudelia, libertatiq; infesta legeret, ut Cinnam, Mariū, Syllam, atq; uniuersos dominantiū, præcipue tamen ingratos & factiosos. Irasci sanè rebus indignis, sed subito flecti. Vnde quoq; dilatione modica emolliebat interdum præcepta seuera, habuitq; à naturæ munere, quod Augustus à philosophiæ doctore. Qui cum uidisset eum facile cōmoueri, ne asperū aliquid statueret, monuit: ubi irasci cœpisset, quatuor atq; uiginti Græcas literas memoria recensere: ut illa cōcitatio, quæ momenti est, mente aliò traducta, parui temporis interiectu languesceret. Melior haud dubie, quod est raræ uirtutis, post auctam annis potentiā regalē, multoq; maxime post ciuilem uictoriam. Nam & annonę curā solicitius attendere, & auri argentiq; grande pondus, sublati atq; expensi à tyrannis, multis ex suo restituere: cum benigni equidē principū uix fundos solerent nudos, ac deformata prædia concedere. Iam illa minutiora, &, ut dicitur, intra aulam, quæ quia occulta sunt, magis naturæ hominū curiosæ oculos aures q; ad se trahunt. Inerat ei etiam cura pietatis eximię, patruū colere tanquā genitorē, fratris mortui, sororisq; liberos habere pro suis, cognatos affinesq; & parentes animo cōplecti, elegans lætumq; conuiuiū magis q̄ sumptuosum dare: miscere colloquia pro personis, studio, dignitatibus, sermone cū grauitate iucūdo. Blandus pater, concors maritus, exercebatur neq; ad illecebrā, neq; ad lassitudinē. Ambulationibus magis cum esset ociū, reficiebat animū, ac uescendi cōtinentia ualetudinē regebat. Igitur VI Idus Nouēbris mēsis eodē anno Theodosij corpus delatū est cū solēni honore Cōstantinopolim, & ab Arcadio filio sepulturæ traditur. Post paucos uero dies, id est V. Cal. Decemb. etiā exercitus qui cū Imperatore Theodosio fuerat cōtra tyrannū, reuersus est. Et dū Imperator Arcadius secundū cōsuetudinē ad portas occurrisset exercitui reme

Theodosij laudes

Rufinus occisus

anti, tunc milites Rufinum præfectum Imperatoris peremerunt. Erat enim suspectus quasi tyrannidem meditaretur assumere. Dicebatur autem quia Hunnos ipse in Romanorum prouincias euocasset, qui tunc Armeniam & partes Orientis ualde uastabant.

ARCADIVS ET HONORIVS



ANNO ab urbe condita MCXLVI Arcadius Theodosij filius in Oriente, Honorius frater eius in occidente, quadragesimo sexto loco ab Augusto cōmune Imperium diuisis tantum tenere cœperunt sedibus. Quorum pater curam potentissimis uiris mandarat habere, id est, Rufino Orientalis aulæ, qui ab exercitu interfectus est: & Stiliconi occidentale Imperium. Honorius itaq; suscipiens Occidentis Imperium, ludum gladiatorum, qui dudum Romæ celebrabatur, huiusmodi causa remouit. Quidam Telemachius conuersatione monachica pro hac causa Romam uenit. Cumq; nefandum illud spectaculum ageretur, & ipse intrauit in stadium, & descendens nitebatur pugnantes aduersum se gladijs separare. Cumq; spectatores aduersum eum sæuirent, & in effusione sanguinis grassarentur, prouisorem pacis lapidibus occiderunt. Hoc agnoscens mirabilis Imperator, illum quidem inter uictores martyres numerauit, nefandum uero spectaculum prorsus abscidit. Eo tempore Hunni transeuntes Istrum fluuium Thraciam deuastabant. Isauriæ quoq; latrones maxima multitudine congregata usq; ad Carenos & Phœniciam uenientes, urbes & uicos in medio positos depopulati sunt. Per idem tempus Stilico patricius magister armorum erat apud Honorium, magna præditus potestate: habebatq; sub se plurimos Romanorum atq; gentilium, qui contractis inimicitijs cum Arcadij ducibus, cogitabat congredi contra eos. Tunc ergo agens cum Honorio Alaricum regem Gothorum fecit ordinari magistrum militum: & accessit aduersus Illyricum, atq; Iouium præfectum constituit, ut arma contra Romanos attolleret, & Prouincias Honorij subderet ditioni, & cum Alaricus barbaros sub se constitutos, & per Dalmatias habitantes congregasset, uenit ad Epirum. Vbi multo tempore commoratus, in Italiam reuersus est. Qui cum discedere uoluisset, Honorij literis retētus est, sicut ipse confessus est. Interea ingens terræmotus Constantinopoli factus est, ita ut subtus terra tremeret, & desuper fusa cœlitus flamma penderet: tamdiuq; mansit, donec orationibus Arcadij principis, & populi Christiani, præsentem perditionem deus exoratus auerteret, probans se solum esse & conseruatorem humilium, & punitorem malorum. Arcadius itaq; Imperator erat uir mitis ac quietus, & circa finem uitæ pro huiusmodi causa uenerabilis æstimatus. In urbe Constantinopoli domus est maxima, habens cognomen Caryæ, id est, nucis. Est enim in eius domus uestibulo arbor nucis, in qua ut sermo est, fuerat appensus martyr Acacius & defunctus. Ob quam rem etiam oratorium illic est ædificatum. Hanc

Gladiatorum munus cur desitum

Hunni Thraciam uastant

Isaurorum excursiones

Stilico

Alaricus rex

Terræmotus horribilis

Opinio sanctitatis de Arcadio

Arcadius uidere uolens ad orationem uenit, uotóque completo reuertebatur. Proinde cuncti circa oratorium habitantes Imperatorem uidere currebant. Et alij quidem foris domum præcesserant, ut melius aspectum principis & ordinem uiderent obsequij, alij uero sequebantur. Dumq́ omnes cum mulieribus atque filijs simulq́ mancipijs extra domum fuissent egressi, repente maxima domus oratorio cohærens subito tota corruit. Clamor cum admiratione sequutus est, quomodo oratio principis tantos à ruinæ imminentis periculo liberauit. Interea Gildo comes Africæ, cognita Theodosij morte arbitratus minimam in paruulis spem fore, Africam iure proprio cœpit usurpare. Huius frater Macezil perfidiam germani perhorrescens in Italiam redijt. Gildo autem duos filios adolescentes, quos pater in Africana militia reliquerat, occidit, dolo circumuentos. Ad hunc iam ut hostem bello insequendum Macezil, frater eius missus est. Igitur Macezil iam inde à Theodosio sciens quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi clementiam dei impetret, Caprariam insulam adijt, inde secum seruos Dei aliquos permixtos suis precibus abducens: cum quibus orationibus ac ieiunijs dies aliquot cõtinuauit & noctes: pro qua re uictoriam sine bello meruit, & sine cæde uindictam. Igitur Ardealio fluminis nomen est, quod fluit inter Teuestem & Amedaram ciuitates. Vbi cum parua manu, hoc est, cum quinque milibus ut aiunt militum, contra septuaginta milia hostium castra metatus, cum interiecta mora excedere loco, appositasq́ uallis præiacentis angustias transgredi uellet, incurrente nocte beatum Ambrosium episcopum Mediolani paulo ante defunctum per somnium sibi uidere uisus est, significantem manu, & impacto ad humum ter baculo dicentem: Hic, hic, hic. Quod prudenti coniectura intellexit: merito annunciantis fidem uictoriæ, uerbo locum, numero diem significari: & substitit. Ac tertio demũ die post noctem orationibus hymnisq́ peruigilẽ, ab ipsis cœlestium mysteriorũ sacramentis in hostem circunfusum processit, & cum ad eos qui primo occurrerãt pia pacis uerba iactaret, signiferũ quendam insolenter obsistentẽ gladio percussit in brachio, eumq́ manu debilem ipso uulnere coëgit inclinare uexillum. Quo uiso auxiliarij Gildonis barbari ilico terga dederunt. Gildo & ipse fugiens ascensa naui, cum Africam redijsset, post aliquot dies strangulatus interijt. Sanè idem Macezil elatus rerum secundarum insolentia & tumens, post habito sanctorum consortio, cum quibus antea deo militans uicerat, etiam ecclesiam dei temerare ausus est, atq; ex ea quosdam non dubitauit extrahere. Sequuta mox pœna sacrilegum est. Nam ijsdem superstitibus atq; insultantibus, quos ab ecclesia ad pœnam protraxerat, post aliquantũ tempus solus ipse punitus est. Probauitq́ in se uno ad utrũq; semp diuinũ uigilare iudiciũ, quãdo & cũ sperauit, adiutus est, & cũ contempsit occisus est. Arcadius itaq; cũ se mori cerneret, uidens Theodosiũ filiũ suum paruulum

Gildo Africã usurpat

Macezil contra Gildonem

Somnium

Incruentã uictoria

Gildonis exitus

esse (erat enim annorum octo) consideransque ne à quoque insidijs appeteretur, hunc Imperatorem appellauit, & ei curatorem per testamentum fore statuit Hisdigerden regem Persarum. Hisdigerdes autem Arcadij testamento suscepto, paceque sine inuidia erga Romanos usus, Theodosio imperium cōseruauit. & Antiochum quendam mirabilem atque rationabilem uirum ei tutorem & pædagogum mittens hæc Romano Senatui scribit. Arcadio dormiente, meque curatorem filij constituente, qui suppleat locum meum direxi. Ne quis ergo insidias puero conetur, ne prælium intolerabile contra Romanos insurgat. Antiochus uero cum Constantinopolim uenisset, ab Honorio Imperatore libenter susceptus est: & erat pax inter Romanos & Persas, ipso Antiocho maxime pro Christianis multa scribente. Sicque dilatata est in Perside Christianitas, Maruntha episcopo Mesopotamiæ mediante. Arcadius uero defunctus est Calendis Maij mensis, consulatu Bassi & Philippi, anno uitæ trigesimo primo, imperij cum patre annis tredecim, solus quatuordecim. Interea Stilico patritius occidentis tutor Imperij, immemor collatorum beneficiorum, immemor affinitatis (nam socer extabat Honorij) regnum & ipse Eucherio filio affectans, ingentia Reip. intulit mala. Nam cum sæpe delere posset barbaros, fouit, & regem Scytharum cum Gothis suis uicit, & sæpe conclusit semperque dimisit. Cui quis fuerit exitus suo melius in loco dicetur. Inter hæc omnium antiquorum præsentiumque hostium longe immanissimus Radagaisus rex Gothorum, totam repentino impetu inundauit Italiā. Nam fuisse in eius populo plusquam ducenta milia Gothorum ferunt. Hic super hanc incredibilem multitudinem, indomitamque uirtutem, barbarus erat & Scytha, qui omnem Romani generis sanguinem dijs suis propinare deuouerat. Inuadit illico Romam pauor infinitus, fit omniū paganorum in urbe concursus, acclamatur à cunctis, se ideo hæc perpeti, quod neglecta fuerint magnorum sacra deorum: magnis querelis ubique agitur, ac continuo de repetendis sacris agitur. Feruent tota urbe blasphemiæ. Vulgo nomen Christi tanquam lues aliqua probris ingrauatur. Conducuntur à Romanis aduersus Radagaisum Gothorum regem duo pagani duces Sarus & Vldin Hunnorum. Sed non sinit Deus rem suæ potentiæ infidelium uirtutem uideri. Contritus namque diuinitus Radagaisus in aspero Fesulani montis iugo urgente undique timore concluditur, agminaque quibus angusta dudum uidebatur Italia latendi spe in unum ac paruū uerticem truduntur. Vbi cum fame & siti conficerentur, rex Radagaisus solus spem fugæ sumens, captus à Romanis in uincula conijcit, ac paulisper retentus uita priuatur. Tanta uero multitudo captiuorū Gothorū fuisse fertur, ut uilissimarū pecudū more singulis aureis passim greges hominū uenderent. Ea tēpestate Alaricus rex Gothorū, qui ditioni Ro. & Theodosio Imperatori subiectus, atque contra Eugenium tyrannū solatia præbens, propterea Romanis dignitatibus

fuerat

Marginal notes: Hisdigerdes Theod. tutor; Antiochus; Epistola; Arcadij mors; Stiliconis perfidia; Radagaisus Italiam inuadit; Radagaisi exitus; Alaricus nouas sedes quærit

Handwritten note: Radagaisus cū ducentis mil. Italiā inuadens.

fuerat honoratus, felicitatem suam non ferens, imperare quidem non elegit, sed discedens ab urbe Constantinopolitana, uenit ad partes occidentis. Cumq; uenisset in Illyricum omnia subuertebat: & transiens Thessaliam, habita congressione circa fluuium Pinum apud Nicopolim Epiri penè tria milia uirorum eius Thessali peremerunt. Post hæc autem Italiam ingressus, cum ab Honorio sedes, quo cum suo exercitu consistere possit, expeteret, Honorius deliberato consilio Gallias eisdem concessit. Qui dum ad Gallias pergens ob recuperationem iumentorum apud Pollentiam resedisset, Stilico patricius in perniciem Reip. Gothos pertentans, dum eos insidijs aggredi cuperet, belli summam Sauli Pagano duci commisit. Qui ipso sacratissimo die paschæ Gothis supplicantibus, nihilq; tale sperantibus, super eos irruit, magnamq; eorum partem prostrauit. Nam primum perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more solito se cohortātur, uirtute potiori prosternunt exercitum. Hinc in rabiem furoris excitati, cœptum iter deserentes Romam contendunt petere, cuncta per quæ ierant igne ferroq; uastantes. Nec mora, uenientes urbem capiunt ac deuastant, plurima miraculorum eius incendunt, multosq; senatorij ordinis diuersis subdidere supplicijs: dato tamen prius præcepto, ut si qui in sancta loca, præcipueq; in sanctorum Apostolorum Basilicas Petri & Pauli confugissent, hos in primis inuiolatos securósque esse sinerent: deinde in quantum possint prædæ inhiantes à sanguine temperarent. Romanum tamen imperium deridentes, Imperatorem fecerunt, quendam nomine Athalum. Quem una die tanquam Imperatorem fecerunt procedere, altera uero serui schemate ministrare. Captaq; est Roma IX. Calend. Septemb. anno M. C. LXIIII conditionis suæ. Die tertia instante, Gothi sponte discedunt ab urbe. Fertur itaq; quia cum Alaricus pergeret Romam, uir quidam uenerabilis, conuersatione monachus, eum monuisset, ut mala talia facere non auderet, neque necibus gaudere aut sanguine. At ille non, inquit, ego uolens Romam proficiscor. sed quidam quotidie molestus est, torquens & dicens: Perge & Romam destrue ciuitatem. Deinde per Campaniam, Lucaniam, Brutiamq;, simili strage Gothi bacchantes Rhegium peruenerunt, in Siciliam transfretare cupientes. Quo cum transmeare ascensis nauibus uellent, perpessi naufragium plures suorum ibi amisere. Inter hæc Alaricus dum deliberaret quid ageret, apud Consentiā subito morte defunctus est. Gothi Basentiū amnē de alueo suo captiuorū labore deriuantes, Alaricum in medio alueo cum multis opibus sepeliunt, amnemq; meatui proprio reddentes, ne quis locum scire posset, captiuos qui interfuerāt extinguūt. Regē deinceps Athaulfum Alarici affinem Gothi cōstituētes, Ro. redeūt: si quid residuū fuit, more locustarū eradunt, auferentes exinde Gallā Placidiā, Theodosij principis filiā, sororem

Gothi insidijs petiti

Vrbs capta

Athalus per ludibrium à Gothis Imp. fit

Consentia. Alarici mors & sepultura

Athaulfus rex

Honorij

Galla placidia Honorij, quam sibi Athaulfus apud forum Cornelij coniugio sociauit. Quæ multo post Reip. commodo fuit. Nam ad hoc mariti animum acerrimo ingenio subtilibus blandimentis inflexit, ut ultro à Romanis pacem expeteret. Qui ad Gallias proficiscens, deinde apud Barcinonem fraude *Segericus rex* suorum occisus est. Post quem Segericus regnum capiens, dum pacem *Vallia rex* Romanis seruare disponit, & ipse à suis peremptus est. Deinde Vallia regnandi iura suscepit: ad hoc electus à Gothis ut pacem frangeret: ad hoc à Deo ordinatus, ut confirmaret. Interea Stilico patricius Vandalorum perfidæ & dolosæ gentis genere editus, Eucherium, ut dictum est, filium iam à puero Christianorum persequutionem meditantem, ut in Imperium substitueret, ante biennium Romanæ irruptionis, gentes copijs uiribusq; *Alani, Sueui, Vandali, Burgundi, Rhenũ transeunt* intolerabiles, hoc est, Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, Burgundionum, multasq; cum his alias gentes ultro in arma suscitauit: & mox Rhenum fluuium transeunt: Francosque fugare Gallia uolunt, directoq; impetu Pyrenæum usque perueniunt, ut sub hac necessitate à genero in filium extorquere possit imperium. Tandem ubi Imperatori Honorio exercituiq; Romano hæc tam ingentia damna patefacta sunt, commoto iustis*Stilico cum filio cæditur*sime exercitu occisus est Stilico, qui ut unum puerum purpura indueret, totius ferè generis humani sanguinem fudit. Occisus est & Eucherius filius eius, paucíq; cum hisdem satellites tantarum molitionum puniti sunt. Eodem tempore clarissima urbis loca fulminibus diruta sunt, quæ ab ho*Gratianus* stibus inflammari nequiuerunt. Inter hæc apud Britannias Gratianus municeps eiusdem insulæ, tyrannus mox creatus occiditur. In huius locum *Constantinus* Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis sine merito uirtutis eligitur. Qui ad Gallias transiens, sæpe à barbaris incerto fœdere illusus detrimentum Reip. magis fuit quàm augmentum. Tunc duo iuuenes locupletes Didymus & Viridianus, assumptis seruulis & uernaculis sese patriam'que à barbaris & tyranno defensare moliti sunt. Aduersum *Constans ex monacho cæs.* hos Constantinus Constantem filium ex monacho Cæsarem factum, cum quibusdam fœderatis barbaris in Hispaniam misit. Constans barbarorum fultus auxilio eos primo prælio peremit. Quibus barbaris dum *Barbari Hispanias occupant* claustra Pyrenæi montis commissa fuissent, ab eis tota illa, quæ per Gallias bacchabatur ferocitas gentium Hispaniarum prouincijs intromissa est. Itaque post multas strages incendia & rapinas tandem diuersis sedibus barbari ad aratra conuersi, Romanorum residuos cœperunt ut socios & amicos fouere.

De Gestis

DE GESTIS ROMANORVM
LIBER DECIMVSQVARTVS



NNO ab urbe condita M.C.LXV Theodosius Iunior in Oriẽte imperat: cuius Imperij anno secundo Atticus episcopus Constantinopolitanus Iudæum quendam paralyticũ monens suadens, atq; baptizans sanum ex lauacro eduxit: secundum Deum dicitur prouectus fuisse. Igitur Imperator Honorius dum uires Reip. quotidianis cerneret labefactari incommodis, uirum strennuum & bellicosum Constantium cum exercitu ad Gallias mittit. Is mox ut Gallias ingressus est, continuo Constantinum tyrannum apud Arelate extinxit. Cõstans uero filius eius à Gerontio suo comite Viennæ peremptus est. In cuius locum Gerontius Maximum quendam substituens, ipse à suis militibus iugulatus est. Maximus deinde purpura exutus, in Hispania exulans, egens obijt. Exinde Iouinus apud Gallias mox assurgens cecidit. Sebastianus tyrannus frater eius continuo creatus occisus est. Tertullus consul qui futurum se principem in Senatu gloriatus est, pari nihilominus exitu perijt. Athalus qui à Gothis imperator fuerat factus, captus à Constãtio, missus est Honorio, truncataq; manu uitæ relictus est. Heraclianus quoq; Africæ comes missus cum idem Athalus umbram gestaret imperij, Africam stennue aduersum iudices ab eo missos tutatus, consulatum assequutus est. Qua superbia elatus, Sabinum domesticum suum ingenio ualidum industriaq; solertem, & sapientem nominandum si animi uires tranquillis studijs accommodasset, generum allegit. Cum quo quorundã periculorum suspitiones dum patitur, fecit: Atq; aliquandiu Africana annona extra ordinẽ detenta, ipse tandem cum immensa satis incredibili classe nauium Romam contendit. Nam habuisse hunc tria milia nauium & septingentas dicitur. Quem numerum nec apud Xersen quidem præclarum Persarum regem, & Alexandrum Magnum, uel quenquam alium regem fuisse historiæ tradunt. Is simul ut cum agmine militum ad urbem pergens littore egressus est, occursu comitis Marini territus, & in fugam uersus, arrepta naui solus Carthaginem redijt, atq; ibi continuo militari manu interfectus est. Hos omnes Honorius optima religione, magnaq; Constantij industria superauit. Merito sanè. Nam his diebus præcipiente Honorio, sopitis apud Africam hæreticis pax ecclesiæ redditur. In qua fulgentissimus tunc apud Hipponem regium totius magister ecclesiæ florebat Augustinus. Interea Vallia rex Gotthorum dei iudicio territus Gallam Placidiam apud se honeste habitã, exigente Constantio, fratri

Atticus episcopus

Constantinus comes

Constantinus & Constans occisi

Gerontius comes occisus

Maximus tyrannus exul obit

Iouinus & Sebastianus tyranni cæsi

Tertullus cos. occisus

Athalus manu truncatus

Heraclianus comes

Sabinus

Claßis immensa

Marinus comes

Heraclianus interfectus

tio, fratri Honorio reddidit: pacemq; cum eo, datis lectissimis obsidibus, pepigit: seq; pro Romanis aduersus barbaros qui Hispaniam inuaserant, pugnaturum spopondit. Mittunt è contrario Vandalorum, Alanorum, Sueuorumq; reges principi Honorio legationes in his uerbis: Tu cum omnibus pacem habe, omnium obsides accipe. Nos nobis confligimus, nobis perimus, tibi uincimus, tuæ erit quæstus Reip. si utriq; pereamus. His itaq; tantis incommodis deo fauente sopitis Honorius Gallam Placidiam germanam suam Constantio suo comiti, fide integerrimo, & uiribus ingenti uiro, iam dudum promissam magno cunctorum gaudio sociauit. Ex qua Valentinianum filium Constantius genuit, qui postea Reip. Imperium gessit. Hoc in tempore fœdus firmissimum cum rege Gothorũ Vallia pepigit, tribuens ei ad habitandum Aquitaniam prouinciã, eiusdemq; prouinciæ etiam quasdam ciuitates uicinas. Cernens itaq; Honorius ubiq; se Constãtij uirtute & ingenio, seu per bella, seu pacis moderatione tueri, eum cunctis annitentibus apud Rauennam in regni consortiũ asciuit. Qui necdum septem mẽsibus euolutis ex hac luce subtractus est. His diebus apud Bethlehem Palæstinæ beatissimus Hieronymus, expletis nonaginta uno annorum ad Christum migrauit. Sequenti tempore Maximus apud Hispanias, factione autem Iouiani, qui tunc in re militari clarus habebatur, tyrannidẽ assumpsit. Nec multo post separati utriq;, & capti ab exercitu Honorij, eidem cum apud Rauennam tricennalia sua perageret præsentãtur. Hac tempestate Britanni Scotorum Pictorumq; infestationem non ferentes, Romam mittunt, ac sui subiectione promissa, contra hostes auxilia flagitant. Quibus statim ab Honorio missa militum legio magnam barbarorum multitudinem strauit, cæterosq; Britanniæ finibus expulit. Sed mox ut discessere Romani, aduecti iterũ nauibus hostes, omnia quæq; sibi conculcant ac deuorant. Rursumq; aduolant Romani, cæsumq; hostem trans maria fugant. Hoc tempore cum Vandali Alaniq; Hispanias infestarent, Honorius ad eas defensandas Castinum ducem cum exercitu mittit. Qui Castinus præclarum uirum Bonifacium, ac bellicis rebus exercitatum, inepto & iniurioso Imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Bonifacius uero periculosum sibi indignumq; ratus eum sequi, quẽ discordem superbientemq; expertus esset, celeriter se ad Portum urbis, atq; inde in Africam prorupit: magnumq; postmodum Reip. detrimentũ, totiusq; Africæ causa exitij fuit. Castinus uero tanto collega priuatus, nihil dignum in Hispanijs gessit. Inter hæc Placidia Augusta à fratre Honorio pulsa, ad Oriẽtem cum Honorio & Valentiniano filijs profecta, à Theodosio Augusto Arcadij alterius germani sui filio suscepta est. Honorius annis quindecim cum imperasset, & iam cum fratre antea annis tredecim, ac sub patre duobus regnasset, Remp. ut cupierat pacatam relinquens, apud urbem Romam uita exemptus est, corpusq; eius iuxta beati Petri apostoli in Mausoleo sepultum

Pax cum Gothis

Legatio Hispanien. barbarorum

Placidia Constantio nupta

Aquitania Gothis concessa

Constantius Honorio consors factus moritur

Hieronymus nonagenarius moritur

Maximus tyrannus cum Iouiano captus

Scoti, Picti

Britannia recepta

Castinus in Hispaniã missus

Bonifacius à Castino alienatus

Placidia Constantinop. se confert

Honorius moritur

tum est. Huic soboles nulla fuit. Nam duæ Stiliconis filiæ, id est Maria & Thermantia, una post alteram eius coniugio sociatæ, utræq; dei iudicio inopinata morte præuentæ ex hac luce migrauere. Fuit sanè Honorius moribus & religione patri Theodosio non ualde absimilis. Cuius temporibus quamuis multa externa & ciuilia bella surrexerint, aut nullo aut minimo sanguine quieuere. Exempto igitur rebus humanis Honorio, fultus præsidio Castini magistri militum, Ioannes quidam ex Imperialibus subscriptoribus Imperium inuadit.

Ioannes imperium inuadit

THEODOSIVS IVNIOR



NNO ab urbe condita M.C.LXXVII. Theodosius Arcadij filius quadragesimusseptimus ab Augusto regum Romanorum Orientale regebat imperium. Ad quem legationem mittit Ioannes, in Imperatorem suscipi deprecans, & ipsum deprecans, Africam quam Bonifacius obtinebat, bello reposcere, quia ad defensionem sui infirmior factus est. At uero Theodosius legatis Ioannis in carcere trusis, Ardaburium prætorem mittit aduersus eum. Quem tyrannus apud Rauennam aggressus inclusit. Quo Theodosius agnito, Valentinianū amitæ suæ Placidiæ filium Cæsarem effectum, cum matre Augusta ad recipiendum Occidentis Imperium dirigit, & Asparem Ardaburij filium mittit ante eum contra Ioānem. Angelus autem domini apparens in habitu pastoris deduxit Asparem & eos qui cum illo erant, & deducit eos per paludem inuiam, quæ Rauennæ adiacet, quam deus peruiam operatus est. Et transmeantes per aridam, apertis portis ciuitatis inuentis, tyrannum quidem occidêre: Ardaburium autem à uinculis absoluerunt: & Rauennam crudeliter depopulati sunt, eo quod illius ciues maxime tyrannicæ parti fauissent. Castinum uero magistrū militum damnant exilio, cuius factione arripuisse Ioannes tyrannidem credebatur. Data Aetio uenia, eo quod Hunni, quos per ipsum Ioannes in adiutorium acceperat, eius studio ad propria remeassent. Valentinianus igitur consensu totius Italiæ Imperator efficitur, itemq; ex decreto Theodosij Augustus appellatur. Dum hæc geruntur Achillas nomine oppidum Galliarum à Gothis militari ui oppugnatum est, donec imminente Aetio, non impuniti discederent. Sequenti autem anno, id est, decimosexto imperij Theodosij, Maruntha episcopus Mesopotamiæ filium regis Persarū Hisdegerdis à dæmonio uexatum sanauit. Interea Theodosius imperator multa benignitate motus, licet Persas potentissimos uicerit, parcens tamen Christianis qui habitabant in Perside, pacem amplectitur. Cuius rei gratia mittit legatos Helionem patricium, quem ualde honorandum dicebat, & Anatolium orientis prætorem. Vararanes autem sciens superationem suam, suscepit legationem: & ita persequutio cessauit, quæ in Christianos agitabatur. Victoria siquidē auxilio dei de Persis collata, Romani plurimi pollentes eloquijs

Ardaburius contra Ioannē missus

Valent cæs. in occidentem missus

Aspar

Ioānes occisus

Castinus exilio damnatus

Aetius

Valent. Aug. appellatus

Maruntha episcopus

Vararani regi uicto pax data

conscribebant laudes Imperatoris. Cuius uxor heroico metro poëmata multa confecit. Erat enim eloquens, filia Leontij Sophistæ Atheniensis, à patre omnibus lectionibus erudita. Quam dum Imperator ducturus esset uxorem, Christianam Atticus fecit episcopus, & in baptismate cum prius uocaretur Athenias, Eudoxiæ nomen imposuit. Eodem tempore erant Gothi & aliæ gentes multæ ac maximæ trans Danubium in Hyperboreis locis habitantes: ex quibus rationabiliores quatuor sunt, Gothi scilicet, Hypogothi, Gepides, & Vandali, nomen tantum & nihil aliud mutantes, unaq; lingua utentes. Omnes autem fidei erant Arrianæ malignitatis. Isti sub Arcadio & Honorio Danubium transeuntes, locati sunt in terra Romanorum. Et Gepides quidem, ex quibus postmodum diuisi sunt Longobardi & Auares, uillas quæ sunt circa Singidonem & Sirmiũ habitauere. Hypogothi uero post Alaricũ Romam depopulantes in Gallias abierunt, & quæ ibidem sunt obtinuere. Gothi autem Pannoniam habuerunt primum: deinde decimo octauo anno Theodosij imperatoris iunioris Thraciæ uillas habitauerunt: & per annos quinquaginta & octo in Thrace morantes, Occidentis quoq; obtinuerunt imperium. Porrò Vandali Alanis sibi sociatis, & Germanis qui nunc Franci dicuntur ascitis, transeuntes Renum fluuium Modogisclo duce, habitauerunt in Hispania, quæ est prima Europæ prouinciarum ab Occidentali oceano. Interea Valentinianus non solum Britanniam & Galliam & Hispaniam saluare nequiuit, sed & occidentalem Libyam, quæ uidelicet regio uocatur Afrorum, amisit hoc modo. Duo prætores erant quos diximus, Aetius & Bonifacius, quos Theodosius postulante Valentiniano Romam direxerat. Cumq; Bonifacius principatum occidentalis Libyæ percepisset, & apud Africam potentia gloriaq; augeretur, inuidia flammatus Aetius accusationem facit aduersus Bonifacium, tanquam rebellionem meditantem, & obtinere Libyam satagentem. & hæc quidem Placidiæ fatebatur, quæ fuit mater Valentiniani. Cæterum Bonifacio scribit: si accersitus fueris accedere noli: incusatus enim es, & te dolose uocant Imperatores. Hæc suscipiens Bonifacius, & ueluti proprio seruo Aetio credens, accersitus accedere distulit. Tunc Imperatores Aetium quasi deuotum recipiunt, & aduersum Bonifacium Mauortius & Gabio mittuntur. Qui dum Bonifacium obsidere parant, ab eo interempti sunt. Rursus contra Bonifacium Suuldus comes dirigitur. Bonifacius igitur sentiens se non posse tuto Africam tenere, cernensq; sibi periculum instare, in perniciem totius Reip. efferuescens, trãsfretans à Libya in Hispaniam ad Vandalos Alanosq; uenit. Cumq; Modogisclum inuenisset mortuum, & filios eius Guntharium & Gensericum Imperium moderantes, hortatus est ut Hesperiam Libyamq; in tres partes diuiderent. Qui polliciti sunt unicuiq; parti se unà cum ipso principaturos, in communi tamen in quemlibet hostem ulturos. In talibus ergo professionibus Vandali

Alaniq;

Eudoxia Augusta

Gepides

Hypogothi

Gothi

Vandali

Aetius Bonifacium calumniatur

Alaniq́ꝫ fretum transmeantes, Libyam habitauerunt, & cunctam penè Africam ferro, flamma, rapinis crudelissime deuastantes, insuper catholicam fidem Arriana impietate subuertunt. Sub hoc turbine beatissimus Augustinus, de quo præmissum est, Hipponensis Episcopus, ne ciuitatis suæ ruinam cerneret, tertio eiusdem obsidionis mense, septuaginta & sex uitæ annis expletis, ex quibus quadraginta in clericatu seu episcopatu trans egerat, ad Christum perrexit. Eodem tempore quidam senatus Romani amici Bonifacij falsam accusationem Aetij intimauerunt Placidiæ, ostendentes quoq; & Aetij ad Bonifacium directam pridem epistolam, quam ad eos idem miserat Bonifacius. At stupefacta Placidia Aetium quidem in nullo læsit. Bonifacio uero cum iuramentis uerbum misit exhortatoriū. Porrò Gunthario mortuo, Gensericus Alanorum Vandalorumq́ꝫ factus est Imperator. Bonifacius ergo uerbo suscepto contra Vandalos armatur exercitu magno sibi ueniente, tam à Roma quàm à Constantinopoli, cuius Aspar erat magister. Inito autem contra Gensericum prælio, superatus est Romanorum exercitus. Sicq́ꝫ Bonifacius cum Aspare Romam ueniens, suspicionem dissoluit, rei ueritate monstrata, & accepta ab Imperatore magistri militum dignitate. Qui cum resistentem sibi Aetium prælio superasset, paucis diebus interiectis morbo extinctus est. Porrò Africa taliter à Vandalis subacta est. Tūc & Martianus qui postmodum imperauit, cum miles esset, & Aspari deseruiret, uiuus à Genserico deprehenditur. Aetius uero cum deposita dignitate in agro suo degeret, ibiq́ꝫ eum quidam æmulus repentino incursu opprimere tentasset, profugus ad urbem, atq; illinc ad Dalmatiam, deinde in Pannonias ad Hunnos uenit: quorum amicitijs & auxilijs usus, pacem principum Aetius cum receptu interpolatæ potestatis obtinuit: nec multo post Patriciatus etiam dignitatē adeptus est. Post eam igitur, quæ præmissa est, Africæ cladem, data per Trigetium ad habitandū Vandalis Africæ portione, pax cum eisdem necessaria magis quàm utilis facta est. His etiam temporibus Gundicarium Burgundionū regem intra Gallias habitantem Aetius patricius bello obtriuit, paceq́ꝫ ei supplicanti concessit. Interea Gothi pacis placita perturbant, & pleraq; municipia uicina sedibus suis occupant. Cumq́ꝫ essent oppido Narniensi maxime infesti, ciuesq́ꝫ eius extrema obsidione & fame affligerent, adueniens comes Litorius hostes in fugam conuertit, & ciuitatem allata frumenti copia à fame liberauit. Dehinc anno sequenti bellū aduersum Gothos Hunnis auxiliantibus gestum est. Hac tempestate Gensericus apud Africam intra habitationis suæ limites, cupiens Catholicam fidem Arriana impietate subuertere, quosdam nostrorum episcopos eatenus persequutus est, ut eos priuatos iure basilicarum suarum etiam ciuitatibus pelleret, cum ipsorum constantia minime superbissimi regis terroribus cederet. Circa eadem tempora multi Iudæorum in Creta Christiani facti sunt, propter

Augustinus moritur

Gensericus Romanum exercitū fugat

Exitus Bonifacij

Martianus captus

Aetius Imp. conciliatur

Pax cum Vandalis

Burgundiones uicti pacem impetrant

Gothi bellum inferunt

Litorius comes

Gensericus orthodoxos episcopos pellit

huiusmodi passionem. Quidam Iudæus seductor finxit semetipsum esse Moysen, & cœlitus destinatum, ut Iudæos illam insulam habitantes per mare deduceret, ipsum se esse dicens, qui olim filios Israël per mare rubrum deduxerit. Circuibat itaq; toto anno unamquanq; illius insulæ ciuitatem, suadebatq; Iudæis ut crederent, monens ut omnes pecunias atq; possessiones relinquerent, cum eoq; ita deducti per siccum mare ad repromissionis gaudia peruenirent. At illi hac spe capti, omne opus proprium negligebant, contemnentes etiam possessiones suas, & dimittentes eas quibuscunq; personis. Cumq; uenisset dies, quam designauerat Iudæus seductor ille, eo præcedente sequebantur omnes cum coniugibus & paruis ætatibus. Deduxitq; eos ad quandam rupem decliuius incumbentem, iussitq; ut comarum schemate semetipsos inuoluerent. Hoc ergo faciebant, & cum uenirent ad rupes, repente moriebantur, tam dilacerati acutis rupibus, quàm in aqua necati: plus tamen mori potuerunt, nisi prouidente Deo quidam uiri Christiani superuenissent piscatores atq; negociatores: qui alios cum necarentur eripientes recreauerunt, tum malum suæ stulticiæ sentientes: alios ne semetipsos iactu interficerent tenuerunt, nunciantes eorum mortẽ qui primo ceciderant. Qui etiam cognoscentes seductionem, culpãt se eo quod facile ei credidissent. Cumq; uoluissent illum seductorem perimere, comprehendere nequiuerunt: repente namq; disparuit, deditq; suspitionem quod fuerit olim dæmon erroneus, humano schemate circũamictus. Pro hac itaq; re atq; passione multi tunc cretensiũ Iudæorũ ad Christianã cõuersi sunt fidem. Interea incendiũ in ciuitate Cõstantinopolitana factũ paulatim peruenit ad thermas, quæ uocantur Achilleæ: deinde ad locum qui dicitur Pelargus, ita ut Nouatianorũ comprehenderetur ecclesia. Tũc fertur Paulum episcopum eorũ intra flammas ecclesiæ restitisse, supplicantẽ Deo, ne ecclesia pariter cremaretur. Qui locus ereptus est, & hactenus XVI Cal. Septemb. apud Nouatianos collectio celebratur. Hunc tamen locum non solũ Christiani, sed etiam pagani uenerantur. Exigit nunc locus edicere de hac hæresi unde exorta uideatur. Nouatus igitur presbyter ecclesiæ Romanæ, qui propter persequutionem quæ sub Decio fuerat facta, se episcopum facere, & Corneliũ uolebat eijcere, faciens oblationes, & dispertiens unicuiq; portionem & tradens, hoc iurare pro benedictione miseros homines coëgit, tenens utranq; manum accipientis, & non dimittens, donec iurans hæc dicat: Iura mihi per corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi, quod nunquam aliquãdo me derelinquas & ad Cornelium redeas. Et infaustus homo non prius gustat, quàm sibi antea maledicat: & pro eo ut dicat accepto pane illo, amen, dicit Vlterius non redeam ad Cornelium. De hac religione uolens Imperator Constantinus pacisci ecclesias, Acesium episcopum ad Concilium Nicenum euocauit. Quem post definitionem fidei requisiuit, si & ipse consentiret in fide, & decreto paschalis festiuitatis. At ille

Pseudomoyses in Creta

Iudæi conuertuntur

Incendium

Nouatiana hæresis

Acesius Nouatianus

ille, nihil, inquit, noui ó Imperator, quod synodus definiuit. Sic enim olim & à temporibus apostolorum ipse percepi, & terminum fidei, & tempus Paschalis festiuitatis. Porrò Imperatore denuo requirente: Cur ergo te à cõmunione separas? ille ea quę sub Decio gesta sunt replicauit, & subtilitatẽ acerbissimæ regulæ deduxit ad mediũ, dicẽs quia nõ oporteat eos, qui post baptisma peccãt, peccato quod ad mortẽ esse scripturæ diuinæ pronunciãt, cõmunicatione sacramentorũ fieri dignos: sed inuitãdos quidẽ ad pœnitentiam, spem uero remissionis nõ à sacerdotib. sed à Deo solũmodo sustinere, qui potestatem habet peccata dimittere. Hæc cum dixisset Acesius, Imperator ait: O Acesi pone scalam, & si potes ascendere in cœlum solus, ascende. Igitur Valentinianus Augustus Constantij & Gallæ filius ad Theodosium principem suum consobrinum Constantinopolim profectus est, filiamq́; eius Eudoxiam nomine, quam sibi Eudoxia genuerat, in matrimonium accepit, & Romam rediit, Consulatu Isidori & Senatoris. Sequenti uero anno Theodosius Imperator Eudoxiam uxorem suam Hierosolymam misit, gratificos hymnos oblaturam Deo. Quæ plurima dona ecclesijs contulit, & adoratis tam sancta cruce, quàm colendis locis reuersa est ad regalia. Tricesimo deinde Imperij Theodosij anno, terræmotus magni facti sunt Constantinopoli per quatuor menses, ita ut timentes Byzantij extra ciuitatem in loco qui dicitur Campus essent perseuerantes, unà cum episcopo ad deum precibus & litanijs uociferantes. Quadam ergo die fluctuante terra, & omni plebe attentius clamante κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam omnibus uidentibus à diuina contigit uirtute sustolli quendam adolescentulum in aërem, & audiri diuinam uocem admonentem eum episcopo ac populo nunciare, ut litanias sic facerent & dicerent, Sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus immortalis, miserere nobis, nihil aliud apponentes. Proclus autem episcopus hac suscepta litania, præcepit populo sic facere, & statim terræmotus cessauit. Porrò beata Pulcheria super miraculo unà cum fratre supra modum admirata, sanxit per uniuersum orbem diuinum hunc psallere hymnum: ex tunc receperũt omnes ecclesiæ per singulos dies hunc canere deo. Per idem tempus piratæ multas insulas, præcipueq́; Siciliam, depopulati sunt. Inter hæc Litorius, qui secunda ab Aetio potestate Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aetij gloriam superare appetit, dumq́; aruspicum responsis & dæmonũ significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, ac primum magnam hostium stragem dedit. Postmodum suis penè omnibus trucidatis, ipse à Gothis turpiter captus est. Postremo pax cum hisdem facta est, cum eam Romani post huius lachrymabilis belli perniciem, humilius quàm unquam antea poposcissent. Aetio itaq; in Gallijs rebus quæ componebantur, intento, Gensericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesq́; opes eius, excruciatis diuersorum tormentorum genere ciuibus, in

Eudoxia Valent. nupta

Terræmotus diuturnus

Miraculum

Proclus epũs.

Piratarum licentia

Litorius pfligatus capitur
Gothi pacem Ro. dant
Gensericus Carthag. captam depredatur

ius suum uertit, nec ab ecclesiarũ despoliatione abstinens: quas sacris uasis exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca, sed suorũ iussit esse habitacula: in uniuersum captiui populi ordinem sæuus, sed præcipue nobilitati & religioni infestus, ut discerni omnino non possit hominibus magis an deo bellum intulisset. Igitur Carthago à Vandalis hoc modo capta est, annis quingentis octogintaquinque euolutis, postquàm Romano cœperat iuri parere. Deinde anno sequenti Gensericus ad Siciliam transiens, cum magnis eam calamitatibus affligeret, accepto nuncio de Sebastiano, qui ab Hispanijs ad Africam tenderet, celeriter Carthaginem redijt, ratus periculosum sibi ac suis fore, si uir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quàm hostem uideri uolens, dum de regis Barbari amicitijs improuise præsumeret, infelici morte peremptus est. Post hæc Imperator Theodosius bellum contra Vandalos mouit, Ariundo & Ansila atque Germano ducibus magna cum classe directis. Qui longis cunctationibus negocium differentes, Siciliæ magis oneri quàm Africæ præsidio fuere. Per hæc tempora Attila rex Hunnorum, uir fortis atq; superbus, dum cum fratre Bleba super Hunnos principaretur, Thracias & Illyricum sæua depopulatione uastabat, omnia castella & ciuitates in seruitutem redigens, præter Adrianopolim & Heracliam quæ quondam Perinthus uocabatur. Tunc exercitus Romanorum qui in Sicilia morabatur, ad defensionem orientalium prouinciarum reuertitur. Cogitur ergo Theodosius legationem Attilæ mittere, & sex milia librarum ei pro recessu præbens, mille librarum annuum tributum persoluere pollicetur. Sub his ferè diebus tam terribili terræmotu Roma concussa est, ut plurimæ ædes eius & ædificia corruerint. Britanni itaq; de quibus præmissum est, cum rursus Scotorum Pictorumq; incursibus premerentur, mittunt Aetio epistolam lachrymis erumnisq; plenam eiusq; quantocius auxilium efflagitant. Quibus dum Aetius minime annuisset, eo quod contra uicinos hostes occupatus existeret, quidam Britannorum strennue resistentes hos abigũt, quidam uero coacti hostibus subijciuntur. Deniq; subactam Picti extremam eiusdem insulæ partem, eam sibi habitationem fecere, nec ultra exin hactenus ualuerunt expelli. At uero residui Britannorum, dum continuo Scotorum impetus formidarent, ultra iam de Romanorum præsidio diffidentes, Anglorum gentem cum suo rege Vertigerno ad defensionem suæ patriæ inuitauere: quos tamen amicali societate exceptos, uersa in contrarium uice hostes pro adiutoribus impugnatoresq; sensere. Sequenti deinceps tempore gens Anglorum siue Saxonum Britanniam tribus longis nauibus aduehitur. Quorum dum iter prosperatũ domi fama retulisset, mittitur nihilominus exercitus multiplex: qui sociatus prioribus primum hostes propter quos petebatur, abigit: deinde in Britones arma conuertit: conficta occasione quasi pro se eis militantibus

Gensericus in Siciliã traijcit

Sebastianus occisus

Claßis contra Vandalos

Attila rex bellum infert

Attila pacem uendit

Picti sedes in Britannia figunt

Angli Britanniam subigunt

tibus, minus stipendia præparassent, totam propè insulā ab orientali eius usq; in occidentalē incendio uel gladio sibi subegit. At uero Theodosius cū absq; uno & uiginti superioribus annis, quos cum Honorio patruo regna uerat, septem & uiginti annis Imperium gessisset, ex quibus cum Valenti/niano genero uigintiquinq; trāsegit, apud Cōstantinopolim morbo obijt, ibiq; sepultus est. Fuit autem Theodosius sic sapiens, ut inter confabulan tes experimentum omnium crederetur habere causarum. Perdurabat in frigore, similiter & in æstu: plerunq; ieiunabat, & maxime quarta & sexta feria, studio Christianitatis: nec aliter quàm monasterium regalia uidebantur. Ipse namq; matutino ad suas sorores pergens, diuinas dicebat laudes. Quamobrem etiam sacras literas sine codice recitabat. Loquentibus episco pis uelut olim sacerdos factus ex diuina lectione respondebat. Aggrega/batq; sacros codices, & quodcunq; eorum interpretes seu expositores con/scripsisse uidebantur, plusquàm Ptolemæus studuerat Philadelphus. Pa/tientia nanq; & clementia uniuersis hominibus eminebat. Nam Iulianus Imperator, licet philosophus fuerit, non tamen Antiochensium portauit iniuriā: sed maxima Theodoro tormenta indignatus imposuit. Porrò Theodosius multum gaudens syllogismis Aristotelis, philosophiam exercebat operibus, iram, tristiciam, libidinemq; deuincens, & in nullo se ulcisci desiderans. Cum igitur à quodam familiarium interrogaretur, cur nullū se lædentium morti subijceret: Vtinam mihi, inquit, esset possibile ad uitam mortuos reuocare. Sic enim fuit clemens, ut si quando quispiam dignum aliquid morte committeret, nec usq; ad ciuitatis portas moriturus perueniret. sed ex eius clementia reuocatio sequebatur continuo. Dum aliquo tēpore ipse in amphitheatro Constantinopoleos spectaret, cœpit clamare populus: Crudeli bestiæ artifex parabolis pugnet. At ille: Nescitis, inquit, quia con sueuimus nos clementer spectare. Tantū enim pietate præcellebat, ut omnes quidem Deo consecratos honoraret, præcipue tamen quos audiebat ueneranda actione pollere. Fertur autem quod cum Constantinopoli episcopus Chebronensis fuisset mortuus, sagum eius ualde sordidissimū quæsierit, & eo circumamictus sit, credens aliquid se ex defuncti sanctitate promereri. Cum aliquando aëris tempestas esset, & ille circa populum spectaret, pleno circo tempestas uehementius agebatur, multo hymbre diffuso. Cumq; hoc fieret suam uoluntatem Imperator aperuit, fecitq; per præconem clamari: quod melius esset spectaculum contemnere, & omnes rogare deum, ut illæsi ab imminente tempestate seruarentur. Quo dicto cuncti populi magno gaudio supplicantes, hymnos concorditer offerebant, & tota ciuitas uelut una psallebat ecclesia. In medio autem eorum Imperator existens, priuato schemate properabat, nec spe sua frustratus est. Repente namq; aër ad serenitatem redijt, diuina clementia reuocatus, annum præbuit frugibus uniuersis uberrimum. Si quando bella mouerentur, secun/

Theodosij mores laudesq; eius

Theod. dictū

dum Dauid ad Deum confugiebat, sciens eum præliorum autorem, & inimicos orationibus superabat. Nec tamen iste uitijs carebat. Fuit enim mobilis omni uento circundatus, unde & in chartis non lectis se subscribebat.

Pulcheria

Interea beata Pulcheria nondum cuiquam fratris morte Theodosij Imperatoris comperta, Martiano accersito, in religione ac pudicitia conuersante, sene uidelicet & idoneo uiro, dicit ei: Quoniam Imperator mortuus est, & ego te elegi, tanquam beneplacentē ex omni senatu, da mihi uerbum quod custodias uirginitatem meam, quam deo commisi, & pronunciabo te imperatorem. Quod illo sacramento pollicente, accersito patriarcha Anatolio pariter & Senatu pronunciauit eum Imperatorem Romanorum.

DE GESTIS ROMANORVM
LIBER DECIMVSQVINTVS
MARTIANVS



NNO ab urbe condita M.CC.IIII. Theodosio defuncto Martianus quadragesimus octauus ab Augusto Orientali aulæ præficitur Imperator. Cæterum Valentiniani tempora, huius uel superioris Imperatoris curriculis adscribuntur. Igitur Valētinianus occidui rector Imperij, ea tempestate pacis fœdera cum Genserico rege Vandalorum firmauit, certisq; spacijs Africa inter utrosq; diuisa est. Gensericus uero dum de rerum successu tumidus etiam apud suos superbiret, ualida conspiratio aduersus eum facta est. Quorum molitione detecta, diuersis ab eo excruciati periere supplicijs. Horum siquidem funeribus non minus uirium amisit, q̃ si exuperatus belli certamine fuisset. Interea Rex Hunnorum Attila quum cum fratre Bleba regnum intra Pannoniā Daciamq; gereret, Macedoniam, Mœsiamq; & Achaiam, utrasq; etiā Græcias immanissima rabie, ut dictū est, deuastaret, Blebam germanū suū, regniq; consortē peremit, eiusq; sibi parere populos cōpulit. Fultus itaq; fortissimarū gētiū, quas sibi subiugauerat, præsidio, ad occidentale demoliendū animū intendit Imperiū: cuius exercitus septingentorū miliū numero ferebatur: uir in cōcussionem orbis in mundo natus, terrarū omniū metus prouulgatus. Erat nanq; superbus incessu, huc se atq; illuc circunferens, ut elati potentia, ipso quoq; motu corporis appareret: Bellorū quidē amator, sed manu temperans ipse, cōsilio ualidiss. supplicantib. exorabilis, propitius in fidē semel receptis: forma breuis, lato pectore, capite grandiori, oculis minutis, barba rarus, canis aspersus, simus naso, teter colore, originis suæ signa referēs. Erāt siquidem eius subiecti dominio, rex ille Gepidarū famosissimus Andaricus: Valamir etiā Gothorū regnator, ipso cui tunc seruiebat nobilior: fortissimæ nihilominus

Fines in Africa constituti

Attila fratrē necat

Attilæ copiæ

Attila qualis

Gentes sub Atilæ imperio

minus gentes, Marcomanni, Sueui, Quadi: præterea Heruli, Turcilingi, siue Rugi cum proprijs regulis, aliæq; præter hos barbaræ nationes in finibus Aquilonis commanentes. Horum omnium Attila superbus Imperio, quanquam robore facile se posse adipisci putaret, quod cuperet: tamen consilij astutia, quàm armorum fortitudine hostes aggredi satagebat. prævidens itaq; sagacitate qua callebat, non sibi fore tutum, si Gothi qui intra Gallias morabantur, Romanis iungerentur auxilio, amicum se Gothis simulans, aduersum Aurelianos urbem concitus pergit, regem Visigothorum sollicitare nisus, ut pariter cum eo Romanum inuadens Imperium, æqua sorte possideret. Ad Valentinianum uero Imperatorem legatione missa pacem simulat, ad ulciscendos Romanos de Gothis, & restituendas Reip. Gallias & Hispanias pergere se dolose denunciat. Sed Imperatorem doli eius minime latuerunt. Itaq; celerrime Theodoticum Visigothorum regem per Aetium patricium conueniens, in suæ partis fauorem traxit. atq; cum eodem patricio contra Attilam post uastatam ferè omnem Galliam Aurelianos iam obsidentem direxit. Nec mora, congregatis undiq; bellatoribus Aetius cum rege Theodorico & eius filio Thorismodo obuiam Hunnis fortissime pergit. Vbi conserta incredibili pugna, cui uix post hominum memoriam ullum simile prælium reperitur, uicere Romani, fugato Attila & Gothorum rege interfecto. Hoc certamen circa nonam diei horam cœptum, de utrisq; partibus centum octoginta milia occisorum dedit. Sed post modicum Valentinianus Augustus Aetium singularem populi Romani spem suis manibus, alienis autem fraudibus interemit, cum quo simul omnis fortuna & uirtus Hesperiæ corruit. Attila enim cótinuo resumpta fiducia cruentus Italiam petit. Aquileiam captam funditus eradit. Ticinum atque Mediolanum regias urbes excidit. Inde uastatis circumquaq; locis cum Romam quoque pararet irrumpere, Leo magnus Papa missu ad eum Valentiniani Imperatoris accessit: eumq; adeò mitem reddidit, ut ilico promissa pace firmissima, ultra Danubium non rediturus abierit. Continuo enim rebus humanis excessit, & humani generis diutinæ uexationi finem aliquando uel mortuus attulit. Gothi quoque non contenti prouintia, quam superius à Romanis habitandam penes Galliam acceperant, Aruernos & Narbonam cum suis finibus captos inuadunt, ruina uidelicet Romani status, & frequenti mutatione principum animati. Nam Valentinianus Imperator ab amicis Aetij, quos sibi delegerat satellites, interficitur: & Maximus quidam cuius dolo id perpetratum fuerat, Imperator creatur. Qui cum uiduam eius Eudoxiam Augustam inuitam suis nuptijs adegisset, illa Gensericum, ut dicitur, Africæ regem, ut mariti uindex aduenirét, inuitauit. Cuius aduentu Maximus uix altero Imperij sui mense comperto, cum passim nobilitas eius licentia, & populariũ cœtus ex urbe profugeret, ipse quoq; trepido animo sese parabat ad

Astus Attilæ

Theodoricus Ro. se iungit

Prælium memorabile

Theod. cadit

Aetius occisus

Attila in Italiam

Vrbes euersæ

Leo papa Attilam placat

Attilæ mors

Gothi imperium suum augent

Valent. interfectus

Maximus Imp. occisus

ad fugam. Sed à ministris regijs illico dilaniatus, & membratim dissectus, in Tiberim proiectus est. Gensericus, continuo uacuam præsidio ciuitatem capit: & occursu Leonis Papæ mitigatus, ab incendio cædibusq; atq; supplicijs urbem immunem seruauit: omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captiuorum milia cum Augusta Eudoxia & eius filiabus Carthaginem reuexit. Huius Papæ Leonis autoritate, & iussu Martiani principis, Chalcedonensis synodus celebrata est. Romæ post Maximi necem, Auitus suscepit Imperium: quod post modicum deponens, episcopus Placentiæ ordinatur. Apud Constantinopolim uero Martianus Imperator obijt, sexto Imperij sui anno, & sexto mense completo.

Gensericus urbem capit
Leo papa Gensericum mitigat
Chalcedonen. concilium
Auitus ex Imp. episcop.
Martiani mors

LEO



ANNO ab urbe condita M. CC. X. Leo quadragesimus nonus ab Augusto sortitur Imperium. Romæ uero post Auitum Maiorianus Cæsar effectus, quarto Imperij anno apud Dertonam Hispaniæ ciuitatem, fraude Seueriani occiditur. Qui tertio Imperij anno Romæ occubuit. In cuius locum à Leone principe missus Arthemius, sexto Imperij anno cum summa clade Romanæ urbis occiditur, succedente Olibrio: Quem Glicerius apud Rauennam sumpto imperio remouit: & ipse mox à Nepote priuatus, Portuensis episcopus ordinatur. Leo Imperator Orientis anno Imperij decimo sexto defunctus Zenoni reliquit imperium.

Maiorianus Imp. occisus
Seuerianus Imp.
Arthemius Imp. occisus
Olibrius Imp.
Glicerius ex Imp. episcop.
Nepos Imp.

ZENO



ANNO ab urbe condita M. CCXVI Zenon quinquagesimus ab Augusto imperat. Nepotem uero Cæsarem Orestes patricius imperio priuat, & filium suum Augustulum inperatorem creat. Sed continuo Oedoacer rex Turcilingorum & Rugorum peruasa Italia Romam capit quarta iam uice à conditione sua: & Augustulo Imperatore exiliato, ipse Romæ Tyrannice regnat: quem Theodoricus rex Gothorum missus à Zenone obsedit, cepit, interemit, & ipse Romæ consensu Zenonis Augusti regnauit.

Augustulus Imp.
Oedoacer rex Ro. capit
Theodoricus Romæ regnat

ANASTASIUS



ZENONI uero post sedecim annos mortuo, successit Anastasius, qui inimicos Chalcedonensis synodi fouens, orthodoxos persequebatur. Eodem tempore Romæ Symmachus & Laurentius discordantibus inter se ciuibus electi, & ex utrisq; partibus innumeræ strages & rapinæ patratæ sunt: pleriq; ex sacerdotali numero, multi etiã clericorũ, plures ciuium Ro. extincti sunt per tres circiter annos: usq; quo uidelicet Theodoricus princeps ueniẽs, tunc Romã tenẽs, quanq; Arrianus esset, synodo celebrata, locari Symmachum quidem episcopũ Romæ firmauit: Laurentiũ uero in Nucerina ciuitate locari episcopũ præcepit

Schisma cruentum

præcepit. Qui tamen nullo pacto quiescens, sed seditiones commouens, à Symmacho deponitur, & in exilium in Dalmatiam mittitur: & ita simultas cessauit. Eodem tempore Transamundus, qui fratri Honorio apud Africam in Vandalorum regnum successerat, fratris uel patris Genserici sequutus perfidiam, clausis catholicorum ecclesijs ducentos uiginti episcopos exilio relegauit. Quibus beatus Papa Symmachus quotidiana subsidia ministrare non destitit. Inter has tempestates beatus Fulgentius in confessione fidei & doctrina floruit. His ipsis apud Africam diebus, cum Arrianus quidam Olympus nomine in Elyanensium balneo lauaretur, indignáque quædam & blasphema de sanctæ Trinitatis fide uerba euomeret, ueniente subito desuper ignito iaculo uisibiliter combustus est. Cæterum Deuterius episcopus Arrianorum Byzantij baptizans quendam uirum Barban nomine, cum contra regulam fidei, minorem scilicet patre filium, sanctumq́ꝫ spiritum asserere cupiens, baptizaturus dixisset: Baptizo te Barbas in nomine patris per filium in spiritu sancto, statim aqua quæ ad baptizandum fuerat allata nusquam comparuit. Quod aspiciens qui baptizandus erat, confestim ad catholicam ecclesiam fugiens, iuxta morem fidei baptismum Christi suscepit, & omnibus notum fecit miraculum. Theodoricus uero dum per idem tempus pacifice apud Italiam regnaret, per singula quæqꝫ celebriora loca regia sibi habitacula construxit. Interea Sarracenorum incursus in Phœnicem & Syriam rursus effectus est, post mortem Agari Vadicarimo fratre eius instar turbinis, & adhuc uelocius discurrente per loca. Hoc etiam anno, id est, imperij Anastasij undecimo, Bulgares per Illyricum & Thraciam discurrunt, postquam agnoscerentur, eam crudeliter deuastabant. Constantinopolis etiam ipsis diebus maximo conflagrauit incendio. Deinde Neocæsarea: apud quam cum futurum esset, ut fieret terræmotus, miles iter faciens duos milites super eã uidit: & alterum militem post terga clamantem: Conseruate domum, in qua sepulchrũ Gregorij est. Cum autem terræmotus factus fuisset, plurima pars ciuitatis corruit, excepta domo Gregorij Thaumaturgi, id est miraculorũ operatoris. Interea Iuliana illustrissima fœmina, quæ templũ Dei genitricis apud Honoratas construxerat, ualde pro Chalcedonensi synodo satagebat, ita ut ei nec imperator quidem multas aduersus eam uersutias adinueniens, Timotheo communicare persuadere ualuerit: sed nec ipse Timotheus frequenter ad eam pergens hoc potuerit ei persuadere. Pompeiũ quoqꝫ consobrinũ illius, & eius uxorẽ, quæ mulier erat ornata, multis Imperator Augustus humiliabat, ut ablegaret ueneratores Synodi, & eos qui in exilio Macedonio episcopo largiebant̃ quæ necessaria erãt. Deinde quosdã ex principib. præcepit in tẽplo sancti Theodori Sparatij super ambonẽ Trisagij additamentũ admittere, id est, qui crucifixus est pro nobis: ita ut multitudines indignatæ per diẽ litanię illinc egrederent̃: quãdo & Timotheus per cõmentarium scriptum

Orthodoxi episcopi Africa pulsi

Fulgentius

Blasphemi pœna

Miraculum

Sarraceni Syriã incursant

Miraculum

Anastasius hæreticos fouet

ſcriptum omnibus eccleſijs præcepit Triſagion in litanijs dicendum cũm additamento: quod multi metuentes fecerunt. Monachi uero alium pſalmum pſallendo uenerunt. Hos autem populus uidens, clamauit: Beneuenerunt orthodoxi. Simultas etiam facta eſt multa, & incẽdium domorum multarũ, ac homicidia dena milia, turba uociferãte aduerſus Anaſtaſium, & Vitalianum Imperatorem petente, ita ut fugeret Anaſtaſius & latitaret, ab ipſaq; Ariadne laceraretur iniurijs, utputa multorum cauſa malorum Chriſtianis effectus. Alamundaro autem principe Sarracenorum gentis baptizato, Seueros duos epiſcopos macula ſuæ prauitatis infectos, direxit cauſa communicandi. Dei aũt prouidentia ille baptizatus erat ab orthodoxis, qui recipiebant conciliũ. Cumq; Seueri epiſcopi ſubuertere principem à uero dogmate feſtinarent, mirabiliter eos arguit Alamundarus huiuſcemodi fabula. Ait enim ad illos: Literas accepi hodie, quia Michaël Archangelus mortuus. Illis uero dicentibus, hoc impoſſibile fore, ait Princeps. Et quomodo Deus ſecundum uos nudus crucifixus, niſi naturarum eſſet duarum Chriſtus? quandoquidem nec angelus eſt moriturus. Et ita cum confuſione Seueri receſſerunt epiſcopi. Itaq; Vitalianus, quẽ populus Imperatorem expetierat, excepta tota Thrace, Scythia & Myſia, Bulgares habens ſecum & multitudinẽ Hunnorum, cepit Anchialũ & Odyſſopolim. Comprehendit autem & Cyrillum magiſtrum militum Thraciæ, & peruenit prædas gerendo Byzantium. Parcẽs uero ciuitati, apud Soſthenium caſtra metatus eſt. Anaſtaſius autem deſperatione conſternatus, mittit ex ſenatu quoſdam, rogans eum paciſci, & iurare unà cum Senatu, quod ab exilio reuocaret epiſcopos apud Heracleam Thraciæ. Porrò Vitalianus addidit ut & principes uniuſcuiuſq; ſcholæ iurẽt iſtud. Sed & Macedonius & Flauianus qui nequiter pulſi fuerant, ſuos reciperent thronos, ſimiliter & reliqui omnes epiſcopi, & ita celebraretur ſynodus Romana, & cunctis epiſcopis conuenientibus, cõmuni iudicio reprobarentur quæ aduerſus orthodoxos ſunt præſumpta. Itaq; cũ hęc Imperator ſenatus & reliqui principes populi iuraſſent, & cõfirmaſſet ita fiendũ, facta eſt pax & ad propria rediſt. Hormiſda uero Ro. epiſcopus, fatigatus à Theodorico Vitaliano fauente, Euodium epiſcopum miſit, & Vitalianum Archidiaconũ, ad ſynodum celebrandam apud Heracleam. Venerunt autem & epiſcopi ex diuerſis locis ferè ducenti, qui illuſi ab Imperatore, & Timotheo epiſcopo Conſtantinopolitano, receſſerũt inefficaces. Impius quippe Imperator pacta tranſgrediens, clàm intimauit Romano Papæ ne ueniret. Miſerat enim Vitaliano Sacram, quo traſmitteret eam Romam, ut papa proficiſceretur ad celebrandam ſynodum apud Heracleam. Omnis autẽ populus atq; ſenatus in præſentia maledicebat Anaſtaſio tanquam periuro. Porrò Vitalianus indignatus aduerſus Anaſtaſiũ ob periuriũ, multa mala exercitibus Anaſtaſij & reliquæ Reip. demonſtrauit, occidens, rapiens, armis exuens, & poſtremo

Alamundarus baptizatus

Vitalianus

Synodus apud Heracleam

Timotheus epiſcopus

ſtremo ad iniurias eius unumquenq; militum uno æreo nummo uendens. Interea Hunni, qui dicũtur Saber, tranſeuntes Caſpias portas, Armeniam & Capadociam, Galatiam & Pontum, depopulati ſunt, ita ut Euchaitam quoq; penè peruaderent. Vnde & fugiens Macedonius Epiſcopus propemodum periclitatus, ſaluatus eſt apud Gangras. Quo comperto Anaſtaſius, illic eum amare cuſtodiri præcepit, mittens ut aiunt qui eum occideret. Defunctus aũt apud Gangras, poſitus eſt in eccleſia ſancti martyris Callinici iuxta reliquias eius multas ſanitates efficiens. Qui cum exanimis iaceret, manu fertur ſe ſignaculo crucis ſignaſſe. Theodorus autem unus ex his qui cum eo erant, uidit eum in ſomnis dicentem ſibi: Excipe, abiens lege & dic Anaſtaſio. Ego quidem ad patres meos uado, quorum fidem ſeruaui: non ceſſabo autem increſcens domino, uſq; quo uenias & ingrediamur iudicium. Eodem anno Alexandriæ multi uiri ac mulieres & pueri atrociter à Dæmonibus obſeſſi repente latrabant. In ſomnis autem quidam uidit quendam dicentem, quia propter anathematiſmos ſynodi Chalcedonenſis patiuntur iſti. Viceſimo deinde & ſeptimo Imperij Anaſtaſij anno, uidit idem Imperator in uiſu uirum terribilem portantem codicem: qui hunc aperiens & inueniens nomen Imperatoris, dicit ei: Ecce propter malam fidem tuam deleo decem & quatuor. Et deleuit eos. Expergefactus autem, & aduocato præfecto Adamantio, dixit ei uiſionem. Et ego ait ille, uidi hęc iſta nocte, quia aſſiſtẽte mihi imperio tuo porcus magnus ueniens, & comprehenſa prætexta mea proiecit me in terram & interemit. Cõuocato ergo Proculo coniectore, dixit ei quæ uiſa fuerant. Qui quod ambo forent poſt paululum morituri prædixit. Anaſtaſius itaq; cum in hæreſi, in quam delapſus fuerat, perſeueraret, duasq; in Chriſto naturas deitatis uidelicet & humanitatis Eutychium hæreſiarchen ſequens denegaret: Hormiſda Papa qui Symmacho ſucceſſerat, direxit Euhodium Ticinenſem epiſcopum, aliosq; cum eo Conſtantinopolim cum Catholicæ fidei ſcripto, quatenus Anaſtaſium ad eccleſiæ gremium reducerent: qui non ſolum ſalubria eorum monita ſpreuit, ſed inſuper etiam à ſuis conſpectibus non ſine contumelia expulit, nauiq; fragili impoſitis mandat, ne uſpiam per totam Grçciam ad aliquam ciuitatum accederent. Quam eius impiam temeritatem diuina ultio continuo ſubſequuta eſt. Nam cum uiceſimum & ſeptimum annum Imperij ageret, mortuus eſt, & imperauit pro eo pius Iuſtinus, uir ſenior & multum peritus, qui à militibus incipiens, uſq; ad Senatum profecit. Quidam autem aiunt, quod diuino fulmine Anaſtaſius à fulgure perierit.

Hunni prouincias populantur

Macedonius epiſcopus

Arreptitiorũ multitudo

Somnium

Proculus coniector

Anaſtaſij contumacia

Anaſtaſij mors

IVSTINVS



NNO ab Incarnatione Domini D. X I. Iuſtinus Europalates Illyricus genere, uir catholicus, auguſtali potitus eſt ſolio. Ad hũc ob cauſam redintegrandæ fidei directus ab Hormiſda Pontifice, uir ſanctitate præcipuus, Germanus Capuanæ urbis Epiſcopus digne ſuſceptus

Germanus epiſcopus

sceptus est, multorumq; dubia corda in fide solidauit. Eo tempore apud A fricam defuncto Trasmundo Vandalorum rege, Arrianæ perfidiæ, Childericus eius filius ex Eudoxia captiua Valẽtiniani principis filia ortus Vandalorum regnum adeptus est: qui nõ patrem hæreticum, sed matris catholicæ monita sequens, cultor rectæ fidei enituit. Hunc pater Trasmundus ad mortem ueniens, quia tenebat eum catholicæ parti fauere, sacramenti nodis astringere curauit, ne unquam in suo regno catholicis faueret atq; consuleret. Qui mox ut suus genitor uita caruit, priusquam etiam regni iura assumeret, uniuersos quos Trasmundus in exiliũ coẽgerat regredi fecit, eisq; ecclesias reformare præcepit, septuaginta iam & quatuor annis euolutis, ex quo à Genserico auo suo primitus apud Africam ecclesiæ fuere destructæ.

Childericus rex

Tertio igitur Iustini principis anno moto bello inter Romanos & Persas, misit idem Iustinus legatos & munera ad Zelioben regẽ Hunnorum: & repromisit ille cum iuramento, se Imperatori contra Persas auxilium præstiturum. Mittentem aũt deinde ad se regem Persarum admisit, & suadenti promisit, etiam ipsi hoc præstiturum contra Romanos. Sanè Iustinus hæc ediscens tristatus est ualde. Porrò direxit Zeliobes ad Persas uiginti milia ad expugnandos Romanos. At uero Iustinus destinauit Chuadi regi Persarum legationem pro pace, & quasi super alio quodam scribens, etiam de Zeliobe significabat, quia opitulationis iuramenta cum Romanis habet, & quia munera accepit multa, & uult proditor Persarũ fieri. & quia oportet nos cum simus fratres, ad amicitiam uenire, & non à canibus istis illudi. Tunc Chuades accersiens secreto Zelioben, sciscitatus est si accepisset à Romanis munera hortatus eos aduersum Persas. Qui dixit: Etiam. Et iratus Chuades occidit eum, & per noctem missa multitudine Persarum, interfecit populũ eius, suspicatus quod dolo ad illum uenissent. Quotquot autem potuerunt fugere, redierunt ad propria. Quinto anno Imperij Iustini Zatus rex Lazorum recedens à regno Persarum, regnãte Cabade & Zatum amante, qui etiam illum in regem prouexerat Lazorum, uenit Byzantium ad Iustinum, & rogauit eum ut fieret Christianus, & ab ipso appellaretur Imperator Lazorum. At Imperator grandi cum gaudio illo suscepto, illuminauit eum & filium appellauit. Profectus autẽ Lazorum Imperator à Iustino, portauit coronam & chlamydem Imperatoriam albam. Quo comperto Cabades Persarum rex, significauit Iustino dicens: Quia cum amicitia & pax sit inter nos, quæ inimicorum sunt agis, & eos qui sub potestate Persarum erant à seculo, assumis. Qui remisit ei: Nos quenquam subiectorum imperio tuo neq; assumpsimus, neq; subuertimus, sed ascendens Zatus ad Imperia nostra procidens deprecatus est, ut ab scelesto & pagano dogmate, impijsq; sacrificijs, & errore dæmonũ liberaretur, & accederet ad creatorem omnium dominum, & fieret Christianus. Hunc nos baptizantes absoluimus ad propriam regionem. Ex tunc ergo facta est

Bellum contra Persas

Zeliobes rex

Chuades rex

Zeliobes interfectus

Zatus rex Lazorum baptizatur

amicitia inter Romanos & Persas. At uero in Orientis partibus, cum ad huc eo tempore per singula loca hæresis Arriana uigeret, Iustinus sexto Imperij sui anno, orthodoxæ fidei studio omnimodis satagere cœpit, ut hæreticorum nomen extingueret, statuitq; ut ubiq; eorum ecclesias catholica religione consecraret. Quod dum in Italia rex Theodoricus Arriana lue pollutus audisset, Ioannem Papam, simulq; cum eo Theodorum, Hypatium, atq; Agapitum consulares uiros, atq; Agapitum patricium Cōstantinopolim ad Iustinum principem misit. Mandat quoq; per eos, interminans, quod nisi quantocyus hæreticis suas ecclesias redderet, eosq; in pace degere sineret, uniuersos Italiæ populos ipse gladio extingueret. Qui peruenientes ad Augustum, cum ab eo ut dignum erat, suscepti essent, magnis eum de sua suorumq; salute solliciti fletibus postulant, ut suæ legationis seriem, quanquam esset iniusta, libenter exciperet, Italiæq; perituræ consuleret. Quorum fletibus Iustinus permotus, eis quod petebant concessit, Arrianosq; sui iuris reliquit. Dum hi in itinere demorantur, Theodoricus rabie suæ iniquitatis stimulatus, Symmachum Exconsulem ac Patricium, & Boëtium senatorem exconsulem, catholicos uiros, gladio trucidauit. His diebus extincto à Francis Alarico Visigothorum rege, Theodoricus per Hippam suum comitem plusquam triginta milia Francorū cædens, Thiodem suum armigerū post mortem Alarici generi, tutorem Athalarici constituit. Ioannes uero Pontifex reuertens à Constantinopoli cum quibus tum erat profectus, quum ad Theodoricum Rauennam uenisset: Theodoricus malitia commotus, quod eum Iustinus catholicæ pietatis defensor honorifice suscepisset, eum simul cum socijs carceris afflictione peremit. Sed hanc eius immanissimam crudelitatem, mox animaduersio diuina sequuta est. Nam post hoc facinus nonagesimo nono die subitanea morte defunctus est. Cuius animam solitarius quidam apud Liparam insulam, uir magnæ uirtutis, aspexit inter Ioannem Papam & Symmachum patricium deduci, & in ollam Vulcani, quæ ei loco proxima est, demergi. Igitur Theodorico tali modo punito, Gothi sibi Ahalaricum, de quo præmissum est, ex Theodorici regis filia procreatum, cum eadem Amalasuinta matre sua in regnum præficiunt. Interea Cabades rex Persarum, filius Perozi, multa milia Manicheorum cum episcopo eorum Indagaro uno die peremit, unà cum senioribus Persis qui consensus eorum erant. Filium enim eius nomine Phatuarsan Manichei à puero instruentes, repromittebant ei dicentes: Quia pater tuus senuit, & si contigerit eum mori, principes magorum unum fratrum tuorum faciunt Imperatorem, eo quod teneat dogma ipsorum. Nos autem possumus per orationes nostras suadere patri tuo abrenunciare Imperio, & te promouere, ut ubique confirmes dogmata Manicheorum. Qui repromisit hoc facere si imperasset. Cum autem hæc Cabades cognouisset, iussit conuentum fieri, quasi facturus filium suum Imperatorem

Theodoricus Arrianos contra Iustinum tuetur

Symmachus & Boetius occisi

Alaricus rex occisus

Io. papa in carcere perit

Theodorici subitanea mors

Visio

Athalaricus rex

Cabades rex Manicheos trucidat

peratorem: omnes iubens Manicheos unà cum episcopo eorum & mulieribus & liberis adesse conuentui: similiter & principem magorum Glonazen & magos, & Christianorum episcopum Boazanem, dilectum à Cabade ut medicum optimum. Et conuocatis Manicheis ait. Gaudeo super dogmate uestro, & uolo uobis dare dum uiuo filium meum Phatuarsan, ut cōsentaneum uestrum, sed segregate uosmetipsos ad recipiendum eum. Qui freti fiducia semetipsos segregauerunt. Cabades autem præcipiens exercitus suos ingredi, omnes cecidit gladijs cum episcopo eorum, sub conspectu magorum principis, & Christianorum Antistitis. Igitur terræmotus cum apud Antiochiam adhuc teneretur, Euphrasius episcopus obrutus est, & mortuus à terræmotu, & omnis domus & ecclesia cecidit, & pulchritudo ciuitatis exterminata est. Non enim facta est diuinitus talis ultio in alia ciuitate per omnes generationes. At pijssimus Imperator Iustinus his cognitis plurimum animo doluit, ita ut ablato diademate à capite suo & purpura, lugeret in sacco sedens per multos dies, adeo ut in die festo procedens ad ecclesiam, nō sit passus portare coronam uel chlamidem. Portò mense Aprili eiusdem indictionis ægrotus Imperator Iustinus effectus, prouexit dum adhuc uiueret, in Imperatorem Iustinianum filium sororis suæ, qui & coimperauit ei mensibus quatuor. Mense autem Augusto eiusdem indictionis quinto Iustinus obijt apud Constantinopolim, cum Augustalem dignitatem undecim annis administrasset.

Euphrasius episcopus terræmotu cum ciuitate sua perit

Iustini mors

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER SEXTVSDECIMVS

IVSTINIANVS



NNO ab incarnatione Domini D.XXI. Iustinianus solus Augustalem adeptus est principatum. Qui mox ut imperialia iura suscepit, ad reparandum Reip. statum animum intendit: ac primum per Bilisarium patricium, ingentem uirum, Persas aggressus est: qui transgressis Romanorum terminis, eorum regiones grauiter depopulabantur. Quos Bilisarius magnis prælijs fudit atq; ex uoluntate principis Constantinopolim triumphans ingressus est. Interea rex Herulorum Gethes nomine uenit Constantinopolim cum populo suo, & petit Imperatorem quo fieret Christianus. Qui baptizatum in Theophanijs suscepit eum ex baptismate, repromittentem auxiliari ei in quibuscunq; uoluisset. Eodem anno adhæsit mulier quædam Romanis, ex Hunnis qui dicuntur Saber

Bilisarius de Persis triumphat

Gethes rex baptizatus

ber, nomine Boazer, uidua, habens secum Hunnorum centum milia. Tum & Rex Hunnorum qui sunt iuxta Bosphorum nomine Gorda, accessit ad Imperatorem: & factus Christianus susceptus est ab Imperatore: & multis ei præstitis donis, misit eum in regionem ipsius ad custodiēdas Romanas res & Bosphorū ciuitatem, quæ pro eo quod Romanis per singulos annos boues pro pecunijs inferebat, Bosphorus appellata est. Locauit autem & militum Romanorum numerum, & tribunorum, custodire ciuitatem, propter Hunnos, & exigere tributa boum. Promulgauit autem formam de Episcopis & Oeconomis, & orphanotrophis, & Xenodochijs, ne hæreditate possiderent, nisi quę priusquam proueherentur habuisse probarentur, de quibus & testamentū emittere possent. Ab hac uero hora qua promoueretur, neminem habere licentiam disponendi, sed omnia ipsius uenerabilem domum hæreditari. Et exposuit Imperator leges ualidas contra libidinosos, & multi puniti sunt, & factus est timor multus & cautela. Renouauit etiam contrarias leges, faciens singularē Codicem, & uocans eum Nouellas Constitutiones: in quibus non permittit principem in locis, quibus præest, emere possessionem, aut ædificare domum, aut hæreditari extraneam personam, nisi qui sibi cognatus existat. Eodem anno passa est à diuina indignatione rursus Antiochia post duos annos prioris passionis: & factus est terræmotus magnus, & tempestas grauissima: & litanias faciebant qui remanserant, omnes discalciati clamantes: κύριε ἐλέησον. Apparuit autem in uisu Dei cultori homini, ut diceret omnibus residuis, quod superscriberent in superliminaribus suis: Christus nobiscum, state. Quo facto stetit ira Dei: & rursus Imperator & Augusta multas pecunias donauerūt in recuperationem & ædificationem Antiochensium ciuitatis, quam cognominauit Theopolim. Porrò duodecima Calendarum Aprilium septimæ indictionis, irruit Alamundarus Zetices regulus Sarracenorum, & deprædatus est Syriam primam, usque ad terminos Antiochiæ, in locum qui dicitur Lithargū: & occidit multos: & incendit exteriora Chalcedonis. Et audientes primores Romanorum, exierunt aduersus eos. Quo comperto, Sarraceni unà cum Persis sumpta seu captiuis, uel præda, fugêre. Præterea Samaritæ & Iudæi in Palæstina Imperatorem quendam Iulianum coronantes, & arma contra Christianos mouentes, rapinas homicidia & incendia operati sunt, quos deus tradidit in manus Iustiniani, & interemit eos, & decollauit Iulianum tyrannum. Tertio namque Imperij sui anno Iustinianus Imperator promulgauit legem, ut non essent Pagani, nec hæretici, nisi soli orthodoxi Christiani, datis illis inducijs usque ad menses tres ad conuersionem. Interea Atalaricus Rex Gothorum, cum necdum expletis puericiæ annis regnasset, immatura morte præuentus, uitæ subtractus est. Cuius mater Amalsuinta post eius funus Theodatum sibi adsciuit in regnum. Sed Theodatus idem collati sibi immemor beneficij post

Gorda rex baptizatus

Bosphorus

Leges Iustiniani

Terræmotus

Alamundarus Syriam deprædatur

Iulianus tyrānus à Iudæis factus decollatur

Lex tollens paganos & hæreticos

Theodatus rex Amalasuintam uxorē perimit

Agapitus papa legatus

dies aliquot eam in balneo strangulare præcepit. Et quia ipsa, dum adhuc uiueret, se suumq́ꝫ filium commendarat principi, audita Iustinianus Augustus eius morte, graui mox aduersus Theodatū iracundia exarsit. Sentiens se Theodatus infensum habere principē, beatum Papam Agapitum Constantinopolim misit, quatenus ei apud Iustinianum facti impunitatem impetraret. Qui sanctus pontifex cum Iustinianū principē adisset, facta cum eodē de fide collocutione, reperit eū in Eutychetis dogma corruisse. A quo pridē graues minas beatus antistes perpessus est. Sed cū illius incōcussam in fide Catholica se inuenisse constantiā cerneret: siquidē adhuc usq́ꝫ progressum fuerat, ut talia à præsule audiret: Ego ad Iustinianū Imperatorem Christianissimū uenire desideraui, sed nunc Diocletianum inueni: tandem ex uoluntate Dei eius monitis acquiescens, ad Catholicę fidei cōfessionem, pariter cū multis qui simul desipiebāt, reuersus est. Anthimū quoq́ꝫ eiusdē regiæ ciuitatis episcopum, præfatæ hæreseos defensorem, conuictū publice cōmunione priuauit, ac persuaso principe in exiliū coēgit. Nec multo post idem Pontifex apud eandem urbem obijt. Septimo deinde Imperij Iustiniani anno, facta sunt Vandalica bella. Episcopus autem quidam Orientalis partis terruit Iustinianum Imperatorem, ex Deo sibi uisionē factam, iubentem sibi ad Imperatorē accedere, & postulare Christianos qui erant in Libya liberare à tyrānis. Quibus imperator auditis, retinere mentem ultra non potuit, sed tam exercitū q̄ꝫ naues circūdedit armis, & uictualia præparauit: Bilisariumq́ꝫ in procinctu esse præcepit, in Libyam prætorē mittendum, quem & prætorē Imperator principaliter in omnibus statuit. Erat autem cum eo & Procopius harū rerum conscriptor. Traijcientes aūt à Regia urbe, abierunt Abydum. Bilisarius aūt curabat, quatenus uniuersus stolus simul nauigaret, & in prælium idem ipsum diuerteret. Cumq́ꝫ ad Siciliam peruenissent, misit Procopium conscriptorem Syracusam, si forte inueniret quosdam, qui se in Libyam ducerent. Ipse uero stolo accepto ad Caucanam properauit uillam, ducentis à Syracusa stadijs differentem. Procopius uero Syracusam ingressus escas emit, consequutus inopinate uirum, qui sibi fuerat à puero amicus: quí que habens experimentum Libyæ locorum, & maris itineris, tres tantum dies transierant, ex quo Carthagine uenerat: & asseuerabat omnem securitatem illos habere, & non metuere quenquam eorum, quod aduersus se mouerent exercitus: ita ut quatuor mansionibus malis Gelimer moraretur. Hunc ergo assumptum Procopius ad Caucana perueniens, Bilisario præsentauit. & exijt in quoddam prædium, aggeremq́ꝫ ac uallum profundum facientes, castrametati sunt. Vbi & cum locus inaquosus esset, uallo effosso terra protulit aquam, ad omnem utilitatē animātibus & exercitibus. Sequenti uero die populus ad prædam prorupit. Prætor aūt his accersitis, hęc ad eos loquutus est. Violentiā quidē inferre, alienisq́ꝫ pasci iniustitia est in omni tēpore, maximeq́ꝫ nobis in periculis

Bellum Vandalicum

Procopius historicus

Castra in Africa posita

culis constitutis. Ego enim in hoc fisus, uos in hanc terram transuexi, ut iusticia & opere bono tam Deum placemus, quàm Afros ad nosmetipsos adtrahere procuremus. Hæc autē uestra intemperantia in contrarium nobis proueniet, & aget ut Afri Vandalis auxilientur. Sed acquiescentes uerbo meo, ementes escas apportate, & neque iniusti esse uideamini, neq; amicitiam Afrorum in inimicitiam conuertatis, sed Deum potius studete placare, cessate insilire in aliena, & lucrum excutere periculis plenum. Mittens autem Bilisarius electum exercitum, urbem sine labore comprehendit. Nocte enim ad eam accedentes, & unà cum introeuntibus plaustris rusticorum ingredientes, hanc obtinuerunt, & cum dies factus fuisset, tam sacerdotem, quàm huius ciuitatis primos captantes ad Prætorem destinauerunt. Bilisarius itaque Carthagine capta, commonebat milites dicens. Videte commilitones, quàm prospera facta sint nobis, quomodo sobrietatem erga Afros ostendimus. Videte & honestatem in Carthagine conseruate, & ne quis quenquam opprimat, nec quicquam ipsius surripiat. Cum enim multa mala fuissent à Vandalis Barbaris uiris perpessi, Imperator noster misit nos eis ad libertatem donandam. Hæc commonens Carthaginem introiuit, & ascendens palatium in Gelimeris solio sedit. Ad quem negociatores Carthaginis uenerunt, & quotquot iuxta mare manebant, queritantes se rapinam à classibus pertulisse. At uero Caloninum nauium principem iuramento constrinxit, quatenus omnia quæ rapta fuerant apportaret, & proprijs dominis redderet. Qui defraudans ex eis & periurans, non post multum uindictam exoluit. Nam extra sensum effectus, suam ipsius linguam comedens obijt. Ita uero Prætor sine tumultu urbem possidebat, ut nec iniuriam cuiquam inferret homini, nec in foro quenquam obserare domum contingeret, sed ementes milites manducabāt. Eos uero Vandalos qui ad sacra confugerant, fide præstita educebat. Murorum uero ciuitatis diligentiā exhibebat, cum antea per negligentiam ruerēt. Porrò dicebant & uetus uerbum Carthagine dictum, uidelicet, Gamma persequebatur Beta, nunc Beta Gamma, quod uidetur esse perfectum. Prius enim Gensericus Bonifacium insequutus est, nunc uero Bilisarius Gelimerem. Præterea tot pecunias multitudo reperit, quot in nullo loco unquam esse contigerat. Denique Romanorum principatum depopulantes, pecunias multas in Libyam transtulerunt. Et quum ipsa ciuitas & regio optima & fœcunda esset, pecuniarum reditus eis effecti sunt multi. Nonaginta quippe & quinque annis Vandali Libyam tenuerunt. At cum multas diuitias collegissent, in illa die in manus Romanorum omnes diuitiæ redierunt. In tribus enim mensibus, cum pugnasset Bilisarius, id est, à Calendis Septembribus usque ad Calendas Decembrias, totam Libyam subdidit. Misit autem Ioannem Armenium cum ducentis electis persequi Gelimerum, donec eum uiuum aut mortuum comprehenderent. Qui præ

Carthago capta

Periurij pœna

Africa intra tres menses subacta

occupans Gelimerem comprehensurus erat, nisi res contigisset huiusmodi. Vliares quidam ex Bilisarij armigeris erat cum Ioanne, qui uino inebriatus in reprobum sensum uenit. Videns autem auem super arborem sedentem, tenso arcu iecit aduersum auem, & auem quidem consequutus non est, Ioannem uero retro in ceruicem percussit. Qui plagatus mortuus est, multum luctum tam Imperatori Iustiniano, quàm Bilisario & cunctis Romanis & Carthaginensibus derelinquens. Taliter Gelimerus aufugiens illa die ad Maurusios properauit. Quem Bilisarius persequutus in paruo monte in nouissimis Numidiæ circumclusit, hunc obsidens per hyemem, deficientibus ei omnibus necessarijs. Panis enim apud Maurusios non fit, neque uinum, neque oleum, sed far & hordeum immaturum, ut irrationabilia animalia comedunt. Hos incidens Gelimerus, scribit ad Pharan, quem Bilisarius ad custodiendum eum dereliquerat, ut mitteret sibi citharam & panem unum, & spongiam. Pharas autem hæsitabat quidnam esset hoc, donec qui detulerat epistolam dixit, quia panem desiderat uidere Gelimer, non uidens panem ex quo ascendit in montem, spongiam autem propter oculos non lotos, ac per hoc læsos, quatenus hos synceros spongia reddat. Porrò citharam ut calamitatem lamentetur & defleat. His auditis Pharas condolens, & fortunam humanam deplorans, secundum eius scripta faciebat, & multa ei misit, quæcunque Gelimer egebat. Præterea cum hyems transisset, metuens Gelimer obsidionem Romanorum, & cognatorum misertus filiorum, qui uermes in obsidione & miseria fecerant, dissolutus est mente, & scripsit ad Pharan, quod fidei uerbo recepto, ipse & qui secum essent, ad Bilisarium properarent. Quo hoc certum iureiurando reddente, assumptis omnibus Carthaginem uenit: Bilisarius autem hunc grauiter accepit. At uero Gelimer ridendo ad Bilisarium introiuit. Quem alij quidem superfluitate passionis excessisse quæ sunt naturæ, delirúmque suspicabantur effectum. Amici uero huius & sagacem hominem hunc esse cogitabant, & cum fuerit rex, & regij generis, & uirtutem ualidam pecuniásque magnas habuerit, quomodo in fugam uersus est, & multa mala pertulit, & nunc ut captiuus ductus est, nihil que præter multum risum, dignáque hominum arbitratu circa eum esse perhibebantur. Bilisarius autem eum cum principibus omnibus Vandalorum non in dehonoratione custodiebat, ut ad Imperatorem Iustinianũ Byzantium duceret. Cyrillo uero statim Bilisarius cum capite Zatinonis fratris Gelimeris in Sardum insulam misso, hanc primum Romanis subegit. In Cæsaream uero quæ est in Mauritania Ioannem alium destinauit, quæ triginta dierum itinere à Carthagine distans, penes Gadira & solis occasum iacet. Aliúmque Ioannem ex protectoribus unum, in fretum quod est in Gadiris, & in castellum quod Septum uocant, direxit. Porro in insulas quæ iuxta oceanũ sunt, Maioricam scilicet & Minoricã, Apollinarium destina

Io. Armenij casus

Maurorum uictus

Gelimer se dedit

Sardinia subacta

Cæsarea

Septum

destinauit uirum bonum. Misit autem & in Siciliam quosdam Afrorum, & castrum Vandalorum comprehendere iussit. Gothi quoque, qui hoc custodiebant, matri Athalarici hæc nota fecerunt. Quæ scripsit ad Bilisarium, ne idem castrum tyrannice obsideret, quousque Imperator Iustinianus sciret, & quod sibi uisum esset efficeret. In his ergo Vandalicum bellum finem accepit. Verum inuidia, ut in magna felicitate fieri contingit, etiam in Bilisarium cecidit. Quidam enim derogauerunt ei penes Imperatorem, quod tyrannidem meditaretur. At Imperator misso Salomone tentat Bilisarij uoluntatem, utrum cum Gelimere & Vandalis ueniret, an manens eos illuc transmitteret. Bilisarius autem Byzantiũ profectus est, Salomone prætore apud Libyam derelicto. Cumq; Bilisarius unà cum Gelimere & Vandalis peruenisset, magna præmia percipere meruit, quibus nimirum temporibus priscis Romanorum in maximis uictorijs digni efficiebãtur. Sexcentis enim annis actis nemo ad talem peruenit honorem, nisi Titus, Traianus, & alij Imperatores, qui magistratus contra Barbaricas nationes obtinentes, mirabiliter triumphauerunt. Exuuijsq; ostensis ex bello mancipijsq; in media urbe pompis hæc publicauit: quod triumphum Romani uocant: sic ueteri quidem modo, sed pedestri incedens, in domum suam usque ad Hippodromum. Erant autem exuuiæ quicquid administratorio principis ordini competebat, id est, throni aurei, & essedæ, quibus regum uxores uehebantur, ornatus etiam de lapidibus preciosis compositus, argenti quoque multa milia talentorum, & diuersorum imperialium uasorum, quæ Gensericus despoliato Romano palatio in Africam tulit, inter quæ erant & Iudæorum uasa, quæ Titus Vespasianus filius post captam Hierosolymam Romam detulerat. Mancipia uero erant ex triumpho, ipse Gelimer uestimentum quoddam portans purpureum, & cognatio eius uniuersa. Vandalorum quoque quotquot ualde prolixę staturæ ac boni corporis erant. Cumq; Gelimer in Hippodromum peruenisset, & tam Imperatorem supra tribunal sedentem, quàm ex utraque parte uulgus astans uidisset, non quiescebat clamans: VANITAS uanitatum, & omnia uanitas. Pertingentem autem eum iuxta Imperatoris Tribunal, purpura eius ablata pronum cadere, & adorare Imperatorem coegerunt. At uero Imperator Gelimeri prædia in Galatia multa contulit & amœna, & cum omnibus suis cognatis in his habitare permisit. Verum in ordinem patricij non prouexit, eo quod ab Arrij secta discedere minime consentiret. Salomone præterea Remp. moderante, Maurusij prælium aduersus Afros mouerũt. Porrò Maurusij ex gentibus descendũt, quas Iesus Naue ex regione Phœnicum à Sidone ad Ægyptum usq; habitantes abegit. Qui peruenientes Ægyptũ, & nõ recepti ab eis, ad Libyã ueniunt, & hanc inhabitantibus eis, nouissimo tempore Imperatores Ro. terrã obtinẽtes hanc, Hoen nominauerunt, statuẽtes titulos duos supra magnũ fontẽ ex lapidibus cãdidis con-

Bilisarius affectatæ tyrannidis insimulatus

Salomon Africæ præficitur

Præda Vandalica in pompa traducta

Mauri bellum inferunt

Maurorum origo

Inscriptio cauos habentes literas Phœniceas dicentes hæc. Non sumus qui fugimus à facie Iesu latronis, filij Naue. Erant autẽ & aliæ gentes in Africa primum indigenæ, habentes regem Asclepium, qui Herculi conregnauit, quem terræ filium esse asseuerauerunt, qui Carthaginem condiderunt. Salomon autem à Carthagine sumptis exercitibus contra Maurusios properauit. Qui in fugã uersi, & in præcipitia se demergentes semetipsos interficiunt. Mortui uero in hoc bello sunt Maurusiorum quinquaginta milia, Romanorum uero nullus penitus. Quin nec ictum quisquam eorũ ullum accepit, sed prorsus omnes incolumes uictoriam consequuti sunt. Plurimi uero principum ipsorum Romanis adiuncti sunt. Virorum, mulierum atque puerorum tantam multitudinem Romani ceperunt, ut ouis unius precio seruum Maurusium emere uolentibus uenundarent. Et tunc eis uetus eloquium cuiusdam diuinæ fœminæ contigit, quæ maledicens eis sic ait: Multitudo eorum à uiro sine barba peribit. Salomon quippe à puero eunuchus præter uoluntatem est effectus, præ passione genitales partes amittens. Porrò tota Libya recepta Carthaginem redijt. Præterea uere incipiente missus est Bilisarius Siciliam Romanis facere tributariam. Vbi eo hyemante Romani Libyæ contra Salomonem simultates fecerunt hoc modo. Acceptis enim interemptorum uxoribus Vandalorum, habebant & agros eorum ut suos, & soluere pro eis tributa nolebant imperatori. At uero Salomon commonebat eos dicens, ne contradicerent imperatori, sed huic omnia quæ deliberata fuissent, penitus redderent. Ceciderunt autem quidam eorum, maxime Gothorum in Arrij sectam, quos sacerdotes ecclesiæ segregabant, & nec liberos eorum baptizare uolebant. Vnde & in die Festo simultas facta est. Conciliati sunt uero milites Salomonem in templo perimere. Qui hoc audito, suadebat eis à seditione recedere. Quod non post pauca obtinuit. Porro dum Agapitus Romanus pontifex, qui à Iustiniano principe pacem Theodato postularat, apud Constantinopolim obijsset, Iustinianus Bilisarium patricium multis iam prælijs gloriosum aduersus Theodatum dirigit, ut etiam Italiam à Gothorum seruitio liberaret. Bilisarius itaque dum aliquantum temporis apud Siciliam moram faceret, rex Gothorum Theodatus extinctus est. Huius in locum Vithegis successit: qui mox ut regnum inuasit, Rauennam profectus Amalasuintæ reginæ filiam per uim auferens sibi in matrimonium iunxit. Conceptas ergo contra Theodatum Bilisarius belli uires in Vithegim conuertit: egressusque de Sicilia ad Campaniam, Neapolim adijt. Quem Neapolitani ciues noluerunt excipere. Qui indignatus acriter ad eiusdem urbis expugnationem totis se uiribus erexit. Quam aliquantis fortiter impugnatam diebus, tandem per uim capiens ingressus est: tantaq; non solũ in Gothos, qui ibi morabantur, sed etiã in ciues ira desæuijt, ut non ætati, nõ sexui, postremo non sanctimonialibus, uel ipsis etiam sacerdotibus parceret. Viros in conspectu coniugum

Victoria mirifica

Salomon seditionem compescit

Bilisarius ad Italiam liberandã missus

Vithegis rex

Neapolis capta ac deuastata

coniugum, miserabile uisu, perimens, superstites matres ac liberos captiuitatis iugo abduxit, cuncta rapinis diripiens, nec à sacrosanctis ecclesijs expoliandis abstinuit. Indeq; egrediens Romam properauit. Quo Romam ingresso, Gothi qui in Vrbe morabantur, noctu egressi, relictis patentibus portis Rauennam confugiunt. Vithegis ut talia comperit, mox aduersum Bilisarium Romam cum ingenti exercitu uenit. Bilisarius autem non aptum sibi bellandi tempus conijciens, intra urbis mœnia se clausit, eamq; munitionibus circumsepsit. Gothi uero urbem obsidentes uniuersa per circuitum direptionibus & incendijs absumunt. Quoscunque Romanos reperiunt, gladio extinguunt, cuncta loca sacra denudantes, ipsis etiam uenerabilium martyrum tumulis manus impias inferunt, continue urbem impugnant. Sed cauta Bilisarij industria defensatur. Præter belli instantiam angebatur insuper Roma famis penuria. Tanta siquidem per uniuersum mundum eo anno, maximeq; apud Liguriam fames excreuerat, ut sicut uir beatissimus Dacius Mediolanensis antistes retulit, pleræq; matres infelicium natorum comederent membra. Cumque per annum continuum Gothi Romam obsedissent, demum territi Rauennam redierunt. Bilisarius uero sedulo à Papa Syluerio acriter increpatus, cur tanta ac talia homicidia Neapoli perpetrasset, tandem correptus & pœnitens, rursus proficiscens Neapolim, & uidens domus ciuitatis depopulatas ac uacuas, tandem reperto consilio recuperandi populi, colligens per diuersas uillas Neapolitanæ ciuitatis uiros ac mulieres domibus habitaturos immisit, id est, Cumanos, Puteolanos, & alios plurimos Liguria degentes & Playa, & Sola, & Piscinula, & Locotrocula, & Summa alijsq; uillis: Necnon Melanos, & Surentinos, & de uilla quæ Stabij dicitur, adiungens uiros ac mulieres: simulq; & de populis Cimiterij adiunxit. Non post longum tempus rursum pugnaturus cum Vandalis in Africam pergens, uictoriam de eis adeptus est. Ex quorum reliquijs Africæ terræ captiuorum, nec non Siciliæ & Syracusæ ciuitatis, simulq; ciuitatum Calabriæ, id est Maliti, Consentię, uillarumq; earum populos atque totius Apuliæ colligens depopulatam impleuit. Tamen sæpissime in collectione populorum de singulis urbibus uenientium solet accrescere stultiloquium, ac propterea annualiter illis dirigebat Prætor Siciliæ uirum nobilem ac sapientem qui iudicaret & discerneret ea quæ illi minime sciebant. At uero Bilisarius Neapolim ordinatam relinquens, Romam ingressus est. Statim'que ei à Theodora Augusta præceptio allata est, ut Papam Syluerium conuictum accusatione falsorum testium in exilium truderet, eo quod Anthimum hæreticum Constantinopolitanum episcopum recuperatione recipere noluisset. Quod Bilisarius licet nolens nihil moratus effecit. Pulsus denique est Papa Syluerius ad Pontiam insulam, in qua & exulans obijt. Vithegis uero coacto rursus in unum magno Gothorum exercitu cum Bilisario conflixit,

Bilisarius Romam ingreditur

Roma à Gothis per annũ obsessa

Dacius episcopus

Fames

Neapolim noui coloni deducti

Theodora Augusta

Syluerij Papæ exitus

factaq;

factaq; maxima suorum cæde in fugam conuersus est. Quem Ioannes ma gister militum, cognomento Sanguinarius, noctu fugientem persequens ui uum comprehendit, Romamq; ad Bilisarium adduxit. Patrata Bilisarius uictoria Constantinopolim rediit, secum Vithegim deferens. Quo uiso Iu stinianus ualde lætatus est, eiq; non multo post patricio effecto admini strationem Persarum tribuit terminos. Ibiq; Vithegis degens uitam fini uit. Bilisarius uero dignis euectus honoribus, iterato ad Africam aduersus Vintarith mittitur, qui Vandalos rursus sollicitans apud eos regnauit. Qui ut Africam attigit Vintarith sub dolo pacis ilico peremit, residuos Vanda lorum Reip. iugo substrauit. Exinde Bilisarius uictor Romam uenit, aure am crucem centum librarum, preciosissimis gemmis exornatam, in qua su as uictorias descripserat, beato Petro per manus Papæ Vigilij obtulit. His ipsis temporibus apud Cassinum post solitariam uitam sancto degens cœ nobio stupendus beatissimus Benedictus, nec minus futurorum præscius, radiabat uirtutibus. Hac etiam ætate gens Longobardorum amica tunc populi Romani apud Pannonias degebat, quibus in regni gubernaculo Audoin præerat. Is eo tempore cum Turisendo Gepidarum rege confli gens, per Alboin filium suum iuuenem strenuum uictoriam nactus est. Denique inter ipsas Alboin sese acies Thurismodum Turisdeni regis fili um appetentem alacriter aggressus extinxit. Perturbatisq; hac occasione Gepidis, suis uictoriam peperit. At uero apud urbem Romam Papa Vi gilius ob eandem quam & antecessor suus causam indignationis Augustę, per Anthimum Scribonem ductus Constantinopolim, indeq; in exilium actus est. Capto itaque Vithegi, Gothi transpadani Ildebaldum sibi re gem constituunt, qui eodem anno perimitur. Cui successit Eutarius, & ipse necdum anno expleto iugulatur. Dehinc Baduillam, qui & Totila diceba tur, sibi in regnum præficiunt. Moxq; collecto undiq; exercitu uniuersam Italiam inuadit. Exinde per Campaniā, & uiri dei Benedicti patris cœno bium iter faciens audire ab eo talia meruit. Multa mala facis, multa fecisti, iam ab iniquitate compescere. Equidem mare transiturus es, Romam in gressurus, nouem annis regnabis, decimo morieris. Dein à monasterio de scendens, per Lucaniam ac Brutiorum fines Rhegium proficiscens, nec mo ra Siculum transgressus fretum Siciliam inuadit. Indeq; reuertēs Romam petiit, eamq; obsidionibus cinxit, Quæ tantam famis penuriam passa est, ut præ magnitudine inopiæ natorum suorum carnes comedere uellēt. Fes sis nimium Romanis, nec ualentibus mœnia tueri, Totila porta Ostiensi urbem ingressus est. Qui parcere Romanis cupiens per totā noctem clan gere buccina iussit, quo se à Gothorum gladiis aut in ecclesiis tuerentur, aut quibuscunq; modis occulerent. Habitauitq; aliquantū cum Romanis, qua si pater cum filiis. Hanc illi, ut conijci datur, animi benignitatem, qui nimiæ ante crudelitatis extiterat, beati patris Benedicti monitio, quem olim adi erat,

Vithegis uictus, capitur — *Vintarith occiso Vandali perdomiti* — *Crux aurea* — *Benedictus abbas* — *Longobardi Gepidas uincunt* — *Vigilius papa exulat* — *Ildebaldus rex* — *Eutarius rex* — *Totila rex* — *Benedicti uaticinium* — *Totila Romā recipit*

erat, contulit. Elapsi sanè aliqui è numero senatorũ, Constantinopolim properant afflicti. Quibus calamitatibus subijceretur Roma, Augusto narrãt. Qui statim Narsen eunuchum cubicularium suum Exarchum Italiæ fecit, Romam cum manu ualida misit, ut afflictæ Romæ quantocyus subueniret. Is ad Italiam ueniens cum Longobardis fœdus inijt, & ad Alboin legatos dirigit, quatenus ei pugnaturo cum Gothis auxiliũ ministraret. Tũc Alboin electa è suis manu, direxit qui Romanis aduersum Gothos suffragium ferrent. Qui per maris Adriatici sinum transuecti sociati Romanis, magnum cum Gothis certamen iniere. Quibus ad internitionem penè consumptis, regem Totilam, qui ultra decem annos iam regnauerat interfecit, & uestimenta eius cruenta, cum corona lapidibus preciosis exornata misit in regiam urbem, & iactata sunt ad pedes imperatoris coram Senatu. Deinde urbes eorum munitas duas capiens, Veronam & Brixiam, & Romanam ciuitatem, uniuersamq; Italiam, ad Reip. iura reduxit, & Longobardos honoratos multis muneribus ad propria remisit, omniq; tempore, quo Longobardi possederũt Pannonias, Romanæ Reip. aduersus æmulos adiutores fuerunt. Interea Salomon Libyæ commorans, uniuersos muros ciuitatis illius munijt: & quoniam Maurusij discesserunt à Numidia uicti, Zaben regionem atq; Mauritaniam, & Sitiphim metropolim sub tributo Romanis effecit. Alterius enim Mauritaniæ Cæsarea prima metropolis est. Interea Iberum rex Zamanardus nomine Constantinopolim ascendit ad Iustinianum imperatorẽ cum uxore ac senatoribus suis, rogans eum ut esset Romanorum concertator, & germanus amicus. At impertator huiusmodi proposito eius accepto, multis eum & senatores eius munificentijs honorauit. Similiter & Augusta uxori eius uariata gemmis ornamẽta donauit, & dimiserunt eos pacifice ad regnum suum. Octauo anno imperij Iustiniani, passa à diuina indignatione Pompeiopolis Mysiæ: scissa est terra à terræmotu, & obrutum medium ciuitatis cum habitatoribus: & erant subtus terram, & uoces eorum audiebantur clamantium, ut sibi misericordia præstaretur. Et multa donauit imperator ad educendos & adiuuãdos, uiuentesq; liberaliter iuuit. Eodẽ anno tradidit Iustinianus ad psallendum in ecclesia, illud quod canitur: Vnigenitus filius & uerbum dei. Anno imperij Iustiniani duodecimo, moti sunt Bulgarũ duo reges, Vulger & Droggo, cum multitudine in Scythiam & Mysiam, cum esset magister militum Mysiæ Iustinus, & Scythiæ Blandarius. Qui exeuntes, cõtra Bulgares inierunt prælium, & occisus est magister militum Iustinus in bello, & factus est pro eo Constantinus Florentij, quem suscepit Imperator ex sacro baptismate: & in medium missis Bulgaribus conciderunt eos, & occiderunt multitudines copiosas, & receperunt omnem prædam, & uicerunt potenter, occisis duobus regibus eorum. Eodẽ anno cepit Chozroës rex Persarũ magnam Antiochiã Syriæ. Anno decimotertio Imperij Iustiniani, sociatus est Ro-

Narses Exarchus Italiæ

Longobardi Romanis auxiliares

Totila cũ exercitu cæsus

Verona & Brixia captæ Italia recepta

Mauritania Sitiphensis tributaria

Zamanardus rex Ro. amicus ac socius

Pompeiopoleos clades

Bulgarũ duo reges occisi

Antiochiã capta à Persis

Mundus est Romanis Mundus ex genere Gepidum deriuatus. Anno imperij Iu-
Chozroes stiniani decimoquarto Chozroës rex Persarum in Romanorũ terras quar-
tum fecit ingressum, quem Bilisarius ab Hesperijs ueniens, sapientia sua in-
efficacem redire coegit ad propria. Anno decimoquinto imperij Iustini-
Hypapante ani mẽse octobre, facta est mortalitas Byzantij. Et eodẽ anno Hypapante
domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Byzantium, secunda die Fe-
bruarij mensis. Anno decimosexto imperij Iustiniani, contigit debella-
re inuicem reges Azumitensium Indorum & Iudæorum ex causa huiusmo
Azumitarum contra Homeritas bellum di. Azumitensium rex ultra Ægyptum est iudicans. Romanorum autẽ ne-
gociatores per Homeritensem ingrediũtur Azumitensem, & ad interiores
partes Indorum atq; Æthiopum. Negociatores autem secundum consue-
tudinem ingressi sunt terminos Homeritarum. Damianus eorum rex occi-
dit illos, & abstulit omnia eorum dicens: quoniam Romani malefaciunt
Iudæis, qui in regione sua sunt, & occidunt eos. Et ex hoc soluerunt nego-
ciationem interiores Indorum Azumitę. Et indignatus est Azumitensium
rex Adad mittens Homeritensi: quia læsisti regnum meum & interiorem
Indiam, prohibens mercatores ad nos ingredi. Et uenerunt in inimicitiam
magnam, & inierunt bellum in alterutrum. Et cum pugnaturi essent, Adad
Azumitensium rex uotũ uouit dicens: quia si uicero Homeritensem, Chri-
stianus efficiar, quia pro Christianis pugno. Omniq; operatione uicit po-
tentissime, & accepit captum uiuum Damianum regem eorũ, & regionem
Adad rex fit Christianus ipsorum, & regna. Gratiasq; referens Adad rex Azumitensiũ, misit ad Iu-
stinianum imperatorem, ut acciperet episcopum & clericos, & doceretur, &
fieret Christianus. Et gauisus est super hoc Iustinianus plurimum, & iussit
eis dare quemcunq; uoluissent. Et elegerunt ijdem legati cum curiose quæ-
sissent, Mansionarium sancti Ioannis Magnæ Alexandriæ uirum uenera-
bilem & uirginem, nomine Ioannem, qui sexaginta & duorum erat anno-
rum, Quo suscepto, abierunt in propriam regionẽ ad Adad regem suum.
Et ita crediderunt Christo, & illuminati sunt. Anno decimoseptimo im-
Terræmotus uniuersalis perij Iustiniani, factus est terræmotus magnus in uniuerso mũdo. Eodẽq;
anno apparuit quidam ex regione Italorum, per uillas discurrens, nomine
Andreas circulator Andreas, habens secum canem ruffum & cæcum, qui iussus ab eo faciebat
miracula. Cum enim staret ipse in foro, & turba incircuitu adesset, clàm eo-
dem cane deferebantur astantiũ annuli aurei & argentei & ferrei, & pone-
bantur in pauimento: Quos ille cooperiebat, & præcipiebat cani, & tollebat
& dabat unicuiq; suũ. Similiter & diuersorũ Imperatorũ numismata mixta
porrigebat p nomina. Sed & præsto turba astãte uirorũ scilicet & mulierũ,
ostendebat in utero habentes, & fornicarios, & adulteros, & auaros, & ma-
gnanimos: ostendebat omnes cũ ueritate. Vnde dicebãt, quia spiritũ habet
Inundatio maris Pythonis. Anno imperij Iustiniani decimooctauo, diffusum est mare per
Thracem miliarijs quatuor, & cooperuit eam terrã circa partes Odyssei &
Dionysi-

Dionysiopoleos:& multi necati sunt in aquis,& iterũ præcepto restitutum est mare idem in loca sua. Anno imperij Iustiniani decimooctauo facta est inopia frumenti,uini & olei,ac pluuia magna. Et factus est terræmotus magnus Cõstantinopoli,& euersio die sancto Paschæ. & cœpit uulgus abstinere à carnibus mense Februario,die quarta. Imperator aũt pręcepit alia hebdomada carnẽ apponi:& omnes carniũ uẽditores occiderũt & apposuerũt,& nemo emebat aut edebat. Porro Pascha factũ est,ut imperator iussit,& inuẽtus est populus ieiunãs hebdomada superflua. Anno uicesimo primo imperij eius facti sunt terræmotus magni & pluuiæ, mortuaq; Theodora Augusta. Similiter & sequenti anno facta sunt fulgura & tonitrua, ita ut dormientes ex tonitruo læderentur,atq; incendia penes Byzantium.

Ridiculum

Anno imperij Iustiniani uigesimotertio,legatus Indorũ uenit Constantinopolim ducẽs elephantẽ,& ingressus est Hippodromũ. Mense aũt Martio exilijt elephas è stabulo noctu, & interfecit multos, alios uero debilitauit. Porro Iunio mense facta sunt encęnia sanctorũ apostolorũ apud Constantinopolim,& recondita sunt λείψανα Andreæ & Lucæ apostolorum: & transijt Menas episcopus cũ sanctis λειψάνοις sedẽs in carruca aurea Imperatoria lapidibus insignita,tenens tres thecas sanctorũ apostolorũ in genibus suis,& ita encęnia celebrauit. Anno uigesimo septimo imperij Iustiniani, factus est terribilis terræmotus Constantinopoli, & per alias urbes, qui tenuit dies quadraginta. Et paulatim homines cõpuncti sunt, litaniam agentes & frequẽtantes,atq; in ecclesijs cõmanentes. Cumq; multa misericordia dei facta fuisset,homines ad peiora delapsi sunt. Fit autẽ memoria terræmotus huius per singulos annos,in campo litaniã populo agente. Vicesimooctauo imperij Iustiniani anno, facta sunt tonitrua & fulgura horrenda,& uentus Africus terribilis,ita ut caderet crux quę stabat intra portã Rhesij. Anno uigesimonono imperij Iustiniani,seditionẽ cõcitauerũt Iudæi & Samaritæ Cæsareæ Palæstinæ, & facti quasi in ordine Prasino & Veneto, irruerũt in Christianos eiusdẽ ciuitatis, & multos interfecerũt,& ecclesias cõbusserũt,& Stephanũ ipsius ciuitatis præfectũ in prætorio peremerunt,& substantiã eius diripuerũt. Vxor uero illius fugiens in urbẽ,adijt Imperatorẽ,rogans Adamantiũ magistrũ militũ descendere in Palæstinã, & occisionẽ exquirere Stephani. Qui ueniẽs eorũ quos reperit,alios suspendit,alios decollauit,alios uero debilitauit & publicauit. Et factus est timor magnus in omnibus partibus orientalibus. Tricesimo imperij Iustiniani anno apparuit in cœlo cometa ardens quasi species lanceæ, à septentrione usq; ad occidentẽ. Tricesimo primo imperij Iustiniani anno,factus est terræmotus horribilis ualde,qualẽ nullus hominũ memorabat in generatione illa super terrã effectũ. Cõcutiebatur enim terra nocte ac die dieb. decem, postea cessauit. At uero Imperator nõ gestauit coronã per dies decẽ. Sed & sancta CHRISTI natiuitate absq; illa processit in ecclesiã,ita ut etiã prandia

Elephas adductus

Menas episcopus

Terræmotus diuturnus

Procella

Iudæorum apud Cæsareã tumultus

Cometa

Terræmotus horribilis

dia, quę ex more fiunt in decem & nouē accubitus, cessare faceret, & eorum expensas egenis tribueret. Eodem anno ingressa est gens Byzantium inopinata, eorum qui dicuntur Auares, & tota ciuitas cucurrit ad uisionē eorum, tanquā qui nunquam uiderint huiusmodi gentē. Habebant enim retrorsum comas prolixas ualde atque perplexas, iunctas prandeis: reliquus uero uestitus eorū similis erat cæterorū Hunnorum. Isti fugientes ex regione sua uenerūt in partes Scythiæ ac Mysiæ, & direxerūt ad Iustinianū legatos petentes ut reciperentur. Tricesimo uero secundo imperij Iustiniani anno, ædificatus est trullus magnus ecclesiæ Constantinopolis, & exaltatus plusquam uiginti pedibus in superioribus, supra ædificium quod antea fuerat.

Auares

Anno tricesimo tertio imperij sui cœpit Imperator ædificare pontē Agoreos fluminis, conuertens eundē amnem in aliū alueum, uoluitque arcus mirabiles quinque, & fecit eum meabilem, cum antea ligneus fuerit. Anno tricesimo quarto imperij Iustiniani diffamatū est apud Constantinopolim quod mortuus esset imperator. Venerat enim à Thrace & neminem uidebat. Ergo plebes rapuerunt subito panes ex locis in quibus fiebant & uendebantur, & circa horam tertiā non inueniebatur panis in tota urbe. Clausa quoque sunt ergasteria, & susurrabat palatiū, quia nemo ex Senatu uidebat Imperatorē, eo quod dolorē capitis pateretur. Et ex hoc crediderunt quod esset defunctus Imperator. Interea circa horam uesperi fecit Senatus Consilium, & miserunt præfectū, & fecit luminaria in tota urbe, quoniā sanus factus est imperator. Eugenius qui fuerat pręfectus detraxit Georgio & Etherio curatoribus, quasi uoluissent Theodorū facere Imperatorē filium Petri magistri. Cumque fuisset causa quæsita, & nullatenus cōprobata, in iram incidit imperatoris Eugenius, & domus eius publico fisco collata est. Facta est autē mortalitas uasta in Cilicia & Anazarbo, & Antiochia magna, nec non & terræmotus, & cōgressi sunt aduersus alterutrū orthodoxi & Seueriani, & multa homicidia facta sunt. Et misso Imperator Zimarcho comite Orientis inhibuit inordinatos, & multos in exilium misit, & publicauit, & membris debilitauit. Anno tricesimoquinto imperij Iustiniani, uigesimo quinto die Nouembris mensis sero, insidias meditati sunt quidā ut occiderent imperatorē. Erant autē Ablauius & Marcellus pecuniarū uenditores, & Sergius. Meditatio aūt eorū erat huiusmodi. cū sederit in Triclinio sero, priusque licentia detur, occidant eum habentē homines suos sibi cooperantes intus absconditos in silentiario & angulo incurij, ut cū facta fuerit machinatio turbationē faciant. Porro Ablauius etiam aurū accepit à Marcello argenti uenditore libras quinquaginta, ut sibi cooperaretur. Sed deo uolente fisus est Ablauius Eusebio Exconsule, qui erat comes fœderatorū, & Ioanni Logothetę dicens: Quia hodie uesperi uolumus Imperatorē aggredi. Qui cū hoc nunciassent Imperatori, tenuit eos, & inuenit eos ferētes absconditos gladios. Et Marcellus quidē argenti uenditor spe frustratus, exempto gladio

Trepidatio

Calumniæ pœna

Seueriani cū orthodoxis pugnant

Insidiæ imperatori structæ

gladio quem portabat, dedit sibi tres ictus in triclinio cōprehensus, & moritur. Sergius autē fugit ad Blachernas. Quo educto & interrogato persuasum est ei confiteri, quod & Isacius argenti uenditor, & Bilisarius gloriosissimus patricius, conscij fuerint huiusmodi machinamenti, & Vitus pecuniarum uenditor, & Paulus curator, eiusdem Bilisarij consilium sciuerint. Qui comprehensi & traditi Procopio præfecto, confessi sunt & dixerunt de Bilisario. Qui mox factus est Imperatoris sub ira. Multi uero & fuga usi sunt. Interea quinta die mensis Decembris fecit Imperator silentium, adducens Eutychium Patriarcham, & iubens eorum recitari confessiones. Quo audito, Bilisarius ingenti est mœrore grauatus. Et mittens Imperator comprehendens omnes homines eius, & ipsum domi sedere præcepit custodiendum. Interea uicesima die mensis Decembris capta sunt quædam Africæ à Mauritanis insurgentibus aduersus Africam, ita. Chutinas quidam nomine, ex ipsa gente Exarchus Mauritanorum, habebat consuetudinem accipiendi à principe Africæ certam quantitatem auri, qui per tempus erat. Cumq; uenisset ut acciperet illud, Ioannes princeps Africæ occidit illum. Porrò insurrexerunt filij Chutinæ, uindicantes paternum acceptum, & erecti contra illam, cœperunt eius partes aliquas deprædare. Imperator itaq; hoc agnito, misit in auxilium Martianum magistrum militum, nepotem suum, cum exercitu ad pacificandos Mauros, & confluxerunt ad eum. Sicq; pace potita est Africa. Eodē anno Imperator quibusdā perturbatoribus Constantinopolim concitantibus pollices abscidit, eorū duntaxat, qui cum gladijs pugnauerunt. Nonadecima uero die mensis Martij, dimissus est Bilisarius patritius, receptis omnibus dignitatibus suis. Eodem anno uenerunt legati Ascelti regis Hermetianorū, qui positus est intra Barbarorum gentem iuxta oceanum, Constantinopolim. Iustinianus imperij sui anno trigesimo septimo perrexit causa orationis ad Mirangulos, id est Germanicias urbem Galatiæ. Nouembri uero mense introiuit Byzantiū Arethas patricius & princeps Sarracenorum, debita deferre Imperatori filiorū suorum, & debiti gratia, ut scilicet post obitum suum teneret principatū tribus suæ. Tricesimooctauo Imperij sui anno Iustinianus de corruptibili & incorruptibili dogmate cōmonēs, edicto ubiq; alieno à pietate transmisso, deo præoccupante defunctus est: cum imperasset trigintaocto annis, mensibus septem, & diebus decem, & efficitur ei huiusmodi successor, Iustinus Europalates.

Bilisarius in custodia

Chutinas occisus

Martianus Africā pacat

Bilisarius è custodia dimißus

Asceltus rex

Arethas

Iustiniani mors

IVSTINVS IVNIOR

ANNO ab incarnatione Domini D.LVIII. Iustinus Imperator, nepos Iustiniani, coronatur ab Eutychio Patriarcha. Erat autem natione Thrax, magnanimus, ad omnia prosper. Habebat autē & uxorem Sophiam nomine, quam & coronauit Augustam. Cum autem esset pius, adornauit ecclesias, quas Iustinianus ædificauerat, tam uidelicet magnam ecclesiam, & sanctos apostolos, quàm ecclesias & monasteria, do-

Sophia Augusta

nans eis thesauros & omnem reditum. Eratq; orthodoxus ualde, & misit Photinum monachum, priuignum Bilisarij patricij, dans ei potestatē contra omnē causam & personā, pacificans ecclesias uniuersas Ægypti & Alexandriæ. Anno uero secundo imperij Iustini Etherius & Auitus, ac medicus qui cum ipsis erat, insidiati sunt eidem Imperatori Iustino. Qui cogniti interfecti sunt gladio. Tertio imperij Iustini anno, accersitis Sophia pijssima Augusta pecuniarum uenditoribus & notarijs iussit deferri cautiones debitorum & breues, & præbuit eos debitoribus, & reddidit dominis suis. Et laudata est super hoc magnopere ab uniuersa ciuitate. Anno uero imperij Iustini septimo, Romani ac Persæ pacem corruperunt, & iterum Persicum renouatum est bellum, eo quod Homeritæ in dilectione ad Romanos miserint, & Imperator Iulianum magistrū cum Sacra destinauerit ad Archetam regem Æthiopum per Nilum fluuium ab Alexandria & Indico mari. Qui receptus est ab Archeta rege Æthiopū cum gaudio magno, appetente nimirum amicitiam Romanorū Imperatoris. Enarrabat autem cum redisset idem Iulianus, quod quando receperit eum rex Archeta, nudus esset, habens circumcincturam, & in lumbis linea uestimenta auro contexta. Circa uentrē uero portauit indumēta scissa cum margaritis preciosis, & in brachijs quinos circulos, & aureas armillas in manibus suis: in capite autem pannū gemmatum, habens ex utroq; ligamēto plectas quatuor, & torquem aureum in collo suo: & stabat super quatuor elephantes stantes, & habentes iugum & rotas quatuor, & superius currum uelatum petalis aureis, ut sunt principum currus: & stans supra illos ferebat scutum paruissimum rotundum, & duas lanceolas aureas, & Senatus omnis eius erat cum armis, canentes modulationes musicas. Introductus autem legatus Romanorum cum adorauisset, iussus est erigi & adduci ad se. Cum autem suscepisset Imperatoris Sacram, osculatus est signaculū, quod habebat pectusculum Imperatoris. Susceptis autem & muneribus, gauisus est ualde. Porrò cum legisset Sacram, inuenit ut se contra regem Persarū armaret, & proximorum sibi Persarum perderet regionem, & ulterius cum Persis fœdera non iniret. Protinus ergo collecto exercitu rex Archetas coram legato Romanorum aduersus Persas prælium mouit, subiectos sibi Sarracenos præmittens. Profectus autem & ipse ad regionem Persarum, depopulatus est omnia quæ in illis locis erant. Tenens autem rex Archetas caput Iuliani, & dans ei pacis osculū, dimisit eum in multa beneuolentia, multis muneribus. Porro facta est & alia causa, quæ turbauit Chozroēn. Hunni quippe per illud tempus, quos Turcos dicere cōsueuimus, legationem dirigunt ad Iustinum, per Alanorum regionem mittētes. Hoc timens Chozroēs, excusationem prætendebat rebellionem Armeniorum in se factam, per accessum quo Iustino adhæserant. Sed & profugos repetebat. Impendebat enim Romanorum Imperator per singulos annos quingentas libras auri, ut castra

Insidiatores Imperatoris interfecti

Debitorū remißio

Bellū Persicū

Iulianus in Aethiopiam profectus

Cultus Archetæ regis Aethiopum

Turcorum legati

Chozroes rex

lit castra quæ loco proxima erant Persæ custodirent, ne ingressæ gentes utranq; Remp. destruerent, communibusq; sumptibus castella muniebantur. At uero Iustinus pacem dissoluit, asserens opprobrium esse Persis soluere tributa Romanos. Propterea locum magnum hoc Persarũ & Romanorum reperit bellum. Porro Iustinus Martinum patricium & cognatum suum Prætorem creans Orientis, contra Persas direxit. Octauo imperij sui anno Iustinus infirmatus est, & contristatus aduersus Biduariũ fratrem suũ, & hunc iniurijs lacerauit. Nouissime uero præcepit cubicularijs pugnis cæsum educere illum in cõspectu concilij Senatorum. Erat enim comes imperialium stabulorum. Quo comperto Sophia tristata est, & cõquesta Imperatori. Qui se pœnituit, & descendens ad eum in stabulũ, introiuit subito cum præposito cubiculariorũ. Biduaris autem uiso Imperatore, fugit à loco in locum per superiora præsepis præ timore Imperatoris. At Imperator clamabat. Adiuro te per Deũ frater mi, expecta me. Et cum cucurrisset, tenuit eum, & amplexatus osculatus est eum dicẽs: Peccaui tibi frater mi, sed suscipe me, ut fratrem tuum primum & Imperatorem. Ex diabolica enim operatione noui quod factum sit hoc. Qui cecidit ad pedes eius & flens ait. Veraciter domine potestatem habens, ueruntamen in præsentia Senatus deformasti seruum tuum, modo domine his rationem redde. Et ostendit ei equos. At uero Imperator rogauit eum secum mãducare, & pacificati sunt.

Martinus cõtra Persas

Eodem uero anno factum est bellum circa Sagarthon Romanorum atque Persarum magnum, & uicerunt Romani. Nono anno imperij Iustini Hormisda rex Persarum Arimardanem ducem Persarum ordinans misit in Romanorum regionem depopulari, qui prẹda multa capta reuersus est. Quo comperto Iustinus consternatus mole calamitatis, capti sensus languorem incurrit, & pactum facere Hormisdam petit. Qui fieri annum consentit. Iustinus Imperator Tiberiũ comitẽ excubitorũ sibi faciens, Cæsarẽ appellauit, & cõsessorẽ suũ cõstituit tam in hippodromis q; in ædibus insignibus. Erat enim Imperator pedibus captus, & per hoc magis in lectulo iacens. Anno undecimo imperij sui construxit Iustinus magnum aquæductũ Valentis, & largitus est urbi dapsilitatẽ aquarũ. Anno duodecimo imperij sui Iustinus imperator Synagogã Iudẹorũ, quæ erat Constantinopoli in Chalco, precijs ablatã ab eis, fecit ecclesiã dominæ nostræ sanctẹ dei genitricis, quæ proxima est magnæ ecclesiæ. At uero Imperator infirmatus, & pauxillũ à languore dimissus, aduocauit tam Eutychiũ Pontificem & Senatũ, q; omnes sacerdotes & ciues, & adducto Tiberio Cæsare, palàm omnibus appellauit eum Imperatorem, his sermonbus usus. Ecce deus qui benefecit tibi, hũc habitũ dedit tibi, nõ ego. Honora illũ, ut tu quoque honoreris ab illo. Honora matrẽ tuam, quæ aliquãdo domina tua fuit. Nosti q; primũ seruus eius fueris, nũc aũt filius. Ne gratuleris in sanguinib. ne cõmunices homicidio, nec malũ pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ

Persæ prælio uicti

Hormisda rex

Arimardanes

Induciæ

Tiberius Cæsar fit

Verba Iustini ad Tiberium

similis mihi efficiaris. Ego enim ut homo culpaui. Etenim culpabilis factus sum, & recepi secundum peccata mea, sed causam habebo cum his, qui hoc mihi fecerunt, ante tribunal Christi. Non eleuet te habitus, quemadmodum me. Sic attende de omnibus, sicut tibi. Scito quis fueris, & quis modo existas. Ne superbias, & nõ peccabis. Nosti quis fuerim & quis factus sim, extiterim & existam. Omnes isti filij tui sunt & serui. Scis quod pro uisceribus meis honorauerim te. Hos tu cum uideas omnes, quæ Reip. sunt, uides. Intende militi tuo, nec milites suscipies ad prandia, ne dicant tibi quidam, quia decessor tuus cõuersatus est: hæc enim dico à quibus passus sum. Qui habent substantias fruantur eis. His uero qui non habuerunt, dona. Et facta oratione à Patriarcha, cum dixissent omnes, Amen: cecidit Cæsar ad pedes Imperatoris, & dixit ei: Si uis, non sum. Et Imperator: Deus ait, qui fecit cœlum & terram, ipse omnia quæ dicere oblitus sum in cor tuum mittat. Porrò dum hæc prosequeretur Imperator, replebat lachrymis totum collegium. Quod cum solutũ fuisset, dona subditis impertitus est, & quæcunq; in Imperatoris appellationibus moris existunt. Hic Iustinus in initio imperij sui bonus fuit, post in omnem auariciam incidit, id est, exemptor pauperum, Senatorum expoliator. Cui tanta cupiditatis fuit rabies, ut archas iuberet ferreas fieri, in quibus quæcunq; rapiebat auri talenta congregaret. Huius imperij anno undecimo, qui est annus diuinæ incarnationis DLXVIII indictione prima in ipsis Calen. April. egressi sunt Longobardi de Pannonia, & secunda indictione cœpere prædari in Italia, tertia uero indictione dominari cœperunt in Italia.

Tiberius fit imperator

Longobardi in Italia

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER DECIMVSSEPTIMVS

TIBERIVS



ANNO incarnationis Domini DLXXI. Imperare cœpit Tiberius coronatus ab Eutychio Patriarcha, cũ esset ipse genere Thrax. cumq; imperare cœpisset, clamabant partes: Anastasia Augusta tu uincas, salua domine quos imperare iussisti. Audiens autem Sophia Iustini coniunx, perculsa est animo. Volebat namq; nubere Tiberio, & permanere Augusta: nesciebat enim quod haberet uxorem. Quidam autem dicebãt quod & in uita Iustini adamicata ei fuerit, & ipsa persuasit Iustino ut eum Cęsarem faceret. Verũ Tiberius timens duxit Anastasiã uxorẽ suam, & coronauit eam Augustã, & iactauit rogam multã. Erat autẽ Tiberius, iustus, utilis, strenuus, sapiens, in eleemosynis largus, in iudicio iustus, in uictoria clarus, nullũ despiciẽs, sed omnes in bona uolũtate cõplectens. Hic cum multum

Anastasia Augusta

Tiberij laudes

multum de thesauris, quos Iustinus aggregauerat, pauperibus erogaret: Sophia Augusta frequentius eum increpabat, quod Remp. redegisset in paupertatem dicens. Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus dispergis. Aiebat autem ille. Confido in domino, quia non deerit pecunia fisco nostro; tantum ut pauperes eleemosynas accipiant, aut ut captiui redimantur. Hoc est magnus thesaurus, dicente domino: Thesaurizate uobis thesauros in cœlo, ubi neque erugo, nec tinea corrumpit, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ergo de his quæ dominus tribuit, demus pauperibus, & cõgregemus thesauros in cœlo, & dominus nobis augere dignabitur in seculo. Quadam autem die deambulans per palatium, uidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua erat crux domini sculpta, & ait: Cruce domini nostri frontem nostram & pectora munire debemus, & ecce eam sub pedibus calcamus. Et hoc dicto citius iussit ipsam tabulam auferri, defossaque tabula atque erecta inueniunt subter & aliam hoc signum habentem. Qui & ipsam iussit auferri. Qua amota inueniunt & tertiã. Iussuque eius cum hæc fuisset ablata, inueniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumque aurum pauperibus adhuc abundantius quàm consueuerat largitur. Narses quoque patricius Italiæ cum multis thesauris ab Italia ad supramemoratam urbem aduenit: & ibi in domo sua occulte cisternam fodit magnam, in qua multa milia centenariorum auri argentique deposuit. Interfectis autem omnibus consciis, uno tantũmodo seni hæc pro iuramento ab eo exigens commendauit. Defuncto quoque Narsete supradictus senex ad Tiberium Cæsarem ueniens dixit: Si mihi aliquid prodest, magnam tibi rem Cæsar dicam. Cui ille respondit: Quid uis? proderit enim tibi, si quid nobis profuturum esse narraueris. Thesaurũ, inquit, Narsetis reconditum habeo, quem in extremo uitæ positus, celare nõ possum. Tunc Tiberius gauisus, mittit usque ad locum pueros suos: præcedente uero sene, hi sequuntur attoniti: peruenientesque ad cisternam, deopertam ingrediuntur: in qua tantum auri argentique repertum est, ut per multos dies uix à deportantibus posset euacuari. Quæ ille penè omnia secundum suum morem erogatione largiflua dispensauit egenis. Denique & cum Roma temporibus Benedicti Papæ uastantibus omnia per circuitum Longobardis, famis penuria laboraret, multa milia frumenti nauibus ab Ægypto dirigens eam suæ studio eleemosynæ releuauit. Hic cum Augustalem coronam accepturus esset, eumque iuxta consuetudinem ad spectaculum Circi populus expectaret, insidias ei præparant alii aduersarii, ut Iustinianum Iustini nepotem in dignitatem imperatoriam sublimarent. Ille per loca sancta procedens ibat. Dehinc uocato ad se pontifice urbis cum Coss. ac præfectis ingressus palatium, indutus purpura, diademate coronatus, throno imperiali impositus, & immensis laudibus in gloria regni est confirmatus. Quod eius aduersarii audientes, nihilque ei, quia in Deo spem suam posue-

Thesaurus repertus

Narsetis thesaurus

posuerat, nocere ualentes, magna sunt cōfusione & pudore cooperti. Transactis autē paucis diebus, adueniens Iustinianus pedibus se proiecit Imperatoris, ob meritū gratiæ quindecim auri centenaria deferens. Quē ille secundum patiētię suæ ritū colligens, sibi in palatio assistere iussit. Sophia quoqꝫ Augusta immemor promissionis, quā quondā in Tiberiū habuerat, insidias ei tentauit ingerere. Procedēte autē eo ad uillā, ut iuxta ritū imperialem triginta diebus ad uindemiā iocundaretur, uocato clàm Iustiniano, uoluit eum sublimare in regno. Quo cōperto Tiberius cursu ueloci Constantinopolim rediit: apprehensamqꝫ omnibus thesauris spoliauit, solū ei uictum quotidiani alimenti relinquens, segregatisqꝫ pueris eius ab ea, alios de fidelibus suis posuit qui ei parerent, mandauitqꝫ prorsus, ut nullus de anterioribus ad eam haberet accessum: Iustinianū uero uerbis solūmodo obiurgatū, tanto in posterū amore dilexit, ut filio eius filiā promitteret suā. Sed hęc res nescio ob quā causam minime ad effectum peruenit. Secundo imperij sui anno, misit rex Tiberius ad regē Persarū secundū morem suū, nuntians promotionem suā. Quo pacē non admittente, Tiberius magnas uirtutes congregauit, & disseminatis regijs thesauris multos fecit exercitus, creans magistrum orientis supradictū Iustinianū. Anno tertio imperij sui rex Persarum sumptis uirtutibus suis in Armeniā properat. Audiens aūt dux Romanorum regē Persarū per semetipsum initurū prælīū expeditus effectus est. Timor enim ingressus est in populū Ro. & idcirco Iustinianus ad uirtutes sermonibus usus, cōpescuit formidinē pugnæ. Cum autē bellū fieret, & sagittatio multa Persarū facta fuisset, ita ut etiā solares radij celarentur: tunc uidelicet clypeis iacula quæ ex arcubus mittebantur, cōtinuatis proijcere nitebantur. Cum autē profunda cōsisteret Romanorū acies, Persæ ferre non poterant, sed in fugā uertitur Babyloniorū caterua, & intereunt multitudines copiosæ. Accipiūt & interea Persarū supellectilem, & regiū tabernaculum, totumqꝫ clarissimū apparatum. Tenent autē & elephantes Romani, & ad Tiberiū mittunt insignes, & regias illas exuuias. Itaqꝫ ponit legē Persarum rex cōfusionem non ferens, nunqꝫ iam regem Persarum in prælium egressurū. At uero Romanus exercitus post Persicas erumnas, etiā ad intima Persidis properauit, & multū illic excidiū perpetrauit & captiuitatem, perueniens etiā in medium Hyrcanici maris. Cum aūt hyems adesset, non remeant Quirites ad propria, sed in Perside hyemem transegerunt. Porro eodē anno cœpit ædificare Tiberius publicū Blacernarū, & renouauit multas ecclesias, & xenodochia & gerocomia, iussitqꝫ se scribi in phœniceis literis Tiberiū Constantinū. Interea Tiberius Imperator emptis corporibus gētiliū cōstituit militiā in nomē propriū, adijciēs & armās eos in milia quindecim: dans ei ducē Mauriciū comitem fœderatorū, & subducem Narsen, & misit eos contra Persas. Bello autem facto magno ualde, Romani uictores efficiunt, & abstulerūt à Persis ciuitates & regiones, quas sub Iustiniano & Iustino

Clementia Tiberij

Insidiæ Sophiæ detectæ

Iustinianus

Persarū rex prælio uictus

Mauricius cōtra Persas

Victoria de Persis

& Iustino ceperant. Abiens autẽ Mauricius Constantinopolim susceptus est ab imperatore cũ ingẽti honore, & publicauit Tiberius uictorias Mauricij, & generũ hunc admisit ad Constantiã suam filiam Charito, utrunq; Cæsarem creans. Mense uero Augusto mora comedens matutina uisu digna, sed corrupta, φθίσιν incurrit. Et cum esset moriturus, accito patriarcha Ioanne atq; Senatu in tribunaliũ lectica est deportatus: & quia loqui non poterat, per epagnosticũ quæ rebus Romanorũ erant utilia, manifesta fecit populo, & unà cum cõsilio Augustę Sophiæ Mauriciũ generũ suũ pronunciauit imperatorẽ. Itaq; cũ omnes imperatoris collaudassent cõsilium, atq; Mauriciũ imperatorẽ, cõuersus Tiberius in lecto suo obijt, cũ regnasset annis sex, mensibus decem, diebus octo.

Mauricius imperatoris gener

MAVRICIVS

ANNO ab incarnatione Domini D.LXXVII. Mauricius imperat, genere Cappadox. eodemq; anno legatione funguntur Auares ad Imperatorem Mauriciũ, qui ante breue tempus Sirmium subegerant, insignem ciuitatẽ Europæ: postulantes octoginta milibus auri, quæ per annos singulos accipiebãt à Romanis, alia superaddi uiginti. Imperator uero pacẽ affectans, hoc admisit. Petiuit autẽ Chaianus ad uidẽdum sibi elephantẽ animal Indicum mitti. Cui imperator maiorẽ omnibus misit. Quẽ ille uisum remisit ad imperatorẽ. Similiter & lectũ aureũ mitti sibi petiuit. Sed & hoc imperator misit ad eũ. Ipse uero & hunc cõtemplatũ misit ad eũ. Postulabat aũt iterũ super alia uiginti milia centũ addi. Quod Imperatore nõ admittẽte Chaianus Sigidonẽ ciuitatẽ subuertit, & multas alias urbes cepit, Illyrico subiacẽtes. At uero imperator Helpidiũ patriciũ cum Commẽtiolo legatos ad Chaianũ transmisit. At uero Barbarus in sponsionibus pactorũ agere se pacẽ professus est. In oriente Ioannẽ Mystaconem Prætorẽ Armeniæ fecit. Qui ueniens ad Nymphiũ amnem, ubi Tigris misceri dignoscitur, bello cõgreditur cũ Cardariga Persarũ Prætore, & præualent Romani aduersus Barbaros. Cardarigas uero nõ est propriũ nomen, sed dignitas maxima apud Persas. Anno secundo imperij sui Cos. Mauricius appellatur, & multos thesauros urbi donauit. Prouehit aũt Philippicum Prætorẽ Orientis, cui & Gordiam filiã suã in coniugẽ tradidit. At Philippicus Persicas arripiens partes appropinquauit Nisibin, & ingressus repente in Persidem, multã prædã sumpsit, quã per montes saluã ducens, in Medorũ transtulit regionem, & multis illic uillis exterminatis, ad Romana rura reuersus est. Porrò Chaianus Auarum pacẽ soluere festinabat. Nam Sclauinorũ gentes cõtra Thracem armauit, qui peruenerũt usq; ad longos muros multũ facientes excidiũ. At imperator palatij eductis militijs, & plebibus à ciuitate, longos muros custodiri præcepit, & Commentiolum ducem ordinans, & armans contra Barbaros misit. Qui ex insperato in Barbaros ruens, copiosas multitudines interfecit, hosq; repulit. Cum autem peruenisset Adrianopolim, occurrit Andragasto multitudo Sclauinorum

Auarũ legatio

Persæ uicti

Philippicus Imp. gener

Philippicus de Persis prædas agit

Sclauini in Thraciam

Cõmentiolus Sclauinos repellit

prædam

prædam ducenti:& in hunc irruens,& captiuitatem eripuit, & uictoria nu-datus est. Anno tertio imperij Mauricij Philippicus sumptis exercitibus ad Persicam regionem profectus est,& capta Arscennene prædã magnam obtinuit,& formidinem Persicis operatus est exercitibus. Interea Constantinopolim languens remeat,militiæq; sine læsione ad propria repedarunt.

Philippicus rursus Persas prædatur

Quarto imperij Mauricij anno Philippicus egressus à Regia urbe hostili sumpto apparatu ad ciuitatem Amidan properat.Et collectis armatis percontabatur eos si in promptu haberent properandi ad bellum. At Romanis iuramentis credulum eum reddentibus se alacriter bellaturos, uenit ad Anazarbon.At uero Cardarigas hoc comperto,risui auditionem mandauit,somnium esse quod dicebatur opinans.Accersitisq; magis interrogauit: Quis erit uictoriæ dominus. Ast dæmonum placatores Persas astruebant à dijs uictoriam laturos. Consultabant igitur Persæ magos læti promissionibus facti,& parabant continuo compedes ex ligno ferroq;, quibus Romanos uinciant compeditos.Prætor autem commonet Romanos,ne agrorum exterminent labores,ne iusticia dei,quæ malum odit,uictoriã ad Barbaros trãsferat.Postera ergo die Prætor duos dirigit Phylarchos Sarracenorum,& capiunt Persas uiuentes,per quos motus aduersariorum didicerunt.Qui asseruẽre Deũ uelle quotidie Barbaros in Romanos irruere. Porrò Philippicus diluculo ualedicens Romanis, tribus phalangibus occurrit ad prælium,ipseq; assumpta dei uirili forma, quam ἀχειροποίητον,id est non manu factam Romani prædicant, discurrens per acies, armatis diuinam impertiebatur uirtutẽ.Et stans post aciem hæc retinens arma, lachrymis multis deum placabat, qui cœlestium ordinum principes auxiliatores assumpsit.Cum autem bellum ageretur,Vitalianus princeps aciei præ omnibus audacius motus, phalangem disrupit Persarum, & sarcinam tulit. Romani autem circa spolia cœpere uacare.Quos aspiciens Philippicus,ne ad exuuias etiam reliqui reuersi,prælij obliuiscerentur, conuersiq; Barbari perderent eos,Theodoro Ilibino galea sua imposita,misit gladio percutere hos qui circa exuuias uacabant.Quem uidentes & æstimantes esse Philippicum,dimissis spolijs properarunt ad bellum.Cum autem bellũ per multas horas ageretur,uox fit à prætore,Persarũ equos lanceis percutere. Quo facto in fugam uersus est Persarũ exercitus,& triumpho ingenti potiti sunt Romani,& multos ex eis peremerunt & spoliauerũt.Postera uero die,sumptis uirtutibus suis Cardarigas,rursus ad bellum armatur, & secundo prælio gesto,uincunt Romani,& occiduntur Persæ multi. Comprehenduntur etiam uiui duo milia,& Byzantium mittuntur.Aufugit quoq; Cardarigas, quem Persæ cum iniurijs respuunt.Porrò Philippicus Heraclium, Heraclij patrem,qui post imperio præfuit,subprætorem exploratoremq; barbarorum transmisit:sumptisq; milit ijs Babyloniam adijt,& Clomannorum castellum obsidet.At uero Cardarigas elegit milites idiotas,cũ subiugalibus, & turba

Philippicus Persas prælio uincit

Ro. secundo prælio uictores

Heraclius

& turba collecta, exercitum sese mouere iactabat: & per munita loca obscura nocte in dorsa Romanorum efficiunt, nequaquam fidentes se manus in eos missuros. Timore autem importuno cadente in Philippicum, fuga mirabili usus est. Quo comperto Romani in fugam uertebantur, per loca ad meandum difficilia, incurrentes multa pericula. Cumq; sol ortus esset, à calamitate liberantur, nemine persequente, & peruenientes ad prætorē, hunc iniurijs pessimis blasphemabant. Verum Persæ fictam æstimantes fugam persequi ausi non sunt. Porrò Heraclius transmeans Tigrim, quæ Medicæ regionis erāt insignia presidia igni tradebat, & sic ad Philippicū redijt cum spolijs multis. Anno quinto imperij Mauricij Chaianus Auarum fœdere dissoluto, Mysiam & Scythiam atrociter expugnabat, subuertens Ratiarnam & Bonomiam & Aquas, & Dorostolum, & Zandapa, & Martianopolim. Commētiolus uero ad maritima uenit, & separato exercitu improbabiles discreuit ab optimis. & inutiles quidē uirtutes quadraginta milia custodire uallum iubet: electorum autem sex milia sumens, ex his duo milia Casto tradidit, & duo milia Martino, & ipse duobus milibus sumptis contra Barbaros properat. Castus autem ueniens Zardapa & Emon, repertis Barbaris in desidia cōstitutis, multos ex eis disperdidit, prædamq; multam obtinens, armigero ad saluandum tradidit. Martinus circa Nean ciuitatem effectus, & in Chaianum ex insperato incurrens, multos uirtutis eius extinxit, ita ut ille salutem suam fuga mercatus sit. Martinus uictoria gloriosus ad Prætorem reuertebatur, ubi se promiserat eos expectaturum. Commentiolus autem formidine pressus Martianopolim redijt. Qui non inuenientes eum, collegerunt exercitus suos, & per artum locum Emi castra mouent. At uero Martinus uidens Chaianum transeuntē fluuium, ad prætorem redijt. Castus uero transito flumine appropinquans his qui præcurrerant Auarum, obtinet pugnis. Porro Castus cuiusdam ducis repromissionibus deceptus non redijt ad Prætorem. Posteraq; die tenens transitus Chaianus conclusit eum. Scinditur igitur populus, & unusquisq; ut uires habebat per nemora fugiebat. Capiuntur itaq; à Barbaris quidam, & indicant ubi latitet Castus, & hoc capto exultabant. Chaianus sanè per meridiem iter agens contra Thracē properat, longosq; muros accepit. Ast Commentiolus, qui in syluis Emi latitabat, cum Martino exiuit, & perueniens ad Chaianum inuenit imparatum, eo quod Auarum multitudo diffusa est per Thracē. Et prima uigilia noctis properat aduersus illum, essetq; profecto opus ingens patratum, nisi euentus quidam falleret eius conatus. Vno quippe animante onus subuertente, quidam domino animantis acclamat onus erigere, patria uoce dicēs: Torna, torna frater. Et dominus quidem multas uoces minime sentiebat. Sed populi hoc audito hostes imminere existimantes, in fugā conuersi sunt, torna, torna, maximis uocibus exclamantes. Chaianus autem ingenti formidine indutus penitus fugiebat,

Audres uicti

Castus captus

Vulgaris sermo corruptus

 & uide-

& uidebantur Romani & Barbari inuicem fugere nemine persequẽte. Praeterea Chaianus sumptis uirtutibus suis Aperiam ciuitatem obsedit, inuentumq́ Busan urbis magnarium interficere nitebatur. Qui pecunias rogabat ei multas prębere, si uitam sibi donaret. Ille uero hunc ligatum urbi pręsentauit. At ipse quærebat habitantes urbem ut emeretur, narrans quam sæpe pro ciuitate certauerit. Ciuis autem quidam persuasit multitudini hoc minime faciendum. Quia ergo paruipensus est Busan, repromittit Chaiano tradere ciuitatẽ. Et exterminatorio instrumento facto, quod arietem nominant, ciuitatẽ adeptus est. Discedentesq́ Barbari argumentoso ingenio & alias urbes in seruitutẽ redegerunt, & cum multa captiuitate reuersi sunt. Audientes autem Byzantij, quod Castus captus esset à Barbaris, magnis conuicijs contra Mauricium conuertebantur: & hunc in manifesto blasphemijs appetebant. Per idem quoq́ tempus Heraclius Heraclij pater Persicũ aggressus est castrum, quod & accepit. Similiter & Theodorus castrum Mazarorum, & ambo Bauides ueniunt. Et cum castrum munitissimũ esset, miles quidam Saphires nomine, stimulos operatus, & contra compagines lapidum hos figens, per eos aditum fecit. Cum autem fortis ille ascendisset muri coronam, uir Persa hunc expulit. Cadit autem Saphires deorsum, & suscipiunt eum in scutis suis Romani, & rursus opus audenter arripit, & denuo à firmitate repellitur. Iterumq́ Romani hunc suscipiunt in scutis, & tertio ad machinamentum conatus est. Cumq́ ad muri caput ascendisset Persam occidit. Dehinc caput eius Romanis prębens, hos fiducia magna repleuit, multisq́ imitantibus uirum fortem, & per palos ascendẽtibus murum Romanis traditur castrum: & alios quidem Persarum occiderunt, alios uero captiuos duxerũt unà cũ supellectilibus igni tradito castro. Interea Philippicus rursus Byzantium iter egit, Heraclio Romanorum duce relicto. Veniens autem Tarsum, & discens quod imperator Priscum orientis Prætorem creatum direxerit, scribit Heraclium dimisso exercitu in Armeniam uenire ad Narsetem, & Prisci ei præsentiam facere manifestam. Imperator enim Philippico iusserat quarta rogæ parte priuare militiam. Philippicus autem timens, ne occasio tyrannidis fieret, super hoc imperatori non paruit. Ideoq́ à prætura deponitur. Priscus autem perueniens Antiochiam, præcepit milites apud Monetarium colligi. Aduocant autem & Germanum, cui Edessenorum principatus creditus erat unà cum episcopo, & unà cum eis ad exercitum ibat, solennitatem cum illis facturus. At uero duces exercitus obuiam ei uenerunt cum duobus bandis signis procul ab exercitu. At Priscus secundum morem non descendit ab equo, nec consuetis salutationibus usus est. Hinc ergo odij exordium factum est: in communibus namq́ iniurijs multitudines seuerius patiuntur. Post festum autem diem demonstrabantur tetricæ imperatoris literæ. Confluunt itaque multitudines ad prætoris fixuram tabernaculi, alijs quidem gladios portantibus, alijs lapides

Aperia capta

Saphiris fortitudo

Priscus Philippici successor

Germanus

Milites prætorium diripiũt

des uel ligna iactantibus. Fit igitur pauidus Priscus, & ascendens equum fuga euasit periculum. Illi ergo scindentes fixum huius tabernaculum, omnia quę ipsius erant diripuerunt. At ille Constantiam perueniens, à medicis de percussionibus lapidum, & uulneribus curabatur, & mittit episcopum ciuitatis, rationem faciens, ac pollicens exercitui se persuasurum Imperatori, ne illos priuet aliqua conferendarum consuetudinum. At exercitus episcopum cum iniurijs respuerunt, & Germanum inuitum pronuntiauerunt Prætorem, super scutum elatum. Imperatoriamq; statuam subuerterunt, & huius imagines demoliti sunt: & in tyrannidem prorumperent, & urbes despoliarent, nisi Germanus id agere multa comminatione ac exercitatione uetuisset. Priscus autem hæc Imperatori manifesta fecit, & imperator Philippicum denuo prætorem Orientis constituit. Priscus uero Byzantium redijt. Porrò exercitus se iuramentis affirmabat, nullatenus à Mauricio imperari. Barbari sanè Romanis calamitatibus delectabātur. Verum Aristobolum imperator curatorem imperialium donorum ad exercitum misit, quatenus iuramentis & donis tyrannidem solueret, quod & fecit. Tyrannide uero destructa, fit Persarum atque Romanorum circa Martyropolim maximum bellum. Romanis uero potentia & ducum uirtute expugnantibus Persas, interficitur Maruzas Persarum prætor. Comprehenduntur etiam uiuentium tria milia, & Persicorum principum agmina, mille tantum reuersis in Persidem. Porro Romani transmittunt è Perside ad imperatorem ex persicis exuuijs multa, & captos uniuersos unà cum bandis. Mense Decembrio indictione sexta Longobardi bellum aduersus Romanos intulerunt, & Romanam ciuitatem grauiter depopulantes, & Exarchatum Rauennæ deprædantes: sed & Maurusiorum gentes aduersus Africam, magnas perturbationes perpetrauerunt. In Perside autem est carcer Lethe, & rex Persarum multos à diuersis gentibus in hoc conclusit, unà cum captiuis ciuitatis Daræ. Illi autem desperati, insurgunt contra eos qui se custodiebant, & occiso Marusa, caput eius Byzantium attulere. Ast imperator cum gaudio magno illos suscepit, & Philippicum denuo uix Prætorem recepit exercitus. Cum autem Persarum, Romanorúmque bellum circa Martyropolim fieret, superantur Romani. Imperator à prætura rursus Philippico amoto, Commentiolum Orientis prætorem direxit. Heraclius autem prosperatus in bello peremit Persarum prætorem. Asarthato autem interempto, fugiunt Persæ, & insequuntur Romani. Cum autem multum fuisset in eis excidium, comprehendunt etiam custodiam, & multas exuuias Byzantium mittunt. Denique Imperator equestribus speculationibus commercijsq; urbem splendidam reddidit. Hormisda uero rex Persarum prætorem Baram promotum, unà cum potentibus multis contra Suaniam mittit. Ex improuiso autem huic instans ad Araxem fluuium castra commouit. Si-

Philippicus dignitati restitutus

Aristobolus

Prælium apud Martyropolim

Maruzas occisus

Longobardi cum bellum

Maurorum motus

Lethe

Persæ Ro. prælio uincunt

Cōmentiolus fit prætor Orientis

Heraclij uictoria

Bara

Turci Persis tributarij

quidem expugnatis Turcis à Persis adeo Hormisda creuit, ut etiam tributa quadraginta milia auri à Turcis acciperet, cum prius æqualia Turcis ipse persolueret. Verum Mauricius hoc comperto, Romanum prouehit prætorem, & in Suaniam cum potentia transmittit. Cumq; peruenisset Romanus in Lazicen, & ad Phasin fluuium accessisset, in Albaniam exercitum mouit. Bara autem audiens Romanum profectum, rem deridebat. Cupiebat etiam Romanam aciem manu capere. Non enim aduersus Romanos bellum inierat. At uero Romanus Romanam multitudinem separauit, non probatis penes sarcinas derelictis. Decem milia etiam secum accipiens, aduersus Barbaros properauit, eò duo milia præcedere iubet exercitũ. Qui uenientes obuiam his qui præcesserant, Persas hos in terga uertunt, & omnes interimunt. Facta quippe fuga, & prædio sibi obstante conclusi omnes interierunt. Ast Romani usque ad Barbarorum uallum uenerunt, ita ut Bara super hoc obstupesceret. Quod audiens Romanus, animare cœpit exercitum, & præliaturi parantur in campo Albaniæ. Bara autem nitebatur furari bellum, frustratus tamen consilio est. Surrexit enim Romanus, & comptissime parabatur. Cum autem inuicem conflictus agitaretur, & multi Barbarorum occisi fuissent, maxima Romanis accessit uictoria. Despoliantur igitur Barbari, & sepultura carentes efficiuntur bestijs esca. Hoc audito Hormisda Persarum rex, confusionem non ferens, muliebrem uestem Baræ transmisit, & hunc prætura priuauit. Parat è contra rebellionem Bara, & progreditur in tyrannidem, & reciprocis iniurijs per literas Hormisdam lacessit, superscribens epistolæ ita: Hormisdæ filio Chozrois Bara hoc mittit. Collectis uero militijs asserebat Hormisdam indignatum aduersum militias, utpote quæ à Romanis fuerint superatæ. Ostendebat autem & fictas literas quasi ab Hormisda missas ad minuendas militum rogas, ad memoriam eis reducens atrocitatem Hormisdæ, seu crudelitatem, auariciam, & uiolentiam. Hæc sentientes ab eo ueraciter dicta fuisse populi qui circa Ferrochanen, occidentes eum se ad Baram uniunt, & cõtra Ctesiphontem abeunt. Hormisda autem in uinculis habebat Byndoẽn magnæ dignitatis uirum. Itaque cum in magna fluctuatione negocia degerent, Besta frater Byndois in custodiã insiliens, educit Byndoën fratrem suum, & congregata multitudine rustica, seu ciuili, tertia hora diei regalia intrant, & inuento Hormisda super solium regio more sedente, multis hũc iniurijs subdunt. Byndoës autem tenens Hormisdam abstulit diadema à capite eius, & hunc in carcerem tradiderunt, rogabantq; Chozroën patrio solio tribui. Præterea Hormisda è custodia sua nuntium suum misit Persis, petens loqui præsidi quæ expedirent. In crastinum igitur collectus Senatus Persarum in regalibus unà cum multitudine uinctum Hormisdam ducunt. Ast Hormisda commonebat Persas, quod non oporteat huiuscemodi in re-

Romanus · *Ro. uictoria* · *Baræ contumacia* · *Byndoes* · *Besta* · *Hormisdæ calamitas* · *Chozroes rex creatus*

di in reges cõmittere,& quanta ex quo regnauerit trophea fecerit, & in quibus erga Persas bona patrauerit,& qualiter Turcos Persidi tributa soluere, Romanos pacem amare coëgerit,qualiter Martyropolim ceperit. Quin & paterna beneficia narrauit. Rogabat autem & Chozroen à regno deponi ut litis amicum & ambitiosum,& sanguinis amatorem, superbũ ac iniuriosum & prælijs inhiantem. Esse autem sibi alterum filium perhibebat,quem in regem prouehi flagitabat. Byndoes uero ad Hormisdam respondebat: & huius excessus in medium proponẽs, omnes erexit contra Hormisdam: & ducunt in medium uxorem eius ac filium,& serra hos diuidũt, & partiti sunt in mediũ coram Hormisdæ uisibus. Hormisdam quoq; oculis priuantes,in carcere posuerunt. Et Chozroes quidẽ aliquantulũ benigne patrẽ tractauit in custodia,tribuens illi omnem escam. At Hormisda ex aduerso iniurijs hunc lacerabat,cõculcans ea quæ à rege mittebãtur. Vnde Chozroes iratus,fustibus hunc syluestribus iussit per ilia cæsum obire. Quod factũ & Persas tristes reddidit, & contra Chozroen odium auxit. Chozroes uero congregatis uirtutibus regnorum suorũ egressus cõtra Baram uenit in campum Zaba fluminis,ubi Bara uallum habebat. Suspicatus aũt Chozroes quod aliqui principum adiacerent Baræ, hos occidit. Cum autem populus turbaretur,fugam inijt Chozroes cum paucis quibusdã, & omnes qui erãt cum Chozroe ad Baram accesserunt. At uero Chozroes hæsitabat quidnam agere debuisset,nonnullis sanè consilium sibi ad Turcos secedere dantibus,nonnullis autem ad Romanos. Chozroes equum ascendens,freno laxato equi motus omnibus sequi iubet. At uero equus ad Romanas partes motus suos direxit.& apud Ceresium inuenitur, & legatos suos mittit, aduentum suum faciens manifestũ. Contigit autem,ut eum Probus patricius qui illic erat,susciperet,& de eo Imperatori per literas indicaret. Bara autem misit legatos ad Mauricium,petens ne auxiliaretur Chozroi. Porrò Imperator Mauricius iubet Cõmentiolo Prætori,apud Hierapolim Chozroen suscipere,& imperialibus obsequijs honorare. Eodem anno demonstrauit Imperator Mauricius in memoriã dei genitricis litaniam in Blachernis fieri,& laudes dicere dominæ nostræ,nominans eam Panegyrim. Mauricius itaq; filium suum sibi Chozroen regem Persarũ faciens,Domitianum episcopum Militinẽsem ad eum direxit,cognatũ suum, unà cum Narse,cui ducatum belli commisit. Qui uenientes ad Chozroen, omnes potentatus Romaicos in Persidem ducunt. Bara autem hoc cognito, sumptis uirtutibus suis in loco,qui Alexandrines nominatur, castra metatus est, prohibere ratus militias ab Armenia uenientes,ne Narsi unirentur. Iusserat autem Mauricius Musticoni magistro militiæ Armeniæ Ioanni accipere militias, & se Narsi unire pariter contra Baram bellum constituendo. Per noctem autem unitæ sunt Romanæ uirtutes, & contra Baram aciẽ direxerunt. Porrò Bara in monte castrametatus est,pauore detentus. Cumq; bellum age-

Supplicium dirum.

Hormisda oculis orbatur.

Chozrois parricidium.

Chozrois copiæ ad Baram transeunt.

Equi auspiciũ

Chozroes ad Ro. fugit

Chozroes ab Im. adoptatus

Domitianus episcopus.

Narses in Persidem.

retur horribile, Narses indicis bestijs paruipensis, mediam barbarorum dissoluit phalangem. Et hoc facto cæteræ quoq; Baræ infirmatæ sunt phalanges, & fit magna fuga tyrãni. Narses uero sine ulla retẽtione persequens Persas cæde sternebat, & sex milia uincta ad Chozroen adduxit. Ast hos omnes Chozroes mucrone peremit. Quotquot autem Turci erant, ad Imperatorem Byzantium misit. Sanè cum Turci signum haberent in fronte ex cruce interrogabãtur ab Imperatore, quo nam modo hoc signũ in frõte portarẽt. At uero Turci asserebãt ante multos annos pestilentiã factam in Turcia, & quosdã Christianorũ hoc adinuenisse, & hinc salus in patria facta est. Porrò exercitus Romanorum tabernaculum Baræ & suppellectilem accipientes cum elephantis, attulere ad Chozroen. Bara autem ad interiores partes Persidis fugam fecit, & sic eorum dissoluitur bellum. Itaq; Chozroes magna uictoria circundatus soliũ suum recepit. Verum Narses rediturus ad propria Chozroi dicebat: Memor sis Chozroe præsentis diei, Romani tibi regnum donant. At ille fraudulentam occisionem metuens, petijt à Mauricio mille Romanos in custodiam sui habendos. Porrò Mauricius quum dilectionem haberet erga barbarũ multam, postulationem eius compleuit: sicq; Persicum & Romanorum bellum cessauit. Interea solennitate, paschali ueniente, coronatus est Theodosius filius Mauricij à Ioanne Patriarcha Constantinopolitano. Eodemq; anno Imperator Mauricius ecclesiam sanctorum quadraginta martyrum, quam Tyberius cœpit ædificare, consummauit. Interea cum profunda pax Orientem occupasset, bellum circa Europam Auaricum incumbebat. Ideoq; Imperator potentatus ab Oriente in Thracem transduxit. Anno Imperij sui nono, cum uer inciperet, & agmina peruenissent ad Thracẽ, exiuit cum eis Mauricius uidere quæ à Barbaris essent euersa. Augusta uero & Patriarcha & senatus rogabant Imperatorem, ne per semetipsum bellum iniret, sed potius id prætori committeret. Ast Imperator non acquieuit. Exeunte autem eo ad Septimiũ, solis eclipsis facta est. Cumq; esset apud Rhegium multitudines pecunijs animauit. Cum autem uenatum pergeret, sus syluestris ualde grandis impetum contra Cæsarem fecit. Equus uero ob terrorem miraculi eijcere Cæsarẽ nitebatur. Diutius ergo tumultuatus Cæsarẽ iactare nequiuit. Itaq; sus à nemine actus abscessit. In Perinthũ præterea nauigio iter faciens, uẽtis uehemẽtibus & pluuia facta, nautisq; desperãtib. scapha Imperatoris asportabatur, ita ut inopinate saluus ad locũ qui dicitur Daonium uix ueniret. Nocte uero illa muliercula pariebat, & uoces miserabiles emittebat. Cumq; mane factum fuisset, misit Imperator uidere quod acciderat. Et inuenerunt puerum natum oculorum & palpebrarum exsortem, manusq; ad brachia non habentem, à lumbo autem erat ei ut cauda piscis naturaliter hærens. Quo uiso Imperator, præcepit ut occideretur. Hac denique die Imperatoris equus, qui aureo erat circundatus ornatu, repente

Bara à Ro. uictus

Chozroes per Ro. in regnum restitutus

Theodosius coronatur

Monstrum

repente scissus est cadens. At Imperator his omnibus auguriatus tristis erat. Postera uero die uiri tres, Sclauini genere, nil aliquid ferreum baiulantes à Romanis detenti sunt, citharas tantum ferentes. Imperator autem interrogabat, tam unde essent, quàm ubinam habitatio eorum consisteret. Qui genere quidem aiunt se esse Sclauinos, circa finem uero occidentalis habitare oceani. Chaianum autem ad se legationem misisse, & munera principibus gentis suæ, auxiliandi sibi contra Romanos gratia. Taxiarchas autem suos se direxisse rationem reddituros Chaiano, quia non possunt propter itineris longitudinem mittere illi auxilia. Decem & octo menses asserebant in itinere se fecisse, & ita Romanos adiisse. Porrò citharas se ferre, tanquam non uidentes quenquam suorum armis indutum, regione sua quid sit ferrum ignorante. Imperator autem tam ætatem admirans, quàm moles corporis eorum laudans, hos misit Heracliam. Cum autem uenisset ad maritimam, & didicisset quod legati Persarum atq; Francorum uenissent, ad regalia remeauit. Anno decimo Imperii Mauricii Chaianus quærebat augmēta pactorum accipere. Imperator uero sermones Barbari non recipiebat. & idcirco Chaianus iterum bellum agit & deuastat Sigidonem, & contra Sirmium castra mouet. Imperator autē prætorem Europæ Priscum ire iubet. At uero Priscus Syluianum subprætorem factum præcurrere iussit: & contra Barbaros procedentes bellum ineunt, & uincunt Romani. Quo audito Chaianus potentatibus sumptis properabat ad bellum. At uero Syluianus uisis multitudinibus stupefactus ad Priscum se contulit. Chaianus autem comperiens Romanorum recessum ad maritima se contulit, Deinceps ad Sanctum Alexandrum, & hunc omnia deuoranti tradidit igni. Transiens autem in Dirizipera, conatur exterminare Remp. deuastatoria operatus instrumenta. Hi uero qui Diriziperæ habitant, diutius è diuerso aciem direxerunt. Nam & portas ambientes, minabantur barbaros debellare, cum essent in ingenti formidine. Tunc ergo diuina eis consuluit quædam uirtus. Media namq; die uidere putauerunt barbari, Romanorum uirtutibus egredientibus ab urbe futurum sibi fore, ut cum eis cōflictum consererent: consternati fuga infatigabili fugiunt, & apud Perinchū efficiuntur. Priscus autem nec uisu quidem ferre multitudines Barbarorum ualens, Zurulum ingressus castrū muniebat. Ast Barbarus Priscum obsidere conabatur. His auditis Mauricius, quid foret agendū hæsitabat. Tum optimo inito cōsilio armatur contra infinitum numerum Barbarorū: & uni excubitorū magnis donis atq; promissionibus persuadet, ut sponte in Barbaros irruat, eiq; dat literas ad Priscum cōtinentes hæc: Gloriosissimo Prætori Prisco. Noxium Barbarorum conatū ne formides, ad perditionē enim eorū factum est hoc. Scito em̄ quia cū multa cōfusione reuertetur Chaianus in regionē suā, quæ sibi à Ro. deputata est. Propterea perseueret gloria tua penes Zurulū circū

Sclauini tres capti

Priscus cōtra Auares

Dirizipera

Zurulum

Epistola

uagari faciēs illos. Mittemus enim per mare naues, & captiuabimus famili-as eorū, & cogetur ad propria confusione refertus atq; iactura remeare. At uero Chaianus literis cōprehensis ac lectis pauens efficitur, & sponsionibus pacificis ad Priscū dispositis in munerib. paucis atq; indignis in suā terrā cū fuga potenti regressus est. Vndecimo anno Imperij Mauricij, idē Imperator Priscum cum omnibus Romaicis potentatibus ad Istrum fluuiū misit, ut Sclauinorum nationes trāsire prohiberet. Quo apud Dorostolon habito Chaianus comperit. Qui legatis ad eum directis, calumniam inferebat, Romanis exordium dantibus belli. Priscus autem excusabat, quod non uenerit aduersus Barbaros belligeratum: sed quod ad Sclauinorū nationes à principe fuerit destinatus. Audiens autem Priscus quod Ardagastus multitudines Sclauinorum ad prędandum dispersérit transiens Istrum media nocte inopinate Ardagastum adortus est. At uero Ardagastus discrimine senso, ascenso equo uix saluus euasit. Romani multitudinibus Sclauinorum occisis, & Ardagasti regione euersa, prædam copiosam captam Byzantium per Tatemerem direxerunt. Porrò cum Tatemer expeditus iter faciens, ebrietati atq; delitijs sese traderet, Sclauinorum in eum irruunt multitudines. Qui formidine pressus fugiendo Byzantium uenit. Ast Romani qui cum ipso fuisse uidebantur, Sclauinis ualde infensi obtinent gloriosissime Barbaros, & captiuitatem saluam Imperatori præsentant. Qui lætatus gratificos Deo hymnos unà cum tota obtulit urbe. Priscus uero fiducia fretus, ad interiores Sclauinorum partes accessit. Gipes uero uir Christianæ religionis, transfugiens ad Romanos, & ingressum Romanis ostendit, & barbaros tenuit. Itaq; Gipedis proditione trāsfretato flumine, Priscus media nocte reperit Musacium Barbarorum regem ebrietate corruptum: funebrem quippe proprij fratris celebrabat festiuitatem. Quo comprehenso uiro, cædē in Barbaros operatus est: multaq; præda & copiosa capta, ebrietati sese tradunt, & crapulæ. Tum Barbari coaceruati uictoribus imminent: foretq; uicissitudo reciproca præcedenti uirilitate sæuior, ni Genzo cū pedestri uirtute Ro. insistens pugna forti prohibuisset impetus barbarorū. Anno XII Imperij Mauricij, cum Priscus iterum ad Istrū peruenisset, gentesq; Sclauinorum deprædatus fuisset, haud modicam Imperatori deduxit prędam. Imperator autem misso ad Priscum Tatemere, iubet toto illic hyemali tempore cōmorari Romanos. Quo comperto Romani contradicebant: asseuerantes id non posse fieri propter copias Barbarorum: & pro eo quod regio esset sibi satis aduersa. Priscus uero uerbis suasorijs flexit, eos ibidem hyemare, iussionemq; principis consummare Tredecimo imperij Mauricij anno, nascuntur prodigia in suburbanis Byzantij, puer uidelicet quadrupes, & alter duos uertices habens. Aiunt autem hi qui historias diligenti studio scribunt, non significare bona ciuitatibus in quibus nascuntur huiusmodi. At uero Imperator Priscum Prætura priuat, & Petrum

Pax cum Chaiano

Priscus cōtra Sclauinos

Ardagasti regio uastata

Musacius Sclauinorum rex captus

Prodigia

& Petrum fratrem suum prætorem facit Romanæ uirtutis. Itaque Priscus quidem uirtutibus sumptis, priusquam Petrus peruenisset, transmeat amnem. Chaianus autem transitu Romani exercitus audito ualde miratus est, & ad Priscum misit dicere, causam quærens, & prædæ sumere partem, sicq; amnem transire. Nimis enim sæuiebat super felicitatibus Romanorum. Priscus ergo Chaiano mittit super hoc legatum, Theodorum uidelicet medicum, sagacitate atque intelligentia perornatum. Iste uidens Chaianum magna sapientem, responsionesq; iactantius facientem, minas etiam protendentem, cunctorum gentium se esse dominum iactantem, narratione ueteri mitigauit Barbaricum typhum. Ait enim: Audi Chaiane proficuam narrationem. Sesostris rex Ægyptiorum, illustris & oppido felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentatu, plurimas & ingentes nationes seruituti subegit. Vnde & in arrogantiam ruens, curru ex adhærenti sibi auro & lapidibus preciosis constructo, sedet super eum, & subicit iugo de exuperatis regibus quatuor trahere currum. Cùmque hoc fieret in insigni festiuitate, unus ex quatuor regibus frequenter uertebat oculum retrorsum, & contemplabatur cum uolueretur rota. Quem percontatus Sesostris ait, Cur post tergum obfirmas oculos? Hanc inquit ille rotam miror instabilem, atque taliter se mouentem, & alias modo excelsa humiliantem, rursusq; humiliata exaltantem. At uero Sesostris parabolam intelligenter animaduertens, legem posuit, ne currum reges ulterius traherent. His Chaianus auditis subrisit, & ait se pacem sectari. Priscus autem Chaiano reddidit prædam pro transitu, & exuuijs omnibus sumptis sine dispendio amnem transiuit. Porrò Chaianus his susceptis magnifice laudabatur. Priscus Byzantium uenit, & Petrus præturam suscepit. Quartodecimo imperij Mauricij anno, iussit Imperator Petro prætori, ut tertiam portionem rogæ in auro Romanis acciperet, & tertiam in armis, & aliam tertiam in uestimentis diuersis. Itaque Romani hoc audito ad tyrannidem uertebantur. Prætor uero timens satisfaciebat militibus hoc uerum non esse, & exhibebat exercitibus alias literas iubentes sibi, quatenus hi qui fortia gesserant, & de periculis triũphauerant, in urbe summa requie potirentur, de publicis sumptibus inter senes alẽdi, pueri uero militũ in locis propriorũ parentũ inscriberẽtur. Talicq; suadela populũ mitigauit, & Cęsarẽ bonæ famæ præconio laudauere. Hæc aũt Petrus Imperatori denũtiauit. Cũq; uenisset Martianopolim, dirigit mille pręcessuros: qui repertis Sclauinis, multã ducentibus Romanã prædã, hos insequẽtes occiderũt, multaq; præda recepta, Romanica reditur ad rura. Eodem uero anno cõstruxit Imperator solarium Manauræ rotundũ, & in medio atrio suo statuã suam statuit, & illic posuit armamentum. Quindecimo imperij Mauricij anno Petro uenationem exercenti sus agrestis obuiã cucurrit, pedemq; illius ad arborẽ cõquassauit,

Petrus Prisco succedit

Theodori legati ad Chaianum uerba

Imperatoris auaritia

& importabilibus doloribus multo tempore languit. Ast Imperator literis pessimis, & improperijs grauibus ei detraxit, audito quod multæ gentes Sclauinorum contra Byzantium motæ fuerint. Petrus uero coactus Nouas peruenit. Hi uero qui erant de ciuitate unà cum ignobilibus militibus, & episcopo obuiam ueniunt: quos prætor intuitus, & arma eorum ac formidinem admiratus, iubet urbe dimissa Romanæ misceri cateruæ. Milites autem ad ciuitatis custodiam ordinati hoc agere renuerunt. Tum prætor in furorem uersus destinauit Genzonem unà cum multitudine militum. Qui hoc agnoscentes confugerunt in ecclesiam, & clauso ostio templi perseuerabant. Genzo uero pro reuerentia templi recessit inefficax. Petrus autem iratus, Genzonem à prætura deponit, & misso Scribone ignominiose ad se episcopum iubet adduci. Porrò ciues collecti Scribonem cum dedecore urbe depellunt. Cuius obseratis portis, Mauricium quidem Imperatorem laudibus efferunt, Prætorem autem conuicijs cumulant. Sicq; cum opprobrio Petrus inde recessit. Præmittit præterea mille ad explorandum, qui Bulgares consequuntur numero mille. Verum Bulgares confisi super pace Chaiani securi pergebant. Romani autem in Bulgares impetum fecerunt. Qui mittunt uiros septem, commonentes pacem minime dissoluendam. Hoc audientes hi qui præcurrerunt, significant hæc Prætori. Qui dixit, Nec si Imperator uenerit, his parcam. Congressione uero belli facta Romani uertuntur, sed Barbari non sunt persequuti eos, ne uincentes discrimen incurrerent. Porrò Prætor taxiarchum præcurrentium flagellauit. Et hoc comperto Chaianus destinauit legatos ad Petrum, inceptionem incusans, & quod Romani iustam pacem sine causa dissoluerent. At uero Petrus uerbis seductorijs usus, non se scisse motionem affirmat, duplicia tamen dare spolia procurat. Sicq; Barbari amissis spolijs dupla sorte receptis, paci consulunt. Petrúsque contra Exarchum Ardagastum properat, & Barbari circa ripam fluminis huic obuij facti prohibebant transire. Romani uero à fretis sagittantes, hos uertunt, quibus in fugam conuersis, percutitur ilico Ardagastus & moritur. Transeuntes autem Romani prædam multam ceperunt, & ad propria remeabant: errantibúsque ductoribus, & in inaquosa incidentibus loca, periclitabatur exercitus. Porrò cum iter agerent, noctu ueniunt ad amnem Helicium dictum. Cum uero trans flumen essent Barbari ripis absconditi, eos qui hauriebant aquam iaculabantur. Igitur magna molestia Romanis effecta militijs, in fugam uertuntur à Barbaris debellati. Verum Mauricius his auditis, Petrum prætura priuauit, & Priscum prætorem Thracæ denuo misit.

Nouenses Petro portas claudunt

Bulgares Ro. in fugã uertũt

Ardagastus occisus

Priscus præturam recipit

Anno decimo sexto imperij Maurícij, Priscus Prætor egressus in Thracem, uirtutes enumerauit exercitus, & inuenit quod ex eis multitudo fuerit consumpta. His autem sumptis, uenit ad Istrum flumen, & Nouas.

Quo

Quo cognito Chaianus misit legatos, causam ipsius sciscitatus aduentus. Priscus autē uenationis causa se uenisse fatebatur. Ast Chaianus, Non est iustum inquit in alieno loco uenari. Econtra Priscus suum dicebat locum, & ei fugam ex Oriente improperabat egisse. Barbarus autem Sigidonis muro destructo, ad Romanorum terras profectus est. Quo cognito Priscus uenit ad insulam Istri, & dromonibus sumptis ad Chaianum apud Constantiolam uenit, uolens loqui cum eo. Cumq; Chaianus ad oram fluminis uenisset, Priscus eum tristis alloquitur. Chaianus autem dixit ad eum: Quid tibi Prisce ac terræ meæ? An & hanc uis accipere de manibus meis? Iudicet Deus inter me & Mauricium Imperatorem, & requirat sanguinem exercitus Romanorum, & exercitus mei de manibus eius. Econtra Priscus: Sigidonem inquit ciuitatem redde Romanis. Qui ait. Vnam ciuitatem à nobis conaris accipere. Videbis post paululum quinquaginta ciuitates Romanas Auaribus seruitute redactas. Priscus autem per amnem nauibus Sigidoni exhibitis, hanc depopulatus est, & ex ea Bulgares pepulit. Septimodecimo imperij Mauricij anno coacervatis uirtutibus Chaianus in Dalmatiam properat, & cum uenisset Balcham quadraginta ciuitates, quę circa eam sunt omnes depopulatus est. Quibus Priscus agnitis, Gudoni ad explorationem rerum direxit, qui in ualle occultabatur pusilla, & diluculo in dorsa eorum aduectus, ilico cunctos peremit, & acceptā prædam adduxit ad Priscum. Porrò Chaianus infortunio comperto in regionem suam regressus est, & Priscus ad propria. Anno decimooctauo imperij Mauricij, sumptis uirtutibus Priscus Sigidonem uenit. Chaianus uero congregato proprio potentatu subito Mysiæ adest, & Comeam urbem capere nititur. Propterea Priscus Sigidone relicta huic efficitur proximus. Cum autem Paschalis festiuitas haberetur, & Romani fame tabescerent, audiens Chaianus Prisco significabat, ut sibi plaustra mitteret, ad deportanda illis alimenta, quatenus cum hilaritate propriam festiuitatem celebrarent. Quadraginta itaque plaustra plena his mittit. Pari modo & Priscus species Indicas Barbaro quasdam remisit, piper uidelicet, & folium indicum & costum & casiam, atque alia ex his quæ quæruntur, cum Chaianus apud Sirmium resideret: qui receptis his, gauisus est ualde in eis, & donec compleretur dies festus, Romani ac Barbari simul habitabant, & nō erat in utrisq; uirtutibus timor. Cumq; fuisset dies festus, Barbari separati sunt ab inuicē à Ro. & Diriziperā uenientes ciuitatē depopulati sunt, & sancti Alexandri ecclesiā incenderūt, sepulchrūq; illius argenteo tecto coopertū spoliāt. Sed & iniurijs quoq; martyris corpus afficiūt, multāq; in Thrace prædā capientes epulabant splendide cōtra Romanos elati. Cūq; Cōmentiolus uenisset Byzantium, maxima urbi turbatio & æstus incubuit, ita ut timore detenti, consilium caperent Europam deserendi, & in Asiam & Chalcedoniam migrandi. Quin & imperator excubitoribus, armatoq; ac electo cuneo sumpto murum

Prisci cū Chaiano colloquium

Chaianus Dalmatiam populatur

Auares cæsi & præda recepta

Comea

Dirizipera capta

Alexandri martyris sepulchrū Barbari spoliant

Byzantij derelinquenda Europa cogitant

to murum muniuit. Vulgus autem urbem custodiebat,& Senatus commonebat Imperatorem legationem ad Chaianum mittendi. Deus autem uindictam martyris faciens Alexandri, pestilentiam languoris barbaris intulit,& in uno die septem filios Chaiani per febrem & inguinariã passionem occidit unà cum alijs turpibus multis, ita ut post triumphale gaudium cum carminibus & canticis, lamentationes & lachrymæ & luctus sine consolatione possideret Barbaros. At uero Senatus rogabat Cæsarem legationem ad Chaianum mittendi. Imperator autem Armazonem misit ad Chaianum cum muneribus multis Dirizipera, qui uerbis mitibus blandiretur. At ille nolebat dona suscipere, lamento intolerabili filiorũ morte detentus. Dicebat autem ad legatum. Iudicet deus inter me & te,& Imperatorem Mauricium. Ego uero captiuos ei reddo, per unam animã unum numisma percepturus ab eo. Mauricius autem id dare minime passus est. Iterum Chaianus petijt, per singulas animas unũ accipere numum. At Imperator nec sic dare consensit. Sed nec in quatuor siliquis. Tunc Chaianus commotus furore omnes occidit,& ad propria redijt, cum quinquaginta milia aureorum pactis Romanis imposuisset. Quin & Istrum flumen non se transiturum professus est. Ex hoc itaq; contra Mauricium Imperatorem multum commotum est odium,& cœperunt hunc subijcere maledictis. Similiter & populus apud Thracem conuitijs contra Imperatorem commotus est. Exercitus autem procuratores ad Imperatorem contra Commentiolum direxit, quod proditionem in prælio fecerit. Inter quos etiam erat Phocas, qui Imperatorem allocutus seuerius, huic in concilio contradicebat, ita ut quidam ex patricijs hunc alapa percuteret,& barbam eius euelleret. Verũ imperator non suscepit aduersum Commentiolum populi querimoniam, sed hos inefficaces deseruit: Propter quod insidiarum in principem exordium sumitur. Præterea per idem tempus apud Ægyptum in Nilo flumine Mena præfecto unà cum populo deambulante, in loco qui Δέλτα nominatur, sole orto animalia humanæ formæ apparuerunt in flumine, uir scilicet & mulier. Et uir quidem erat pectorosus, uultuq; terribilis, ruffa coma, canisq; permixtis: & usq; ad lumbos denudabat naturam,& cunctis demonstrabatur nudus: reliqua autem corporis membra cooperiebat aqua. Hunc præfectus iuramentis constrinxit ne destrueret aspectum, priusquam omnes saturati fierent hoc inopinato spectaculo. Porro mulier & mamillas habebat & fœmineum uultum, cæsariesq; prolixas,& usq; ad horam nonam omnis populus mirabatur, uidentes hæc animantia, quæ hora nona in flumen demersa sunt. Sanè Menas Imperatori Mauricio hæc scripsit. Anno imperij Mauricij decimo nono, die autem Paschæ, Sophia Augusta uxor Iustini, unà cum Constantina Mauricij coniuge, stemma constructum attulerunt Imperatori. Qui hoc contemplato pergens in ecclesiam, id obtulit deo supra sancta in mensa suspendens in triplicibus catenulis lapidibus &

Sacrilegorũ pœna

Imperatoris auaricia

Phocas

Tritones uisi

Constantina Augusta

auro contextis. At uero Augustæ hoc comperto tristatæ sunt ualde, & in iurgio aduersus Imperatorē Cōstantina festum diem fecit Augusta. Cum autem Imperator nō attenderet militiarum querelas in Thrace positarum, iterum Commentiolus assumptis armatis uenit ad Istrum, & unitur Prisco apud Sigidonē, & soluit pax quę ad Auares erat. Qua dissoluta ueniunt in Viminacium, quod est insula magna Istri. Quibus auditis Chaianus collectis potentatibus ad Romaica procedit rura. Quatuor ergo filios suos traditis alijs uirtutibus ad custodienda uada Istri constituit. At uero Romani ratibus factis, fluuium transmearunt, & Prætore Prisco bellum cum filijs Chaiani inierunt. Cōmentiolus enim infirmatus in Viminacio sedebat insula. Cumq; multas horas bellum tenuisset, & trecentis iam Romanorum interemptis sol occubuisset, quatuor milia Barbarorum intereunt. Similiter & tertia die præliantes, ab excelsioribus Romani ad Barbaros accesserunt, hosq; uertentes ad stagnum, atq; pellentes Auares, multos necauerunt ex illis. Inter quos & filij Chaiani necati sunt, illustremq; uictoriam Romani induerunt. Chaianus uero coaceruatis uiribus copiosis contra Romanos progreditur. Bello autem manente, uertunt Romani Barbaros, & hanc omnibus insigniorem retulere uictoriam. Interea Priscus qu[illegible]uor milibus præmissis, Tyrso amne transmisso, Barbarorum explorare motus præcepit. At uero nil eorū quæ facta fuerant Barbari cognoscentes, festum diem concelebrant, & pariter conuiuantur. In hos clanculo Romani incedentes maximum operati sunt metum. Triginta quippe milia Gipedorum barbarorumq; aliorum occiderunt, & copiosa præda cōprehensa reuertuntur ad Priscum. Chaianus autem rursus potentatibus cumulatis, uenit ad Istrum, & inito bello Barbari superantur, pereuntq; cum his plurimi quoq; Sclauinorum. Viuos autem obtinuerunt Auarum quidem tria milia, Sclauinorum uero octingentos, & Gepidum tria milia ducentos, nec non & duo milia Barbarorum. Porrò Chaianus ad Imperatorem Mauricium legatos misit, captos recipere nisus. At ille nōdum comperta inclyta Romanorum uictoria, scribit Prisco, ut Auares tantum Chaiano redderet. Eodem anno quidam uir monachico circumamictus habitu & in religione clarus, spata denudata à foro usq; ad æneam gladiatoris statuam discurrens, Imperatorem omnibus in occisione gladij moriturum prædixit. Similiter & Herodianus Mauricio manifeste quæ sibi fuerant uentura prædixit. Imperatore uero noctu discalciato litaniam cum tota urbe agente, & transeūte ad Carpiana loca, tumultuantes quidam ex multitudine contra Imperatorem lapidibus iaciunt, ita ut uix Imperator cum Theodosio suo saluaretur, & orationes cōpleret apud Blacernas. Anno uero Imperij sui uicesimo, Mauricius in se reuersus, & sciens quod nihil deum lateat, sed omnibus reddat secundum opera ipsorum, & recogitans excessum, quem in captiuitate perpetrauerat, nō redimens eam, expedire iudicauit in hac uita se recipere pro

Auares duob. prælijs uicti

Auares tertio uicti

Gipedes cæsi

Chaianus denuo uictus

Monachus diuinus

Tumultus

peccato,& non in futura:& factas preces in scriptis transmisit ad omnes pa triarchales sedes,& ad omnes ciuitates sibi subiectas,& ad monasteria,quę sunt in eremo, & in Hierosolymis: & ad lauras pecunias & cereos & incen sa:ut orarent pro se, quod hic reciperet, & non in futuro seculo.Scandaliza batur autem & in Philippicum generum suum, quod in philiteram nomi naretur. Porrò Philippicus diuerse iurabat Imperatori,quod purus esset in seruitio eius,& apud se nullum dolum haberet. Cumq; Mauricius suppli caret deo misericordiam præstandi animæ suæ, quadam nocte dormiens in uisu, ante æneam palatij portam imagini saluatoris se uidit assistere, & copiosum populũ pariter assistentẽ. Tũc facta est uox ex charactere magni Dei,& saluatoris nostri Iesu Christi dicens: Date Mauricium. Et tenentes eum Iudiciorum ministri, exhibuerunt ante purpureum umbilicum, qui il lic erat, & ait ad eum propria uoce: Vbi uis reddam tibi, hic an in futuro se culo? Quo audito ille respondit. Amator hominum domine & iudex iuste, hic potius & non in illo seculo. Et iussit diuina uox tradi Mauricium, & Constantinã uxorem eius,& filios, & omnem cognationem domus ipsius Phocæ militi. Expergefactus ergo Mauricius, uocatum eum qui coram se dormiebat, misit ad Philippicum generum suum, ut celeriter eum duceret ad se. Cumq; ille abijsset, uocauit eum. Qui consurgens aduocata uxore sua Gordia osculatus est dicens:Salue:iam non me uidebis.Quæ exclama uit cum fletu magna uoce ad paracœmumenũ dicens. Adiuro te per deum quæ est hæc causa, ob quã quærit hac hora.At ille iurauit se ignorare, quia repente de somno exurgens Imperator misit me. Philippicus ergo quæsi uit corpus Christi percipere,& sic ad Imperatorẽ properare. Vxor autem eius iacebat in terra se uolutans & plorans,& deum exorans. Ingressus ue ro Philippicus cubiculum regium,proiecit se ad pedes Imperatoris. Impe rator autem dicit ei, ignosce mihi propter dominũ,quia peccaui tibi. Nam usq; nunc scandalizabar in te.Et iubens exire paracœmumenũ, surrexit, & cecidit ad pedes Philippici, dicens. Ignosce mihi,quia modo certissime scio quia nihil peccaueris in me. Sed dic mihi, Scis aliquem inter agmina no stra Phocam militem? At uero Philippicus recogitans dicit ei: Vnum a gnosco,qui ante modicum tempus procurator ab exercitu destinatus, con tradicebat Imperio tuo. Ast Imperator ait: Cuius est qualitatis? Qui ait: Iuuenis & temerarius, sed tamen timidus. Tunc Mauricius: si timidus, in quit, profecto & homicida. Et referebat Philippico somnij reuelationem. Porrò nocte illa uisa est stella in cœlo quæ dicitur cometa. In crastino autẽ uenit Magistrianus,qui missus fuerat ad sanctos eremi patres,ferẽs respon sa ab eis huiusmodi: Deus recepta pœnitentia tua saluabit animam tuam, & cum sanctis cum tota domo tua te cõstituet. Ab Imperio uero cum igno minia & discrimine discedes. His auditis Mauricius glorificauit magnifice deum. Igitur autumni tempore accedente, cum Mauricius Imperator ius

Somnium

sisset

sisset Petro, ut in Sclauinorum regione hyemaret populus, restiterunt Romani hoc facere non consentientes, tam propter equorum humiliationem, quàm quod copiosam circunducerent prædam, nec nō & ob multitudines Barbarorum, quæ per regionem diffusæ noscebantur: & seditionē meditati sunt. Prætor aūt indignatus contra populū indemnatione eos dimisit. Incidunt itaq; pluuiæ crebertimæ super populū & frigus multum. Petrus aūt uiginti milibus procul ab exercitu morabatur. Mauricius aūt Petro per literas molestus erat, ut Istrum trāsiret, & hyemales escas populi de Sclauinorum sumeret regione, ne alimēta publica cogeretur præstare Romanis. Prætor uero accersito Gadim ait: Nimis mihi grauia uidētur Imperatoris præcepta, in aliena terra hyemare Romanos iubentis. Nam illi non obaudire sæuum est: & rursus obaudire sæuissimum. Nullum bonum parat auaritia, mater aūt omnium malorum consistit. Qua imperator languens, horum causa maximorum malorum Romanis efficitur. Accersitisq; populi taxiarchis, imperatoris intentionem eius aperuit. Populus aūt hoc audito seditiones cōcitauerunt, & insignes quidā principes ex eis fugientes, ad prætorē uenerunt. Porrò multitudines in unum cōgregatæ prouehunt Phocam centurionem exarchum, & super clypeum hunc exaltatū, laudibus exarchū acclamauerunt. His Petrus auditis in fugam uersus est, & omnia Imperatori manifestauit. Ast Imperator his difficilibus auditis, ea multitudines celare tentabat. Secūda uero ludū celebrauit equestrem, incōmoda infelicitatis occultans. Vulgus aūt Prasinorum clamabat. Constantinus inquiens, & Cōmentiolus Romanorū ter Auguste plebi tuæ molestias ingerunt, ut cruces his ponantur in ea quæ habemus peccata. Deus qui omnia condidit, subijciat tibi omnem inimicū & hostem tam intestinū, quàm exterū sine sanguine. At uero Imperator plebibus intimabat. Nil uos inquiens turbet irrationabiliū militū immoderatio & inquietudo. Veneti aūt dixerūt: Deus quæsiuit te imperare, subdat tibi omnē qui Imperiū tuum impugnat. Et si Romanus est, qui fide rupta terga uertit à te, hūc tibi in seruitutē redigat absq; sanguine. Hos Imperator armās, & sermonibus blandis cōpescēs, unà cum demarchis muros urbis custodire pręcepit. Pręterea filio Impatoris Theodosio unà cum Germano socero suo, apud Callicratiā uenationes exercente, mittunt Romani literas ad Theodosiū ab eo imperari poscentes: sin autem, saltem Germanū Imperatorē pronunciandū. Neq; enim nos aiunt imperari à Mauricio de cætero patiemur. His Mauricius cōpertis accersit ad se filiū. Cōmentiolū uero muros obseruare præcepit, Germanū aūt unà cū filio accusabat harū fuisse calamitatū autores. Cūq; Germanus se excusare niteretur, Mauricius ait. O Germane duo sunt argumēta suspitionis meæ, populi scilicet ad te literæ, & quod cūcta depasti sunt, & nullis exceptis tuis pepercerūt. Parce Germane prolixū faciēdi sermonē. Nihil suauius q̄ per gladiū mori. Sanè Germanus in tēplū dei matris, q̄d appellat̄ Cyri fugit.

Seditionis causa.

Phocas exarchus à militibus creatus.

Petrus fugit

Circenses

Prasini

Veneti

Ro. literæ ad Theodosium

Germanus ad ecclesiā confugit

Quod cũ Imperator didicisset, Stephanũ eunuchũ direxit, ad Germanum ab ecclesia educendũ. Cumq́; Stephanus uiolenter hunc educere uoluisset, fautores Germani resistentes expellũt Stephanũ, & accipientes Germanũ in ecclesiã magnã effugiunt. At uero Imperator cædebat uirgis filiũ suum Theodosiũ: asserebat enim Germanũ per eũ fuisse fugatũ. Et mittit excubitores à magna ecclesia educendi Germanũ. Hinc magnus rumor urbi incubuit. Germanus aũt egredi & dare se uoluit. Verũ hunc multitudines exire minime permiserunt, sed magnis cõuicijs Imperatori derogauerũt dicẽtes: Non habeat pellẽ qui te amat Marcionista. Igitur qui muros custodiebãt his cõpertis, custodiã negligentia prodiderũt. Mauricius aũt exutus media nocte Imperatoria stola, & priuata circũamictus, dromonẽ ingressus cum uxore filijsq́; suis & Constantino, fugã arripuit. Copię uero per totã noctẽ pessimis iniurijs Imperatorẽ appetebant: sed & Cyriacũ Patriarchã reprehendebant. Turbine itaq; ingenti sæuiente, cum ingentibus periculis apud sanctũ Autonomon saluatur Mauricius. Nocte uero superueniũt ei etiam dolores arthritici, q̃s manuũ dolores uocãt & pedũ. Porrò mittit Theodosium filium suũ cum Constantino ad Chozroen regẽ Persarũ, ut recordaretur eorum quæ sibi facta fuerãt à se, & uicissitudinẽ beneficij sui rependeret filio suo. Germanus aũt mittit ad Sergiũ demarchum Prasinæ partis, ut auxiliaretur sibi gratia Imperandi, repromittẽs se partẽ Prasini honoraturũ, ipsumq́; magnis dignitatib. elaturũ. At uero Sergius hoc insignib. uulgi cõfessus est. Qui minime id admiserũt, fatentes nunq́; Germanum ab amore recedere Venetorũ. Prasini uero exeuntes in regiã magnis laudibus tyrannũ Phocã efferebãt, & persuadẽt ei uenire in Septimiũ. Dirigit igitur Phocas Theodorũ à secretis: qui ingressus magnã ecclesiã, corã populo legit, ut tam Patriarcha q̃; senatus & uulgus uenirẽt in Septimiũ. Hoc igitur facto, & cunctis cõuenientib. apud Septimiũ, tunc Patriarcha Cyriacus à tyrãno de orthodoxa fide, & ut sine perturbatione seruaret ecclesiã, extorsit professionẽ. Visus uero est Germanũ tyrãnus adhortari. Cumq́; Germanus nolle se simularet, & uulgus tyrannũ laudaret, pronũtiatur malus, & dominus sceptrorũ tyrãnus prouehitur: & pręualet aduersus felicitatẽ calamitas, & sumunt principiũ magna infortunia Ro. Denunciatio uero tyrãni in templo sancti Ioãnis Baptistæ effecta est: ubi duobus moratus diebus, tertia die introiuit regalia, super Imperialẽ sedens carrucã. Porrò quinta die coronauit Leontiã uxorẽ suam Augustã. Hac igitur die tumultuant̃ partes adinuicẽ propter stationes locorũ. Tyrãnus uero Alexandrũ cõrebellẽ suũ misit partes cõpescere. Alexãder uero in Cosman Venetorũ Demarchũ manus immittẽs pepulit eum, & cõtumelijs lacerauit. Porrò Veneti indignati clamabãt: Vade disce ordinẽ, Mauricius nõ est mortuus. At uero tyrãnus his auditis in necẽ Mauricij cõmouet̃, & missis militib. duxit eũ Chalcedonẽ ad Eutropiũ portũ. & primo quidẽ cruciauit eum in cædibus filiorũ: post imperatorem

Imp. Cæsarem uirgis cædit

Seditio in urbe

Imp. fuga

Theod. ad Chozroen missus

Germani ambitio

Cyriacus Patriarcha

Phocas Imp. creatur

Leontia Augusta

ratorem punit. Nam quinq; filij eius mares corã uisibus illius præoccidũtur. Verum Mauricius patienter infelicitatem sustinẽs, Deum in omnibus inuocabat, & crebro pronũciauit dicẽs: Iustus es domine, & rectũ iudicium tuum. Fit itaq; mors filiorum epitaphium patris, præostendẽs uirtutem in mole calamitatis. Cumq; nutrix unũ ex imperatoris pueris furata fuisset, suumq; pro eo interemptioni obtulisset, Mauricius non annuit, sed suum requisiuit. Aiunt itaq; quidã, quod eo occiso lac cum cruore fluxerit, ita ut omnes inspiciẽtes dire lamentarent. Sic ergo Imperator naturæ legibus etiam celsior factus, uitã cõmutat. Porrò ex illo tempore non defuerunt Imperio uariæ ac ingentes ærumnæ. Deniq; & Chozroes Persarũ Rex pacẽ dissoluit, & Auares Thracen deuastauerunt, atq; Romanorũ exercitus uterq; depopulatus est. Ita ut cum Heraclius regnaret, & inquisitionẽ armatorũ cum summa diligentia faceret, ex omni multitudine illa, que inuenta fuerat in tyrãnide Maurícij cum Phoca, neminẽ exceptis duobus ullatenus inueniret.

Maurícij patientia

Aequitas Maurícij.

Miraculum

Exercituum panolethria

PHOCAS

ANNO ab incarnatione domini D. XCV. Phocas tyrannus peremit Mauricium, ut prædictum est, unà cum masculis quinq; pueris eius. & horũ capita iussit poni in campo tribunali diebus multis: & exiuit ab urbe, & contẽplabatur ea, usq; quo fœtorẽ dederunt. Interficitur autem & Petrus frater eius, & alij proceres multi. Theodosium uero filium eius sermo tenet lapsum, & ita saluum repertũ. Præterea Chozroes Persarum rex famam hanc augmentauit, aliud aliterq; mentitus, & hunc apud se dicens quasi prouidere se, Romanorũ sperans obtinere imperiũ. Et conuictus est multis modis, maxime uero ex eo quod bella repentina moueret, & Romanas res magnopere deuastaret. Interea calligraphus quidã Alexandriæ, uenerabilis uir, ex matutina uigilia domum uadens media nocte uidet statuas ex metallo æris abstractas, & uoce grandi dicentes interemptum Mauricium & filios ipsius, atq; omnes casus qui apud Byzãtium fuerant gesti. Mane uero facto pergens hæc Augustali retulit. Qui præcepit ei nulli hæc manifesta facere, scribensq; diem præstolabatur exitũ. Die uero nona prætereunte, ecce nuncius uenit indicãs Maurícij interemptionẽ. Tunc Augustalis dæmonum uaticiniũ corã populo publicauit. Narses aũt prætor quondã Romanus cõtra tyrannũ rebellionẽ parauit, Edessam que obtinuit. Scribit itaq; Phocas Germano Prætori Edessam obsidendi. Narses uero scribit Chozroi regi Persarum congregandi uirtutes, & bellũ cõstituendi contra Romanos. Porrò Phocas fratrẽ Domentiolũ fecit magistrũ & Priscum comitẽ excubitorũ. Anno Imperij Phocæ secundo Chozroes Rex Persarum collectũ copiosum potentatũ aduersus Romanos direxit. Germanus autem timuit, uerum coactus præliũ iniuit. Qui cum in eo uulneratus fuisset, hunc ministri usq; ad ciuitatem Constantiæ duxerunt, superanturq; Romani. Sed & Germanus undecima die spiritum exhalauit.

Petrus occisus

Miraculum

Narses rebellat

Domentiolus

Phocas autem potentatus ab Europa in Asiam transtulit, Chaiano pactis additis, arbitratus Auarum quiescere nationes. His ergo diuisis, quosdam cõtra Persas misit: quosdam uero ad obsidionẽ Edessæ cõtra Narsen cum Leontio spadone & magnate suo direxit. Chozroes autem collectis potentatibus, apud Daras efficitur. Porrò Narses egressus Edessam Hierapolim fugit. Interea Chozroes cum Romanis fit penes Ardumũ, & munitione de elephantis cõstructa, bellum inijt, & uictoria magna potitus est, captis Romanis non paucis, quos & capitis recisione puniuit. His itaq; gestis, Chozroes ad terram suam regressus est, Zongoi potentatibus relictis. Hoc comperto Phocas contra Leontium furit, & manicis ferreis cum ignominia Byzantium ducit, & creat Prætorem Domentiolum nepotem suum, & curatorem Palatij facit. Anno Imperij Phocæ tertio, misit Chozroes Cardarigam & Rusmayzan, qui depopulati sunt terras Romanorum. Domentiolus uero uerbo dato Narsi, iuramentisq; non paucis credere persuasit, quod nullam iniuriam apud Phocam esset passurus, & direxit eum ad Phocam. At uero Phocas hoc uerbum minime seruans, igne cremauit eum. Romani ergo hinc plurimũ tristes effecti sunt, quod timorẽ magnũ in Persas idem Narses haberet, adeo ut filij Persarum audito ipsius nomine tremerent. Porrò Persæ gauisi sunt gaudio magno. Anno Imperij Phocæ quarto Scholasticus eunuchus, uir gloriosus Palatij, Cõstantinã dominã cum tribus filiabus eius accipiens, ad magnam ecclesiam confugit, consilio Germani patricij desiderantis Imperiũ. Fit igitur seditio magna in urbe. Germanus autem Demarcho Prasinorum talentum auri misit, ut cooperaretur ei: primores autẽ uulgi id admittere noluerunt. At uero tyrannus in ecclesiam ad abstrahendum mulieres destinauit. Sanè patriarcha Cyriacus tunc restitit tyranno, minime passus è templo tyrannice abduci mulieres. Verum iuramentis certo eo reddito à Phoca, quod nõ lęderet eas, educuntur è templo, & clauduntur in monasterio. Præterea eodẽ anno Persæ ceperunt Daras cum tota Mesopotamia & Syria, captiuitate multa, cuius non est numerus, facta. Anno Imperij quinto Phocas filiam suam Domentiã Prisco patricio & comiti excubitorum iunxit, & factis in palatio Marniæ nuptijs iussit fieri ludum equestrem. Demarchi autẽ utriusq; partis apud quatuor columnas cum imperialibus signis statuerunt Prisci ac Domentiæ signa. Quibus auditis Imperator iratus est, & mittẽs adduxit Demarchos, Theophanen scilicet & Pamphilum, & statuens nudos, iussit eos decollari. Cum enim misisset protocursorem, ut interrogaret eos, quo præcipiente fecerint hoc: dixerunt: quia secundum consuetudinem lineatoris fecerunt. Porrò lineatores siue mensores interrogati quam ob rem id fecerint, dixerunt, quia cum Imperatores ab omnibus nominati sunt, hoc à nobis ipsis fecimus. Sanè Priscus timore tenebat', ne forte Imperatoris iram incideret. Turbis aũt clamantibus ueniam concedi sibi, ueniã dedit Phocas. Ex tunc ergo Priscus indigna-

Leontius

Clades apud Ardumum

Narses exustus

Seditio

Persæ prouincias occupãt

Domentia Prisco nupta

indignationem passus, non erat recte cum Phoca. Interea quædam mulier Petronia nomine, fit imperatrici Constantinæ ministra, quæ ad Germanum responsa ferebat. Porrò cũ fama dilataretur, quod Theodosius Mauricij filius uiueret, spem bonam tam Constantina quàm Germanus habebat. At uero scelesta Petronia hæc tyranno manifesta fecit. At tyrannus Constantinam Theoprepio exarcho ad torquendum prodidit. Quæ dum torqueretur, Romanum patricium nosse interloquutiones suas cõfessa est. Qui comprehensus atq; discussus, etiam alios fore in insidias tyrannidis sibi cooperatores perhibuit. Comprehensus est autem Theodorus orientis præfectus, quem tyrannus interemit. Helpidijq; pedes præcidens tradidit igni, Romanumq; decollauit. Porrò Constantinam cum tribus filiabus, in loco ubi Mauricius interemptus est, gladio trucidauit. Germanum autem & eius filiam ore macheræ occidit. Similiter & Ioannem Gizan patricium & Theodosium qui subdiuæ dignitate habebatur insignis, & Andream Sanctocroben, & Dauid Chartophylacem Hormisdæ. Eodem anno Persæ transmeantes Euphratem, totam Syriam & Palæstinam, & Phœnicen depopulati sunt, multo in Romanis excidio perpetrato. Anno uero Imperij Phocæ sexto Priscus intueri non sustinens tam iniusta homicidia, quàm cætera mala quę à Phoca patrabantur, scripsit ad Heraclium patricium & prætorem Africæ, quo Heracliũ filium suum, & Nicetam filium Gregoræ patricij subprætorem suum mitteret, quatenus contra Phocam tyrannum uenirent. Audiebat enim eum rebellionem meditari in Africa, unde nec nauigia hoc anno Constantinopolim conscenderunt. Occidit autem Phocas omnem cognationẽ Mauricij, & Cõmentiolum Thracæ prætorem, & alios multos. Facta est etiã mortalitas in anno isto, & inopia omnis speciei. Præterea Persæ unà cum Cardariga egressi ceperũt Armeniam, & Cappadociam, pugnantesq; Romanorũ uerterunt militias. Ceperũtq; Galatiam, & Paphlagoniã, & uenerunt usq; Chalcedonẽ, sine parcitate depopulantes omnem ætatẽ. Et hi quidẽ foris portam Romanis tyrannidem inferebant. Phocas uero his peiora intrinsecus patrabat occidens atq; captiuans. Anno Imperij Phocæ septimo Antiocheni Iudæi, simultate inquieta cõmissa contra Christianos, occidunt Anastasiũ magnum patriarcham Antiochiæ, mittentes naturam eius in os eius, & post hæc trahentes eum in plateam urbis. Interfecerunt autẽ & ciuium multos, & incenderunt eos. Phocas uero fecit comitem orientis Bonosum, & Chotin magistrum militum, & transmisit eos aduersus illos, & nõ ualuerunt sedare inquietudinem illorum. Coaceruantes uero exercitus irruerunt in illos, & plurimos occiderunt, & quosdam eorum detruncatis artubus, ab urbe reddiderunt extorres. Phocas autem fecit circensem ludum, & Prasini conuicijs eum lacessere clamantes: Iterum ingabasta bibisti? iterum sensum perdidisti? Et iussu Phocæ Comas præfectus multos ex eis detruncauit, quosdam uero decol-

Indicium Petroniæ

Cædes nobiliũ

Persæ prouincias populãtur

Prisci literæ ad Heraclium

Cædes aliæ

Persæ usq; Chalcedonem ueniunt

Iudæorũ apud Antiochiam rabies

Bonosus Chotis

Prasinorum motus

lauit, nonnullos autem in saccos missos mari necauit. Porrò Prasini coaceruati miserunt ignem in prætoriũ, & incenderunt curiã & scrinia & carceres. Ex quibus egressi uincti fugerunt. Hinc iratus Phocas, non eos militare iubet. Porrò Heraclius prętor Africæ molestias perpetiens à Senatu, uocauit filium suum Heraclium contra Phocam tyrannum mittendum. Verum & subprætor eius Gregoras misit per aridam Nicetã filiũ suum: statuentes, ut quicunq; ex his præueniret, & tyrannũ superaret, Imperiũ sumeret. Hoc uero anno hyems enormis efficitur, ita ut maris mollicies in glaciei duritiam uerteretur. Tum Phocas Macrobiũ Scriboniũ iussit sagittari apud Septimiũ, pendentem in lancea in qua tyrones exercebãtur, quasi consciũ insidiarum suarum. Theodorus enim præfectus Cappadox, & Helpidius præpositus armamenti, & alij diuersi consiliũ fecerũt in hippodromo Phocam occidendi. Et facto prandio Theodorus præpositus prætorij cœpit eis texere intentionem suã. Contigit aũt illic inueniri Anastasium comitẽ largitionum. Prandio ergo facto, & enarratis his quæ insidiarũ erant, pœnituit Anastasium illic se repertum, & non dixit quæ cordi suo inerant, sed siluit. At uero Helpidius perdurabat dicens: Non uultis ut cum sederit in solio super hippodromũ, hunc cõprehendam & euellã oculos eius, & sic eum interficiam? Et pollicebat eis dare currus. Re præterea Phocæ nota ex proditione Anastasij facta, iussit præfectũ Helpidiũ, & primores qui sciuerant rem, cum omni diligentia discuti. Cumq; discuterẽtur, quæ insidiarũ fuerant, cõfessi sunt: & quod Theodorũ uoluerint facere principẽ. Porrò Phocas iussit decollari Theodorũ, Helpidiũ, Anastasiũ, & cæteros qui insidias suas cognouerant.

Heraclij Nicetæq; pacta

Mare gelu cõcrescit

Macrobij supplicium

Coniuratio detecta

Coniurati decollantur

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER DECIMVSOCTAVVS

HERACLIVS



ANNO ab incarnatione Domini DC. II. Heraclius in Africa Imperator appellatus, uenit cum nauibus castellatis, habentibus intra se arculas, & imagines Dei matris, quemadmodum Pisides. Georgius quoq; perhibet ducens exercitũ copiosum ab Africa & Mauritania uenisse. Similiter & Niceta filius Gregoræ patricij per Alexandriã & Pentapolim, habens secũ multũ populũ pedestrẽ. Desponsauerat aũt Heraclius Eudochiã filiã Rogati Afri, quæ illo tẽpore Cõstantinopoli erat unà cũ Epiphania matre Heraclij. Audiens aũt Phocas quod mater Heraclij in ciuitatẽ esset, nec nõ & Eudochia, quæ sibi fuerat despõsata, tenuit eas & obseruauit in

in dominico monasterio, quod cognominatur nouæ pœnitentiæ. Cum aũt abisset Heraclius Abidũ, inuenit Theodorũ comitẽ Abidi, & sciscitatus ab eo, didicit quæ Constantinopoli mouebant. At uero Phocas misit fratrem suũ Domentiolũ magistrũ ad custodiẽdos muros lõgos. Cumq́ cõperisset Heracliũ Abidum abijsse, muris dimissis fugit, & introiuit Cõstantinopolim. Porrò Heraclius apud Abidũ recepit omnes exules principes, quos ibidem Phocas relegauerat in exiliũ, & ascendit cum eis Heracliã. Stephanus autem Cizici metropolites acceptũ stẽma sanctæ dei genitricis Mariæ de ecclesia detulit Heraclio. Preterea cũ Cõstantinopolim peruenisset, diuertit ad portum Sophiæ, initoq́ bello uicit gratia Christi tyrannũ. Vulgus aũt hunc cõprehensum interfecerunt, & igne apud Taurũ cremauerunt. Ingressus ergo Heraclius regalia, coronatus est à Sergio Patriarcha in Oratorio sãcti Stephani in Palatio sito. Coronata est uero eodẽ die Eudochia spõsa eius in Augustã, & accepit uterq́ à Sergio Patriarcha nuptiarũ coronas: & uno eodemq́ die Imperator simul & spõsus ostenditur. Mense uero Maij castra mouerunt Persæ contra Syriã, & ceperunt Capessam & Edessam, & uenerunt usq́ Antiochiã. Porrò Romani occurrẽtes eis superati sunt, & perijt omnis populus Romanorũ, adeo ut ualde pauci ex his euaderẽt. Anno uero Imperij Heraclij secundo, ceperunt Persæ Cæsareã Cappadociæ, & plurima ex ea captiua duxerunt milia. Heraclius aũt Imperator inuenit dissoluta Reip. negocia. Siquidẽ Europã Auares reddidere desertã. Asiam uero totam Persæ exterminauerunt, & ciuitates desolauerũt, & Ro. in bellis exercitũ interemerunt. Quibus uisis hæsitare cœpit quid ageret: scrutans exercitũ si forte saluus existeret, duos tantum inuenit ex omnibus his, qui cum Phoca contra Mauriciũ in tyrannide militarunt. Eodem anno natus est Imperatori filius de Eudochia Heraclius minor, qui & Nouus Constantinus appellatus est, & mortua est Augusta eadem indictione quintadecima.

Heraclius Abidũ applicat

Phocæ exitus

Sergius patriarcha Heraclium coronat

Eudochia Augusta

Capessa & Edessa capta

Ro. exercitus à Persis cæsus

Cæsarea Cap. à Persis capta

Tertio anno Imperij Heraclij coronata est Epiphania filia Heraclij à Sergio patriarcha in Augustã in Oratorio Palatij. Eodẽ uero prima indictione coronatus est Heraclius iunior, filius Heraclij, qui & Cõstantinus, à prædicto Patriarcha. Eodem anno Sarraceni etiã aciem contra Syriã direxerũt, & exterminatis nõnullis uicis reuersi sunt. Anno Imperij Heraclij IIII ceperunt Persæ Damascũ, & captiuũ duxerunt populum multũ. Heraclius autem Imperator legatis ad Chozroen missis, rogauit eum ut parceret hominum sanguinẽ immisericorditer fundendi, & definire tributa, & accipere pacta. Qui legatos inefficaces dimisit, nulla eis reddita ratione, sperãs comprehendere Ro. modis omnibus principatũ. Porrò Heraclius eodem anno duxit inceste Martinã neptẽ suam uxorẽ, & pronunciauit eam coronatam à Sergio Patriarcha Anno quinto Imperij Heraclij ceperunt Persæ Iordanem bello, & Palæstinam & sanctam ciuitatẽ, & multos in ea per Iudæorum manus interfecerunt: id est, ut quidã aiunt, milia nonaginta. Isti enim

Heraclius minor coronatus

Sarracenorũ incursio

Damascus à Persis capta

Legatio Ro. ad Persas

Martina

Palæstina à Persis capta

emẽtes Christianos, prout unusquisq; habere poterat, occidebãt eos. Zachariam uero Hierosolymitanũ præsulẽ cõprehensum, & preciosa & uiuifica ligna cũ multa præda adduxerũt in Persida. Eodem anno natus est Imperatori Cõstantinus alius, & baptizatus est in Blacernis à Sergio patriarcha. Anno Imperij Heraclij sexto ceperũt Persæ totam Ægyptũ, & Alexandriã & Libyã usq; ad Æthiopiã, multaq; præda cõsumpta, & eximijs q; plurimis, & pecunijs, ad propria remearunt. Carthaginẽ aũt minime ualuerunt capere, sed custodia dimissa obsidendi eã recesserũt. Anno septimo Imperij Heraclij castrametati sunt Persæ cõtra Carthaginẽ, quã & bello ceperũt. Eodẽ anno cos. factus est Cõstãtinus iunior, q & Heraclius Heraclij filius, & ptouexit in Cæsarẽ Constantinũ minorẽ fratrẽ suũ ex Heraclio genitũ & Martina. Anno octauo Imperij sui rursus Heraclius misit in Persidẽ legatos ad Chozroen postulans pacẽ. At Chozroes iterum eos spreuit, asseuerãs: Nõ parcã uobis, donec crucifixũ abnegetis, quẽ deũ fatemini esse, & adoretis Solem. Anno Imperij Heraclij nono, aciẽ direxerũt Auares cõtra Thracem, & missis Heraclius legatis ad eos pacem poscebat. Cumq; Chaianus hanc facere spopondisset, exijt Imperator foras murum longũ, cum omni obsequio regio, ac muneribus multis ad suscipiendũ Chaianum, recepturus ab eo iuramenta faciendi inuicẽ sponsiones pacificas. At uero Barbarus ille tam sponsionibus, q; quæ iurata fuerãt spretis, subito tyrannice cõtra Imperatorẽ profectus est. stupefactus ergo Imperator super insperatæ rei molimine, fuga lapsus in ciuitatem reuersus est. Barbarus aũt omni regio apparatu adepto, & suppellectile, & quotquot ex hominibus capere potuit, subuertit uillas multas, depopulãs ex improuiso spe pacis deceptos. Anno decimo Imperij sui, missis Heraclius ad Chaianũ Auarũ legatis, queritur super his quæ nequiter acta fuerãt ab eo, & ad pacẽ hortatur. Acies quippe disponens cõtra Persidã dirigendas, pacisci cũ Chaiano uolebat. Qui reueritus dilectionẽ Imperatoris, se pœnituisse pollicebatur, & pacẽ fieri repromisit. Pangentesq; fœdera legati in pace reuersi sunt. Eodem anno ceperũt Persæ Ancyrã Galatiæ. Anno undecimo Imperij Heraclij, durus Chozroes iugũ suum super omnes homines fecit in effusione sanguinis, & ratione tributorũ. Elatus enim triũpho, nullo modo in cõstantia esse poterat. Tũc Heraclius zelo dei suscepto, & cũ Auaribus pace, ut putabat, cõtracta, trãstulit militias Europę in Asiã, & putabat dei cooperatiõe cõtra Persidẽ properare. Anno XII Imperij Heraclij, mẽse Aprili, die IIII indictione X, Imperator Heraclius celebrata solẽnitate paschali, mox secunda feria uesperi motus est cõtra Persidẽ. Sũptis aũt mutuo uenerabiliũ domorũ pecunijs aporia coartatus, accepit etiã ecclesiæ magnæ multa cãdelas ferentia, simul & alia uasa ministratoria. Quibus cõflatis exarari fecit in his nummos aureos & argenteos plurimos, dimisitq; filiũ suũ cum Sergio patriarcha in urbe disponẽdi negocia, unà cum Bonoso patricio uiro sagaci, & per

Zacharias præsul & S. crux in potestatẽ Persarũ

Persarum successus

Carthago à Persis capta

Constantinus fit Cæsar

Chozroæ superba respõsa

Chaiani perfidia

Pax à Chaiano impetrata

Ancyra à Persis capta

Heraclius contra Persas

Heraclius pecunias ab ecclesijs mutuatur

per cuncta sapienti atq; perito. Scripsit autem & ad Chaianum Auarum preces curam agendi super Romanorũ negocijs, tanquã qui fuerit secum amicitiam pactus, tutorem filij sui compellans. Motus aũt à regia urbe, exiuit per locum qui dicitur Portæ, nauigio iter agens: illinc uero per cæteras regiones sibi subiectas profectus, elegit exercitũ nouum. Hos aũt exercere orsus in hostilibus operibus erudiuit. Diuiso enim dupliciter exercitu, acies & congressiones inuicẽ sine sanguine fieri iussit. Clamorem bellicũ, & carmina & iubilũ, & impetũ in alterutrum surgendi habere hos docebat: ut reperti in bellis nil mirarentur, sed fidenter proficiscerẽtur in hostem. Accipiens uero Imperator in manibus Dei figuram uirilem: quã manus non depinxerunt, sed in εἰκόνος uerbũ quod omnia firmat atq; componit, sine pictura formam, uelut sine semine eduxit partum: & in hac fisus à deo picta figura, cœpit agones iuramenta dans populo, quod cum ipsis usq; ad mortem esset certaturus, & tanquam proprijs filijs adhæsurus. Volebat enim potestatem non tantum timore quantũ amore possidere. Cumq; inuenisset exercitũ in desidia multa & formidine, inquietudine ac dedecore constitutum, & per multas terræ partes disseminatũ, actutum in unũ collegit. Et omnes ex una quasi cõsonantia laudauere imperiũ, & fortitudinẽ principis. Ipse autem uerbis hos corroborans perhibebat. Videte fratres & filij, quod inimici Dei conculcauerunt regionẽ nostram & urbes exterminauerũt, & altaria concremauerunt, & mensas incruentorũ sacrificiorũ sanguinibus & homicidijs repleuerunt, & ecclesias, quæ flagitia non admittunt, flagitiosissimis repleuerunt uoluptatibus. Itaq; rursus cuneos ad bellicũ exercitiũ armãs, agmina duo armata ordinans, tubas quoq; ac clypeorum phalanges efficiens, & populus thorace indutus astabat. Nam cũ acies statuisset cautius, congressiones agere inuicem iussit. Impulsiones autem uehementer ac percussiones in alterutrum efficiebantur, & habitus belli ostendebãtur. Eratq; horribile uisu spectaculum, sine timore periculũ, & ad strages impetus sine sanguine, sed aduenieñte necessitate, quatenus unusquisq; pcepta occasione cædis innocue permaneret tutior. Taliter aũt armatis omnib. præcepit ab iniustitia penitus abstinendũ, & pietatẽ sectandã. Porrò cũ peruenisset ad partes Armeniæ, præcurrere iussit electos. Sarracenorum uero tunc sub pactis Persarum constitutorum multitudo equitum clam in Imperatorem irruere meditabantur. Viri autem Imperatoris qui præcurrerant, his occurrentes prætorem ipsorum uinctum Heraclio adduxerũt, illisq; in fugã uersis multos interemerũt. Quia uero hyeme accedente Imperator in Ponticũ clima diuertit, uisum est barbaris obsidere illũ in hoc hyemantẽ. At ille Persas latẽs atq; diuertẽs in Persidẽ properat. Hoc Barbari cognito in rancorẽ causa inspati auditus deuenerũt. Sarbaras uero Persarũ prætor, accepto potentatu suo uenit in Ciliciã, quatinus in Romaniã ingressus, hũc dare terga cõpelleret. Timẽs aũt ne p Armeniã Imperator ingressus, Persidẽ turbaret, coactus

Tyronum decursiones

Icon diuinitus picta

Rursus decursiones

Sarraceni uicti

coactus est sequi post Romanum exercitum, furari uolens bellum, & per obscuram aggredi noctem. Sed econtra plenæ lunæ tota nocte fulgente luce cauillatione frustratus est, & Lunam quę sibi prius in cultu fuerat infamabat, quæ uidelicet eclipsin ex accidēte tulisset. Ex hoc ergo formidabat Sarbaras cum Imperatore conflictum aggredi, & montem quasi dorcades petijt, intuitus ab excelso bonam & sapienti arte compositā militiam Romanorum. Comperta uero Imperator horum formidine, in locis morabatur requietionis, hunc ad bellum instigans. Descendentes autē de monte clam sæpe conflictum concitabant. Sed Romani in cunctis primatum tenebant, fiduciamq́ amplius exercitus eorum obtinebant, uidentes Imperatorem præsilientem & in omnibus belligerantem. Persa uero quidam ante breue tempus profugus, inter Imperatoris exercitum annumerabatur. Hic fugiens ad Persas abijt, existimans eos Romanorū exterminaturos exercitum. Cumq́ formidinem eorum uideret, post decimum diem iterum ad Imperatorem uenit, & liquido omnem barbarorū pauorem edixit. At uero Sarbaras ultra commorationem non ferens in monte, coactus est ad prælium proficisci. In tres autem partes diuisis exercitibus descendit repente illucescente die ante solis ascensum præparatus ad bellum. At Imperator præsciens hoc ordinauit exercitus in tres æque phalanges ad pugnam. Orto autem sole, & Imperatore ad orientem reperto, Persas obtenebrauit radius, quem ut deum adorabant. Imperator autem finxit populum suum quasi in fugam uersum. At illi soluentes phalanges hos sine retentione persequi existimabāt. Cōuersi ergo Romani, hos æquo animo uerterūt, ex his multis peremptis. Insequentes autem eos in monte in præcipitia & loca deuia immiserunt, cunctis illic contritis. Inter ea præcipitia instar caprarum syluestrium morabantur. Multos autem uiuentes comprehenderunt. Ceperunt quoq; & horum castra, & omnem supellectilem ipsorum. Porrò Romani extensis in cœlum manibus Deo gratias referebant, & pro Imperatore, qui se bene probauerat, indeficienter orabant. Qui enim antea nec Persicum audebant puluerem uidere, nunc immota eorum inuenta tabernacula spoliant. Quis enim speret Persarum inexpugnabile genus dorsa daturū Romanis? Itaq; Imperator exercitu cum prætore ad hyemandum in Armenia derelicto ipse Byzantium redijt. Anno uero Imperij sui decimotertio, Heraclius ꝓfectus à regia urbe celeriter in Armeniā properauit. Chozroës autem rex Persarum, misit Sarmanazarim cum exercitū suo in Romanorum terram intrandi. Heraclius autem scribebat Chozroi ut aut pacem amplecteretur, aut se sciret cum exercitu suo Persidem ingressurum. Chozroës autem nec pacem amplectebatur. Non enim audere illum Persidi appropinquare putabat. Sanè Imperator duodecima Calendarū Maiarum ingressus est Persidem. Quo Chozroës comperto Sarmanazarim reuerti iussit: & collectis ex tota Perside militijs suis, & traditis eis Sathin, uelociter eas

Ro. uictoria

Heraclius Persidem aggreditur

eas adunari Sarmanazarim iussit, & ita contra Imperatorem procedere. Heraclius autem aduocato exercitu suo, uerbis exhortatorijs incitabat eos dicens. Viri fratres dei amorem in mēte sumamus, iniuriam huius requirere satagamus. Stemus igitur fortiter aduersus inimicos, quia multa dira in Christianos operati sunt. Reuereamur Romanorum Imperium, quod sui ipsius est domini & non alterius, & stemus aduersus hostes impijs telis armatos. Induamus fidem, nec formidemus interemptionem, & interemptricem gentem, quia intra Persarū terram consistimus, & ingens fuga fert periculum. Vindicemus corruptiones uirginū, recisa cōmilitonum membra nostrorum uidentes corde doleamus. Non sunt hæc ullam mercedem habentia, sed uitæ perennis præmia. Stemus uiriliter, & dominus Deus cooperabitur, & perdet inimicos nostros. Cumq; Imperator his & alijs quàm plurimis cōmonitionibus populum exhortatus esset, respondit ei unus pro omnibus: Expandisti angustiam cordis nostri domine, os tuum in admonitione dilatans. Acuerunt sermones tui gladios nostros, & hos animos qui uinci nequeāt, operati sunt. Expeditos nos tuis uerbis exhibuisti, Erubescimus in pugnis te aspicientes procedere, & iussiones tuas in omnibus sequimur. Imperator autem sumptis militijs, mox ad Persidem interiorē accessit, igne comburens urbes & castra. Fit etiam terribile hic quoddam miraculum. In æstiuali quippe solstitio æther sudore factus est madidus, animos Romani exercitus recreans, adeò ut hinc spem optimā sumerēt. Audiens præterea Heraclius quod Chozroës apud Gazacroēn ciuitatē cum quadraginta milibus bellicosorū esset uirorū, cum impetu aduersus illū perrexit, & præmissi quidā ab eo Sarracenorū sibi subiugatorū Chozrois occurrūt uigiliç: & horū quosdā occiderūt, quosdā uero uinctos cōpedib. cū prætore ipsorū Imperatori pręsentarunt. Hoc comperto Chozroës derelicta tā ciuitate q; militia, fuga usus est. At uero Heraclius insequutus, quosdā præoccupatos occidit: cæteri autem hac illacq; palantes dissipati sunt. Cumq; peruenisset Imperator ad Gazacensium ciuitatem, in suburbanis huius reficiebat exercitum suum: Persæ uero qui confugerant ad eum, perhibebāt quod Chozroës fugiens, igne consumpserit omnia sata in locis illis: & peruenerit ad ciuitatem Thebarmam in oriente sitam, in qua erat templum Ignis atq; pecuniæ Erisilidorum regis, & error prunarū: & his acceptis ad partes Damastager iter egerit. Imperator autem profectus à Gazacensium ciuitate, peruenit Thebarmam: & ingressus in eam igne consumpsit templum ignis, & tota ciuitate combusta, persequutus est Chozroën in angustijs regionis Medorum. Chozroës autem in his duabus regionibus de loco ad locum peragrans latitabat: & Heraclius hunc persequens, multas ciuitates uastauit & regiones. Hyeme uero accedente cōsilium faciebat ubinam hyemaret cum populo: & quidam in Albania perhibebant: quidam uero contra ipsum properare Chozroën, At Imperator iussit populū tribus diebus diuinum

Adhortatio Imp. ad milites

Alacritas militum

Gasacroe Sarraceni uicti Chozrois fuga

Thebarma

Templū ignis à Ro. incēsum

oraculum præstolantem caste ac pure conuersari, sicq; responso accepto in Albania decreuit hyeme commorari. Dum uero abiens illuc iter ageret, habens secum copiosam Persarum prædam, haud paucos incursus à Persicis cuneis pertulit: ipse uero diuina cooperatione triumphum de omnibus tulit. Præterea cum uehemens tempestas cecidisset super eum in uia, & hunc gelu præoccupasset in Albania, haberetq; quinquaginta milia uinculatorum, compatienti corde suo misertus uincula dissoluit, indulgentiã tribuit, & requiem impertitus est, ita ut omnes cum lachrymis exorarent, etiã eum Persidis fieri liberatorem à mundi exterminatore & trucidatore Chozroe.

Hyberna in Albania

Sarrablagas

Anno decimoquarto imperij Heraclij Chozroës Sarrablagan Prætorẽ constituit, uirum facinorosum & typho multo elatum: tradensq; ei exercitum, eos uidelicet qui dicuntur Chozroëtæ ac Perozitæ, in Albaniam eum direxit ad Heraclium. Cumq; ingressi essent fines Albaniæ, non sunt ausi ad bellandum ante faciem Imperatoris stare: sed clausuras tenuere, quæ ducunt in Persidem, æstimãtes ei obsidendo insidiari. At uero Heraclius mox ut uer accessit, profectus de Albania per apertos campos, & escis largiter affluentes, trãsitum in Persidem faciebat, licet longinquitas multæ uiæ spacium transegerit. Sarrablagas uero per artum iter, utpote compendiosum satagebat, ut comprehenderet eum in Persidis regione. Heraclius autem monebat populum dicens. Nouimus fratres, quod militia Persarum in deuijs locis pererrans, tam equum eorum dissoluat, quàm ipsos eneruet. Nos autem festinemus contra Chozroen properare ualde celeriter, ut ex improuiso irruentes in eum turbemus illum. At uero populus huiusmodi spernebat consilium, & maxime Lazorum, & Abasgorum atq; Hiberorum concertatores. Hinc erumnas incidunt. Peruenit autem & Sarbaras cum populo suo: quos omni uirtute armauit Chozroes, & destinauit per Armeniam aduersus Heraclium. Sarrablagas uero sequebatur post tergũ Heraclij, & non est cum eo in conflictum congressus, expectans uniri Sarbaræ, & ita constituere prælium. Cognito autem Romani Sarbaræ impetu ad metum conuersi sunt, ad pedes Imperatoris prociderunt cum lachrymis, scientes quale sit malum non cedere seruum domini uoluntatibus, & pœnitentiam agentes super inobedientia sua, quam nequiter perpetrauerant, dicentes: Manum tuam domine priusquam pereamus miseris da. Cedimus enim tibi, in quibuscunq; præceperis. Tunc Imperator accelerauit congredi cum Sarrablaga priusquam uniretur populo Sarbaræ: & multis incursionibus aduersus eum factis nocte ac die hunc in formidinẽ pepulit: & retro utrisq; dimissis contra Chozroen uelociter insequutus est. Duo uero ex Romanis ad Persas se conferunt, & persuadent eis credere, Romanos ex formidine fugere. Contigit aũt eos & alium audire Romanum, Sathin scilicet Prætoris Persarum aduentum cum alia militia in auxiliũ, & hoc comperto Sarrablagas & Sarbaras decertabant Heraclium instigare ad prælium, priusquam

Auxiliares Romanorum

Sarbaras

ueniret Sathin, & in se transferret uictoriæ gloriã. Credentes quoq; profugis, properant aduersus Heracliũ, & appropinquantes ei castrametati sunt, uolentes in eum simul irruere. Ast Heraclius profectus à uespera iter fecit per totam noctẽ: & profectus ab eis inuento herbifero campo, castrametati sunt in eo. Porrò Barbari existimantes eum formidine fugere, incomposite sequebantur, ut comprehenderent illum. Ipse autem occurrens eis bellum inijt aduersus illos, & apprehẽso quodã colle nemoroso, coaceruatoq; populo in ipso, cooperatione dei Barbaros uertit, & per fauces hos insequutus multitudinem copiosam occidit. Cadit autem & Sarrablagas, ense uulneratus in dorso. Et cum hi in agone essent, peruenit etiam Sarbaras cũ exercitu suo: & hoc Imperator uerso, & ex his multis occisis, reliquos fugientes dispersit. Cepit quoq; & apparatũ sarcinæ ipsorum. Porrò Sarbaras unitus Sathin, collegit Barbaros qui saluati fuerant, & iterum disponebant contra Heraclium proficisci. Ast Imperator in regionem Hunnorũ, & per horũ loca difficilia festinabat in asperis locis ac deuijs, Barbari uero sequebantur post eum. Porrò Lazi unà cum Abasgis formidantes, subduxerunt se ab auxilio Romanorum, & in regionem suam reuersi sunt. Sathin uero hoc aduertens, furore multo unà cum Sarbara persequebatur Heracliũ. Sanè Imperator collecto exercitu, hos uerbis exhortatus est, & munimine deliniuit dicens. Multitudo uos fratres inimicorum non conturbet, deo quippe uolente unus persequebatur mille. Mactemus ergo nosmetipsos pro salute fratrum nostrorum, & sumamus coronã martyrij, quo & futurum tempus nos laudet, & deus reddat mercedes. His & alijs quàm pluribus uerbis audaciam exercitui conferens, hilari uultu prælium ordinat: & distantes ab inuicem interuallo pusillo, à mane usq; ad uesperam aggressi non sunt in alterutrum. Vespere uero Imperator arrepto itinere pergebat. Barbari uero iterum post eum sequebantur comitantes uiam: hunc præoccupare uolentes, incidunt in loca palustria, & oberrãtes in magnũ discrimen deueniunt. Imperator autem trãsiens fines Persarum, per Armeniã peragrabat. Cum autem terra illa teneretur à Persis multi cũ Sarbara cõcurrerunt, ac per hoc populus eius creuit. Præterea hyeme accedente dispersit multitudinem per loca ipsorum, ut requiescerent in domibus suis. Quo cõperto Heraclius nocte furari meditabatur bellum. Cumq; turbo tempestatis adesset, & Sarbaræ nulla suspicio incũberet, electis fortissimis equis, & robustioribus ab exercitu, hos dupliciter armans, quosdam ex eis pręcedere iussit contra Sarbaram, ipse uero cum alijs post eos subsequutus est. Accelerantibus ergo per noctem, & peruenientibus ad prædium, cui uocabulũ erat Lasbanum, hora noctis nona Persæ qui in eo erant, & impetũ cognouerant, insurrexerunt in eos. Ipsi autem interfecerunt hos omnes, excepto uno qui hoc Sarbaræ nunciauit. At uero Sarbaras ascendit equum nudus, atq; discalciatus, fuga salutem mercatus. Huius aũt mulieres, & omnẽ Persicũ florem, principesq;

Sarrablagas cum exercitu cæsus

Sarbaras cum exercitu profligatus

Sarbaras cum Sathin coniunctus

Auxiliares Ro. domum reuersi

Sarbaras copijs amissis fugit

ac satrapas cum electis militibus, qui in domorum tecta conscenderant, & bellum contra se præparauerunt per ignem deposuit: & alios quidem occi- dit, alios uero igne cõsumpsit: alij uero manicis & cõpedibus colligati sunt, ita ut penè nullus ex his qui Sarbaræ fuerant, saluaretur. Acceperunt aũt & arma Sarbaræ, aureum uidelicet clypeum: macheram aũt eius & lanceam æque aureã, & comptã lapidibus preciosis zonã, nihilominus & calciamen- ta eius. His omnibus sumptis, procedit cõtra dispersos per uillas, qui scilicet cõperta Sarbari fuga sine retentione fugiebant. Ipse aũt insequutus multos eorum occidit, & uinctos accepit, reliquiq; cum cõfusione repedarũt in Per- sidem. Porrò Imperator exercitu suo collecto, cum gaudio in illis locis intre- pidus hyemauit. Anno XV Imperij Heraclij, Arabum princeps Muham- mad habebatur. Heraclius aũt coaceruato exercitu suo consilium faciebat quanam uia pergeret. Duæ nanq; uiæ sibi adiacebãt angustę ac deuię: una quidẽ Tarentũ ducens, altera aũt in terram Syrorum. Verum illa quæ Ta- rentũ ducebat, differentior erat, & egestatẽ cunctarũ habebat escarũ. Quæ uero in terrã ducit Syrorũ, Taurum transit, & abundantiã & dapsilitatem præstat alimentorũ. Hanc præferũt omnes, licet abruptior esset, & niue mul- ta seuerior. Hac itaq; multo labore transacta in VII diebus perueniunt ad fluuiũ Tigris, & hunc cũ trãsmeassent, ueniũt Martyropolim, & Amidam, & quiescunt tam exercitus q̃ captiuitas. Hinc & literas Byzantiũ Impera- tor potuit mittere, & quę circa se erant omnia indicare, & ingens facere gau- dium ciuitati. Sarbaras aũt populo suo, qui fuerat dispersus collecto, insur- rexit in illũ. Imperator uero electã militũ alam ad custodiendũ misit clau- suras, quæ ad se ducebant, & aditus qui ad orientem erant. Ipse uero discur- rens, in faciẽ efficitur Sarbaræ. Cumq; transmeasset Nymphion amnẽ, ad Euphraten peruenit, in quo erat põs nexus è funibus simul & nauibus. At uero Sarbaras dissolutis funibus pontis, ab altera ripa in totũ in alterã tran- stulit pontem. Cumq; Imperator uenisset, nec ualuisset transire per pontẽ, discurrens inuenit meatũ, & hunc Martio mense inopinate sine discrimine transmeauit, & Samosatã peruenit. Rursusq; cum Taurum præterisset, in Germaniciã profectus est: & cum transisset Adana, uenit ad amnẽ Saron. Sarbaras aũt ponte rursus in propriũ locũ extenso, absq; obstaculo transfre- tauit Euphraten, & sequebatur post eum. Ast Imperator cũ transisset pon- tem Sari, inuenta requie tam exercitus q̃ animaliũ, circa ipsum castra meta- tus est reficiens eos. Peruenit aũt & Sarbaras in partẽ, quę contra ex altera parte esse uidebat̃. Inuento uero ponte, ac propugnaculis, quæ in eo erant à Ro. obtentis castrametatus est. Excurrentes aũt multi Romanorũ per pon- tem inordinate, cum Persis contulere conflictũ, multa in ipsis cęde cõmissa. Verum Imperator hos inordinate prohibebat discurrere, ne forte iter fie- ret aduersarijs cũ illis cõueniendi ad pontẽ, & pariter cõmeandi. Populus aũt nõ acquiescebat Impatori. Porrò Sarbaras quibusdã exercitib. suis clã

Muhammad

Martyropol.
Amida

Samosata
Germanicia

Pugna circa pontem Sari

in locis abditis collocatis, ostendit se quasi fugientem, ac sic abstraxit multos Romanos præter uotum Imperatoris, ad insequutionem sui transeuntes. Reuersus aũt, & his in fugam uersis, quotquot extra pontẽ occupauit, occidit, uindictã perpessos inobedientię. Imperator uero cum Barbaros uidisset insequutione ordines dissoluisse, & ex Ro. stantibus in antemuralib. multos extinctos, cõtra eos prosequutus est. Porrò uir quidã Persa giganteus Imperatori occurrens hunc in medio pontis adgreditur. Ast Imperator hoc percusso in amnis fluenta proiecit. Hoc uero ruente Barbari in fugam uersi sunt: & præ angustia põtis utraq; parte semet in fluuiũ iaciebãt: alij aũt gladijs trucidabantur. Porrò multitudo Barbarorũ per fluminis ripas sagittabat, ac resistebat, nõ sinens transire Ro. Verum Imperator transiens uiriliter Barbaris resistit cũ paucis quibusdã societatis suæ superagonizans: ita ut etiã Sarbaras superhoc obstupesceret, & ad Cosmã quendã iuxta se stantem Ro. perfugam Margarita diceret: Vides inquiens, Cæsarem ô Cosma, q; audax ad pugnã stet, & cõtra multitudinẽ solus decertet, & uelut incus iacula renuat? Ex rubris enim ocreis agnoscebatur, multasq; plagas, licet nullã in hoc prælio acceperit, dedit. Tota uero die cum in hoc bello pugnassent, accedẽte uespera ab inuicẽ separati sunt. Et Sarbaras quidẽ timens per noctem reuersus est. Imperator aũt populo suo coaceruato ad urbem properauit Sebastiam, & cum Alon fluuiũ transmeasset, in hoc gaudio totius hyemis tempore demoratus est. Porrò Chozroes furẽs misit & tulit thesauros cunctarũ ecclesiarũ regionis quæ sub Persis est constituta, & cogebat Christianos Nestorij sectatores fieri ad percellendũ Impatorem.

Heraclij facinus

Prælium interuentu noctis diremptum

Anno XVI imperij Heraclij Chozroes Persarũ rex nouam fecit militiam prælium initurus, peregrinos ac ciues & seruos ex omni natione facta electione coaceruans. Qua electione Sathin tradita prætori, alia L milia ex phalange Sarbaræ electa tollens, huic sociauit, nominauitq; illos cumulos aureos: & hos aduersus Imperatorẽ direxit. Porrò Sarbarã cum reliquo exercitu suo Constãtinopolim misit, quatenus Hunnos qui essent in occidente, q̃s Auares uocant, cũ Bulgaribus & Sclauinis atq; Gipedibus cõcordia sociarent, sicq; aduersus urbẽ properarẽt, & hanc unanimiter obsiderẽt. Cũ aũt hoc didicisset Imperator, exercitũ suũ triplici parte diuisum, trãsmisit ad custodiendã urbẽ. Quibusdã uero traditis Theodoro fratri suo, cõtra Sathin bellare præcepit. Humiliore uero parte ipse accepta in Lazicã properat, & in ipsa degens Turcos ab oriente, quos Cazaros uocãt, in auxiliũ aduocat. Sathin uero unà cũ nouiter electo exercitu perueniẽs ad fratrẽ Imperatoris Theodorũ, bellauit cõtra eum. Deo aũt per intercessiones superlaudabilis dei genitricis opitulante, bello cõmisso, grando miræ magnitudinis contra Barbaros cecidit, eorũq; plurimos perculit. At uero acies Ro. tranquillitate potita est. Vertunt aũt Romani Persas, & interficiunt multitudinẽ copiosam. Hoc cõperto Chozroes, irascitur cõtra Sathin. Qui ex multo

Nouus delectus Persarum

Ro. copiæ tripartitæ Theodorus

Cazari

Grãdo Ro. auxiliaris

Sathin obitus

animæ defectu languorē incidens moritur. Cuius corpus Chozrois iussu salsum ad eum delatū est. Quem ille mortuū submittit multis uerberibus. Porrò Cazari disruptis Caspijs portis, Persidē adeūt in regionē Adragię, unà cum prætore Zeibil, qui dignitate secundus à Chaiano erat: & in quæcunq; loca peragrabāt, tā Persas deprædabāt, q̄ ciuitates & uillas igni tradebant. Profectus uero & Imperator his occurrit à Lazica. Zeibil aūt hoc uiso accelerans cōplectitur collū eius, & adorat eum Persis ciuitatis aspicientibus. Vniuersus aūt populus Turcorū in terrā cadētes proni, super faciem extenti, Imperatorē honore honorant, qui est apud gentiles extraneus. Similiter & principes eorū supra saxa cōscendentes, eodē schemate procidūt. Obtulit aūt & Zeibil Imperatori filium suū primogenitū. Huius sermonibus delectatus, tam uultum q̄ prudentiā eius admiratur. Electisq; Zeibil XL milibus uirorū fortium dedit Imperatori in auxiliū. Porrò ipse reuersus est in regionē suā. His aūt Imperator acceptis statim cōtra Chozroen procedit. At uero Sarbaras Chalcedonē properās: Auaresq; Thraci urbi appropinquantes hanc depopulari parant, multis machinis aduersus eā commotis: & nauium sculptarū ex Istro multitudine infinita seu innumerabili delata sinum repleuerūt maris. Decem sanè dies urbē obsidentes bellū terra mariq; gerentes, domini uirtute pariter & cooperatione, nec non & intemeratæ dei genitricis & uirginis Mariæ intercessionib. superati sunt. Qui & multitudine copiosa suorū tam in terra deposita, q̄ in mari, cum ingenti confusione ad loca sua reuersi sunt. Porrò Sarbaras Chalcedonē obsidens, non emigrauit: sed ibidem hyemauit, tam incursiones agens, q̄ deprædās confinales partes, & ciuitates igne disperdens. Anno XVII Imperij sui Heraclius mense Septembri ingressus Persidem unà cum Turcis, inopinate propter hyemem, in ecstasin misit Chozroen, cum hoc didicisset. At uero Turci tam hyeme, q̄ frequentibus Persarum incursibus contemplatis, non ferentes pariter cum Imperatore sustinere, cœperunt paulatim diffluere, & omnes dimisso eo reuersi sunt. At Imperator alloquutus est populum suum dicens. Scitote fratres, quia nemo nobis uult auxiliari, nisi solus deus, & quę hunc peperit sine semine mater, ut ostendat potentiā suam, q̄ non in multitudine populorū seu armorū est salus, sed in eos qui sperant super misericordiā suam, mittit adiutoriū suum. At uero Chozroes coaceruatis milit ijs Prætorem prouehit super illos Razatem, uirū bellicosum, ac fortissimum, & hunc aduersus Heracliū destinat. At Imperator ciuitates Persidis atq; castella igni tradit, & accedentes Persas romphæa consumit. Septimo uero idus Octobris peruenit in regionē Chamaita, & refocillat populum per integrā hebdomadam. Razates aūt ueniens Ganza post eum sequutus est. Romanis aūt pergentibus & cōsumentib. escas, ipse uero post tergum ut canis famem patiens uix decimis eorū nutriebatur. Et cum nō inuenisset sumptus, multa ex animantibus cōsumpta sunt. Calendis Decembribus

Zeibil dux Cazarorum in Persidem irrumpit

Auares urbē obsident

Auares repulsi

Chalcedonis obsidio

Heraclius cū Turcis Persidē ingreditur

Imp. à Turcis desertus

Razates copijs Persarum præfectus

tribus uenit Imperator ad fluuium magnum Zaban,& cũm hunc transis-set,castrametatus est iuxta Niniuen ciuitatem. Venit aũt Razates,& penes uadum sequutus est,& cũ uenisset à tribus miliaribus, reperit aliud uadum & transiuit. At Imperator misso Bathano magistro militũ cum paucis electis militibus, inuenit bandũ prætoris Persarum: & cum eius comitem occidisset,detulit caput eius,& totam aureã spatam eius, nonnullisq; peremptis uiuos duxit ad Imperatorẽ sex & uiginti,in quibus erat Spatarius Razatis: qui nunciauit Imperatori,quod Razates contra eum pugnare uellet, sic à Chozroe iussus:& tria milia armata in auxiliũ miserit ei, quæ tunc nõdum uenerant. His cõpertis Imp. præmisit sarcinã ante se,ipseq; subsequutus est,tractãs qualiter inueniret locũ in quo pugnare deberet. Repto itaq; cãpo apto ad prælĩu, allocutus prælĩu ordinauit.Razates uero cũ peruenisset illuc & ipse prelium dirigit,in cuneis tribus contra Imperatorẽ procedit. Pridie sanè idus Decemb. gestum est bellũ.Et ante omnes prosiliens Imperator,Principiq; Persarum occurrens diuina uirtute, deiq; genitricis opitulatione hunc deiecit: & qui cum eo erant,exilientes fugerunt. Rursusq; Imperatori alius occurrit,& hunc quoq; deposuit. Irruit etiã aduersus eum tertius, qui dedit ei cum mucrone ictum in labiũ, & hanc illi plagam inflixit, Ast Imperator & hunc extinxit,& tubis clangentibus utreq; acies inuicem congressæ sunt.Et quũ pugna ualida gereretur,plaga ualida uulneratus est à peditibus Imperatoris equus,qui dicebat Dorcon,in fœmore lanceę ictu percussus.Multas aũt & spatarũ in facie percussiones accepit,sed ferens tegimen,ex neruis contextũ,plagam mortiferã non accepit. Cadit autẽ in hoc bello Razates,& tres turmarchæ Persarũ,& principes fere cũcti,atq; maior pars exercitus ipsorũ. Occisi aũt sunt etiã Romani numero quinquaginta, & uulnerati nõnulli,ex quibus decẽ mortui sunt. Porrò bellum gestum est à mane usq; ad horam nonam. Tulerũt interea Romani banda Persarum uiginti & octo,exceptis his quæ confracta sunt:& despoliatis mortuis acceperunt loricas eorũ & cassides,necnon & omnes currus eorũ: & manserunt ab inuicem sequestrati,quantum duplex est iactus sagittæ. Fuga namq; facta non est. Veruntamen Romani animalia sua nocte,& adaquauerunt,& acceperunt.Equites uero qui ultra erant, steterũt usq; ad horam septimam noctis,& moti repedauerũt ad castra sua.Et his acceptis abierunt, & castrametati sunt ad pedem asperi montis metuentes.Multas preterea spatas auro circunclusas,& zonas aureas cum gẽmis, & scutum Razatis totum auro respersum acceperunt,habens petala centum uiginti,& loricam ipsius auro cõtextam,& scaramaggin eius detulerunt cum capite ipsius,atq; dextraria, & sellã totã ex auro fabrefactã. Porrò tentus est unus Barsumes princeps Iberorum sub Persis degentiũ. Nemo aũt recolit huiusmodi bellum inter Ro. & Persas, quod uidelicet per totum diem habuit statũ,uiceruntq; Romani. Verum hoc factum est solo dei iuuamine.Imperator uero à se cõfortatum

Castra Ro. iuxta Niniuen

Heraclij fortitudo

Razates uictus ac cæsus

tatum exercitum contra Chozroen minabat, quatenus hunc deterreret. Porrò decimotertio Calendas Ianuarias comperto Imperator, quod populus Razatis, qui ex bello euasit, unitus fuerit tribus milibus quæ à Chozroe destinata fuerant, & sequeretur post se, cepit illico Niniuen. Transmeansq; magnum Zaban, mittit Georgiũ Turmarchen cum mille militibus, quo curreret ad retinendum pontes minoris Zaban, priusq; id Chozroes cognosceret. Cũq; Georgius cucurrisset noctu miliarijs quadraginta & octo, tenuit pontes minoris Zaban quatuor, & inuentos in castellis Persas obtinuit. Decimo præterea Calendas Ianuarias perueniẽs Imperator ad pontes, transfretauit & diuertit in domos Hyesdem, & refecit tam exercitum q̃ animantia, fecitq; festiuitatem natiuitatis Christi in eodem loco. Chozroes uero comperto, quod Romani tenerent pontes minoris Zabæ, misit ad Persicum populũ, cui Razates præerat, ut oppido festinantes, præuenirent Imperatorem, & ad ipsum pergerent. Accelerantes autem illi, & transmeantes minorem Zaban, in alijs locis præuenerunt Imperatorẽ atq; præibãt. Cumq; Imperator palatiũ quod dicebatur Dezeridan cepisset, hoc destruxit atq; cõbussit. At uero Persæ cum pontẽ Tornæ fluminis pertransissent, ibidem castrametati sunt. Ast Imperator comprehenso alio palatio Chozrois, quod uocabatur Rusa, & hoc subuertit. Cæterũ uertebat quod in põte Tornæ fluminis hostes forent contra se bellaturi. Sed & hoc illi scientes relicto ponte fugerunt. Imperator uero cũ sine impedimento transisset, apprehendit aliud palatiũ cognomẽto Beibal, ubi & hippodromũ ædificauerat, sed & istud casui dedit. Sanè quidã Armeniorum qui cum Persis aderant uenerunt ad Imperatorẽ noctu dicentes: Chozroes cum elephãtis & exercitu suo quinq; milib. cõtra palatiũ suũ uocabulo Damastager in loco nuncupato Bastaroth castrametatus est, & mãdauit totum illuc exercitum conuenire ut aduersus te prælietur. Est enim illic & fluuius meatibus carẽs qui artum pontem habet, & angustias præ habitationibus multas, nec non & fortidos riuos. Imperator ergo cõsilio cũ principibus inito, cũ exercitu sedit in palatio Bechal. Reperit quippe in una ex porticibus saginatas aues trecẽtas: & in alia porticu capreas saginatas quingẽtas: porrò in alia onagros saginatos centũ. Eaq; cũcto populo donauit, & Calend. Ianuarias illic fecerunt. Deniq; inuentis ouibus & porcis & bubus, quorũ non erat numerus, requieuit populus uniuersus epulãtes & glorificãtes deum. Præterea cõprehensis his qui ista deferebant, didicerũt ab illis liquidius, q; Chozroes à uicesimo tertio die Decẽbris mẽsis, cõperto quod Imp. pontẽ transisset Tornæ, cõfestim motus fuerit de palatio, q̃d erat in Damastager, cũ pugna Ctesiphontẽ petiturus, onustis ex omnib. pecunijs quas habebat in palatio tã elephãtis, q̃ camelis atq; burdonibus: ministris suis scribẽs, & populo Razatis, ut ingrederent̃ idẽ palatiũ & domus principũ, & quicquid in his inueniret̃ auferrẽt. Itaq; Imp. dimidiũ quidẽ exercitũ misit ad Damastager, ipse

Niniue capta

Heraclius contra Chozroen ducit

Incendia

Damastager regia

uero

uero per aliā uiā abijt ad aliud palatiū, quod cognominabatur Beddarach: & his ruinis & igni traditis, gratias egerūt deo, qui p intercessiones dei genitricis talia miracula patrat. Quis eñ sperauit unq̃ Chozroen fugere à facie Ro. principis de palatijs suis, quę erāt in Damastager, & petere Ctesiphontē, dum à XXIIII annis passus Ctesiphontē uidere nō fuerit. Sed in Damastager regalia eius erant. Inuenerunt itaq̃ populi Ro. in palatijs eius apud Damastager trecenta Ro. Banda, quæ per diuersa ceperunt tēpora. Inuenerunt etiam species quæ remanserant multas: aloen scilicet multā, & ligna aloes magna, è quibus unū quodq̃ LXX pondera habebat, uel octoginta librarum: & sericum copiosum ac piper, & calbasias camisias multas: sachar quoq̃ atq̃ zinziber & alias species ultra numerū. Quidā uero & argentū, & holoserica uestimenta lectisternia seu cōtexta tapetia, quorū erat copia multa: erantq̃ omnia bona ualde, quæ propter quod grauia essent penitus incenderūt. Sed & tentoria Chozrois & cortinas, quas in modū tendebat porticuū, quando in cāpo castra metabatur, cuncta cremarunt. Quin & statuas multas. Inuenerunt aūt & in his Palatijs auiaria & dorcades, & asinos agrestes, & pauones, & phasianos infinitæ multitudinis, nec non & in uiuario eius leones, ac tigrides miræ magnitudinis uiuos. De cætero cōfugerūt ad Imperatorem plurimi ex captiuis, Edesseni scilicet, & Alexandrini, sed & aliæ multitudines copiosæ. Interea fecit Imperator festiuitatē luminum penes Damastager lætatus, & recreās tam populū q̃ iumēta. Quin & Chozroi palatia destruens, ædificia uidelicet cōptissima & admiranda, domusq̃ stupendas, quæ usq̃ ad pauimentū deposuit: quatinus Chozroes disceret quam durū Ro. habuerint dolorē urbibus suis desolatis ab eo nihilominus & incensis. Tenti aūt sunt ex aulicis palatij multi, qui interrogati, quando discesserit Chozroes à Damastager: asserūt: ante nouē dies priusq̃ uos ueneritis, audito aduentu uestro, latenter pertuso muro ciuitatis, qui est iuxta palatiū, temere per crates exiuit ipse & uxor & filij eius, ne fieret tumultus in ciuitate: & neq̃ militiæ ipsius cognouere, neq̃ principes eius, usq̃ quo miliarijs quinq̃ perrexit. Siquidē tunc mādauit, quo se sequerētur Ctesiphontē tendentes. & is qui nō poterat facere V miliaria per diē, fugiens fecit XXV milia. Mulieres ac filij eius qui se prius alterutros nō uidebāt, tunc mixtim fugiebant inuicē impellentes. Cumq̃ nox accessisset, introiuit Chozroes in domū agricolæ nihili, in cuius hospitio uix manere præualuit. Quod uidēs Heraclius postmodū admiratus est. Per tres aūt dies adijt Ctesiphontem. Sanè Chozroes responsa acceperat à maleficis atq̃ astrologis ante XXIIII annos, quādo Daras depopulatus est tēporib. Phocæ Ro. principis, quod tēpore quo adiret Ctesiphontē, periret. Et idcirco nō est passus à Damastager ex tunc in partē illā, uno saltē miliario pergere: sed hinc fugiēs ad hanc abijt. Verum nec in ipsa persistere ausus est, sed transiens pontem Tigridis fluminis ultra positam ciuitatem adijt: quæ quidē apud nos Seleucia, apud ipsos

Præda in Damastager

Talio

Chozroes Ctesiphontē confugit

ipsos uero Gueser uocitat. In qua omnes pecunias reposuit, seditq; illic cũ Syra uxore sua,& alijs tribus mulieribus, quæ filiæ ipsius erant. Reliquas uero uxores suas,multosq; liberos suos XL milibus longe transmisit ad interiorem partem Orientis in munitissimũ locum. Quidam sanè Persarum derogauerũt Sarbaræ penes Chozroen,quod cum Romanis sentiret,& illi detraheret. Et misit spatariũ suum cum iussione ad Cardarigã cõprætorem Sarbaræ Chalcedonẽ,scribẽs ei ut Sarbarã interficeret,& ipse populo Persarum accepto acceleraret in Persidẽ in auxiliũ sui. Is aũt qui literas deferebat,circa Galatiam cõprehenditur à Romanis. Qui cõprehenso eo nescientibus Persis hunc Byzantiũ deduxerunt, & Imperatoris filio tradiderunt. At Imperator cognita ueritate protinus Sarbarã accersit: qui cũ introisset, astitit Imperatori. Imperator aũt huic epistola,quam Chozroes ad Cardarigam miserat,tradita,missoq; ostenso legit epistolam. At ille certus rei ueritate effectus,continuo conuersus fœdera cum filio principis & patriarcha facit. Qui falsa Chozrois epistola facta,addit in ea etiam alios quadringentos satrapas & tribunos & centuriones interimẽdos:& inuento ingenio ad imposito signaculo,congregatisq; ducibus,& ipso Cardariga, & lecta epistola dixit ad Cardarigã: Perspicis ut hæc facias? At uero principes furore cõmoti,abdicato Chozroe, Imperatori pacifica patrarunt: & mutuo inito cõsilio placuit ut discederent à Chalcedone,& ad propria remearent, nil exterminaturi. Prꝫterea Heraclius scripsit ad Chozroen: Ego persequor,& ad pacẽ curro. Non eñ uolũtarius igne cõsumo Persidẽ,sed uim passus abs te. Proijciamus ergo saltẽ arma, & pacem amplectemur, extinguamus ignẽ, priusq; uniuersa inflãmet. Cumq; Chozroes hoc nõ admisisset,magnopere odiũ populi Persidis creuit aduersus eum. Mouit ergo Chozroes homines principũ suorũ,& omne obsequiũ suũ, & mulierũ suarum: & hos armatos direxit exercitui uniendos Razatis,& staturos apud Narban fluuium XII milibus à Ctesiphonte distantẽ:& iussit eos ut dum amnẽ transiret Imperator inciderent pontes. Ast Imperator VII Idus Ianuarias motus à Damastager, cũ abijsset tribus diebus castrametatus est. Duodecimq; milib. procul erat à Narba flumine,ubi erat Persarũ exercitus. Inter quos etiã habebãt elephãtes ducẽtos. Et Impator misit Georgiũ Turmarchẽ Armeniacorũ,ut iret usq; ad flumẽ,& disceret utrũ Narbas uadũ haberet. Et cũ inuenisset,ꝙ pontes incidisset & uadũ nõ esset, ad Imp. reuersi sunt: qui motus, Zituron adijt,incendẽs regiones & urbes per totũ Februariũ mẽsem. Martio uero mense cũ uenisset in prædiũ q̃d dicebat Barzan,fecere VII dies: & misit Mezetiũ prætorẽ in cursum,& adiunctus est ei Gundabũdas chiliarchus militiæ Sarbaræ cum alijs quinq;,tribus comitibus,duobus uero axiomaticis,& duxit eos ad Imperatorem. Qui uidelicet Gundabundas,res necessarias Imperatori nunciauit,dicens: quãdo fugiebat Chozroes à Damastager,ac adijt Ctesiphontẽ atq; Seleuciã, dysenteriæ languorem incurrit: &

Seleucia

Literæ ad Cardarigam interceptæ

Chalcedonis obsidio soluta

Gundabundas nuncius Syrois ad Imp.

& uoluit filiũ suum Merdasan, quem genuit ex Syra, coronare: atq; regressus amnem iterum trãsiuit, & secum duxit Merdasan atq; Serem, ac filium eius alium Adar. Primogenitũ autem suum Syroen, & fratres eius, nec non & mulieres suas dimisit ultra flumen. Cõpertoq; Syroes, quod Merdasan fratrẽ suum coronare uellet, turbatus est: & misit collactaneũ suum ad Gundabundam, mandãs ei & dicens: Veni cis flumen, & loquar tecum. At ille timuit Chozroën, & non transiuit, sed mandat ei: Scribe inquiens mihi per collactaneũ meũ quicquid uolueris. Et scripsit ei Syroës: Quomodo nosti qualiter Resp. Persarũ per nequã hominẽ istum Chozroën pereat, & uult coronare Merdasan & primogenitũ suum contempsit: & si loquutus fueris ad exercitũ, ut recipiant me, & rogas eorũ augebo & pacem cum Ro. Imperatore ac Turcis faciã, & bene uiuemus: & stude cum populo tuo ut ego regnem, & omnes uos promoueã, & auxiliabor, & præcipue te. Gundabundus aũt remisit ei per collactaneũ suũ dicens: Quicquid possum loquar cum prætore, & solicitus fui, & loquutus sum cũ uiginti duobus comitibus, & feci eos esse meæ uoluntatis, sed & alios principes multos. Et hęc quidẽ Gundabundas mandauit Syroi. At ille remisit ei dicens, ut decimo Calendarum Aprilium sumeret iuniores, & occurreret ei apud pontem Tigridis fluminis, & susciperent eum in exercitũ, & mouerentur aduersus Chozroën. Referebat aũt quod cum Syroe essent duo filij Satbarę, & filius Hiesdem, & alij multi principum filij, atq; filius Aram, omnes electi. Et quod si potuerint Chozroën perimere, bene & optime: sin aũt, omnes cũ Syroe cõfluerent ad Imperatorẽ. Et uenit Gundabũdas ad Imperatorẽ dicens: Misit me Syrois ad te domine, ueret enim Imperiũ Ro. quod Chozroën quondã saluauit, & multa mala è contra ab eo Romanorũ terra passa est: & quia propter illius ingratitudinẽ nec mihi credere habet Imperator. Verũ ille hunc rursus ad Syroen absoluit, mãdans ei ut carceres aperiret, & retẽtos in eis Ro. educeret, & arma eis tribueret sicq; cõtra Chozroën se moueret. Porrò Syroes obediens Imperatori retrusi educti sunt, & properauit cõtra patrẽ, Chozroën scilicet. Cũq; ille fugere tentasset, nec ualuisset, tentus est & ualide uinctus ferreis compedibus colligatis: cui & circa collum ferrea pondera imponunt, & mittunt eum in domum tenebrarũ, quam ipse muniuit à nouitate construens ad recondendas pecunias. Panisq; parum ei & aquæ tribuentes hunc fame necabant. Ait enim Syroës: Comedat aurum quod incassum collegit, propter quod etiam multos fame necauit, mundumq; deleuit. Porrò misit Satrapas Syroës ad eum iniurijs impetendum & cõspuendum: & ductum Merdasan, quem coronare uolebat, filium eius ante se occidit: & reliquos filios eius in conspectu ipsius peremerunt. & misit omnem inimicum eius iniurijs eum cumulare & percutere & conspuere illum. Denique per quinque dies hoc facto, iussit Syroes hunc arcubus interficere: sicq; paulatim in malis nequissimam animam suam tradidit. Tunc Syroës scripsit

Literæ Syrois

Syroes contra patrem properat

Chozrois exitus

scripsit ad Heraclium, euangelizans ei scelerati Chozrois interitũ: pacemq́; cum eo iugem ac firmissimam pepigit, omnibus Christianis qui in carceribus, & in omni Perside captiui tenebantur ei remissis, unà cum Zacharia Hierosolymitano præsule, ac preciosis, & uiuificis lignis, quæ fuerant à Sarbara cum Hierusalem cepisset, ablata. Anno decimooctauo Heraclij rex habetur Persarum Syroës, qui anno regnauit uno: quãdo & Muhammat Arabum seu Sarracenorum princeps sub Persis degens, sextum agebat annum peruenturus ad nonum. Interea facta pace cum Persis & Romanis, direxit Imperator Theodorũ fratrem suũ cum literis & hominibus Syrois regis Persarũ, quatenus Persæ qui in Palæstina & Hierosolymis, & Edessa cæterisq́; urbibus Romanorũ essent, cum pace reuerterentur in Persidem, & innocue terram Romanorum transirent. Postremo Imperator cum sex annis Persidem expugnasset, septimo anno pace recepta cum ingenti gaugio Constantinopolim remeauit, mysticam quãdam in hoc θεωρίαν adimplens. In sex quippe diebus Deus uniuersa condidit, septimũ requiei diem uocauit: Ita & ipse in sex annis multis laboribus impensis, septimo anno reuersus ad urbem cum pace ac tripudio requieuit. Porrò populus ciuitatis, audito aduentu ipsius, intolerabili cuncti desiderio in Leriam obuiam illi unà cum patriarcha & Constantino Imperatore filio eius egressi sunt, portantes ramos oliuarum, & lampades, laudantes eum cum gratulatione & lachrymis. Accedens autem filius eius cecidit ad pedes eius, & cum amplexatus eum esset, insuderunt ambo lachrymis terram. Hoc autem populus inspecto, uniuersi Deo hymnos gratificos retulerunt, sicq́; demum suscepto Imperatore urbem exultantes ingressi sunt. Anno Imperij Heraclij decimo nono Persis rex Adhesyr septem mẽsibus præfuit. Imperator autem profectus à regia urbe, mox ut uer accessit, Hierosolymam tendit, preciosa illuc & uiuifica ligna reportãs ac gratiarũ deo actiones reddendas. Cumq́; Tiberiadem adisset, accusauere Christiani Beniamin quendã nomine Hebræum, quasi sibi mala facientem. Erat enim admodum opulentus. Qui suscepit Imperatorẽ & exercitũ eius. Ast Imperator damnauit eum. Quamobrẽ inquiẽs molestus es Christianis & fidei meæ. Tunc Imperator admonitum hunc & ad credendum suasum baptizauit in domo Eustachij Neapolitani, qui & ipse cum Christianus esset suscepit Imperatorem. Ingressus itaq; Imperator Hierosolymam, restituto tam Zacharia pontifice, quàm almæ crucis honorandis ac uiuificis lignis in proprium locum, plurimasq́; gratias deo egit, pulsisq́; ab urbe sancta Hebræis, iussit illos nõ habere potestatẽ propius almæ ciuitati, quàm tribus milibus appropinquandi. Cum autem peruenisset ad Edessam, orthodoxis ecclesiam reddidit, quæ à Nestorianis à Chozrois tempore tenebatur. & ueniens Hierapolim, audiuit quod Syroes rex Persarum diem clausisset extremum, & Adhesyr huius filius ei in regni regimine successisset. Qui cum septem tenuisset mensibus

principatum

Captiui cum lignis crucis recepti

Syroes rex

Heraclij ad urbem reditus

Adhesyr rex

Heraclius Hierosolymam proficiscitur

Tiberias

principatum, insurrexit aduersus eum Sarbaras. Qui eo percusso, imperauit Persis mensibus sex. Hoc autem Persæ interfecto, Bornaim prætulerunt in regem filium Chozrois, qui tenuit regnum Persarum septem mẽsibus. Porrò huic successit Hormisdas, quo à Saracenis pulso, factum est regnum Persarum sub Arabibus usq; in hodiernum diem. Anno uigesimo imperij Heraclij Hormisda regnat in Persis. Quum autẽ Heraclius esset apud Hierapolim, uenit ad eum Athanasius patriarcha Iacobitarum, uir acris & nequam ingenij, Syrorum inditas uersutias possidens, & moto de fide ad imperatorem sermone, repromisit ei Heraclius, si Chalcedonensem synodum suscepisset, patriarcham illum Antiochiæ se fore facturum. At ille simulate suscepit synodum, confitens duas unitas in Christo naturas. Interrogauit autem imperatorem de operatione ac uoluntatibus, qualiter has in Christo oporteret dici, duplas an simplas. Tũc imperator uocis nouitate consternatus, scribit Sergio Constantinopoleos episcopo. Aduocat etiam Cyrum Phaselidis episcopum, & hoc interrogato, reperit eum consentiẽtem Sergio in unam uoluntatem & unam operationem. Sergius enim utpote Syrus genere ac parentibus Iacobitis existens, unam naturalem uolũtatem & unam operationem in Christo rescripsit, atq; confessus est. Ast imperator utriusq; acquiescens consilio, reperit & Athanasiũ eis consentientem. Nouerat enim quia ibi una operatio reperit, ubi & una natura cognoscitur. Certus autem imperator super hoc factus scribit ad Ioannem papam Romanum prædictorum sententiam, qui nequaquam eorum sectam admisit. Porrò Georgio Alexãdrino defuncto, mittitur Cyrus episcopus Alexandriæ præferendus. Qui unitus Theodoro episcopo Pharan, fecit decoloratam hydram illam unitatem, imò uanitatem, unam & ipsi scribentes in Christo operationem. His ita prosequentibus, in ingens opprobrium Chalcedonense concilium & catholica corruit ecclesia. Gloriabantur enim Iacobitæ ac Theodosiani perhibentes, quia non nos Chalcedonensi synodo, sed potius Chalcedonensis synodus nobis communicauit, per unam operationem unam confitendo naturam Christi. Inter hæc Sophronius consecratur episcopus Hierosolymitanus. Qui congregatis sub se degentibus episcopis, impium monothelitarum dogma mucrone anathematis perculit, & synodicam Sergio Constãtinopolitano, & Ioanni Romano papæ transmisit. His uero auditis Heraclius confusus est, & destruere quidem propria nolebat, & rursus opprobria non ferebat. Tunc Heraclius ut magnum quiddam facere arbitrans, exponit scriptum illud quod nuncupatur Zenonis edictum, cõtinens neq; unam neq; duas operationes in Christo fatẽdas. Quo lecto hi quoq; qui sectatores Seueri sunt, & ita sapiunt, in popinis & balneis catholicæ detrahebant ecclesiæ, perhibentes: Primum quidem quæ sunt Chalcedonitæ Nestorij sentientes, resipuerunt ad ueritatem cõuersi, & uniti nobis sunt per

Sarbaras
Bornais rex
hormisda rex
Athanasius patriarcha Iacobitarum
Cyrus episcopus
Sergius monothelita
Imperator hæreticorum errore inficitur
Sophronius episcopus
Seueriani

unam operationem in unam Christi naturam. Nunc autem pœnitentes su-
per hoc, nec se habentes sensu, amiserunt utrumque, neque unam neque duas in
Christo operationes confitentes. Post mortem uero Sergij Pyrrhus Con-
stantinopolitanum suscepit thronum, qui quæ prædicta sunt à Sergio &
Cyro impie roborauit. Heraclio uero mortuo cum Constantinus filius eius
imperaret, Pyrrhus unà cum Martina ueneno hunc necauit. & imperat He-
raclonas Martinæ filius. Porrò senatus & tota ciuitas Pyrrhum ut impium
cum Martina & filio eius repulerunt. Et imperat Constans filius Constanti
ni, & consecratur Paulus episcopus Constantinopoleos & ipse hæreticus.
Ioannes autem Romanus præsul collecto episcoporum concilio, Monothe
litarum hæresin anathematizauit. Similiter & in Africa penes Byzantium
Numidiam & Mauritaniam, diuersi episcopi conuenientes, Monothelitas
anathemate perculerunt. Ioanne sanè dormiente Theodorus constituitur
pro eo papa. Pyrrhus uero cum peruenisset ad Africam mutuis cum san-
ctissimo Maximo uidetur aspectibus, Abbæ uidelicet religiosissimo in mo
nachicis correptionibus, necnon & diuinorum illic consistētium pontificum
præsentatur obtutibus. Qui hunc redargutum ac persuasum, Romam ad
papam Theodorum direxerunt. Qui orthodoxiæ libello tradito papæ, ab
eo receptus est. Interea cum Roma discessisset, Rauennamque peruenisset, ut
canis ad uomitum suum reuersus est. Quo papa comperto Theodorus ple-
nitudine conuocata ecclesiæ, ad sepulchrum uerticis apostolorum accessit, &
diuino calice expostulato, ex uiuifico sanguine in atramētum stillauit, & ita
propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati facit. Præterea cum
Pyrrhus Constantinopolim peruenisset, obeunte Paulo, audaces hæretici
Pyrrhum denuo throno Constantinopolitano præficiunt. Theodoro au-
tem papa defuncto Martinus sanctissimus Romæ consecratur antistes.
Cum autem Maximus Romam peruenisset, papamque Martinum ad æmu
lationem accendisset, synodo centum decem episcoporum collecta, Ser-
gium & Pyrrhum, & Cyrum, & Paulum anathematizauerunt, duasque uo-
luntates & operationes Christi dei nostri expressius prædicarunt atque fir-
marunt. Cæterum nono anno imperij sui Constans nepos Heraclij, indi-
ctione octaua, his agnitis furore repletus, sanctum Martinū & Maximum
Constantinopolim ductos & cruciatos apud Chersonam & alia climata
exilio relegauit, multos etiam Hesperiarum puniuit. Qui moti zelo dei syno
do sacra & ipsi conuocata Monothelitarum hæresim abdicant, duas uolun
tates & operationes explanant. Taliter ergo ecclesia tunc per imperatores
& impios sacerdotes turbata, surrexit desolatorius Amalech persequens po
pulum Christi: & fit prima ruina terribilis Romani exercitus, illa scilicet
quæ secundum Gabatham, & Hermucham, ac Demitharum ad effusio-
nem sanguinis est effecta: post Palæstinorum & Cæsariensium, & Hiero-
solymorum

Pyrrhus Sergio succedit

Pyrrhus ueneficus pellitur

Pyrrhi uarietas

Maximus

Pyrrhus cathedrā suam recipit

Martinus papa exul

solymorum excidia: Dein Ægyptius interitus, ac deinceps Mediterraneorum & insularum, totiusque Romaniæ captiuatio, sed & patrata in Phoenice omnimoda Romani exercitus & classis perditio, omnium que Christianarum plebium atque locorum destructio, quæ non cessauit, donec ecclesiæ persequutor peremptus est in Sicilia. Anno uigesimo primo Imperij Heraclij moritur Muhammath Sarracenorum qui & Arabum princeps & pseudopropheta, promoto Ebubezer cognato suo ad principatum suum. Ipsoq; tempore uenit auditio eius, & omnes extimuerunt. At uero decepti Hebræi in principio aduentus, æstimauerunt illum esse qui expectatur ab eis Christus: ita ut quidam eorum qui intendebant ei accederent ad ipsum, & eius religionem susciperent, Moysi lege inspectoris Dei dimissa. Erant autem numero decem qui hoc faciebant, cum ipso quoque degebant usque ad cædem eius. Porrò cum eum comedentem aspicerent de camelo, cognouerunt quod non esset quem æstimabant, & hæsitabant quid agerent, & utrum religionem eius dimitterent. Et formidantes miseri, docent eum contra nos Christianos. Et ita illi conuersabantur cum ipso. Necessarium autem reor enarrandum de generatione huius. Ex una generalissima tribu oriundus erat Ismahelis filij Abrahæ. Nizarus enim Ismahelis pronepos, pater eorum omnium dicitur. Hic genuit filios duos, Muhdar scilicet & Rabian. Muhdar genuit Iliez & Ziason, & Theominen, & Asydum, & alios signotos. Hi omnes habitauerunt Madianiten eremum, & in eo nutriebant pecora, in tabernaculis conuersantes. Sunt autem & his interiores, qui non sunt de tribu ipsorum, sed ex Getham, uidelicet hi qui uocitantur Amonitæ, qui & Homeritæ. Quidam sanè eorum negotiantur in camelis suis. Cum autem inops & orphanus esset prædictus Muhammath, uisum est sibi ad quandam introire mulierem locupletē, & cognatam suam, nomine Eadigam, mercenarius ad negociandum cum camelis eius apud Ægyptum & Palæstinam. Paulatim autem fiducia penes ipsam mulierem percepta, quæ uidua erat, accepit eam uxorem, & habebat camelos illius atque substantiam. Cumq; ueniret in Palæstinam, conuersabatur cum Iudæis & Christianis. Capiebat autem ab eis quasdam scripturas. Porrò habebat passionem epilepsiæ. Quo comperto coniunx eius ualde tristabatur, utpote nobilis, & quæ se huiusmodi copulasset, egeno scilicet & epileptico. Procurat uero & ipse placare illam taliter dicens: Quia uisionem quandam angeli Gabrielis dicti contemplor, & haud ferens huius aspectum mente deficio, & cado. Ipsa uero cum haberet quendam monachum alterum, propter infidelitatem ibidem exulem habitantem, amicum suum, indicauit ei omnia, & angeli nomen. At ille uolens eam reddere certam, dixit ei. Veritatem loquutus est. Etenim iste angelus mittitur ad cunctos

Ebubezer Muhammati successor

Muhammatī genus

Eadigam

Prophetæ persona induitur

prophetas. Ipsa ergo primo suscepto pseudomonachi uerbo credidit ei, & prædicabat id alijs mulieribus contribulibus suis, prophetam eum esse, & taliter ex fœminis fama peruenit ad uiros, primo duntaxat ad Ebubezer, quem successorem suum reliquit. Et tenuit hæresis eius partem eremi, postremo per bellum. Nam primum quidem occulte decem annis, & bello decem similiter, manifeste nouem. Docuit autem auditores suos, quod qui occidit inimicum, uel ab inimico occiditur, in paradisum ingrediatur. Paradisum uero dicebat carnalis cibi & potus, & commixtionis mulierum, fluuiumq́ue uini & mellis, & lactis, & fœminarum non præsentium, sed aliarum commixturam multorum annorum futuram, & affluentem uoluptatem, necnon & alia luxuria & stultitia plena. Compati tamen docebat inuicem, & auxiliari patienti. Porrò eodem anno natus est in oriente Dauid filius eius. Eademq́ue die natus est Heraclius filius Heraclij iunioris, qui & Constantinus appellatus est, & baptizatus est à Sergio patriarcha.

Nouũ deliriũ

Anno uigesimo secundo imperij Heraclij, Ebubezer dux Arabum habetur qui tribus principatus est annis. Persæ uero insurrexerunt inuicem, & se mutuo debellarunt. Per idem quoq́ue tempus Rex Indorum mittit munera cõgratulatoria Heraclio in Persarum uictoria, margaritas scilicet & lapides preciosos multos. Mortuus est autẽ Muhammath, qui statuerat quatuor Amireos expugnãdi Christianos, qui ex genere Arabum fuerant. Qui uenerunt contra Mucheas castellum, in quo erat Theodorus Begarius, uolentes irruere in Arabas die qua idolis immolaturi erant. Comperto autẽ hoc Begarius collegit omnes milites eorum qui eremum obseruabant, & diligenter sciscitans à Sarraceno diem & horam qua erant aggressuri eos, ipse irruens in eos in prælio quod dicebatur μόθος, occidit tres Amireos, plurimamq́ue populi turbam. Exiluit autem unus Amiras, Chalegus nomine scilicet, quem gladium dei dicunt. Erant autẽ Arabum iuxta positorum quidam, qui accipiebant ab imperatoribus rogas pauxillas ad custodiendum stoma eremi. Eodem tempore uenit quidam spado daturus militum rogas. Et cum uenissent Arabes secundum consuetudinem accepturi rogas suas, eunuchus eos ad iras impulit dicens: quia dominus uix dat militibus rogas, quanto minus canibus istis? Videntes ergo Arabes hoc abierunt ad generis sui uiros, & ipsi duxerunt eos in regionem Gazæ, quæ aditus erat eremi contra Sina montem locuples ualde. Anno uigesimo tertio Imperij Heraclij cum misisset Ebubezer quatuor prætores, qui ducti fuerant ab Arabibus, ut prætuli, uenerunt & acceperunt Ran, & totam regionem Gazæ. tandemq́ue aliquando cum uenisset Prætor à Cæsarea Palæstinæ cum militibus paucis inito bello perimitur primus cum exercitu qui trecentorum erat uirorum: & multis captiuis acceptis, & exuuijs plurimis, reuersi sunt cum uictoria splendida. Porrò eodem anno terræmotus

Theodori de Sarracenis uictoria
Chalegus
Sarraceni in Palæstinam

tus factus est in Palæstina: & apparuit signũ in cœlo quod dicitur δοκήτης, contra meridiem, prænuncians Arabum potestatem. Perdurauit autem diebus triginta extentum à Mesembria usque ad Arcturum: erat autem in modum gladij. Anno uigesimo quarto Imperij Heraclij Ebubezer moritur, qui principatus est annis duobus & dimidio, & sumit principatum Haumar. Qui destinat exercitum aduersus Arabiam, capitq; Bostra ciuitatem unà cum alijs ciuitatibus. Profecti sunt autem usque Gabata. Cum his bellum aggressus Theodorus Imperatoris Heraclij frater, uictus est, & ad Imperatorem Edessam uenit. Ast Imperator ordinat alium Prætorem nomine Bahanem, & Theodorum Saccellariũ cum uirtute Romaica, & aduersus Arabes mittit. Cumq; uenisset Hemesam occurrit multitudo Sarracenorum. Quibus occisis unà cum his qui eis principabantur, reliquos abigit usque Damascum, & illic iuxta Bardanensium fluuium latebras fouent. Heraclius autem Syria derelicta in desperationem ruens, sublatis preciosis lignis ab Hierosolyma Constantinopolim adijt. Bahanes autem à Damasco Hemesam redit unà cum Theodoro saccellario, cum haberet exercitus quadraginta milia, & insequuntur Arabes ab Hemesa usque Damascum. Anno decimoquinto Imperij Heraclij, Sarraceni aciem direxerunt in Arabia contra Damascum, cum essent multitudinis infinitæ. Quo Bahanes comperto, ad Imperialem saccellarium mittit, ut ueniret cum exercitu suo in auxilium sibi, cum plurima esset Arabum copia. Venit ergo Saccellarius ad Bahanem. Qui profecti ab Hemesa occurrerunt Arabibus: & conflictu facto, prima die, quæ tertia feria hebdomadis erat mensis Augusti die uicesima tertia, superantur hi qui circa Saccellarium sunt inuenti. Simultate autem facta, hi qui cum Bahane erant, Bahanem prouehunt Imperatorem, & Heraclium respuunt. Tunc hi qui cum Saccellario erant, discesserunt, & Sarraceni aditu reperto bellum ineunt. Inter hæc uento Noto spirante contra Romanos, non ualentes in faciem occurrere propter puluerem superantur, & semetipsos immittentes in artam uiam Hermuctan fluminis, illic penitus interierunt. Erant autem utriusque prætoris quadraginta milia. Tunc Sarraceni splendide triumphantes contra Damascum ueniunt & hanc capiũt, & regiones Phœnices capiunt, & habitant illic, & in Ægyptum aciem dirigunt. Cyrus autem Alexandrinus episcopus, cum horum impetum cognouisset, operam dedit, & pactis firmatis pollicetur, timens auariciam eorum, ducenta milia denariorum per singulos annos illis collaturam Ægyptum, sed & diffinitarum eis induciarum fore aurum missurum. Quibus præstitis per tres annos, Ægyptum liberam ab exterminio statuit. Accusatur interea Cyrus apud Imperatorem, quod aurum Ægypti Sarracenis tribueret. Qui cum iratus misisset, hunc accersiuit. Manuelem uero quendam Armenium

Haumar Amiras.
Bostra.
Theodorus uictus
Bahanes
Prælium apud Hemesam
Ligna crucis translata
Prælium parũ prosperum
Bahanis copiæ deletæ
Damascus cũ Phœnicia capta
Cyrus epũs pacem emit

genere destinauit Augustalem. Cum autem annus adimpletus esset, Sarracenorum actores uenerunt aurum accipere. Ast Manuel inefficaces eos expellit: Non sum inquiens Cyrus inermis, ut tributa uobis tribuam, sed armatus sum. Cumque isti abissent, confestim armantur Sarraceni aduersum Ægyptum, & Manueli bello illato hunc abigunt. Ipse uero cum paucis quibusdam Alexandriæ solus recipitur. Tunc Sarraceni Ægyptum sub tributo reddidere. Ast Imperator auditis his quæ gesta sunt, mittit Cyrum ad persuadendum eis ab Ægypto sub priori placito recedendi. Et abiens Cyrus ad castra Sarracenorum, rationem reddit, se esse perhibens præuaricationis obnoxium, & si uellent priorem concordiam, iuramentis affirmaturum. Porrò Sarraceni nullatenus his acquiescentes dixerunt episcopo: Potes hanc maximam columnam deuorare? Qui ait: non potest fieri. At illi. Nec nobis, inquit, possibile est ulterius ab Ægypto recedere.

Manuel Augustalis uictus Aegyptus Sarracenis tributaria

Anno uigesimo sexto imperij Heraclij, aciem direxit Haumar contra Palæstinam, & obsidens sanctam ciuitatem biennij tempore, cepit eam uerbo. Sophronius namque Hierosolymitanus summus sacerdos uerbum accepit ad totius Palæstinæ securitatem. Cumque Haumar sanctã ciuitatẽ fuisset ingressus, cilicinis ex camelis, & sordidis indumentis amictus, simulationemque satanicã ostentans, templũ exquisiuit, quod Salomon construxerat, ad blasphemiæ suæ oratorium. Hoc aduertens Sophronius ait: In ueritate istud est abominatio desolationis, quæ dicta est per Danielem prophetam, stans in loco sancto. multisque lachrymis hic pietatis propugnator Christianam defleuit plebem. Dum uero illic Haumar esset, rogauit eum episcopus accipere Sindonem cum indumento & indui, At ille non patiebatur ea portare. Vix ergo persuasit his uestiri, donec sua lauarentur, & iterum reddidit ea Sophronio & uestitus est proprijs. Verum inter hæc Sophronius obijt, qui uerbo & actu Hierosolymitanam adornauit ecclesiam, & contra Heraclij & fautorum eius Monothelitarum, Sergij scilicet & Pyrrhi decertauit errorem. Eodemque anno misit Haumar in Syriam, & subegit totam Syriam Sarracenis.

Hieros. Haumari dedita

Syria Sarracenis subacta

Anno uigesimo septimo Imperij Heraclij uenit Ioannes cognomento Chatheas procurator Hozroenæ ad Hyaidũ apud Chalcedonẽ, & spopondit ei dare per singulos annos centum milia numismatum, ne transiret Euphraten, neque ad pacem, neque ad bellum armatus, quousque auri quantitatem persoluant. Præterea Ioannes Edessam uenit, & annuum censum delatum ad Hyaidum transmisit. Heraclius hoc audito Ioannem obnoxium iudicabat, quod absque imperiali hoc fecerit notione, quem accersitum exilio damnauit. Porrò pro eo destinat Ptolemæum quendam magistrum militum.

Anno uigesimo octauo Imperij Heraclij ceperunt Arabes Antiochiam, & missus est Muhauias ab Haumaro prætor, & Amiras totius regionis

Antiochia amissa

regionis, quæ sub Sarracenis erat ab Ægypto uidelicet usque Euphraten.

Anno uigesimo nono Imperij Heraclij transmeauit Hyaidus cum omni militia sua ad Euphraten, & uenit Edessam. Edesseni autem aperientes acceperunt uerbum unà cum regione, magistroq; militum, ac Romanis qui cum ipso erant. Ast illi Constantiam abeunt, depopulantesque illam accipiunt bello, & trecentos Romanos interimunt: & illinc abierunt Daras, & hanc bello comprehenderunt, & in illa plurimos perdunt: taliterque Mesopotamiam Hyaidus cepit. Anno trigesimo Imperij Heraclij Sarraceni aciem direxerunt in Persidem, & ineunt cum eis bellum, potenterque uincentes, omnes sibi Persas subditos reddunt. Hormisdas autem, qui Persis imperabat, ad interiores Persas fuga lapsus euasit, & dimisit regalia. At uero Sarraceni captiuas duxerunt filias Chozrois cum omni apparatu regio, & detulerunt ad Haumar. Eodem quoq; anno iussit Haumar uniuersum describi orbem, qui sub ipso erat. Facta est autem descriptio tam hominum quàm iumentorum & frugum.

Mesopotamia amissa

Sarraceni Persas subigunt

CONSTANTINUS



NNO trigesimo primo Imperij sui Heraclius Imperator moritur, hydropicus factus, cum imperasset annis triginta. Imperat autem post eum Constantinus filius eius mẽsibus quatuor, uenenoq; propinatus à Martina nouerca sua & Pyrrho patriarcha moritur, & Imperat Heraclonas Martinæ filius cum matre Martina.

HERACLONAS



NNO primo Imperij Heraclonæ, capit Muhauias Cæsaream Palæstinæ post septennium obsidionis eius, & occidit in ea septem milia Romanorum. Eodem anno senatus repulit Heraclonam unà cum Martina matre illius ac Valentino, lingua Martinæ, & naso Heraclonæ abscisso. Eisq; in exilium destinatis ad principatum Constantem filium Constantini, nepotem Heraclij prouehunt, qui imperauit annis uigintiseptem.

Cæsarea Palæstinæ amissa.

Heraclonas exulat

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER VNDEVIGESIMVS

CONSTANS



NNO ab incarnatione Domini DC.XXXIIII Constans imperare cœpit. Cum primo uidelicet imperij sui anno regnare cœpisset, dicebat ad Synclitum: Patris mei Constantini qui me genuit, quicq; in uita proprij genitoris, aui mei scilicet Heraclij, sufficienti tempore cum eo Imperauit, post hæc uero etiam nimis breui, suauissimam spem Marinæ nouercæ ipsius inuidia concidens uita priuauit: & hoc propter Heraclonam qui ex ea & Heraclio nefarie natus est. Quam Martinam cum nato uestrum cum deo decretum iure ab Imperio repulit, ne uiolaret tam nequam Romanorum Imperium, ualde prouida cum esset amplissima uestra & honesta magnificentia. Propter quod rogo uos habere uos consiliarios, & peritos ex communi subiectorum obsequio. Et his dictis dimisit Senatum, hunc donis dapsilibus honorans. Anno Imperij Constantis secundo cœpit Haumar ædificare templum in Hierusalem, & non stabat, sed ruebat structura. Sciscitanti autem ei causam: dixerunt Iudæi, quia nisi crux, quæ est supra templum montis oliuarum tollatur, haud stabit structura. Et propter hanc causam, sublata est crux illinc, & ita constitit illic ædificium. Propter hanc etiam causam multas cruces fecerunt hi qui adorant Christum. Anno tertio Imperij Constantis, seditionem excitauit Valentinianus patricius. Mittensq; Imperator hunc occidit, & populum ad sui reduxit beneuolentiam. Anno quarto Imperij Constantis, fraude occisus est Haumar Sarracenorum dux à quodam Persa Margarita. Denique inuentum cum adoraret, pupugit eum in uentre gladio affixo. & sic uiuere desijt cum Amiras fuisset annis duodecim. Et post eum statuitur Hoamen huius cognatus, filius Tufan. Anno quinto Imperij Constantis Hoamen Arabum princeps habetur, & simultatem concinnat Gregorius patricius Africæ unà cum Afris. Anno sexto Imperij Constantis, factus est in terra uentus uehemens, qui multa germina euulsit, arboresq; ingentes radicitus extirpauit, atque multas columnas & chorum deposuit monachorum. Eodem uero anno Sarraceni hostiliter Africam adierunt, & conflictu agitato aduersus tyrannum Gregorium, hunc in fugam uertunt. Et eos qui cum

Verba Constã tis ad Senatũ

Haumar templum in Hierusalem ædificat

Valentinianus patricius occisus

Hoamen Amiras

Gregorius tyrannus

Procella

cum ipso erant, interimunt, & hunc ab Africa pellunt. Atque tributis cum Afris ordinatis & pactis reuersi sunt. Anno septimo Imperij Constantis, exercitum mouit Muhauias per mare aduersus Cyprum. Habebat autem scaphas mille septingentas, & cepit Constantiam cum insula tota. Cum uero hanc cepisset, exterminauit. Porrò audiens Carcorizum cubicularium contra se cum plurima uirtute Romaica uenientem, nauigauit aduersus Aradum, & applicans cum nauigio suo apud municipium insulæ castrum conabatur capere, uarijs machinamentis usus. Cum autem nil agere ualuisset, mittit episcopum quendam Thomaricum nomine, deterrens eos quo dimitterent ciuitatem, & sub fœdere suo essent, exirentque ab insula. Cum itaque ad eos episcopus fuisset, tenuerunt eum. Porrò Muhauiæ cedere noluerunt. Igitur obsidione quam aduersus Aradum construxerat, nullius momenti effecta, Damascum reuersus est. Nam hyems accesserat. Anno octauo Imperij Constantis mouit Muhauia exercitum ualenter aduersus Aradum prȩliaturus, & hanc obtinuit uerbo, ad habitandum dimittens ciues, ubicunque uoluissent. Ciuitatem uero muris dissolutis incendit, & insulam usque ad præsens inhabitabilem statuit. Anno nono Imperij Constantis, Busur princeps exercitus unà cum Arabibus acies direxit aduersus Isauriam, & occisis multis cum quinque milibus captiuorum reuȩrsus est. Mittit autem Imperator Constans Procopium quendam ad Muhauian quærens pacem. Quod & factum est annis duobus, Gregorium filium Theodori sumente Muhauia loco pignoris in Damascum. Anno decimo Imperij Constantis, simultatem excitauit Imperatori Fasagnates Armeniorum patricius, & fœdera pepigit cum Muhauia dans ei filium suum. Quo audito Imperator uenit usque ad Cæsaream Cappadociæ, & desperatus ab Armenia redijt. Anno undecimo Imperij Constantis, cinis è cœlo descendit, & timor magnus super omnes homines cecidit. Anno duodecimo Imperij Constantis Muhauias Rhodum rediens, destruxit Colossum eius post mille trecentos sexaginta stabilitatis ipsius annos. Quem cum Iudæus quidam Emesenus negociator emisset, nongentos camelos ex eius ære onerauit. Eodem anno Auidus Arabum prætor aduersus Armeniam mouit. Qui consequutus Maurianum prætorem, insequutus est eum usque ad Caucasios montes, & regionem deprædatus est. Anno decimo tertio Imperij Constantis, præcepit Muhauias armaturam fieri magnam nauium, quo ascenderet ad regiam urbem classis eorum. Omnis autem apparatus eorum apud Tripolim Phœnices consistebat. Verum hoc uiso, duo fratres quidam Christi amici Tripoli manentes, filij buccinatoris cuiusdam, zelo dei sauciati ad carcerem ciuitatis cucurrerunt impetu: habebat autem multitudinem Romanorum

Africa Sarracenis tributaria

Cyprus uastata

Aradus obsidetur

Aradus incesa

Armeni ab Imp. deficiunt

Cinis pluit

Colossus fractus

Armeniæ populatio

manorum uinculatorum : & diſruptis portis, uincliſq; ſolutis in Amiram irruerunt. Quo perempto unà cum his qui cum eo erant, præparaturaq; omni igni tradita, in Romaniam nauigio tranſierunt. Veruntamen nec ſic illi ab eadem præparatura ceſſauerunt. Sed Muhauias quidem militat contra Cæſaream Cappadociæ. Ablulathar uero fabrum naualis ſtructuræ conſtituit, qui ueniens in locum diuertit, uocabulo Phœnicem Lyciæ, ubi erat Conſtans Imperator, atque Romaicus ſtolus, cum eo naualiter pugnaturi. Cumq; futurum eſſet, ut Imperator cum ipſo nauigio præliaretur, contemplatur nocte illa uiſum, uidelicet apud Theſſalonicenſes eſſe. Porrò cuidam cōiectori ſomniorū expergefactus narrat uiſionem. Qui ait: O Imperator, utinam nec dormiſſes, nec ſomnium aſpexiſſes. Nam eſſe Theſſalonicæ θὲς ἄλλῳ νίκην innuit, quod interpretatur: pone alij uictoriam, id eſt ad inimicum tuum uictoria uertitur. Sanè Imperator nihil inueniens ad prælium naualis pugnæ, Romanorum claſſes præſtruxit ad bellum. Quibus in alterutrum irruentibus ſuperantur Romani, & commixtum efficitur mare ſanguine Romanorum. Induit autem Imperator alium ueſte ſua, & inſiliens prædictus buccinatoris filius in regiam ſcapham Imperatorem arripuit, & in aliam nauim tranſductum inopinate ſaluauit, Porrò ipſe fortiſſimus uiriliter inſiſtens Imperatoriæ naui multos occidit, mortiq; ſeipſum pro Imperatore contradidit. Hunc præterea hoſtes circundantes, & in medio retinentes, putabant ipſum eſſe Imperatorem. Poſtquam autem multos occiderunt, interfecerunt hoſtes & ipſum unà cum eis qui portabat Imperatoriam ueſtem. Aſt Imperator taliter in fugam uerſus ſaluatur, & derelictis omnibus nauigauit Conſtantinopolim. Anno decimoquarto imperij ſui dolo necatus eſt Hoamen Arabum dux, cum Amiras decem fuiſſet annis. Fit interea duellum in medio ipſorum. Quotquot enim penes eremum erant, alij uolebant conſobrinum, alij generum exiſtentem quondam Muhammath. Hic uero qui in Syria & Ægypto Muhauiam cupiebant, qui & uicit, & obtinuit annis uiginti quatuor. Anno quinto Imperij Conſtantis, Arabum princeps Muhauias habetur. Qui exercitum congregauit aduerſus Halim, & congrediuntur ambo in terra Baliſſum iuxta Euphraten. Hi uero qui erant Muhauiæ cum eſſent ualidiores, aquam obtinuerūt. Vnde in ſitim uenientes hi qui erant Halin, defecerunt. Porrò Muhauias bellare noluit, ſed ſine labore uictoriam tulit. Anno decimoſexto Imperij Conſtantis exercitum mouit contra Sclauiniam Imperator, & captiuos duxit plurimos, & ſubegit. Anno decimo ſeptimo Imperij Conſtantis facta eſt conuentio inter Romanos & Arabes, Muhauia legationem mittente ob rebellionem, ut tribuant Romanis Arabes per ſingulos dies, numiſmata mille, & equum & ſeruū. Eodem uero anno exilio

Ablulatha — *Somnium* — *Nauale prælium* — *Hoamen occiſus* — *Muhauias Amiras* — *Arabū ciuile bellum* — *Arabes Ro. tributarij*

lio ductus est Martinus sanctissimus papa Romanus, pro ueritate forti/ter agonizans, & confessor factus, in climatibus Orientis defunctus est.

Martinus papa

Anno decimooctauo imperij Constantis, Constans occidit Theodo/sium proprium fratrem suum. Cum autem essent Arabes apud Saphin, do/lo necatus est Hali prædictus, & singulariter imperat Muhauias regio more Damascum inhabitans, pecuniarum illic thesauros recondens. An/no decimo nono imperij Constantis apparuit hæresis Arabij, eorum uide/licet qui dicuntur Carurgitæ. Muhauias autem hos aggressus, eos qui erant in Perside humiliauit. Eos uero qui in Syria erant, exaltauit. Et alios qui/dem uocauit Hisamitas, alios autem Heraclitas. Et Hisamitarum quidem donatiua sublimauit, usq; ad ducenta numismata. Porrò Heraclitarum de/posuit usque ad triginta. Anno uigesimo primo imperij sui, exercitum mouerunt Arabes contra Romaniam, & multos deprædati sunt, & loca nonnulla depopulati. Anno uigesimo secundo imperij Constantis præ/dæ patuit Ciliciæ pars, & habitauerunt Damasci uoluntate sua. Anno uigesimo tertio imperij Constantis factus est error Ieiuniorum, & exerci/tum mouit Habdinarramen Chaldæus aduersus Romaniam, & in ea hye/mauit, & multas demolitus est regiones. Porrò Sclauini ad hunc confluen/tes cum ipso descenderunt in Syriam numero quinq; milia, & habitabant in Apamiensium regione in castello Seleucobri. Anno uigesimo quarto Busur exercitum in Romaniam mouit, & mortuus est Thomaricus episco/pus Apamiæ, & incensus est episcopus Emesenus. Anno uigesimo quin/to imperij Constantis exercitum rursus mouit Busur in Romaniam, & ex/terminauit partes Hexapoleos & Phadalæ, illicq; hyemauit. Anno ui/gesimosexto imperij Constantis, Armeniacorum Prætor Saporius, Persa genere, tumultuatus est contra Constantem imperatorem, mittitq; ad Mu/hauiam Sergium magistrum militum, pollicens Muhauiæ subiugare Ro/maniam, si ipse sibi auxiliaretur aduersus imperatorem. Quo comperto Constantinus filius imperatoris, mittit & ipse ad Muhauiam, Andream cubicularium cum muneribus, ne rebelli cederet. Cumq; uenisset Andreas Damascum, reperit Sergium præuenisse. & cum ingressus fuisset Andreas, intuitus eum Sergius surrexit. At uero Muhauia Sergium reprehendit, di/cens, Quid formidasti? Qui respondit se iuxta morem fecisse. Conuersus præterea Muhauia, dicit Andreæ, Quid quæris? Qui ait, Ut des auxilium contra rebellem. At ille, Ambo, inquit, inimici estis: sed ego ei qui præbue/rit dabo. Et Andreas ad eum, Ne ambigas infit Amiras, quomodo tibi im/peratoris meliora sunt, quàm plura rebellis. Verumtamen quod amabilius tibi fuerit age. Et his dictis Andreas tacuit. At uero Muhauias ait, Tra/ctabo super hoc, & ambos iussit exire. Porrò aduocato Muhauias secre/to Sergio. Dicit ei, Ne ulterius adores Andream, alioquin nihil proficies.

Imperatoris paricidium

Damascus regia

Carurgitæ

Habdinarramen

Sapor

Legationes ad Muhauiã

In crastinum

In crastinũm uero perueniens Sergius coram Muhauia sedebat,& ingresso Andrea,non ei assurrexit ut heri. Andreas uero intuitus Sergium, hunc con uitijs lacerauit,& commotus est ei dicens, Si uixero, demonstrabo tibi quis sim. Cui Sergius, Nõ assurgo tibi, inquit, quia neq; uir es, neq; fœmina. Por rò Muhauia utrumq; compescens, Andreæ dixit, Assentire dare, quemad/ modum Sergius dat. Et quantum est? ait Andreas. Muhauia dixit, Illatio/ nem publicorum præbere Arabibus. Ast Andreas, Væ tibi, ait, Muhauia, qui consilium tribuis corpus dandi,& solam umbram retinendi. Quomodo cunq; uolueris cum Sergio conueni, hoc enim ego minime facio. Verumta/ men te dimisso ad deum qui te potentior est, ut Romanis opituletur consu/ gimus,& in eo spem posuimus. His dictis Muhauiæ infit, salue, & exiuit à Damascensium ciuitate,& abijt Militenen, eo quod tyrannus esset in parti/ bus illis, ad quas Sergius erat iturus. Quumq; adisset Arabessum, incurrit clausurarum custodem, non enim consentiebat tyranno. Huic ergo præce/ pit Sergium redeuntem ut adduceret ad se. ipse uero pergebat non im/ memor, Sergium præstolans. Quæ uero gesta sunt, nunciauit imperatori. Interea Sergius tractans cum Muhauia quæ uisa fuerant, accepit Phada/ lam prætorem Arabum cum ope Barbarica cõcertaturum & auxiliaturum Sapori. Quum autẽ præcederet Sergius Phadalam,& ad Sapor gratulan/ ter abiret, deuenit ad clausuras,& in Andreæ incidit turbas: & hunc retinen tes, uinctum ad Andream aduehunt. At uero Sergius uiso Andreæ, iactat semetipsum ad pedes eius, obsecrans parcere sibi. Ille autem ad eum, Tu, in/ quit, es Sergius, qui gloriabaris in uirilibus coram Muhauia, meq; muliercu lam appellabas. Ecce amodo uirilia tua tibi nihil proderunt, quin potius & morte afficient. His dictis præcepit uirilia eius abscidi,& suspendi eum in li/ gno. Constantinus autem audito Phadalæ aduentu in Saporis auxilium, Nicephorum patricium destinat cum Romana uirtute resistendi Sapori. Erat autem Sapor Adrianopoli degens, & quum Nicephorum ad se ueni/ re comperisset, exercebat semetipsum ad prælium. Verum die quadam con/ tigit hunc secundum consuetudinem de ciuitate super equum sedentem exi re. Quumq; portæ ciuitatis appropinquasset, equum flagello percussit. Qui iactanter saliens, & huius caput in portam adlidens, hunc uita male priua/ uit,& sic deus uictoriam imperatori contulit. Phadalas autẽ ueniens in He/ xapolim,& hæc omnia discens turbatus est,& mittit ad Muhauiam postu/ lans adiutorium, eo quod Romani ad concordiam conuenissent. Mittit au tem Muhauias filium suum Gizid, armans eum cõtra multitudines Roma norum. Conuenerunt autem utriq; apud Chalcedonem, & captiuos duxe/ runt multos. Ceperunt autem & Amorium Phrygiæ, & quinq; milibus ar/ matorum uirorum dimissis in custodiam, diuerterunt in Syriam. Quum au tem hyems accessisset, mittit imperator eundem Andream cubicularium,& quum

Sergius suspensus

Saporis exitus

Amorium captum

cum nix multa esset, noctu uenit, & per lignum ascendit in murum: & ingrediuntur Amorium, & omnes interficiunt Arabes, ita ut ex quinque milibus illis nullus penitus remaneret. Anno uigesimo septimo Imperij sui Constans occisus est dolo in Sicilia apud Syracusam, in balneo cui nomen erat Daphne. fuerat autem causa hæc. Post interemptionẽ fratris sui Theodosij odio habitus est à Byzantijs, & maxime quia Martinum sanctissimum papam ignominiose Constantinopolim duxit, & exilio relegauit penes Chersonis climata, & maximi & sapientissimi confessoris linguam manumque truncauit, & multos orthodoxorum uerberibus & exilijs, & proscriptionibus, eo quod hæresi suæ nullatenus acquiescerent, cõdemnauit. Quin & duos Anastasios, qui fuerãt discipuli Maximi confessoris & martyris, tormentis & exilijs tradidit. Propter talia ergo exosus effectus est. Cũ autem ualde metueret, uoluit in urbem Romam imperium transferre. Vnde Imperatricem & tres filios suos tollere à Byzantio uoluit, nisi Andreas cubicularius & Theodorus patricius Coloniæ, huius prohibuissent cõsilium. Sanè in Sicilia fecit annos sex. Cumque prædictum balneũ ingressus esset, introiuit cum eo quidam Andreas filius Troili, obsecundans illi. Et cum cepisset sapone gallico deliniri, sumens Andreas situlam, dedit eam in uerticem Imperatoris, & protinus fugit. Ast Imperator cũ tardaret in balneo, insiliunt hi qui foris erant, & reperiũt Imperatorem occisum. Quo sepulto, Mitium quendam Armenium Imperatorem faciunt, ui cogentes eum, erat enim ualde decorus & speciosus. Audito præterea Cõstantinus patris obitu, cum multo nauigio in Siciliam uenit, & aggressus Mitium hunc interfecit cum occisoribus patris sui. Et ordinatis Hesperijs Constantinopolim redijt, & Romanis unà cum Tiberio & Heraclio fratribus imperat.

Amorium receptum

Constantini cædes

Mitius occisus

CONSTANTINVS

ANNO ab incarnatione Domini DC.LX. Constantinus Imperat. Sarraceni autem mouerunt exercitum in Africam, & captiua duxerunt milia, ut ferunt, octoginta. Porrò hi qui orientalium partium erant Chrysopolim uenere dicentes: Si in Trinitatem credimus, omnes tres coronemus. Turbatus ergo est Constantinus eo quod ipse solus redimitus, fratres aũt eius nullam dignitatem habebant: & misso Theodoro patricio Coloniæ mitigauit eos, super laudans illos: & assumptis maioribus natu, ut Vrbem ingrederentur rogauit, & cum Senatu inirent consilium, ut fiat uoluntas eorum. Imperator autem hos deceptos, confestim in patibulo suspendit transfretum in Syce. At illi hoc uiso, confusi abierunt dolenter ad propria. Constantinus ergo fratrum suorum nares abscidit.

Africæ populatio

Const. fratres narib. truncat

Anno secundo Imperij Constantini tempestas magna effecta est, & multi periclitati sunt, tam homines quàm bestiæ. Phadalas autem hyemem fecit apud Cizicum. Anno tertio Imperij Constantini profectus est cum hostili apparatu, & plurimis captiuis ductis reuersi sunt. Anno uero IIII

Constantini, apparuit Iris in cœlo mense Martio, & tremuit omnis caro, ita ut omnes dicerent, quod consummatum est. Eodem anno, stolo magno constructo, negatores Christi, Muhammat scilicet & Caysus nauigauerũt in Ciliciã & Lyciam. & facta est mortalitas in Ægypto. Missus est autem Sæuus Amires cum alio quoq; stolo in auxilium ipsorum, utpote congruentissimus & audax ad prælium. At uero prælatus Constantinus huiuscemodi deum impugnantium aduersus Constantinopolim motu cõperto, construxit & ipse trieres miræ magnitudinis ignem ferentes atq; dromones. Anno quinto Imperij Cõstantini prædictus deum impugnantium stolus ascendens applicauit in Thracensibus partibus, à summitate uidelicet Septimij, quæ uergit ad occidentem, id est à domo quæ Magnaura dicitur, & rursus usq; ad arcem, quam Cyclobium dicunt, quęcq; spectat ad Orientem. Per totum itaq; diem cõgressio belli tenebatur, id est, à mane usq; ad uesperam, à brachialio aureæ portæ usq; Cyclobiũ, inuicem utraq; parte in uno puluere impellente. In his ergo deguerunt ab Aprili mense usq; ad Septembrem: & reuersi Cizicum pergunt, & hac comprehensa illic hyemabant, & omni uere ascendentes similiter conflictũ cum Christianis habebant. Per septem sanè annos eisdem gestis, diuina, deiq; genitricis ope multitudine uirorum bellicosorum amissa, & uulneratione maxima in eis effecta confusi ac reuersi cum ingenti mœsticia sunt. Cum autem discessisset idem demergendus à deo stolus, ab hyemali æstu ac spiritu procellarum circa partes Scillei comprehenditur, & contritus totus omnino disperijt. Suphian autem filius Aruph secundus frater commisit bellum cum Floro, & Petrona & Cypriano habentibus Romaicam uirtutem, & occiduntur triginta milia. Tunc Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos profugus uenit, qui marino igne cõfecto Arabum uasa exussit, & unà cum animalibus incendit: & ita Romani cum triumpho reuersi sunt, marino igne adinuento. Anno sexto Imperij Constantini Cadallus filius Chaysi & Phadalas hyeme apud Cretam morati sunt. Anno septimo Imperij Constantini apparuit signum in cœlo in die sabbati. Anno octauo Imperij Constantini facta est locusta magna per Syriam & Mesopotamiam. Anno nono Imperij Constantini ingressi sunt Mardaitæ Libanum, & tenuerunt à Mauro monte usq; ad sanctam ciuitatem, & ceperunt cacumina Libani, & multi captiui & serui & indigenæ confugerunt ad eos, ita ut multa milia in breui tempore fierent. Quibus compertis Muhauias & consiliarij eius timuerunt ualde, colligentes quod Imperium Romanum diutius muniatur: & dirigit legatos ad principem Constantinum postulans pacem, & pollicitus annualia se Imperatori pacta laturum. Ast Imperator huiuscemodi susceptis, eorumq; petitione audita, destinauit cũ eis in Syriam Ioannem patricium cognomento Pitzigaudin, tanquã antiquæ prosapiæ uirum, Reip. & multorum negociorum expertum, atq; magnam

consequutum

Expeditio Sarracenorũ

Sarraceni in Thraciam

Cizicus capta

Naufragium

Prælium.

Callinicus

Sarraceni in creta

Mardi in Syriam

consequutum prudentiam, ad disputandũ aptissime cum Arabibus & quæ pacis sunt consone præstruendum. Qui cum uenisset in Syriam, coaceruatione Muhauias tam Amireorum quàm Girasinorũ effecta, suscepit eum cum honore magno. Multis ergo inter eos uerbis pacificis edictis conuenit inter utrunq; in scriptis fieri pacis cum iureiurando sermonem super consonantia annui pacti, præbendi uidelicet Romanæ Reip. ab Agarenis auri librarum tria milia, uiros captiuos quinquaginta. His ex communi placito inter utranq; partem firmatis, & in triginta seruandis annos mutuo repromissis, amplissima pax inter Romanos & Arabes est effecta. Sicq; generalibus duobus inscriptis uerbis ad alterutrum cum iure iurando patratis & inuicem traditis, sæpedictus famosus uir ad Imperatorem cum muneribus quoq; multis reuersus est. Cum autẽ hæc didicissent hi qui Hesperias partes inhabitant, tam uidelicet Chaianus Auarus, & ulteriores reges, quàm exarchi & Castaldi, nec nõ & principes nationum ad occidentem sitarum, per legatos muneribus Imperatori transmissis pacificam erga se dilectionem poposcere firmandam. Annuens itaq; Imperator postulationibus eorum confirmauit etiam circa illos donatoriam pacem, & facta est securitas magna in Oriente, nec nõ & occidente. Anno decimo Imperij Constantini factus est terręmotus magnus per Mesopotamiam. Corruit Edessenæ ascensus & trullus ecclesiæ, & cõstruxit eum Muhauias Christianorum studio. Anno undecimo Imperij Constantini mortuus est Muhauias protosymbolus Sarracenorum, qui fuit prætor annis uigintiquatuor, & principari cœpit Gizid filius eius. Hoc quoq; anno Bulgaris gens superuenit in Thracem. Verum inter hæc necesse est dicere de antiquitate Onogundurensium Bulgarum, & Contragensium. In septentrionalibus nanq; Euxini ponti partibus quæ meabiles sunt, & in paludibus quæ dicũtur Mæotides, in eas immittitur fluuius maximus ab oceano per Sarmatarum terram dilapsus nomine Atel: cui Tanais amnis est iunctus, & ipse ab Iberibus portis exiens, quæ in Caucasijs montibus esse feruntur, & in eundem Atel fluens infertur. A mixtura uero Tanais & Atel, quæ fit supra iam dictas Mæotidas paludes, dum scinditur Atel, uenit is qui dicitur Eucthis fluuius in Mæotidas paludes, & redit in terminum pontici maris, iuxta Necropela, & acroma quod dicitur arietis facies. A præsignatis uero paludibus simile flumen mari est, & fertur in Euxini ponti mare per terram Bospori Cimmerij, ex quo flumine capitur id quod dicitur Murzilin & huic similia. Et in partibus quidem adiacentium paludum quæ spectant ad Orientem, usq; ad Phanagoriam seu Iberos qui ibidem sunt, plurimę nationes consistunt. Ab eisdem aũt paludibus usq; in amnem qui dicitur Cuphis, ubi Xyxtus capitur, qui dicitur Bulgaricus piscis, antiquitus Bulgaria est magna, & hi qui dicuntur Contragi eiusdem cuius & ipsi tribus existunt. Temporibus autem Constantini, qui in occidente regnauit, cum Orbatus dominus iam

Pax cum Sarracenis

Pax uniuersalis

Gizid Amiras

Bulgarorum origo

Atel

Tanais

Eucthis

Phanagoria

Cuphis

Bulgaria magna

dictæ legionis Bulgariæ seu Contragorum uitam commutaret, ac filios quinq; relinqueret, testatus est ne ullo modo à mutua cohabitatione separarentur, ipsiq; nulli alteri nationi seruirent. Post breue autem tempus mortis illius, in diuisionem uenientes quinq; filij eius altrinsecus sequestrati sunt unà cum populo, quem unusquisq; eorum ditioni suæ subiectum habebat. Et primus quidem filius eius qui dicebatur Buthaias, mandatum proprij custodiens patris, in progenitorum suorum terra permãsit usq; in præsens. Secundus uero huius frater nomine Contargus Tanaim trãsiens fluuium, ex aduerso primum habitauit fratri. Quartus autem & quintus Istrum, id est, Danubium fluuium transmeantes, unus eorum in Auariæ Pannonia Chaiano Auaro se subdens, mansit illic cũ potentatu suo: alter uero haud procul ab urbe Rauenna in Pentapolim ueniens, sub Christianorum Imperio factus est. Deinde horũ tertius Hasparuch dictus, Danaprin & Danastrin trãsiens, & Honglon adiens, boreos interiores Danubio fluuios, inter hunc & illos habitauit, tutum & difficilem locũ hinc & inde conspiciens: dum enim esset palustris, & hinc illincq; fluminibus coronatus, copiosam genti propter hostium participationem humilitate pręstabat quietem. His autem ita in quinq; diuisis, & ad paucitatem deuenientibus, exiuit gens magna Gazarorum ex interiori profundo Berziliæ primæ Sarmatiæ, & dominata est omni peruiæ terræ usq; ad Ponticum mare: & primũ fratrum Buthaiam primæ Bulgariæ principem substituit, ordinatis uectigalibus, quæ ab eo deferuntur usq; nunc. Ast Imperator Constantinus comperto quod ex Triplo gens immũda & sordida ultra Danubiũ apud Honglon tabernaculum fixerit, & appropinquans Danubio discurrit per regionem quæ nunc tenetur ab illis, quæq; tunc à Christianis possidebatur, tristatus est uehementer, & iubet transire omnes exercitus in Thracem. Et construens classem tam per terram quàm per mare cõtra eos motus est, hos bello persequi uolens, & contra Honglon atq; Danubium per Epirum pedites in aciem dirigens, & appropinquans littori naues adesse præcepit. Porrò Bulgares hac celeritate seu maxima multitudine uisa, super salute sua desperati ad præsidium prædictum confugiunt, & sese circũquaq; muniunt. Per tres autem dies & quatuor, ex huiuscemodi munitione nec illis exire audentibus, nec Romanis propter adiacentiũ paludum occasionem prælium construentibus, animaduertens polluta gens remissos Romanorum animos recreata & alacrior facta est. Porrò cum Imperator pedum dolorem acrius pateretur: & ad Meridiem cogeretur ob balnei usum unà cum quinq; Dromonibus & proprijs hominibus suis reuerti, deseruit magistratus & populum, iubens eum lanceis uibrantibus exercitari, & impetum in eos mouere si fortassis exirent. Sin autem, obsiderent eos & obcluderent munitionibus. At uero hi qui erant equestris militiæ, Imperatorẽ fugisse diffamantes, metuq; oppressi, eadem tergiuersatione abusi sunt nemine persequente. Porrò Bulgares

Bulgari quinquepartiti
Buthaias
Contargus
Duo Bulgari fratres Istrum traijciunt
Hasparuch
Gazari
Bellum Bulgaris infertur
Fuga Ro.

Bulgares hoc uiso insequebantur post terga ipsorum,& plures quidem gladio peremerunt,multos uero uulnerauerunt,persequuti eos usq; ad Danubium. Quem transeuntes,& uenientes usq; ad eam quæ dicitur Barnan circa finem Odissi:& mediterraneo illic posito perspecto, quod in multa cautela cõsisteret,in posterioribus quidem propter Danubium fluuium,in anterioribus autem,& ex lateribus ob clausuras & ponticum mare:præsertim cum dominarentur adiacentium Sclauinorum generationibus, quæ dicebantur septem : Seueros quidem locauerunt ab anteriore clausura Veregaborum ad partes Orientales: in locis autem quæ sunt ad Meridiem & Occidentem usq; ad Auariam , residuas septem generationes quæ sub pacto erant.Ergo cum dilatati fuissent in his,elati sunt & cœperũt ea quæ sub Romana Rep. erãt castra seu prædia destruere atq; prædari. Vnde ui coactus Imperator fecit pacem cum eis,annua illis præbere pacta pollicitus in confusionem Romanorum ob multitudinem delictorum . Mirabile quippe ipso auditu erat his qui longe & qui prope degebant , quod is qui omnes tributarios sibi statuerat,tam uidelicet eos qui ad Eoum & occasum,quàm ad Arctum & Mesembriam commorabantur,ab ista detestabili gente fuerit superatus. Verum Imperator ita quidẽ ex prouidentia Dei hoc Christianis contigisse credens , euangelice tractans pacem fecit : & fuit usq; ad obitum suum quietus à cunctis hostibus, studium habens præcipuum uiuendi, ecclesias uniuersas Dei , quæ ubique diuisæ fuerant, à temporibus Heraclij proaui sui & Sergij uæsani ac Pyrrhi , qui indigne throno Constantinopoleos præfuere, unam uoluntatem & unam operationem in domino deo saluatore nostro dogmatizantium. Quorum nequam opiniones idem Christianissimus imperator concilio uniuersali Constantinopolim conuocato ducentorum & octoginta nouem patrum, episcoporum, damnauit, & dogmata quæ in antecedentibus quinq; sanctis & uniuersalibus concilijs fuerant cõfirmata roborauit,atq; pium duarum uoluntatum & operationum promulgari dogma decreuit, per eandem sanctam & subtilissimam uniuersalis concilij Synodum. Cui præerant tam ipse pijssimus Imperator Constantinus,quàm pij sacerdotes. Per idẽ tempus Gizid cœpit esse princeps Arabum,qui tribus his præfuit annis. Anno duodecimo Imperij Constantini, collecta est sancta Synodus & uniuersalis sexta Constantinopolim CC octoginta & nouem sanctorũ patrum, præceptione pij patris Constantini. Anno tredecimo Imperij sui repulit Constantinus ab Imperio fratres suos Heraclium & Tiberium, & solus regnauit cum filio suo Tiberio. Anno decimoquarto Imperij sui Muctar mendax dum tyrannidem exercuisset,obtinuit Persidem. Vocauit aũt seipsum Prophetam,& conturbati sunt Arabes. Anno Decimoquinto Imperij Constantini Arabum princeps Maruan præfectus est. Siquidem defuncto Gizid,turbati Arabes exteri surrexerũt cõstituentes sibi ducẽ Habdal-

Bulgarorum nouæ sedes

Bulgari Imp. tributario pacem dant

Concilium sextum Const.

Muctar

Maruan Amiras

lan quendam filium Zubedir. Et congregati sunt Phœnices, & Palæstini, & ueniunt Damascum, sed & usq; Gabathan & Asan & Amiran Palæstinæ, dantq; manus dextras Maruan, & sistunt eum ducem. Qui Amiræ administratione fungitur mensibus nouem. Et eo mortuo Habdimelich filius eius suscepit principatum: cum Amiras fuisset annis uiginti uno & dimidio aggreditur Tyrannos, & interficit Habdallan filium Zubedir, nec non & Dadacum. Anno decimosexto Imperij Constantini facta est fames magna atque mortalitas in Syria, gentemq; Habdimelich obtinuit. Cumq; Mardaitæ incumberent partibus Libani, & pestilentia teneretur & fames, idem Habdimelich pacem quæ fuerat à Muhauia quæsita petijt, missis ad Imperatorem legatis, eademq; trecenta sexaginta quinque milia numismatum auri præbere pollicitus, & illos trecentos sexaginta quinq; seruos pari modo nobiles, totidemq; equos. Anno decimoseptimo Imperij sui requieuit Imperator pius Constantinus, cum imperasset annis decem & septem. Et imperauit Iustinianus filius eius.

Habdimelich Amiras

IVSTINIANVS



ANNO ab incarnatione domini DC.LXXVIII Iustinianus imperat Romanis, Arabibus Habdimelich principatur, qui præfuit his annis uigintiduobus. Hoc autem anno mittit Habdimelich ad Iustinianum confirmare pacem, & conuenit inter eos huiuscemodi pax: ut scilicet Imperator deponeret Mardaitarum agmen à Libano, & prohiberet incursiones eorum: & Habdimelich Romanis tribueret per singulos dies numismata mille & equum & seruum, & ut haberent communem per æqualitatem tributa Cypri, Armeniæ ac Iberiæ. Et direxit Imperator Paulum magistrum ad Habdimelich ad confirmandum ea quæ placita fuerant, & facta est in scriptis securitas sub testium astipulatione. Qui liberaliter honoratus reuersus est. Et mittens Imperator assumpsit Mardaitarum duodecim milia, Romaica uirtute recisa. Omnes enim quæ nunc habitantur ab Arabibus in confinibus positæ ciuitates, à Mopsuestia, & usq; ad quartam Armeniam, infirmæ & inhabitabiles erãt propter impetum Mardaitarũ. Quibus repressis, omnia dira passa est Romania usq; in præsentẽ diem. Eodem anno mittit Habdimelich Ziphien fratrem Muhauiæ in Persidem contra Muctarem mendacem atq; tyrannum, & interemptus est Ziphien à Muctare. Quo audito Habdimelich uenit Mesopotamiam, & tyrannidem patitur à Saido. Quem supergressus uerbo Damascum aperire fecit à se præuentam, & post hoc fraudulenter occidit. Iustinianus autẽ cum esset iunior quasi annorũ sedecim, & sua quæq; inconsulte disponeret, misit Leontium Prætorem in Armeniam cum Romaico potẽtatu, & Sarracenis illic existentibus interẽptis subijcit hanc Romanis. Similiter & Iberiam, & Albaniã, Hircaniam quoq; atq; Mediam, & sub tributo regionibus actis plurimas pecunias Imperatori transmisit.

Pax cum Sarracenis renouata

Muctaris uictoria

Saidus occisus

Regiones à Leontio subactæ

At uero

At uero Habdimelich his cognitis, adijt Cercesium & Eupolim subiugauit.

Anno secũdo Imperij Iustiniani facta est fames in Syria. Qua de re multi Romaniam sunt ingressi. Et ueniens Imperator in Armeniam illic suscepit Mardaitas qui in Libano fuerant æneo muro destructo. Destruxit autem & pacem cum Bulgaribus fixam, perturbans typos, qui à patre ordinabiliter facti sunt: & iubet transire in Thracem equestres militias, uolẽs tam Bulgares quàm Sclauinos deprædari. Anno tertio Imperij sui mouit exercitum Iustinianus contra Sclauiniam & Bulgariam. Et Bulgares quidem ad præsens sibi occurrentes impulit. Exurgens autem usq; Thessalonicen copiosas multitudines Sclauinorum partim peremit, partim cum ad se confugerent in partibus Obsicij cum per Abidum transfretasset, constituit. Cum autem reuerteretur in itinere præpeditus à Bulgaribus in arto clausuræ, cum cæde proprij populi & uulneratione multa uix remeare præualuit. Eodem anno, & Habdalla Zubir Musabum fratrem suum mittit contra Muctar, & fugit in Syriam. Quem præoccupans interfecit. Porrò Habdimelich militat contra Musabum, & uictũ occidit, & subiugauit Persidem totam. Anno quarto Imperij Iustiniani misit Habdimelich contra Zubir Chaian in Macha, & occidit eum Chaian ibidem: & subdita regione Chaian aduersante sibi, cõcremauit domum Idoli eius, unà cum Idolocultore ipsorum. Quamobrem ille prætorem Persidis Chaian promouit, & subacta est Habdimelich tam Persidis regio & Mesopotamię quàm Armenia magna, & Hirij, ac per id intestina bella quieuerunt. Anno quinto Imperij Iustiniani finẽ discordię habuit, & liberatus est ab omni bello Arabum principatus, & pace potitus est Habdimelich cunctis sibi subactis.

Imp. in Armeniam

Bellum cum Bulgaris

Muctar interfectus

Musabus occisus

Chaian uictoriæ

Anno sexto Imperij sui Iustinianus pacẽ quam ad Habdimelich habuit ex amentia dissoluit, & omnem Cypriorum insulam & populum irrationabiliter uoluit transmigrare, & characterẽ, qui missus fuerat ab Habdimelich, cum nouiter uisus esset, & nunquam antea factus, non admisit. Multitudo uero Cypriorũ dum transmeare niteretur submersa est & ex languore peribat. Reliqui uero in Cyprum reuersi sunt. Et his auditis Habdimelich satanice stimulatus rogabat ne pax solueretur, sed susciperẽt monetam suam, cum Arabes non susciperent Romanorum incisionem in suis nummis. Verum dato pondere auri ait: Nullum Romanis damnum efficietur, ex eo quod Arabes noua cuderent. At ille precem ex timore arbitratus effectam, nõ perpendit quod studium eorum esset, ut Mardaitarum primum compesceret incursus, & ita per putatiuæ rationis obtentũ pacem dissoluerет. Quod & factum est. Et misit Habdimelich ad ædificandum templum Muchan, & uoluit auferre columnas sanctæ Gethsemanis: & rogauerunt eum Sergius quidam uir christianissimus, qui erat generalis Mansur logotheta, & ualde familiaris eidẽ Habdimelich, atq; Patricius socius eius Christianis qui erat in Palæstina præpositus, qui cognominabatur clausus, po-

Iust. amentia

stulantes ne hoc fieret, sed per supplicationes suas persuaderet Iustiniano mittendi sibi alias pro eis. Quod & factum est. Anno septimo Imperij sui Iustinianus elegit è Sclauis, qui se iubente transmigrarent milites triginta milia: & armatis illis, cognominauit illos populũ acceptabilem, principemq; in eis Nebulum nomine statuit. Fisus autem in illis, scripsit Arabibus non se permansurũ in pace, quæ scripto conuenerat. Et assumpto populo acceptabili, & cunctis equestribus militijs, abijt Sebastopolim maritimam. Arabes autem dissimulantes, & pacem soluere minime proponentes, sed Imperatorio excessu atq; procacia hoc agendi uiolentiam patientes, armati & ipsi uenientes adeunt Sebastopolim protestantes, ne Imperator quæ inuicem cum iuramentis consono pacto placita fuerant solueret: alioquin deus uindex iudex culparum foret. Sanè cum Imperator nec auditu ipso huiuscemodi uerba pateretur percipere, illi pacis & uerbi scriptũ soluentes, & in excelso loco pro uexillo præcedendi gratia suspendentes, cõtra Romanos impetu irruunt Muhammat ducem habentes, bellumq; taliter inierunt. Et prius quidem superati sunt Arabes. Suggerens interea Muhammat auxilianti Romanis Sclauinorum duci, mittit ei marsupium numismatibus plenum, multisq; promissionibus hunc seducẽs, persuadet hunc confugere ad se cum uiginti milibus Sclauorum: & sic fugam Quiritibus acquisiuit. Tunc Imperator occidit horum residuos unà cum liberis & uxoribus trans præcipitij locum Leucatium dictum, qui maritimus erat Nicomediensium finibus. Anno octauo Imperij Iustiniani, Sabbis patricius Armeniæ comperta superatione Romanorũ Armeniam Arabibus tradidit: & subiecta est eis interior Persis, quæ dicitur Cerasa: & oritur ibidem insidiator, nomine Sabinus, qui multos Arabum interfecit. Sed & ipsum Chaianum penè omnibus modis in amne necauerat. Ex tunc Agareni amplius temerarij facti sunt Romaniam depopulantes. Anno nono Imperij Iustiniani, defectio solis effecta est hora diei tertia, ita ut quędam stellæ clare apparerent. Et exercitum mouit Muhammath contra Romaniam, habens secum profugos Sclauos utpote expertos Romaniæ, & multos duxit captiuos. Porrò Iustinianus diligentiam circa palatij habens negotia construxit triclinium, quod Iustiniani uocatur. Constituitq; Stephanum Persam Saccellarium suum, & spadonum primum dominum & arbitrum, nimis insidiãtẽ sanguini atq; crudelẽ, qui immisericorditer exteriores quosq; uerberare, sed & lapidare tam ipsos, q̃ horum prælatos penitus non cessabat. Cumq; Imperator quadam die profectus fuisset, præsumpsit agrestis bestia illa, & matrem quoq; ipsius Anastasiam Augustam more pueri habens flagellare. In his autem & in ciuilem copiam multis malis ostensis, exosum cunctis fecit Imperatorem. Similiter & in generalis logothesij rebus constituit monachum quendam Theodorum nomine, qui primo inclusus fuerat in Thracensibus Augusti partibus, sed & ipsum sæuissimum existentem

Nebulus

Imp. fœdifragus

Ro. à Sclauis deserti

Arabes Armenia potiuntur

Eclipsis

Stephanus Saccellarius

Theodorus Logotheta

tem, qui plurimos Reip. principes & illustres uiros, non tantum ex ordinatoribus, sed ex urbis quoque habitatoribus frustra & in uanum ac inexcusabiliter exactiones & functiones & proscriptiones soluere faciēs, funibusque suspendens, hos fumo paleatum afficiebat. Insuper & præfectus imperatoria iussione plurimos uiros carceribus tradēs, per aliquot annos seruari mandauit. Hæc omnia crescere fecerunt odium populi circa Imperatorem. Præterea Imperator exigebat à Callinico patriarcha orationem faciendi, ut destrueret ecclesiam sanctæ Dei genitricis, quæ Metropolite dicebatur, iuxta Palatium sitam, uolens in loco sistere phialam, & bases construere uulgi, ut illic Imperatorem susciperent. At uero patriarcha dicebat: Orationem quidem ad statuendam ecclesiam habemus, destructionem uero ecclesiæ non suscipimus. Cogente autem eum Imperatore, & omnimodis exigente orationem, dixit patriarcha: Gloria deo qui iugiter sustinens nos patitur, nunc & semper & in secula seculorum, Amen. Quo audito destruxerunt ecclesiam, & fecerunt phialam. Porrò iam dictam ecclesiam Metropolite fecerūt apud Petrin. Anno decimo Imperij Iustiniani, direxit aciem Muhammath aduersus quartam Armeniam, & captiuatis multis reuersus est. Eodem quoque anno Iustinianus pulsus est regno, hoc modo: Iussit Stephano patricio & prætori, cognomento Ruffo, noctu interficere uulgus Constantinopolitanum, à patriarcha inchoaturo. Leontius uero patricius, & quondam magister militum Orientalium. qui in bellis sæpe probabiliter gesserat, & tres annos in custodia trāsegerat excusatus ex Triplo reuocat, & prætor Helladis promotus est, iussus est in tres dimitti Dromones, eodēque die ab urbe moueri. Nocte uero penes Iulianensiū portū Sophiæ, iuxta ea quæ dicuntur Mauri, situm ad iter agendum ab urbe motus statione fixa, uale dicebat amicis qui ad se ueniebāt. Inter quos uenere ad eū germani & sodales eius, Paulus scilicet monachus Callistrati, qui & Astronomus, & Gregorius Cappadox, q & Clusuriaches extiterat, deinde monachus factus, & Egumenus Flori, qui in custodia frequentius illum uisitantes, affirmabāt eum Imperatorem Romanorum futurum. At uero Leontius dixit ad eos: Vos certum in custodia super Imperio me esse fecistis, & nunc in malis uita mea finitur. Post modicum quippe ero per singulas horas præstolans mortem. Qui dixerunt: Ne pigriteris, & hoc protinus adimpletur. Audi nos tantum, & sequere nos. Et assumptis Leontius hominibus suis, & armis, quotquot habuit, ascendit in Prætoriū silentio multo: & pulsantes portam Imperatorē uenisse fingebant, ad disponendos quosdam qui illic esse noscebantur. Cumque hoc nunciatum fuisset præfecto qui tunc erat, & ille concito uenisset, & portas aperuisset, capitur à Leontio: & alapis cæsus, ligatur manus & pedes. Ingressus autem Leontius, & carceribus reseratis, solutisque uiris retrusis multis & fortibus, qui à sex & octo annis in uinculis fuerant, quorum plures milites erant, hos armauit, & in forum exiuit cum eis clamans

Leontius prætor Helladis

Paulus et Gregorius monachi


clamans. Et omnes Christianos ad sanctam Sophiam, & per omnem regionem mittens, uoce sua clamare cœpit. Multitudo uero ciuitatis tumultuata celeriter ad luterem ecclesiæ est cógregata. Ipse uero cum duobus monachis amicis suis, & quibusdam ex clarioribus uiris, qui è custodia fuerant egressi, Patriarchium ascendit ad Patriarcham. Inueniens autem & ipsum turbatum propter illa quæ iussa sunt patricio Stephano Ruffo, persuadet ei descendere ad luterem & clamare sic: Hæc est dies quam fecit dominus. Vniuersa uero multitudo leuauerunt uocem: Effodiantur ossa Iustiniani. Et ita in hippodromum omnis cucurrit populus. Cumq; dies facta fuisset, educunt Iustinianũ in hippodromum, nasoq; illius & lingua recisa exulem faciunt apud Chersonam. Porrò comprehensum turba Theodotum monachum & generalem logothetam, atq; Stephanum saccellarium Persam, funibusq; retrorsum hos ligatos trahunt per mediam plateam, & ad Taurum ductos incenderunt. Et ita Leontium Imperatorem laudauerunt.

Tumultus — *Iust. exul* — *Stephanus et Theodotus exusti*

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER VIGESIMVS

LEONTIVS



NNO ab incarnatióe domini DC.LXXXVIII Leontius imperat Romanis. Igitur cum regnare cœpisset, undiq; pacifice mansit, tribusq; annis Imperium rexit. Anno secundo Imperij Leontij mouit exercitũ Senalidus cótra Romaniam, & multis ductis captiuis reuersus est. Seditioneq; concitata Sergius patricius Lazicæ, hanc Arabibus subdidit. Anno tertio Imperij Leontij acie Arabes in Africam mota hanc obtinuerunt, & ex proprio exercitu taxatos in ea quosdam constituerunt. Quibus compertis Leontius mittit Ioannem patricium uirum idoneum cum omnibus Romaicis classibus. Qui cum Carthaginem peruenisset, & bello catenam portumq; eius aperuisset, inimicosq; in fugam uertisset, hos uiriliter insequutus uniuersa liberauit Africæ castra, relictisq; operatoribus, hæc Imperatori suggessit, ibidemq; hyemauit, iussionem præstolatus ab eo. At uero his cópertis Protosymbolus copiosum & potentiorem aduersus eos transmittit, & prædictum Ioannem cum Stolo ipsius bello à portu depellit, & hostiliter exterius castrametatus est. Prędictus uero Ioannes ad Romaniam repedauit, maiorem uirtutem ab Imperatore accipere uolens, & uenit usq; ad Cretam principem aditurus. Exercitus autem per maiores suos ad Imperatoré ascendere nolens, obtinuerat enim eos timor

Lazica Sarracenis subdita — *Sarraceni Africam subigũt* — *Sarraceni Africa pulsi* — *Ro. rursus Africa pulsi*

atque confusio, ad consilium sese nequissimum contulit. Et huic maledixerunt, eligentes Imperatorem Absimarum Drongarium Cibioretarum apud Curiositas habitũ, hunc Tiberium nominantes. Itaq; Leontio apud Constantinopolim posito, & Neoresium portum emundante, bubonis pestis urbi incubuit, & in quatuor mensibus multitudinem plebis cõsumpsit. Venit autem Absimarus unà cum exercitu qui secum erat, & applicuit ex aduerso ciuitatis in Syces. Per aliquantum sanè temporis ciuitatem prodere nolẽte Leontio, proditio facta est per singularem murum Blacernarum à principibus exteris, quibus claues terreni muri creditæ fuerant cum horribili iureiurando. Isti nanque per insidias tradiderũt urbem. Porrò ingressi classium milites ciuium domos, denudauerunt in his habitantes. At uero Absimarus Leontij quidem naso reciso in Monasterio Dalmatij in custodia fore præcepit. Principes autem & amicos, utpote commorantes ei, cæsos atq; proscriptione damnatos exilio relegauit. Heracliumq; germanũ suum uirum uehementer idoneum, singularem prætorem omnium exteriorum equestrium exercituum promotum in partes Cappadociæ, ac clausuratarum discurrere, contraq; hostes curam ac dispositionem facere misit.

Absimarus Imp. ab exercitu factus

Leontius in custodia.

Heraclius

ABSIMARVS

ANNO ab incarnatione domini DC. XCI. Absimarus Imperator Romanorum creatus est. Qui septem annis imperauit, & tumultuatus est contra Abdarronem, & dominatus est ei: & persequutus est eum Abipsa Chaian. Anno secundo Imperij Absimari, Romani Syriam peragrantes, & uenientes usq; Samosatam, & deprædantes circunquaq; regionem, multa occiderũt milia, ut ferunt, Arabum ducenta, plurimisq; spolijs sumptis, & captiuatione Arabum multa, reuersi sunt timore magno in eos patrato. Anno tertio Imperij Absimari exercitum mouit Habdalla in Romaniam, & expugnans Tarentum, nihilq; proficiens redijt, ac ædificauit Mopsuestiam, & posuit in ea custodes. Anno quarto Imperij Absimari, Baanes cognomento Heptadæmon quartam Armeniam subiugauit. Absimarus uero Philippicum filium Nicephori patricij in Cephaloniam exulem misit ui imperantis omnino uenundatum. Asserebat enim se in somnis uidisse, quod caput suum ab aquila protegeretur, & obumbraret. Quibus Imperator auditis hunc protinus exilio relegauit.

Arabũ cædes in Syria

Mopsuestia

Baanes

Somnium

Anno quinto Imperij Absimari seditionem concitauerunt Principes Armeniæ contra Sarracenos: & eos qui erant in Armenia peremerunt, & iterum ad se Absimarum & Romanos in regionem suam adducunt. Porrò Muhammath acie aduersus eos directa multos occidit, & Armeniam Sarracenis subdit, optimatesq; Armeniorum coaceruatos in uno loco uiuentes incendit. Per idem uero tempus exercitũ mouit Azar in Ciliciam cum decem milibus. Cui cum obuius occurrisset Heraclius frater Imperatoris plurimos eorum occidit, residuos uero uinctos Imperatori transmisit.

Ro. Armeniã recipiunt

Armenia rursus amissa

Anno

Anno VI Imp. Absimari, Azidus cunei aciem contra Ciliciā mouit, expugnansq; erat Sisui castrū. Quod Heraclius frater Imperatoris obtinuit, & bellū in eo aggressus Arabum X milia necat. Interea Iustinianus cum penes Chersonam degeret, & se iterum imperaturum concionatus denunciaret, accolæ locorum eorundem discrimen ex imperio uenire metuentes, consiliati sunt hunc interficere, uel certe imperatori transmittere. Ipse uero cum id sensisset, fugiens, & Daras ueniens, Cazarorū se poposcit Chaiano præsentari. Qui cum rei circunstantiam didicisset, suscepit eum cum honore ingenti, & tradidit illi uxorem Theodoram sororem suam. Post modicum uero prece oblata Chaiano descendit in Phanagoriā, & illic degebat cum Theodora. His auditis Absimarus mittit ad Chaianum promittēs ei præbere munera multa, si Iustinianum sibi duntaxat uiuum trāsmitteret: sin autem, saltem caput eius. Cedens autem Chaianus huiuscemodi petitioni, custodiam ei misit, quasi ne à cōtribulibus suis insidias pateretur, mandās Fazin, qui erat illic in personæ suæ uice deputatus, & Blagizin principi Bosphori, ut cum nunciaret fore, eundem trucidarent Iustinianum. His autem per seruum Chaiani Theodoræ nunciatis, & Iustiniano patefactis, conuocatos ad se iam dictos principes Fazin & Blagizin quasi ad colloquendum secreto, eorum colla strangulare curauit. Confestimq; Theodoram in Cazariā mittit, & ipse à Phanagoria fugiens, in Men descendit: & inuenta naui parata ascendit in eam, & nauigans iuxta littora, uenit usq; ad Symbolū iuxta Chersonam. Ad quam mittens occulte tulit Barisbauriū, & Salibam fratrem eius, & Stephanum, & Moropaulum unà cum Theophilo. Qui cum nauigasset cum eis Chersonam, Pharum trāsiuit. Sicq; demum transfretantes Necropela seu ostia Danapri & Danistri, tempestate facta, super salute sua desperati sunt omnes. Maiaces uero familiaris homo ipsius dixit ei: Ecce morimur domine, uoue Deo pro salute tua, ut si Deus Imperium tuum tibi reddiderit, in nullum tuorum ulciscaris inimicum. At ille in furore respondens, ait: Si pepercero cuiquā eorum, in hoc loco me deus demergat. Et sine periculo ab æstu illo exiuit, & introiuit in Danubium amnem. Cum autem misisset Stephanum ad Terbellin dominum Bulgariæ ut sibi auxilium præstaret ad obtinendum parentale Imperium suum, repromisit ei se plurima dona daturum, & filiam eius in uxorem accepturum, ipsiq; in cunctis obediturum & concursurum, iureiurādo pollicitus. Quo ille cum ingenti honore suscepto, commouet uniuersum sibi subditū populum Bulgarum, atq; proximo anno ad regnantem urbem uenerunt. Anno septimo imperij Absimari, mortuus est Habdimelich Arabum princeps, & tenuit principatum eius Vlid filius Abdalharis. Eodem quoq; anno Iustinianus cum ad regiam urbem unà cum Terbelli uenisset, cum subiectis Bulgaribus castrametatus est ad portā Carsij, & usq; ad Blacernas. Et p tres dies alloquens eos qui erant de ciuitate, conuicijs dehonestabatur ab illis, qui

Iust. apud Chaianum Cazarorum

Iust. ad Terbellin uenit

Vlid Amiras

eorum nec saltim uerbum admittebant. At uero Iustinianus cum paucis contribulibus bello excepto per aquæductum ingressus, & tumultum excitans, fodiendo urbem obtinuit, & post paululum tabernacula in Palatio Blaternarum tetendit.

Iust. urbẽ per aquæductum ingressus

IUSTINIANUS ITERUM

IGITUR Imperij sui primo anno, id est, quo imperium suum Iustinianus recepit, multa dona Trebelli tribuens, simul & regalia uasa, dimisit eum in pace. Cæterum Absimarus urbem Appolloniadem fugiens adijt, insequutionem tamẽ perpessus apprehenditur, & ad Iustinianũ deducit. Porrò Heraclius uinctus à Thrace adductus est cũ omnibus qui ei opitulabãtur. Quos in muro omnes suspendio interfecit. Cum autẽ ad Mediterranea destinasset, multos ex eis inuentos tam actores quàm priuatos similiter interemit. Porrò Absimarum atque Leontium uinctos catenis per totam urbem pompis fecit dehonestari. Cumque ludi equestres agerentur, ipseque in solio resideret, ducti sunt publice tracti & proiecti proni ad pedes eius. Quorum ille colla usque ad solutionem primi brauij calcauit, uniuersa plebe acclamante: Super aspidem & basiliscum ambulasti, & conculcasti leonem & draconem. Et ita hos destinatos in uiuario animantium capitis animaduersione puniuit. Callinicum uero Patriarcham ablatis oculis apud Romam exilio relegauit, & Cyrum, qui in insula fuerat inclusus Amastridis, tanquam eum qui prænunciauerit sibi restitutionem Imperij, subrogatum prouexit. Innumerabilem quoque multitudinem tam ex ciuili quàm ex militari catalogo, multos perdidit, multos etiam in saccos missos amara morte fecit necari: alios autem cum ad prandium uel ad cœnam accubitaret, mox ut surgebat partim suspendio, partim incisione perdebat. & hinc magnus timor obtinuerat omnes. Misit interea classem ad educendam de Cazaria uxorem suam, & multæ cum suis uiris scaphæ demersæ sunt. Quo audito Chaianus significat ei dicens: O insensate, nonne oportebat te in duabus uel tribus scaphis accipere mulierẽ tuam, & nõ tantam occidere multitudinem? An putas quod & hanc arte decipias? Ecce peperit tibi filium, mitte & accipe illos. At ille misso Theophylacto cubiculario duxit Theodoram, & filium eius Tiberium, & coronauit eos, & imperauere simul cum ipso. Anno secundo Imperij Iustiniani, Vlid surripuit ecclesiam catholicam Damasci, liuore pestifero in Christianos habito, stimulatus propter eminentem tanti pulchritudinem templi: & prohibuit scribi Græce publicos logothesij codices, sed in Arabicis annotari sine cõputo, quoniã impossibile est illorũ lingua monadẽ uel dualitatẽ, aut trinitatẽ, aut octo & dimidium, aut tria scribi, propter quod & usque hodie sunt notarij cum eis Christiani. Anno tertio Imperij sui Iustinianus pacem inter Romanos & Bulgares euertit, & equestres militias in Thracem transire faciẽs, classibus cõstructis contra Bulgares & Trebellim properauit. Cum autem

Iust. in uictos sæuit

Exitium Absimari et Leõtij

Callinicus exul

uenisset ad ripam, nauigium quidem ante castrum applicare fecit. Populo autem sicut ouibus per campos ad colligendum fœnum disperso uiderunt exploratores Bulgarium, uanam dispositionem Romanorum, & coacerua ti ut feræ subito irruerunt, & uehementer consumpserunt Romaicum ouile, multam prædam & equos & arma, exceptis his qui perempti sunt, accipien tes. Porrò Iustinianus cum ad castrum fugisset cum his qui euaserant, per tres dies portas clausas & obseratas tenuit. Videns uero Bulgarium per seuerantiam, ipse sui equi neruos primus incidens, omnes idipsum facere iussit. Armis autem bellicis supra murum positis noctu in scaphas ascen dens latenter enauigauit, & cum confusione peruenit ad urbem. Anno quarto Imperij sui exercitum mouit Masalmas aduersus Tyrannium pro pter indignationem exercitus unà cum Mauinia per Marinianum occisi: & hanc obsidentes, hyemauerunt ibidem. Ad quos mittit Imperator duos prætores Theodorum Cartherucam, & Theophylactum Saliban cum ex ercitu & agresti populo rusticā operam daturo ad debellandum eos & in sequendum. Ipsi uero ad contentionem uenientes in alterutrum, & inordi nate in eos congressi, statim uertuntur, & multa milia perierunt, & captiui ducti sunt multi. At illi sarcinis eorum & escis acceptis obsederunt quousq; ciuitatem ceperunt. Defecerat enim eis esca, & per hoc recessuri erant. Por rò uiri Tyrannenses his uerbis desperati, acceperunt uerbum indemnitatis suæ, & exierunt ad eos, & derelicta est ciuitas deserta usq; in præsentem di em. Verum illi non seruantes uerbum, hos in eremum exules transmiserūt, & multos ex his seruos retinuerunt. Anno quinto Imperij Iustiniani mouit exercitum Abas contra Romaniam, & multis in captiuitatē ductis redijt, & cœpit ædificare Garis in regione Eupoleos. Anno sexto Impe rij Iustiniani mouit exercitum Muctan aduersus Ciliciam, & multa castra accepit uerbo. Proditum est eis & Camachum cum adiacentibus sibi locis. Interea Iustinianus stolo copioso armato Maurum patricium misit Cher sonam unà cum Stephano patricio cognomento Asmicto, malorū memo ria succensus, insidiarumq; recordatus contra se à Chersonitentibus & Bo sporonianensibus, & reliquis climatibus effectarum. Omnes naues, dro mones uidelicet, trieres & scaphas, chimæras & lintres usq; ad Chelandia per collationem ab unoquoq; inhabitantium urbem, senatorum uidelicet & ergasticorum & plebeiorum, ac omnis officij collegit. Quibus missis præ cepit, omnes habitantes in castris illis gladio interficere, & neminem uiuifi care, tradens eis & Heliam Spatarium, qui deberet prætor Chersones con stitui. Qui Chersonem uenientes nemine sibi resistente castra ceperunt, & omnes gladio interfecerunt, exceptis paruulis, his parcentes, & sibi hos in seruitium reseruantes. Tudunum aūt principem Chersones, qui & ex Per sona Chaiani erat, & Zelum ex linea & genere eius, qui & primus ciuium habebat̃, atq; alios illustres & primores quadraginta Chersonis unà cum familia

Bulgari uin cunt

Romaici uin cuntur

Iust. in Cherso nenses crude litas

familia ipsorum uinctos ad Imperatorem duxerunt. Alios uero ex primoribus Chersones septé, in uerubus ligneis igni applicatos assauerũt. Alios etiam uiginti post tergũ horum uinctis brachijs ad proram nauis alligantes, & lapidibus hanc implentes, in profundum miserunt. His autem Iustinianus auditis, super salute puerorum sæuiens iussit eos quàtocyus ad se uenire. Cum autem stolus mense Octobri motus, & in pelago præoccupatus fuisset, in astri ortu quod Taurus dicitur, penè totus demersus est. Sanè numerati sunt eorum qui submersi sunt septuaginta milia. At uero Iustinianus his agnitis non est tristatus, quin potius gaudio repletus, & huiusmodi adhuc uæsaniæ deditus, clamore magno minitans, iterum alium stolũ mitti, & arari usq; ad pauimentum, & illidi uniuersos qui remanserant paruulos ad parietem iussit. Audierunt hæc qui erant ex castris illis, & se munierunt, coactiq; contra Imperatorem sapere, miserunt ad Chaianum in Cazariam petentes populum ad custodiam sui. Verum inter hæc erigitur & Helias Spatarius & Bardanes exul, qui tunc fuerat à Cephalonia reuocatus, eratq; cum classe apud Chersonem. Porrò Imperator his cognitis, misit cum paucis dromonibus Gregorium patricium cognomento Syrum, & generalem logothetam, & Ioannem præfectũ atq; Christophorum Turmarchẽ Thracensiũ cũ trecentis armatis, tradẽs eis Tudunũ ac Zelum, qui deberent Chersonæ restitui secundum quod antea fuerant, ad rationẽ reddendam Chaiano per apocrisarium, ducendosq; ad se Heliam atq; Bardanem. Quibus transmeantibus in Chersonam, his Chersonitæ rationem reddere dedignati sunt: in crastinum uero solos hos ciues ingredi exhortati portas clauserunt, & generalem logothetam unà cum præfecto gladio trucidarunt. Tudanũ uerò cum Zelo etiam dicto Turmarchæ unà cum trecentis militibus Cazaris tradiderunt, & ad Chaianum mittere curauerunt. Tudano autem in itinere mortuo, Cazari in susceptione eius occiderunt Turmarchẽ unà cum trecentis militibus. Tunc hi qui Chersones erãt, cæterorumq; castrorum, Iustiniano mala imprecati sunt. Bardanem uero Philippicum, qui illic fuerat exilio relegatus, etiam in Imperatorem laudibus extulerunt. His compertis Iustinianus per amplius insaniens, filios quidem Heliæ Spatarij in matris sinu peremit. Hanc autem coegit cõiungi coquo, qui erat genere Indus. Sicq; alio nauigio constructo Maurum patriciũ Bessum dirigit, traditis ei ad expugnationem ciuitatum machinis, & ariete, omniq; instrumento ad urbis exterminium: mandans illis quidẽ muros Chersonis, omnemq; urbem ad terram prosternere, nullam uero animã ex ipsis uiuificare, crebrisq; quæ agerentur suggestionibus intimare. Hoc aũt transmeante, percq; arietem turrem, quæ dicebatur Centinarisia, simul & proximam eius Syagrum uocatam deponente, Cazarisq; perueniẽtibus, factæ sunt induciæ belli. Bardanes autem fugiens ad Chaianum pergebat. Cum uero inefficax stolus effectus ad Imperatorem remeare minus auderet, Iu-

Naufragium

Chersonitæ logothetam interficiunt

Classis rursus contra Chersonam

stinanum quidem execrati sunt, Bardanem autem ut Imperatorem laudibus extulerunt. Præterea petierunt à Chaiano ut daret sibi Philippicum. Porrò Chaiano uerbum ab illis exigente ne proderetur ab eis, & deferretur ei per unumquenq; uirum numisma unum: illi protinus his datis acceperunt Philippicum Imperatorem. Cum autem classis moraretur, & suggestio nulla ueniret, sensit Iustinianus causam, sumptisq; his qui secum erant Obsicijs, & parte Thracensium, ascendit usque Sinopen ad discenda quæ Chersonæ fuerant gesta. Cumq; intueretur ulteriores, uidit classem, & ad urbem reuersus, impetum demonstrauit. Verum Philippico præueniente usq; ad Amastrin castrametatus est. At uero Philippicus continuo mittit contra Tyberium quidem, Maurum Patricium, & Ioannē Spatarium cognomento Strutos: Heliam uero cū incursione militari contra Iustinianum in Amastrin: iterumq; alium contra Barisbacurium, qui fuga fuerat usus. Et Maurus quidem unà cum prædicto Struto, cum ad Blacernas abisset, inuenit Tiberium altera tenentem manu columellam sanctæ mensæ Dei, & dei genitricis altaris: & altera preciosa lingua, & in collo phylacteria. Extra tribunal autem residentem Anastasiam patris eius matrem, quæ Mauri prouoluta pedibus, flagitabat ne suus occideretur nepos Tiberius, utpote qui nihil gesserit prauum. Cumq; ille pedes huius teneret, & cum lachrymis supplicaret, ingressus est Strutus intra tribunal, & ui arripuit illum, & preciosa quidem ligna ab eo sublata supra mensam posuit, phylacteria uero in collo suo suspendit. Puero autem foras educto & despoliato, supraq; limen expanso, guttur eius instar ouis secarunt: & hunc in templo Sanctorum Anargirorum, quod Paulinæ uocatur, sepeliri mandarunt. Comprehensus præterea & Barisbacutius primus patricius & comes Obsicij est interemptus. Porrò Helia unà cum eo qui secum erat ascendente in Amastrin, & ad sermones cum eo qui illic erat exercitu uenie͂te, uerbumq; impunitatis populo qui erat cum Iustiniano præbente, & sequestrati sunt uniuersi, & discesserunt à Iustiniano, solum hunc deserentes, & ad partes Philippici cōfluentes. Tunc prædictus Helias furore repletus currens collo eius comprehenso, pugione quo erat accinctus, caput eius amputauit, & per Romanum Spatarium ad Philippicum misit. At uero Philippicus per eundem Spatariū hoc ad Occidentales partes usq; Romā transmisit. Præterea priusquam imperaret, erat quidam inclusus in monasterio Callistrati præuisor, & hæreticus, qui ad se uenienti Philippico dixit: Imperium tibi est repositum. At ille turbatus est. Et ait inclusus: Si iubet deus, tu quam ob rem contradicis? Hoc autē dico, quia sexta Synodus male facta est. Si ergo imperaueris, hanc proijce, & imperium efficietur tibi forte atq; longæuū. Qui cum iuramento spopondit ei se hoc facturum. Cum autem Leontius Iustiniano successisset, ascēdit Philippicus ad inclusum, qui dicit ei: Ne festines, fiet tibi. Cumq; Absimarus imperasset, rursus ascendit ad eum. Cui iterum

Philippicus Imp. creatur

Iust. apud Amastrin

Iust. exitus

Monachus uates

ille ait: Ne acceles, illud enim præstolatur. Porrò cum Philippicus hoc quibusdam amicis suis fuisset confessus confidenter, ab eis Absimaro nunciatum est, qui cæsum & tonsum atq; ferreis uinculis alligatum hunc in Cephaleniam exulem misit. Cum autem Iustinianus Imperium suscepisset, reuocauit eum, & cum regnaret, fecit pseudosynodum episcoporum, iuxta pseudomonachi & inclusi sermonem, & abiecit sanctam & uniuersalem sextam synodum. Eodem anno ille uanus oculorum cæcitatem incurrit. Quibus diebus cum in multa positus securitate degeret Iustinianus, multitudinemq; pecuniarum & splendidissimarum substantiarum, illic ex multis retro temporibus ab his qui antea imperauerãt, ex proscriptionibus & diuersis occasionibus, maximeq; à prædicto Iustiniano collectarum inuenisset, hęc frustra & incassum ac sine dolore dispersit. Et in disputationibus quidẽ suis rationabilis & prudens æstimabatur, in actibus autem & honestate indigne consummans improbabilis demonstrabatur ubiq;. Erat autem hæreticus & adulter.

Pseudosynodus

PHILIPPICVS

ANNO ab incarnatione Domini DCC. IIII. Romanis imperat Philippicus, qui regnauit annis duobus. Arabibus autem præest Vlid, qui ducatum nouem annis tenuit. Anno igitur primo Imperij sui Philippicus Armenios de terra sua pellens, in Armenia quarta & Militene habitare coegit. Porrò non præualuit sæuius moueri contra sanctam ecclesiam, & uniuersalem sextam synodum subuertere studens, diuinaq; ab eo roborata sunt dogmata. Reperit autem sui sensus Ioannem, quem episcopum Constantinopoleos fecit, deposito Cyro præsule, quem & exilio relegauit in Monasterio Choras: Nicolaumq; Diaconum Calicum effecit, qui cũ medicinali esset disciplina Sophista, tunc Quæstor erat. Algepidum Diaconum magnæ ecclesiæ, atque Antiochum Chartophylacem, & alios morũ eorundẽ, quiq; etiã scripto anathematizauere sanctam sextam synodum. Interea Bulgares per Aphilea clàm in angustũ incidentes, & magna cæde facta usq; ad urbem discurrentes, & multos transuehentes nuptijs opulentis, & dapsilibus prandijs cum uario argento, cæteroq; apparatu reperientes, usq; ad Auream portam discurrẽtes, totaq; Thrace præda euacuata, illæsi cum innumeris pecoribus reuersi sunt ad propria. Similiter & Arabes Mistiam ceperũt, & alia castra multa præda familiarum plurimarum & pecorum innumerabilium facta. Anno secundo Imperij Philippici mouet exercitum Habas cõtra Romaniã, & accepit Antiochiam Pisidiæ cum multa præda, & reuersus est. Factus est autem terræmotus in Syria. Biennio uero Imperij Philippici trãsacto, circoq; natalitio cum Prasini uicissent, uisum est Imperatori sabbato Pentecostes equitem cum susceptione ac organis ingredi, & lauari in publico balneo Zeuxippi, & cũ ciuibus prosapiæ antiquæ prandere. Cum autem meridie requiesceret, repente

Bulgarum incursio

Antiochia Pisidiæ

per Auream portam introiuit Ruffus primus stratorũ obsicij cognomento Buramphi, & Theodorus patricius Myacesij cũ taxatis quos habebat in Thrace Thematis sui,& festinans in palatium, inuenit Philippicum meridie quiescentem, & comprehensum eum duxit in oratoriũ Prasinorum, & illic oculos eius eruit nullo sciente. In crastinum autẽ, id est Pentecostes, coaceruato in magna ecclesia populo coronatus est Artemius primus à secretis, mutato nomine Anastasius. Sabbato uero post Pentecosten oculis priuatus est Theodorus Myacesij, & secundo sabbato idipsum ptulit Gregorius Buramphus & in exilium missi sunt apud Thessalonicen.

Philippicus oculis priuatur

ARTEMIVS



NNO ab incarnatione Domini DCC.VI. Artemius Romanis imperat. Masalmas igitur incursiones aduersus Romaniam mouit,& despoliata Galatia redijt cum præda & spolijs multis. Ast Artemius magistratibus in equestribus militijs idoneis & rationabilibus, in rebus ciuilibus ordinatis, iam requiem adeptus degebat. Cumq; Arabes contra Romaniam, Maurophoriq; armarentur, oratores misit princeps in Syriam ad Vlid, quasi pro his quæ ad pacem pertinent loquuturos, Danielem scilicet,& inter alios Siopiten patricium & præfectum urbis, mandãs eis diligenter inuestigare de motu eorum,& uirtute contra Romaniam instruenda. Qui cum audissent & remeassent, nunciauerunt Imperatori, magnum contra regiam urbem per terram ac mare instrumentum eorum. Tum ille præcepit quousq; quisq; haberet, sumptus usq; ad triennij tempus se solicite præparare: qui autem hoc non possederit, ab urbe inquit discedat. Constituit autem præpositos construentiũ naues,& cœpit ædificare dromones & trieres igniferas, & maximas trieres. Et maritimos quidem renouauit muros, similiter autem & terrenos, sistens arcobalistas,& magnas in turribus,& argumentosas alias machinas:& secundum quod possibile erat, sibi urbem muniuit, frugesq; plurimas in regalibus horreis posuit, atq; munitissime ibi seruauit. Anno secundo Imperij Artemij, qui & Anastasij, mortuus est Vlid Arabum dux, & Zulcimin filius Habdimelich in principatu successit, qui tribus præfuit annis. Eodemq; anno translatus à Cizico urbe metropoli Germanus Constantinopolim, in quo & commonitorium translationis, quod subinfertur, pronunciatum est, continens ita. Electione & approbatione religiosissimorum presbyterorũ & diaconorũ totius uenerabilis cleri, sacriq; Senatus, & amici Christi populi cõseruandæ huius regiæ urbis diuina gratia, quæ semper infirma curat,& ea quæ non sunt adimplet, transtulit Germanum sanctissimum præsulem Cizicensium metropoleos in episcopum huius à deo conseruandæ ac Imperatoriæ ciuitatis. Facta est præsens translatio in præsentia Michaëlis sanctissimi presbyteri, & apocrisarij apostolicæ sedis, & reliquorum sacerdotum ac præsulum sub Artemio Imperatore. Porrò cum

Masalmas Galatiam deprædatur

Apparatus in urbe

Zulcimin Amiras

Arte-

Artemius didicisset, quod classis Sarracenorum ab Alexandria in Phœnicem properaret ad incidendum lignum cypressinum, electis ex proprio stolo uelocibus scaphis misit taxatas, & ex themate Obsicio apud Rhodum amnem colligi iussit, præposuitq; prætorem eius & caput Ioannem magnæ ecclesiæ ministrũ, qui dicebatur Papa Ioannacis, quiq; generalis tunc erat logotheta. Is ergo cum Rhodum adijsset, & nauigia conuenisset, alloquebatur principes super munitione ac itinere ipsorum in Phœnicem ad incendendum lignum, & præparationem Agarenorũ quæ inueniretur. Cumq; omnes alacriter obaudissent, hi qui erant Obsicij nullatenus admiserunt, & Imperatorem quidem detestati sunt, Diaconum uero Ioannem frameis peremerunt. Hi ergo stolidi uisi ad sua nauigauerunt loca: illi uero nequam operatores contra regiam ascenderunt urbem. Cum autem Adramizium adijssent, essentq; sine capite, inuenerunt hominẽ indigenã nomine Theodosium, qui erat tributorum publicorum exceptor, iners ac idiota, & hortati sunt eum imperare. At ille fuga usus in monte latebat. Quem inuentum ut Imperatorem laudibus extulerunt, ui cogentes hunc. Quibus Artemius cognitis, pręfecit urbi domesticos homines suos principes cũ stolo quem ipse cõstruxerat, & armatis eis ipse Niteam ingressus abijt in urbem, & ibidem se munit. Rebelles autem ascendentes, & commoto toto Themate Obsicij, & Gotthogręcis comprehensis, multisq; pulsis & magnis, negociatorijs scaphis per terram & per mare Chrysopolim uenerũt. Cum autem urbis classis in portum Sanctæ Mammæ stationem fixisset, singulis quibusq; diebus per sex menses inuicem expugnarunt. Cum autem stolus urbis ad Neorij urbis portum profectus stetisset, trãsiens Theodosius Thracenses obtinuit partes. Proditione uero facta per portam singularis muri Blacernarum, urbem cepit. Ast iniqui obsequij populi unà cum Gotthogręcis noctu per domus ciuium discurrentes, nulli parcẽtes, maximũ excidium operati sunt. Principes autem qui in ea erant Artemij, unà cum Germano sanctissimo Patriarcha Constantinopolitano comprehenso, duxerunt in casam Artemij, & eorum qui cum ipso erant. Porrò Artemius his uisis desperationẽ sui confessus, semetipsum tradidit, uerboq; impunitatis accepto monastico indutus est habitu. Quem Theodosius illæsum reseruans, apud Thessalonicam exilio relegauit. Porrò Philippicus imperauit annis duobus & mensibus nouem, Artemius uero anno uno & mensibus tribus. Leo præterea cum esset prætor Orientalium, quoniam auxiliabatur Artemio, non est subditus Theodosio. Habebat autem conspirantem sibi & concurrentem Artabasdum Armenium prætorem Armeniacorum, cui & spopondit, filiam suam se in uxorem daturum, quod & fecit.

Theodosius inuitus à militibus Imp. creatur

Theod. proditione urbem capit

Artemius fit monachus

Leo

Artabasdus

THEODOSIVS



ANNO ab incarnatione domini DCC.VIII. Theodosius imperat anno uno. Cuius tempore Masalmas aduersus Constantinopolim

Sarracenorũ expeditio

polim aciem dirigit, & præmisit Zulcimin cum exercitu per siccum, Hamarum uero per mare. Porrò ipse post eos cum multo apparatu uenit hostili. Zulcimin autem, & Bacarius Amorium peruenientes scribunt ad Leonem prætorem Orientalium ita: Nouimus quia Imperium Romanorum te decet, ueni ergo ad nos, & loquamur quæ ad pacem sunt. Innuens autem Zulcimin Amorium exercitum non habere, & inimicitia penes magistratum iacere ob auxilium quod Artemio cōferebat, obsedit illud, uolens illic Masalman expectare. Mox autem ut appropinquauit ciuitati, cœperunt Sarraceni laudibus diffamare prætorem Leonem Imperatorem, rogantes & hos qui intus erant idipsum efficere. Videntes autem eum Agareni, uestiti loricis suis uenerunt ei obuiam, quia manebat dimidio procul à castris eorum uno miliario. Per tres sanè dies eo procedente, ad ipsum quæ ad pacem sunt loquebantur, & ut à ciuitate recederent. At illi asserebant: sponde pacem, & recedimus. Comperto uero prætor quod uellent eum retinere, uocauit multos ex illustribus Sarracenis ad cœnam, & descendentibus eis, misit Zulcimin tria milia loricatorum ad circundandum eum ne fugeret & seruandū. Qui cognita custodia nūciant ei, quia multitudo equestrium Sarracenorum in circuitu nostro stat. Veniens autem unus ex eis eques nomine Zubeir, in præsentia stetit dicens: seruus furatus pecunias multas fugit, & propter illum equis insedimus. Porrò ipsorum agnita prætor deceptione dixit ad eum: Ne turbemini: nam quocunq; perrexerit, in castris nostris reperiemus eū. Tristatus aūt uoluit occulte per hominē suū innotescere his qui Amorij erant dicens: Timete deū, ne uosmetipsos prodatis. Ecce enim & Masalmas appropinquat, & exijt etiam episcopus ad eum, & eadem ipsa dicit ei. Cum uero Zulcimin didicisset, quod exisset ad eum episcopus, mittit ad prætorem dicens: Da nobis episcopum. Qui mœstus factus abscondit eum, & cuidam hominū suorum præcipiens, nobis, inquit, colloquentibus indue eum alijs stolis, & quasi propter ligna uel aquā missum, sine ut uadat in montes. Insistentibus autem pro eo Sarracenis, dicit prætor: Nónne hic? ueruntamē pergite ad Amiram, & uenio ipse, & de cunctis loquemur. Ipsi autem cogitātes, quod cum introisset ad Amiram, in medio ipsorum retinerent eum, hunc dimiserunt. At ille cum equo insedisset, profecturus cum hominibus ducētis, quasi uenaturus, dedit se in partem sinistram. Sarraceni ergo qui erant cum eo, dicunt ei: Quò uadis? qui ait: in pratis uolo manere. At illi dixerunt: Consilium tuum non est bonum, & non uenimus tecum. Tunc prætor dicit suis. Verbo nobis dato tenere nos uoluerunt, & propter nos Christianos perdere. Verum ex his hominibus uel animantibus quæ remanserunt, nullum retinent. Et cum issent milibus decem, mansit. Postera uero die mittit stratorum suorum domesticum, & significat eis: Quia uerbum mihi dedistis, & dolo me retinere uoluistis, idcirco recessi. At uero Masalmas clausuras tenebat. Zulcimin autem hoc

Amorium obsidetur

Insidiæ Leoni struuntur

Leo euadit

hoc ignorabat. Porrò tumultuati sunt Amiræi & populus Zulcimin perhibentes: Vt quid obsidemus muros, & incursiones nõ facimus? Depositisq; tabernaculis discesserunt. Prætor autem Nicetam Turmarchan cum octingentis militibus in Amorium introduxit, emissis multis mulieribus & infantibus, & proficiscitur in Pisidiam. Cum aũt Masalmas uenisset in Cappadociam, exierunt ad eum, ut se reciperet flagitãtes. Audita uero Masalmas inimicitia, quam habebat Theodosius in Prætorem, uolens hunc decipere, & pacisci cum eo, ac per ipsum Romaniã sibi subijcere, dicit eis: Non estis Prætoris? At illi: Etiam. Qui dixit: Facitis quicquid ipse facit? Qui dixerunt: Etiam. Tunc dicit eis: Ite ad castra uestra, & quenquam timere nolite. Iussitq; populo suo ne prædarentur in cunctis prouincijs. His prætor compertis, & intelligens quod Zulcimin nunciaret Masalmæ, quod se dimiserit & discesserit, misit literas ad Masalman dicens: Ad te uolebam uenire, sed Zulcimin cum euenissem, tenere me uoluit, & idcirco metuo uenire ad te. Dicit ergo Masalmas homini Prætoris: Noui quod illudat mihi Prætor, ne penitus deprædet prouincias eius. Dicit ei homo Prętoris: Non est ita, sed in ueritate scribit tibi. Tunc interrogat: Quomodo est, inquit, Amorium erga illum? Ait: Bene, & in subiectione eius. Iratus autem iniurijs afficit eum dicens: Cur mentiris? At ille: Ita est ut dixi. Et taxatas misit unà cum Turmarcha in ipsum, & eduxit abundantiores familias. Tribulatione itaq; ingenti Masalmas super hoc accepta cum furore expulit eum. Consilium quippe habebat æstate capere illud, & expectãdi classem, & sic in Asiam descendendi atq; hyemandi. Ergo quæsito iterum Prætoris homine sciscitabatur ab eo. Ille uero iureiurando dixit ad eum: Omnia quæ aio tibi, uera sunt, sed & multi in id taxatæ cum Turmarcha ingressi sunt, cunctamq; substantiam ibidem habitantium, & inopes familias eduxit illinc. His auditis scribit Prætori: Veni inquiens ad me, & tecum paciscor, & uniuersa ut uis parabo. Contemplatus igitur Prætor, quod Masalmæ appropinquasset, & quod in alijs quinque diebus prouincias suas transiturus esset, missis ad eum duobus Consulibus, significat ei dicens: Literas tuas accepi, & uoluntatẽ tuam suscepi, en ad te uenio. Sed ut nosti, Prætor sum, & pecunia, & argentum, & populus me sequuturus est. At permitte mihi per hoc super unoquoq; ipsorum uerbum. Et siquidem quemadmodum requiro ex uobis, causa mea fuerit facta, bene & optime: sin aũt, indemnis saltim & tribulatione proficiscar excepta. Consulibus ergo peruenientibus ad eum Theodosianis, dicit illis Masalmas: Sciebam quod illuderet mihi Prætor uere. At illi, absit inquiunt. Tunc facto quod quæsierat uerbo absoluit eos, donec Consules cum subscripto uerbo ad Prætorem fuissent reuersi. Masalmas uero multitudines copiosas habens, & nusquam stare ualens, Acroenum adit. Præterea cum uidisset Prętor quod ille suas transisset prouincias, Nicomediã uadit, & Theodosij filium consequutus, capit hunc

Masalmas ambit Leonem

Leo Sarracenis iterum imponit

cum

Leo filiū Imp. capit

cum omni apparatu regio,& uiris primis Palatij. At uerò Masalmas descē dens in Asiā, hyemauit illic, & Haumar in Cilicia. Ast prætor assumpto Imperatoris filio,& inito consilio cum his qui secum erant,uenit Chrysopo lim. Porrò Theodosius compertis his quæ gesta sunt, consilio à Germano Patriarcha & Senatu percepto, per eundem patriarchā à Leone indemni tatis uerbum accepit,& ecclesiæ sine perturbatione seruandæ, & sic ei com mittunt imperiū. Porrò Theodosius unà cū filio suo clerici facti, residuum uitæ suæ transegerūt in pace. Veniens autem Masalmas Pergamum,hanc obsedit, & indulgentia dei per operationem diabolicam accepit, & magi sterio cuidam magi. Adductā enim uiri ciuitatis illius mulierē incinctam, iamq́ parituram inciderunt,& assumpto paruulo in cacabo coxerūt. Atq; in huiusmodi deo detestabili sacrificio omnes qui bellare uolebant, dexte ræ manus suæ manicas intingebant, & idcirco traditi sunt inimicis.

Theod. Leoni regno cedens fit clericus

Pergamum à Sarr. captum

DE GESTIS ROMANORVM
LIBER VIGESIMVSPRIMVS
LEO



NNO ab incarnatione domini DCC. IX. Leo Romanorum prouehitur Imperator,qui uigin ti quatuor imperauit annis. Zulcimin uero Arabū dux noscitur, qui tribus præfuit annis. Hoc itaq; anno Leo imperare cœpit,ex Germa nicensibus deriuatus, genere Syrus, qui à Iusti niano cum prius regnaret,trāsfertur in Mesem briā Thracæ. Porrò posteriore Imperij sui tem pore cum ueniret unà cum Bulgaribus, obuius ei fuit cum muneribus ouium quingentarum. Placatus autem Iustinianus Spatarium illum protinus fecit, & habuit hunc sicut germanum amicum. Præterea inuidia ducti quidam detrahebant ei, tanquam imperium appe tenti. Cum uero quæstio superfieret, uelut insimulatores confusi sunt. Sa nè huiuscemodi sermo extunc ei cœpit dici à multis. Iustinianus licet læde re eum uoluerit, tædium quidem sibi contra eum inijcitur: & mittit eum in Alaniam cum pecunijs ad cōmouendos Alanos aduersus Abasgiam, Sar racenis retinentibus tam Abasgiam,quàm Lazicen & Hiberiā. At ille cum pergeret in Lazicam,pecunias quidem reposuit apud Phasidem, perpau cisq́ assumptis indigenis apud Apsiliam, cum transisset Caucasios mon tes, uenit in Alaniam. Iustinianus uero uolens eum perdere, misit & tulit pecunias ex Phaside. Alani autem cum omni honore suscipientes Spata rium,atq; uerba ipsius audientes,introierunt,& prædati sunt Abasgiā. At uero

Leonis uita an te imperium

Abasgia,Lazi ce & Hiberia sub Sarr.

Leo legatus ad Alanos

uero dominus Abasgorum intimat Alanis dicens: Vt inuenio alium talem mentionarium Iustinianus quem habuit, quem mittere debuisset, & commouere uos contra nos uicinos uestros nisi hominem istum? Fefellit enim uos & circa repromissionem quoqꝫ pecuniarum: mittens enim Iustinianus has abstulit. Sed date nobis eũ, & præbemus uobis numismata tria milia, & prisca charitas nostra non soluatur. Verum Alani dixerunt: Nos non propter pecunias obediuimus ei, sed propter dilectionem Imperatoris. Iterum Abasgi mittunt ad eos dicentes: Date nobis eum, & tribuemus uobis numismata sex milia. Porrò Alani uolentes discere regionem Abasgorum repromiserunt se accipere illa numismata sex milia, & dare Spatarium. Alani uero cõfessi sunt Spatario cuncta, & dicunt: Quemadmodum uides, uia quæ ducit in Romaniam clausa est, & quomodo transeas non habes: sed potius callide agamus, & polliceamur quod tradamus te eis, & mittimus homines nostros cum eis, & discimus clausuras eorum, & irruimus, & exterminabimus regiones ipsorum. Apocrisarij uero Alanorum abeuntes in Abasgiam, & repromittentes Spatariũ prodere, plurima xenia acceperunt ab eis, & plures missos denuo mittunt simuletiam cum quantitate auri ad recipiendum Spatarium. Alani uero Spatario aiunt: Homines isti, quemadmodum & ante prædiximus, ad recipiendum te uenerunt, & Abasgia te præstolatur, & quoniã proximi sumus eis, negociatores euntes ad illos non deficiunt. Ergo ne prodas consilium nostrum. Trademus te manifeste: & cum nos moti recesserimus, mittimus occulte post tergum: & illos quidem occidemus, te autem occultabimus, donec coaceruatur populus noster, & sic concorditer ingrediemur terram eorum. Quod & factum est. Comprehenso deniqꝫ Spatario cum hominibus eius, missi Abasgorum uincientes eum abibant. Dein retro uenientes Alani cum Lotaxo domino suo occiderunt Abasgos, Spatarium occultantes, & electis militibus motus est contra eos in Abasgiam, & insperate clausuras ingressus multam in Abasgia prędam & exterminium operatus est. Quibus auditis Iustinianus, & cõperto quod etiam sine pecunijs præcepta sua sunt acta, mittit literas ad Abasgos: Quia si saluum, inquiẽs, Spatarium nostrũ custodieritis, & per uos illæsum transire permiseritis, omnes excessus uestros uobis ignoscimus. At illi cum gaudio his receptis, miserunt denuo in Alaniam perhibentes: Dabimus uobis obsides filios nostros, & date nobis Spatarium, ut mittamus eum ad Iustinianum. Verũ Spatarius hoc admittere noluit asserens: Valet mihi deus apetire ostium exeundi. Nam per Abasgiam non exeo. Post aliquod uero tempus, cum exercitus Romanorum & Armeniorum ingressi essent in Lazicam & Archeopolim expugnarent, Sarracenorum audito aduentu recesserunt. Separati uero ex eis usqꝫ ad ducentos ascenderunt in partes Absiliæ atqꝫ Caucasiorum montium deprædantes. Sanè Sarracenis ad Lazicam uenientibus, fuga lapsus Romanorum Armeniorumqꝫ populus, Pha

sin

sin remeans adit. Ducenti uero illi remeātes in Caucasijs stetere montibus latrocinātes, & sui desperationem patientes. Quo comperto Alani arbitrati sunt multitudinem Romanorū in Caucasijs montibus esse, gaudentesq; aiunt Spatario: Romani appropinquant, perge ad eos. Assumptis ergo Spatarius Alanis quinquaginta, transiuit cum cyclopedibus Maio mense Caucasios montes, & inuenit eos. Vnde multum gauisus, sciscitabatur ubinam esset populus. Qui dixerunt, Sarracenis irruentibus in Romaniā sunt reuersi. Nos autem non ualentes in Romaniam ire, ad Alaniam uenimus. Et dixit ad eos: Quid faciemus modo? Per regionem istam impossibile est transire nos. At uero Spatarius ait: Non est possibile per aliam trāsire. Castrum ergo erat illic cognominatum siderum. In quo loco quidam seruator habebatur, Manius nomine, sub ditione Sarracenorum consistens, & pacem cum Armenijs habens. Mittit itaq; Spatarius & significat ei dicens: Quandiu cum Armenijs pacem habes, paciscere & mecum, & esto sub regno meo, & da nobis auxilium descendendi ad mare, & transeundi ad Trapezuntensium loca. Eo uero patrare hoc non proponente, mittit Spatarius ex hominibus suis ad Armenios, præcipiens eis, ut facerent occultationem: & cum exierint, inquit, è castro ad laborem, capite ex eis quotquot potestis, portasq; tenete ab his qui foris sunt, donec & nos ueniamus. Quibus abeuntibus & facientibus occultationē, cum populus esset ad laborem, egressi subito irruerunt, & portas tenuerunt, & multos ceperunt. Cum autem Pharasmanius in castris cū paucis uenisset, peruenit & Spatarius, & præloquutus est cum Pharasmanio, ut aperiret cum pace. Qui noluit, sed coacetuauit bellum. Verum cum castrum munitum esset, capere id minime potuerunt. Marinus uero primus Absiliensium cum didicisset quod castrum expugnaretur, timore detentus est, existimās multum esse cum Spatario populum, & sumptis secum trecentis, abijt ad Spatariū dicens: Ego te saluum duco usque ad maritima. At uero Pharasmanius uisa necessitate dixit ad Spatarium: Sume filium meum obsidem, & profiteor imperio deseruire. Qui recepto nato eius dicit ei: Qualem seruum teipsum perhibes? qui, cum sis inclusus, loqueris nobis? Impossibile est nobis discedere, donec castrum capiamus. Tunc dicit Pharasmanius: Da mihi uerbum. At uero Spatarius dedit ei uerbum, nihil ei nocendi, sed cum triginta, qui unà secum ingrediebantur præcepit dicens: Mox ut ingressi fuerimus, tenete portas, & introeant omnes. Et hoc facto redijt missurus ignem in castra. Cum autem factum fuisset incendium uastum, exiere, quicquid poterant gestare rapientes ex bonis suis, & transactis alijs triginta diebus destruxit muros usq; ad terram: & motus descendit in Dapsiliam cum Marino primo eorum, susceptus cum ingenti honore à Dapsiliensibus. Indeq; abiens ad maritima uenit, & remeauit ad Iustinianum. Præterea Iustiniano interempto, & Philippico uisu oculorum orbato, imperat Artemius, qui prouexit cum Orientalium

Leo tandem reuersus

talium prætorem. Cum uero Theodosius imperasset, & Artemius pulsus extitisset, Romanorumq; Resp. esset confusa tam ex Barbarorum incursu, quàm ex Iustiniani homicidijs, & Philippici scelestis actibus, hic Leo stimulabatur, & pro Artemio expugnabat, Theodosioq; aduersabatur, quin, ut uerum dicatur, ad seipsum transferre imperium decertans, quod & fecit. Habebat autem concordantem & concurrentem sibi Artabasdum Armiacorum Prætorem, quem & generum Annæ filiæ suæ postquam regnauit coniunctum effecit, promouens illum & constituens Europalaten. Interea Masalmas cum in Asia hyemasset, præstolabatur Leonis promissa: cumq; nil à Leone recepisset, & comperto quod illusus esset ab ipso, abiens Abydum, rursum transuexit populum copiosum in Thracem, & contra regiam urbem commotus est, scribens ad Zulcimin protosymbolum, quò ueniret cum præparatis classibus. Porrò XIX Calendarum Septembriũ obsidere cœpit urbem Masalmas, deprædatus est Thracia castella. Circumuallato ergo terreno muro, foderunt in circuitu foueam prolixam & magnam, & super eam sicci lapidis maceriam posuerunt. Calendis autem Septembribus primæ Indictionis ascendit impugnator Christi Zulcimin cum stolo & Amireis suis, habens miræ magnitudinis scaphas, & naues sumptus uehentes, & dromones numero octingentos, & fixit stationem à Magnaura usq; ad Cyclouium. Post duos sanè dies Austro flante, inde profecti nauigio uenerunt ad urbem. Et quidam eorum ad loca quæ dicuntur Eutropij & Anthemij transmearunt, quidam autem ad partes Thracæ à castello Galathi, & usq; ad Clidium applicuerunt. Verum grandibus illis nauibus ex onere aggrauatis atq; retardatis, Dorsi custodes usq; ad uiginti scaphas remanserunt, habentes centenos loricatos ad has custodiendas. Præterea serenitate, quæ has in rheumate comprehendit, effecta, & Austro modicum flãte, ad exteriora impulsæ sunt. Imperator uero protinus igniferis nauibus contra eos directis ab Atropoli, diuina ope igne consumpsit: & aliæ quidẽ ex his ad ripæ muros proiectæ sunt, aliæ uero unà cum hominibus in profundum dimersæ sunt, porrò aliæ usq; ad acutam & latam insulam consumptæ portatæq; sunt. Hi ergo qui erant ex urbe fiduciã perceperunt, at hostes magno pauore concussi sunt, cognoscentes efficacissimam ignis operationem. Volebant enim eadem die uesperi ad ripæ muros applicare stationem, & temones supra pugnacula ponere, sed consilium eorum dissipauit omnipotens per intercessionem castissimæ genitricis eius Mariæ. Eadem uero nocte Imperator catenam à locis Galathi secreto remouit, inimici autem æstimantes quod uolẽs eos decipere, hanc mouerit Imperator, non ausi sunt intrare usq; ad ea quæ dicuntur Galathi, uel applicare, sed nauigantes ad sinum Sostenij, illic munierunt nauigium suum. Sanè octauo inde Octobris moritur Zulcimin dux eorum, & Amiræ sumit officiũ Haumar filius Habdimazid. Cum autem hyems ualde grauis in Thraciam

Constantinop. à Sarracenis obsidetur

Naues hostiũ incensæ

Haumar Amiras

uenisset, adeo ut terra non pareret, atq; in crystallum uersa esse uideretur, multitudo equorum & camelorum cæterorumq; animalium inimicorum mortua est. Porrò uernali tempore uenit Suphian cum stolo qui fuerat Ægypti constructus, habens naues frumenti quadringentas, & dromones, & comperta Romaici ignis efficacia, transcurrit in Bithyniam, & è contra transiens ad portum Boni agri applicuit. Post paululũ uenit & Gizid cum alio stolo qui fuerat constructus in Africa, habens & ipse naues trecentas sexaginta, & armamentum, & sumptus: similiter & ipse cum eadem didicisset de humido igne, applicuit penes Saturon & Brian & usq; Chortam portum. Ægyptij uero duarum harum classium apud se noctu consiliati nauium ferentium frumentum sublatis lintribus ad urbem confugerunt, laudantes Imperatorem, ita ut ab Heria usq; ad urbem igneum uideretur mare. Comperiens autem per eos Imperator de absconditis in sinu duabus nauibus, syphonibus constructis igniferis in dromones atq; trieres hos immittens, contra duas classes direxit, deo autem cooperante per intercessiones intemeratæ Dei genitricis Mariæ protinus submersi sunt inimici, & assumptis spolijs nostri, & expensis eorum, cum gaudio reuersi sunt. Adhuc autem & Mardasan iterum à portis cum exercitu Arabum usq; Niceam & Nicomediam discurrente, principes regni, qui in Libio & Sophone, more Mardaitarum absconditi erant, simul & pedites in hos subito irruentes, & diuersis damnis afficientes illinc fugere compulerunt. De cætero modico meabilis freti aditu inuento, ab urbe Chelandia exeuntia plurimas expensas ferebant. Præterea fame magna Arabibus innixa omnes moriebantur, & animalia sua comedebant, equos uidelicet, asinos & camelos. Aiunt autem etiam quidam, quod & homines mortuos, quin & stercus suum in clibanum missum atque conspersum ederent. Incubuit autem in eos & pestilens languor, & innumerabiles ex eis perierunt. Porrò coaceruauit bellum in eos Bulgarum gens, & ut aiunt qui hoc certius norunt, uiginti duo milia ex Arabibus occiderunt. Et illo tempore multa eis acciderunt atrocia, ita ut experimento discerent, quia Deus & sanctissima uirgo Deiq; mater Maria hanc muniunt urbem, & Christianorum Imperatorem, & non est omnimoda dimissio dei in his qui inuocant eum in ueritate, licet admodum quid castigemur propter peccata nostra. Anno secundo Imperij Leonis dux Arabum habetur Haumar, qui eis duobus præfuit annis. Eodemq; anno Sergius Protospatarius & prætor Siciliæ, audito quod Sarraceni obsiderent regiam urbem, coronauit illic proprium Imperatorem uirum Constantinopolitanum ex hominibus suis, filium Gregrorij Onomaguli mutato nomine Tiberium uocitatum, qui fecit promotiones & suos principes prædicti consilio Sergij. Ast Imperator his auditis, mittit Paulum proprium Chartulariũ, hunc patricium ordinatum & prætorem Siciliæ, datis in auxilium ei duobus Spatarijs, & in

Naualis uictoria

Fames & pestis apud hostes

Sar. à Bulgaris cæsi

Sergius prætor Siciliæ

Tiberius tyrannus

Paulus patricius

in seruitium eius perpaucis hominibus iussionibusq; ad principes occidentis,& sacra populo recitãda. Qui cum ingressi fuissent noctu in dromonem uelocem, exierunt in partes Cizici. A loco aũt ad locum per terram,perq; mare itinere facto repente in Siciliam uenerunt. Cumq; Syracusam introissent,audiuit Sergius & obstupuit: & proprio excessu perpenso, consugit ad propinquos Calabriȩ Lõgobardos. Populus uero cõgregatus,& Sacra relecta per eã certus effectus,quod & imperiũ staret, & urbs prõptior esset aduersus gentes:nec non & enarrãtibus illis quæ facta fuerãt super duobus stolis,Leonem Imperatorem laudauerunt, Basilium autẽ Onomagulum, & principes qui ab eo profecti fuerant,uinctos prætori tradiderũt. Ipse uero Basilium cum singulari prætore ipsius decollauit, & capita eorum pusca condita per Spatarios Imperatori trãsmisit: reliquorum autem quosdam aut uerberatos,aut tonsos,quosdam uero abscisis naribus in exilium destinauit. Sicq; factum est ut hinc in Occidentalibus magna correctionis constitutio fieret. Porrò Sergius uerbo impunitatis accepto à Prætore pariter & petito exiuit ad eum, & ita omnes pace potitæ sunt Hesperiæ partes. Interea Haumar cum obtinuisset Arabes,præcepit Masalman redire. Sarraceni ergo moti decimaoctaua Calendas Augusti cum multa confusione reuersi sunt. Cum autem iter ageret classis eorum, tempestas à Deo per intercessionem Dei matris incumbens in illos,hos dispersit, & alios quidem horum penes Proconesum & reliquas insulas, alios uero in uertigenes & cætera demersit in æquora: residui quoque cum transissent Ægeum pelagus,extemplo peruenit in eos terribilis indignatio dei. Grãdo nanq; ignea descendens super eos,aquã maris ebullire fecit,& pice liquefacta simul cum hominibus naues inductæ sunt in profundum, decem solis ex eis saluis, & ipsis prouidentia dei Saluatoris,ad annunciandum nobis,nec non & Arabibus magnalia Dei quæ in illis effecta sunt: quas etiam nostrates inueni re potuerunt, & quinq; harum comprehendere: aliæ uero quinq; saluæ in Syriam ductæ sunt,dei annuntiaturæ potentiam. Eodem uero anno terræ motu magno facto Haumar ciuitatibus uinũ inhibuit, & Christianos apostatare coegit. Et apostatãtes quidem sine tributo esse faciebat,at uero non consentientes interimebat,ac per id multos martyres operatus est. Sanxit autem,testimonium Christiani aduersus Sarracenũ minime recipiendum. Fecit autem & epistolam dogmaticam ad Leonem Imperatorem,ratus im pius persuadere quo à fide sua recederet. Anno tertio Imperij sui natus est Leoni principi filius Constantinus, qui magis illo impius fuit,& Antichristi præcursor. Cæterum octaua Calend. Ianuarij Maria uxor Leonis coronata est in Triclinio Augusta, & processit sola cum solenni obsequio sine uiro suo ad magnam ecclesiã,& oratione ante ingressum altaris effusa transijt ad baptisteriũ magnũ,uiro eius iam cum paucis familiaribus ingresso. Vbi cum Germanus summus sacerdos Constantinum nequitiæ ipsorum

Tyrannus decollatus

Vrbis obsidio soluta

Naufragium

Grando prodigiosa

Solæ x naues ex Sarr. classe incolumes

Sarracenica persecutio

Epistola ad Leonem

& Imperij successorem baptisaret, dirum quiddam & fœdũ paruulus Constantinus, eodem præsignans, exhibuit argumentũ, cacans uidelicet in sancto lauacro, ut aiunt qui diligenter huius rei facti sunt inspectores, ita ut Germanus sanctissimus prophetice diceret: Constat maximi Christianis & ecclesię mali per eum efficiendi hoc signum esse futurum. Post diuina sanè officia cum solenni rursus obsequio Augusta Maria unà cum baptizato filio reuersa est, donatiuis erogatis ab ecclesia usq; ad Æneam portam. Eodem etiam anno Niceta Xylinites scribit ad Artemium Thessalonicæ morantem, quo pergeret ad Terbellim, & dat ei exercitum, & quinquaginta auri centenaria, & his receptis Constantinopolim uenit. Vrbe sanè id minime admittente, Bulgares hunc Leoni tradiderunt, & liberali dignitate honorati reuersi sunt. Ast Imperator hunc cum Xylinite peremit, publico quoq; fisco substantiam applicans Xylinitis. Qui cum magister esset, substantiam multam possederat. Sisinnum patricium cognomento Rendacium, eo quod fuerit cum Artemio, Bulgares capite punierunt, & Archiepiscopum Thessalonicensem Leoni principi tradiderunt, qui decollatus est cum Artemio. Similiter & Hisoen patricium & comitem Obsicij, & Theoctistum primũ à secretis, & Nicetam Autarcen, & comitem Thiticei, ut amicos & concordes eius occidit, reliquos autem mutilatis naribus & proscriptione damnatos in exilium misit. Anno IIII. Imperij Leonis Gizid Arabum dux habetur, filius Habdimelich, qui eis quatuor præfuit annis. Eodẽ anno Indictione tertia die paschę redimitus est Constantinus à Leone patre suo in tribunali decem & nouem accubituum, Germano patriarcha faciente orationes secundum morem. Hoc etiã anno mortuus est Haumar dux Arabũ, & oritur ex Perside tyrannus, & ipse nomine Gizid Moalabe: & abierunt cum eo ex Perside multi. Misso autem Gizid Masalma occidit eum & Persidem subdidit. Anno quinto Imperij Leonis apparuit quidam Syrus Pseudochristus, & seduxit Hebræos, dicens se esse Christum. Anno sexto imperij Leonis, Leo coëgit Hebræos & Montanos baptizari, at uero Iudæi Baptizati cõtra propositũ suũ diluebãt baptismũ, & comedentes sancto muneri participabantur, & contaminabant fidem. Porrò Montani diuinantes sibi, & diffinientes fidem, domos introierunt errori suo deputatas, & incenderunt semetipsos. Anno septimo Imperij Leonis, Iudæus quidam oriundus ex Laodicea maritimæ Phœnicis, maleficus, ueniens ad Gizid promittit eum quadraginta annis retenturũ Arabum principatum, si uenerabiles quæ in ecclesijs in toto principatu suo imagines honorabãtur deponeret. Huic itaq; credẽs stolidus Gizid, edictum generale contra sanctas imagines promulgauit: sed gratia domini nostri Iesu Christi & intercessionibus matris eius, omniumq; sanctorũ, mortuus est Gizid, pluribus adhuc nec audire uolentibus sathanicũ ipsius edictum. Percepta ergo amara ista & illicita nequamq; doctrina, Leo Imperator multorum

Germani præsagium

Studiosi nouarum rerũ puniuntur

Gizid Amiras

Const. coronatio

Pseudomessias

Marani

Montani

Iudæus maleficus

Leo iconomachus

multorum effectus est nobis causa malorum. Porrò cum inuenisset indisci plinationis huius consentaneũ quendam Beser nomine, qui natus quidem de Christianis fuerat, sed captiuus in Syriam ductus, refuga fidei quæ est in Christũ repertus est, Arabũ dogmata sectari apparuit. Is ante tẽpus nõ multum ab illorum seruitute liber effectus, cum uenisset ad remp. Romanorũ, ob robur corporis & cõsensum prauæ opinionis honoratus est ab eodem Leone, qui & Imperatoris fautor in magni huius mali piaculo factus est. Concordabat autẽ ei & episcopus Nacoliæ. Qui indisciplinationi eius operam dans, consimili uita uiuebat cum ipso. Anno octauo Imperij Leonis mortuus est Gizid Arabum dux, cui successit Euelid huius filius, & cœpit ædificare per ciuitates & regiones palatia, & nouales facerere & paradisos, & aquas educere. Mouit etiam aciem contra Romaniam, multisq; eorum qui secum erãt amissis reuersus est. Anno nono Imperij sui cœpit impius Imperator Leo cõtra sanctas & uenerabiles imagines facere uerbum. Quod cum didicisset Gregorius papa Romanus, tributa Romanæ urbis prohibuit & Italię, scribens ad Leonem epistolam dogmaticam, non oportere Imperatorem de fide facere uerbum, & nouitate uiolare antiqua dogmata ecclesiæ catholicæ, quæ à sanctis patribus sunt prędicata. Anno decimo Imperij Leonis mouit exercitum Masalmas contra Romaniam & Cæsaream Cappadociæ, & cepit eam. Muhauias uero filius Euelid, aciem mouit contra Romaniam, & cum deambulasset, reuersus est. In ipso anno æstiuo tempore uapor ut ex camino ignis uisus est ebullire inter Theram & Therasiam insulas ex profundo maris per aliquot dies: quo paulatim incrassato & dilatato, igniti æstus incendio totus fumus igneus monstrabatur. Porrò crassitudine terrenæ substantiæ petrinos pumcies grandes ut cumulos quosdam transmisit per totam minorem Asiam, & Lesbon, & Abidũ, & maritima Macedoniæ, ita ut tota superficies maris his pumicibus esset repleta. In medio autem tanti ignis insula ex terrę congerie facta, insulæ quæ sacra dicitur, copulata est, nõdum prius existens. Verum sicut prædictæ Thera & Therasia insulæ quondam ebullierunt, ita & ipsa nunc temporibus impugnatoris dei Leonis, qui diuinam iram contra se pro se fore opinatus, impudentius contra sanctas & uenerabiles imagines prælium excitauit, collegam & auxiliatorem habens Beser dei abnegatorem, & in irrationabilitate simillimum. Ambo quippe in ineruditione erant, & indisciplinatione, ex qua multa malorum genera ueniunt. Turbæ autem quæ in regia urbe erant ualde tristes super nouis doctrinis, meditabantur in eum surgere, & quosdam regios homines occiderunt, dei deponentes icona, quæ super magnam æneam posita cernebatur: adeo ut multi eorum pro ueritate punirentur membrorum detruncationibus, & flagris, & exilijs, & rerum iacturis, maximeq; illi qui nobilitate ac uerbo clari esse uidebantur: ita ut etiam eruditionum scholas, & piam eruditionem à sanctæ memoriæ Con

Beser patricius

Euelid Amiras

Greg. papa

Cæsarea Cappadociæ captã

Noua insula enata

Tumultus prõpter imagines

Scholæ extinctæ

stantino Magno huc usque seruatam extingueret. Cuius uidecet cum aliis quoque multis bonis destructor Leo factus est, eius cuius & Sarraceni sensus existens. In his ergo zelo diuino moti, tumultuabantur contra eum magna congressione nauales exercitus cõcitati, tam Helladici, quàm hi qui Cycladum fuerant insularum. Agallianus autem Turmarcha Helladicorum erat militiæ dux, simul & Stephanus, qui & regiæ proximantes urbi quartadecima Calendas Maias decimæ Indictionis superantur congressi cum Byzantiis, ibi confecto igne nauibus cõcrematis, & alij quidem horum demerguntur, inter quos & Agallianus armatus seipsum præcipitauit. Porrò superstitibus ad Imperatorem confluentibus, Cosmas & Stephanus capite puniuntur. Crescit itaque malitia impij Leonis & consentanei eius, contra pietatem extendendo persequutionem. Per æstiuum uero solstitium huius decimæ Indictionis post nequam de contribulibus acceptam uictoriã, contra Bithyniensium Niceam prælium construunt Sarracenorum Amiræi duo, Amer scilicet in milibus quindecim expeditorum præcurrens, & insperate circundans ciuitatẽ: & Muhauias subsequens in aliis octogintaquinque milibus: quæ post multam obsidionem, & particularem euersionem murorum, hanc quidem non obtinuerunt, bene acceptis sanctorum precibus patrum ad deum directis, & sanctificatione faciente uenerabilis templi, ubi in colendis suis characteribus eriguntur, & usque nunc ab his qui eis similis sensus sunt honorantur. Præterea Constantinus quidam strator Artabasdi uidens imaginem dei genitricis stantem, apprehensum lapidem aduersus eam proiecit, & contriuit: & cum cecidisset, calcauit. Et uidit in somnis astantem sibi Dominam nostram & dicentẽ: Nosti quàm fortem causam in me operatus fueris, uerum contra caput tuũ hoc fecisti. Postea uero dum Sarraceni aduersum murum congressionem facerent, & ageretur bellũ, currens ad murum ut fortis miles infelix ille, eiicitur à lapide transmisso ex Mangone, & contritum est caput eius & facies, dignam impietatis suæ retributionem percipiens. Præda multa & exuuiis Sarraceni collectis reuersi sunt, ostendente deo etiam in hoc impio illi, quod non propter pietatẽ, quam ille diffamabat de contribulibus, triumphauerat, sed propter diuinum & ineffabile quoddam iudicium retundens ac remouens huiusmodi Arabicam fortitudinem à sanctorum patrum ciuitate, intercessionibus illorum propter diligentissimos characteres ipsorũ qui honorantur in ea in redargutionem ac inexpugnabile iudicium tyrãni, & pie agentium certitudinẽ. Non enim solum circa uenerabilium affectiuam imaginum orationẽ errabat impius, sed & circa castissimæ dei genitricis intercessiones, omniumque sanctorum, quorum & reliquias scelestissimus, ut magistri eius Arabes, abominabatur. Ex hoc igitur tempore impudenter beato Germano patriarchæ Constantinopolitano derogabat, accusans omnes antecessores suos principes atque pontifices & populos Christianos, quasi idololatræ fuerint, super orationem

Agallianus

Nicea frustra oppugnata

Somnium

nem sanctarum ac uenerabilium iconum, non capiens idiota infidelitate captus de affectuali oratione sermones. Anno XI. Imperij Leonis, eodẽ anno Muhauias capto Atheus castro reuersus est. Anno XII. Imp. Leonis, mouit filius Chaiani principis Cazariæ contra Mediam & Armeniã, inuentumq́ in Arabia Gradacũ Arabum prætorẽ trucidauit, & multitudinem quæ simul cum eo erat, & depopulatus Armeniorum & Medorum regiones, redijt, metum incutiens Arabibus multum. Anno decimotertio Imperij Leonis, castra mouit Masalmas aduersus humum Turcorum, & inuicem congressi ex utraq; parte cadunt in prælijs, metuq́; perterritus Masalmas fugiens in montes Cazariæ reuersus est. Eodem uero anno furens Leo Imperator contra rectam fidem, & adducto beato Germano cœpit blandis sermonibus eum delinire. At uero beatus summusq́; sacerdos dixit ad eum: Depositionem sanctarum imaginum audiuimus quidem futuram, sed nõ tempore Imperij tui. Cum antem ille cogeret eum dicere, sub cuius imperio, ait: Sub Cononis. At ille, re, inquit, uera ex baptismo Conon mihi nomen est. At ille dixit: Absit domine, ut per imperium tuum istud malum perficiatur, Antichristi præcursor est, qui hoc adimpleturus est, & diuinæ incarnationis euersor. In his ergo sæuus tyrannus insaniens beato minas prætendebat, instar Herodis percussoris. Reducebat autem ad memoriam eius patriarcha sponsiones eius ante imperium factas, qualiter sibi deum dederit uadem, in nullo commoturum ecclesiam à suis apostolicis & diuinitus traditis ritibus. Sed nec sic confusus est miser: obseruans aũt atq; submittens quosdã sermones, satagebat sicubi inueniret eũ cõtra imperiũ suũ agentẽ, quatenus hunc ut coniuratorẽ non ut confessorem à throno deponeret, habens in hoc comparticipem Anastasium discipulum & syncellum eius, cui spopondit utpote impietatis suæ consentaneo, throni eũ adulterum successorem futurum. Quem beatus non ignorans, sic parum se affectantem, imitatus deum suum, ac si ad alium Iscarioten sapienter & mansuete eorum quæ proditionis sunt, memoriam faciebat. Quia uero eum inconuertibilem uidebat, conuersus calcantem ad eum aliquando posteriora stolæ suæ cum ad imperatorem ingrederetur ait: Non effugiet tempus à te ingrediendi Duppin. At ille super sermone hoc tristatus, cũ alijs qui hunc audierant, præsagium ignorabat, quod cum in finem post quindecim annos percepisset, tertio uidelicet imperij Constantini Imperatoris & persequutoris Indictionis XII. omnibus credere persuasit ex diuina gratia fuisse ingrato prophetice dictum. Constantinus enim post cognati sui Arthabasdi rebellionem cum Imperium obtinuisset, per Duppin ingressus, nudum super asinum uerso uultu sedentem pompauit, eo quod sibi unà cum alijs inimicis mala fuerit imprecatus, & Artabasdũ coronauerit, sicut in suo indicabitur loco. Et Byzantij quidem propugnator pro dogmatibus pietatis sacer hic & egregius pollebat Germanus, ceu cõtra bestias pugnans ad-

Cazari cõtra Arabes

Arabes cõtra Turcos

Germanus patriarcha

Anastasius

uersus Phetonymũ hunc Leonem & fautores eius. In seniori uero Romã Gregorius sanctissimus uir apostolicus, & Petri apostolorũ principis consessor, uerbo & actu coruscus, qui remouit Romam & Italiam, nec non & omnia tam reip. quàm ecclesiastica iura in Hesperijs ab obedientia Leonis & Imperij sub ipso constituti. Porrò in Syria penes Damascum Ioannes presbyter & monachus Crysaroas doctor optimus, uita & uerbo prę fulsit. Verum Leo Germanum utpote sub se constitutum à throno pellit. Gregorius autem eum per epistolas, quæ multis sunt notæ, manifeste redarguit. sed & Ioãnes hunc cũ Oriẽtis episcopis anathematibus subdidit. Porrò septima idus Ianuar. tertiædecimæ Indictionis tertia feria, impius Leo silentium cõtra sanctas ac uenerabiles celebrauit iconas in tribunali decem & nouem cubituum, aduocato quoq; Germano sanctissimo patriarcha, ratus posse illi persuadere quo subscriberet contra sanctas iconas. Sed fortis Christi seruus nullatenus acquiescens detestabili cacodoxiæ ipsius, cum uerbum ueritatis recte direxisset, abrenunciauit summum sacerdotiũ, tradens palliũ, & post multos didascalicos sermones dicens: Si ego sum Ionas, mitte me in mare, absq; uniuersali quippe Synodo innouare fidem impossibile est mihi secundum apostolicam doctrinam & paternam traditionem ô Imperator. Et abiens ad locum qui dicitur Platanium, in parentali domo sua quieti operam dedit, summo sacerdotio functus annis quatuordecim, mensibus quinq;, & diebus septem. Porrò undecima Cal. Feb. creant falsi nominis Anastasium discipulum & Syncellũ eiusdem beati Germani consentientem Leonis impietati propter amorem principatus mundani, hunc episcopũ Constantinopoleos prouehentes. Sanè Gregorius sanctissimus præsul Romanus, quemadmodum prædixi, Anastasium unà cum libellis abiecit, Leonem per epistolas tanquam impie agentem redarguens, & Romam cum tota Italia ab illius imperio recedere faciens. Insaniens ergo tyrannus contra uenerabiles imagines persequutionem tetendit. Porrò multi clerici, & monachi, & religiosi laici pro recto periclitati sunt uerbo.

Greg. papa — *Ioannes Damascenus* — *Germanus episcopatu se abdicat* — *Anastasius succedit* — *Italia deficit à Leone*

Anno decimoquarto Imperij Leonis, hoc anno mouit Masalmas exercitum contra Romaniam. Et cum uenisset in Cappadociam dolo, cepit Cursianum castrum. Anno decimoquinto Imperij Leonis Masalmas castra mouit aduersus Turciam, & cum peruenisset usque ad Caspias portas, metuens inde reuersus est. Anno decimosexto Imperij sui, Leo Imperator filiam Chaiani Cazarorum arbitri filio suo Constantino, cum hanc Christianam fecisset, matrimonio sociauit, nominans eam Eirenen. Quę cum sacras literas didicisset, pietati operam dans claruit, hos impietatis redarguens. Muhauias uero filius Euelid aciem direxit contra Romaniam, & ueniens usq; Paphlagoniam redijt cum præda multa. Ast Imperator contra Papam atq; recessum Romæ ac Italiæ sæuiebat, constructumq; stolũ magnum direxit aduersus eum, Manen Prætorem Cy-

Eirene — *Arabes usq; Paphlagoniã excurrunt*

bereoten-

bioretensium caput in eis constituens. Tunc impugnator dei per amplius sæuiens quum Arabico sensu teneretur, tributa capitalia Thraciæ parti Siciliæ seu Calabriæ superimposuit: ea uero quæ dicũtur patrimoniæ sanctorum principum apostolorum, quæ olim ecclesijs auri dimidium, & tria conferebant talenta, publicæ rationi exolui præcepit: considerare etiam ac describere natos mares iubens, ut Pharao quondam eos qui erant ex Hebræis, quod nec ipsi magistri eius Arabes in Christianos, qui in eis sunt oris, fecisse noscuntur. Anno decimoseptimo Imperij Leonis facta est mortalitas in Syria, multiq; perierunt. Anno decimooctauo Imperij Leonis Zacharias præsul Romanus habetur. Eodem anno Theodorus Mansur in exilium missus est apud climata eremi, & factum est signum in cœlo igneum resplendens, & Muhauias Asiam depopulatus est. Anno decimonono Imperij Leonis mouit exercitum Zulcimin aduersus Armeniorum regionem, & nihil profecit. Anno uigesimo Imperij Leonis Zulcimin multis ex Asia in captiuitatem ductis, quendam Pergamenum pariter duxit captiuum, qui se dicebat Tiberium esse filium Iustiniani. Hunc Euelid in honorem filij sui atq; Imperatorium terrorem, eum Imperatorio atq; decẽti honore militijsq; ac sceptris in Hierosolymam mittit, & per totam Syriam circunduci cum magno iubet honore ad uisionem cũctorum.

Zach. papa

Anno XXI. Imp. Leonis mouit Zulcimin exercitũ contra Romaniam, & depopulatus est castrũ, quod dicitur Siderũ, & Eutychiũ filium Mariani patricij duxit captiuum. Anno uigesimosecundo Imperij Leonis, mense Maio, Indictionis octauæ mouit exercitum Zulcimin cõtra Romaniam cum octoginta milibus, & magistratibus quatuor, quorum Gamer dux erat insidians in denis milibus latrunculis Asianæ partis, cuius socij erant Melich & Bathal cum uiginti milibus equitum circa Acronium debacchantes: & post hos Zulcimin cum sexaginta milibus circa Cappadociam Tyanæ progressus, quorum alij per Asiam & Cappadociam multo excidio uirorum ac mulierum atq; iumentorum patrato illæsi reuersi sunt. Hi uero qui cum Melich & Bathal apud Acroniũ erãt, expugnati à Leone seu Constantino superati sunt, & plures ex his armis ipsis cum duobus principibus periere, octingenti uero pugnatores qui ex illis ad sex milia institerant, Sinadam confugiunt, & salui remanentes Zulcimin sociati sunt, & ad Syriam repedarunt inglorij. Eodem etiam anno in Africa multi ab eis cum Prætore Damasceno nomine perditioni patuerunt. Anno uigesimotertio Imperij Leonis nequissimi Syri, incensi sunt fori apud Damascum à Raticensibus, qui patibulo sunt affixi: eodẽq; anno terræmotus factus est magnus atq; terribilis Constantinopoli VII Calendas Nouemb. Indictionis nonę, feria IIII, hora VIII. & corruerunt ecclesiæ ac monasteria, populusq; multus extinctus. Cecidit aũt & simulacrum, quod stabat super Attali porta Magni Constantini unà cum ipso Attalo, & titulus Arcadij

Melich & Bathal cum copijs cæsi

Terræmotus ingens

qui

qui supra Xerophili columna stabat, & simulacrum maioris Theodosij, quod supra Auream portam uidebatur: nec non & terreni urbis muri, ac ciuitates ac uillæ in Thrace, & Nicomedia in Bytinia, & Prænetus, & Nicea, in qua una tantum salua remansit ecclesia. Fugit autem & mare terminos suos in quibusdã locis, & perdurauit terræmotus mensibus duodecim. Ast Imperator alloquutus est populum dicens: Vos non ualetis ædificare muros, sed nos præcepimus administratoribus, & ipsi exigent in regulam per singulos aureos numum argenteum unum. Quo Imperator accepto ædificauit muros, & ita facta est consuetudo dandi binas siliquas administratoribus, cum annus esset à cõditione quidem mundi, iuxta Romanos, ab Adam sextus millesimus ducentesimus tricesimus secũdus: à Philippo, secundum Macedones, millesimus sexagesimus tertius. Regnauit autem Leo ab octauo Calendas Aprilis quintædecimæ Indictionis, usque quartadecima Calendas Iulij nonę Indictionis, cum regnasset annis uigintiquatuor, mensibus duobus, diebus uiginti duobus. Similiter & Constantinus filius eius, Imperij & impietatis ipsius successor ab eodẽ X Calend. Iulij, Indictionis nonæ, cũ regnasset & ipse annis XXXIIII. mẽsibus tribus, diebus duob. Taliter ergo, ut prædiximus, eodem anno mortuus est Leo, cum animæ & corporis morte, & imperat Constantinus filius eius. Et quidem quæcunq; sub Leone impio Christianis euenerunt, siue circa orthodoxã fidem, siue super ciuilibus dispositionibus, siue super turpis lucri quæstu, & auaricia per Siciliam, & Calabriam, & Cretam, adinuenta pariter & imposita, siue in Italiæ apostasia propter huius cacodoxian, siue in fame & pestilentia, gentiumq; pressuris, ut particularia taceam, in præcedentibus ostenduntur capitulis. Dignum autem est decætero & Imperij filij eius, tanquam à deo, qui omnia perspicit, contemplantem ueraciter & nõ superflue, ad utilitatem posteris & miseris, qui nunc in cacodoxia illius decipiuntur, ludibria exequi, quæ ab hac decima Indictione ipsius Imperij primi anni, usq; ad quartam decimam Indictionem mortis illius impie gessit. Hic enim perniciosissimus & agrestis, ferus, tyrannice nec legitime abusus Imperio, primo quidem à deo & intemerata matre ipsius, ac omnibus sanctis abscedit, magicis maleficijs & luxurijs cruentisq; sacrificijs, & caballinis stercoribus, atq; lotio delectatus, molliciebusq; ac dæmonũ inuocationibus gaudens, atq; omnibus animas corrũpentibus adinuentionib. à tenera ætate cõuiuens. Quia uero paternũ principatũ cũ malitia suscepit, nõ modicã in breui tpe demõstrat nequitiã, ita ut ab omnibus ob impudentiã cõfestim odio haberet, & Artabasdo Europalati & comiti Obsicij, qui Annã sororẽ eius duxerat, uis pro capessendo Imp. imponeret. Eodemq; anno Euelid interficit Christianos captiuos in omni ciuitate, inter quos & Eutychius filius Mariani patricij, martyr uerus ostensus est in Carris Mesopotamiæ, ubi & reliquiæ ipsius sanitates per dei gratiã operantur: & multi alij per sanguinẽ consummati sunt.

Leo moritur

De gestis

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER VIGESIMVSSECVNDVS

CONSTANTINVS



NNO ab incarnatione domini DCC.XXXIII. Constantinus persequutor legũ à patribus traditarum imperat diuinis iudicijs, & multitudine nostrarum exigente culparũ, qui cum quinta Calẽdas Iulij ad partes egressus Obsicij aduersus Arabes esset, uenit ad ciuitatem quæ dicitur Craso. Cum aũt prædictus Artabasdus Dorilæi cum Obsiaco populo esset, suspicabantur adinuicem. Mittens autem Constantinus ad eum, petebat sibi dirigi filios eius, quos quasi nepotes suos desiderabat uidere. Intentio autem eius erat comprehendendi eos & retrudendi. At ille cum intellexisset fraudem, immensurabilem malitiã eius sciens sui desperationem incurrit, populumq́ alloquẽs & persuadens, impetu aduersus illum cum omni multitudine properauit, & Beser quidem patricium, qui sensu erat Sarracenorum sectator, quicq́ præcesserat, romphæis interfecerunt. At uero Constantinus misero equo forte strato reperto, cum ascendisset in eum fugiens uenit Amorium. Et cum ad Orientalium thema, cuius prætor erat Lacinus, cucurrisset, circũmunitur ab illis, quos cum magnis pollicitationibus subleuans, ad Sisinnatiũ mittit, qui Prætor erat Thracensiũ thematis, & persuadet illis auxiliari sibi. Hinc ergo atrocissimæ pugnæ & cõflictus subditis generantur, cum Imperator appellaretur uterq́. Præterea scribit Artabasdus ad Theophanen patriciũ & magistrum, qui ex persona Principis in urbe remanserat, per Athanasiũ Silentiarium quæ gesta sunt, qui cum Artabasdo faueret, coaceruato populo apud Catechumenia magnæ ecclesiæ, & per literas, & per iam dictum Athanasium persuasit omnibus credere, quod Imperator mortuus fuerit. Artabasdus autem à thematibus pronunciatus est Imperator. Tunc omnis populus cum Athanasio falsi nominis patriarcha, anathemati & detestationi submiserunt Constantinum ut arrogantem & aduersariũ dei, atq́ ipsius cædem amplectabiliter admiserunt tanquam à malo maximo liberati, Artabasdum uero Imperatorem ut orthodoxum prædicauerunt, & diuinorum dogmatũ propugnatorem. Mox ergo Monotes mittit in partes Thracenses ad Nicephorum filium suum Prætorem Thracensium, quo custodiam urbis muniret, & illic exercitum constitueret. Obseratis ergo portis murorum & uigilijs positis, filios Constantini comprehensos, cæsos ac tonsos in custodiam posuit. Cum aũt Artabasdus cum Obsicijs urbem esset ingressus, peruenit Constantinus Chry-

Artabasdus rebellat

Beser patricius occisus

Const. fugit

Lacinus prætor

Sisinnatius prætor

Theophanes patricius

Artabasdus in urbẽ receptus

Chrysopolim cum duobus thematibus, Thracensium scilicet atq; Orienta lium. Et cum nil agere ualuisset, reuersus apud Amorium hyemauit. Arta basdus autē per totam urbem sacras erexit imagines. Interea Barbari sen tientes horum aduersus inuicem iurgium, multā prædam in Romania per petrarunt, Zulcimin Prætore ducente. Porrò Anastasius pseudopatriar cha tenens honoranda & uiuifica ligna, iurauit populo dicens: Per eum qui in ipsis affixus est, sic dixit mihi Imperator Constantinus asseuerans: Ne existimes filium dei esse quem peperit Maria, quicq; dicitur Christus, sed purum hominem. Maria enim eum peperit, sicut me peperit mater mea. & tunc maledixit ei omnis populus. Anno secundo Imperij Constanti ni, qui triginta quinq; annos Romanorum Imperium tenuit, mortuus est Euilid Arabum dux. Hic sanctissima ecclesia Antiochena per annos qua draginta uiduata manente, prohibentibus Arabibus patriarcham fieri in eadem, habens quendam amantissimum monachum Syrum, nomine Ste phanum, agrestem quidem, sed religiosum, iubet in Oriente positis Chri stianis si uellent permitti sibi patriarcham habere, ipsum eligerent Stepha num. Qui diuinitus hoc fieri arbitrantes, consecrant eum in sede Theupo leos. Ex tunc usq; nunc discurrit sine prohibitione fieri huiusmodi. Eodem anno obtinuit Gizid filius Habdimelich Arabum principatum, ad quem Constantinus quidem Andream Spatarium, Artabasdus autem Grego rium logothetam miserunt, auxilium quærentibus utrinq;. Porrò pluuiæ defectus & terræmotus per loca facti sunt, ita ut montes unirentur adinui cem per eremum Sabæ, & castella in terram immergerentur absorpta. Eo dem uero anno Cosmas Alexandriæ patriarcha unà cū tota ciuitate à Mo nothelitarum cacodoxia redijt ad orthodoxiam, cum tenuisset sub Cyro, qui sub Heraclio Alexandriæ patriarcha fuit. Porrò exercitum mouit Ga mer cum Arabum multitudine aduersus Romaniam, & multis in captiui tatem ductis reuersus est. Et apparuit signum in cœlo ad Aquilonem men se Iunio. Hali autem sanctissimum metropolitam Damasci lingua mutila ri præcepit, tanquam arguentem palàm Arabum ac Manichæorū cogna tionem, & exulem penes Eudæmonem Arabiam fecit: ubi & moritur mar tyrio pro Christi nomine percepto, cū expressius diuinas missas celebras set, sicut huius rei narratores aiunt, qui se proprijs auditibus super hoc sa tisfactos esse testantur. Huius æmulator & homonymus Petrus apud Ma uiman eiusdem temporibus ostensus est pro Christo martyr ultroneus. Languore siquidem detentus primores Arabum aduocauit, utpote assue factos sibi, cum Chartularius esset, & publica tributa facta ratione confer ret, & ait illis: Mercedem quidem pro mei uisitatione à deo recipiatis, licet infideles amici sitis: testamenti uero mei testes uos uolo, cum sit tale: Om nis qui non credit in patrem & filium & spiritum sanctum consubstantia lem, & diuinam in monade trinitatē, mortuus est anima, & æterno dignus tormen

Gizid Amiras

Alexandrina ecclesia resipiscit

Petrus Damasci episcopus

Petrus martyr

tormento: talis est Muhammat pseudopropheta uester, & Antichristi præcursor. Discedite ergo si mihi creditis testanti uobis cœlum & terram ab illius fabulatione. Consulo enim uobis ne cruciemini simul cũ illo. Cum hæc & plura cum eis de deo ratiocinatus dissereret, audientes illi stupore seu uæsania detenti lõganimiter uisi sunt ferre, ex languore hũc præter sensum esse putantes: cum autem ex infirmitate conualuisset, maiori cœpit uoce clamare: Anathema Muhãmat, & fabulosum scriptum eius, & cuncti qui obediunt & credunt ei. Tunc per gladium animaduersionẽ perpessus, martyr ostensus est. Hunc declamationibus sermonum honorauit sanctus pater noster Ioannes, qui bene cognominatus est Chrysoroas, propter auream & fulgidam spiritus sancti gratiam, quæ in ipso tam uerbo, quàm in uitæ actu effloruit, quem uidelicet Constantinus impius Imperator annuo propter eminentem orthodoxiã eius anathemati submittebat, & pro Mansur, quod eius auitum nomẽ est, quodq́; redemptus interpretatus, seu Iudaico, nouum ecclesiæ magistrum, Manseron mutato nomine uocitabat. Eodem anno Gizid Cyprios in Syriam transtulit. Artabasdus autem Nicetam filium suum Monostrategũ promotum ad thema direxit Armeniacorum. Porrò Nicephorum æque filium suum coronauit per Anastasium patriarcham. Mense uero Maio cum Artabasdus ad partes Obsicij egressus fuisset, & milites elegisset, totam Asiam cepit depopulans eam. Quo Constantinus comperto, motus est contra eum. Cum uero ad eum in partes Sardæorum à Celbiano redeuntem uenisset, & cum illo bellum inisset, insequitur eos usq; Cizicum. At ille cum Cizicũ peruenisset, dromonem ingressus in ciuitate saluatur. Præterea mense Augusto eiusdem decimæ Indictionis Niceta Monostrategus filius Artabasdi, cũ intulisset Constantino apud Modrimen ac Cysseum bellũ terga uertens aufugit, & quendam Tiridatẽ Armeniũ fortissimũ militem & consobrinũ Artabasdi cum alijs multis principibus interfecit. Vtriusq; uero partis casus haud modicus factus est, Armeniorũ scilicet atq; Armeniacorũ impugnantium aduersus Orientales atq; Thracenses Cõstantini propugnatores. Cæterũ antiquus hostis diabolus cõtra Christianos tẽporibus istis talem excitauit sæuitiã & mactationem alternam, ut filij etiam contra parentes, & fratres contra fratres commouerentur non parcentes à cæde, & immisericorditer incenderentur alternæ stationes ac domus. Inter hęc aũt & huiuscemodi Stephanus papa Romanus multa mala ab Astulpho Longobardorũ rege perpessus ad Francos confugit sub Pipino qui Maior domus erat, & primus in omnium dispositione rerum gentis Francorũ, quibus olim moris erat, Dominum, id est, Regem secundum genus suum principari, & nil agere uel disponere, quàm irrationabiliter edere ac bibere, domiq́; morari: & Cal. Maij præsidere coram tota gente, & salutare illos, & salutari ab illis, & osequia solita impensa percipere, & illis dona impendere, & sic secum usq; ad alium

Io. Damascenus

Nicetas

Nicephorus

Artabasdus uictus in urbem refugit

Nicetas uictus

Stephanus papa ad Frãcos confugit

Pipinus Maior domus

Francorum regum ignauia

Maium habitare: habere autem Maiorem domus in consilio suo, & gentis omnia ordinante negotia. Dicebantur sane ex genere illo descendere Cristati, quod interpretatur Trichorachati: pilos enim habebant natos in spina ueluti porci. Prædictus namq; papa Stephanus ui pressus, & crudelitate coactus Astulphi, simul etiã cohortatus est ab eodem ire in Franciam, & facere quæcunq; posset. Qui ueniens Pipinũ prouehit in Regem, uirum probatissimum, qui tunc quoq; præerat rebus post regem, & debellauerat Arabes, qui ab Africa in Hispaniã transmeauerant, quiq; tenent usq; nunc eandem Hispaniam, & properauerant præliari nihilominus cõtra Francos. Quibus econtra idem Pipinus cum multitudine resistens, occidit quidem principem eorum Habdirracinen, filium Muhauiæ, qui principatũ huius tenebat gentis: interfecit autem simul & multitudinem haud facile numerabilem iuxta fluuium Rhodanum, & admirationi habetur, & amatur à gente, non solum propter hoc, sed & propter alia præcipua gesta, & præficitur genti non ignobiliter primus, soluente scilicet eum à periurio in regem commisso eodem Stephano: qui & totondit decessorem eius regem, & in monasterio cum honore & requie circũscripsit. Hic Pipinus duos filios habuit Carolum & Carolomannum fratrem eius. Anno tertio Imperij Constantini apparuit signum ad Aquilonẽ, & cinis descendit per loca, factusq; terræmotus magnus in Caspijs portis. Occisus est etiam Gizid ab Arabibus, qui præfuit anno uno, tenetq; principatũ Hyces filius eius. Is Habdimelich pecunijs multis erogatis obtinuit Damascum, & dextras accepit ut principaretur. Porrò Cõstantinus mense Septembri duodecimæ Indictionis, descendens ad partes Chalcedonis, remeauit ad Thraceas partes, cum Sisinnius Prætor Thracesiorum ante per Abydum remeasset, terrenumq; urbis murum obsideret. At uero ueniens Imperator ad Carsij portam, discurrit usq; ad Auream portam, semetipsum turbis ostentans, & iterum reuersus castrametatus est apud sanctum Maman. Ciues autem angustari cœperunt annonis deficientibus, quocirca ab Artabasdo misso Anastasio à secretis, & Artabasdo domestico suo ad deferendos sumptus in Caspijs portis, inuenit hos classis Cibioretensium, & classis Abydi, & hos comprehensos ad Imperatorem duxit, qui frumentum quidem populis suis donauit, Anastasium uero & Artabasdum oculis confestim priuauit. Post hæc uero probauit Artabasdus à terra portas aperire, & prælium cum Constantino inire, uerum facta congressione fugatus est exercitus Artabasdi, & multi mortui sunt, inter quos Monetes perijt. Constructis autem Artabasdus trieribus, cacabo ferẽtibus ignem, misit ad sanctum Maman nonnullos contra classem Cibioretensium. Cum autem uenissent ad sanctum Maman, exeuntes Cibioretenses pepulerunt illos. Facta est autem in urbe ualida fames, ita ut uenundaretur modius ordei duodecim numismatibus, leguminis uero quindecim, milij ac lupini octo, olei autem uno libræ v, sextarius

Marginalia: *Cristati* — *Pipinus rex* — *Sarr. à Pipino uicti* — *Stephani autoritas* — *Rex à Pont. in monasterium trusus* — *Prodigia* — *Hyces Amiras* — *Vrbs obsidetur à Const.* — *Annonæ difficultas*

xtarius uini dimidio. Cumq; populus necaretur, coactus est Artabasdus dimittere illos, & foras ciuitatē exeundi: uerum obseratis portis, quosdam eorum prohibebat, unde quidam eorum emundauerunt uultus suos, & muliebri circumamicti sunt ueste: ast alij monachico schemate, atq; cilicino uestimento contegebantur, & ita latere poterant & exire. Niceta autem Monostrategus coaceruato populo ab Odrina disperso uenit usq; Chrysopolim, & cū reuerteret, transmeās Imperator persequutus est post terga ipsorum: & cum uenisset Nicomediam, manu cepit eum cum curatore, qui fuerat dudum Marcellianorum episcopus, quem & decollari cōtinuo iussit: Monostrategū uero uinctum per murū monstrari præcepit. Porrò quarta Nonas Nouembris repente præliatus est post meridiem, per terrenum murum urbem captauit. At uero Artabasdus unà cum Bagrano patricio ingressus nauem ad præsens exisse uisus est Mopsiein, & abiēs ad castrum Puzanæ semet inclusit. Quibus Imperator manu captis Artabasdum cum duobus filijs priuauit oculis: Bagranum autem in uiuario decollauit, & huius caput in Milio suspendit diebus tribus. Post triginta uero annos mali memor & immisericors Imperator præcepit huius uxorē in monasterium Choras pergere, illic enim sepultus erat, & huius ossa effodere, atq; in sepulchra, quæ dicuntur Pelagij, in pallio suo portare, & unà cū biothanatis mortuis iacere. O inhumanitatem. Multos autem & alios ex primoribus qui auxiliati fuerunt Artabasdo, peremit: innumerabilesq; oculis, & alios manibus seu pedibus ablatis debilitauit. Præcepit autē externis militibus, qui secū ingressi sunt, introire domos, & rapere familiares ciuium res. Multa quoq; & alia, quin & innumera mala urbi monstrauit. Cumq; hippodromium celebraret, introduxit Artabasdum unà cum filijs eius & amicis ligatum in circum per Dippiū simul cum Athanasio falsi nominis patriarcha, percusso publice, & in asino uerso uultu sedente, quos omnes per Dippiū in circum pompauit. Verum Anastasium, utpote consentaneum suum in throno sacerdotij rursus locauit, deterrens & seruituti subijciēs, Sisinniū uero patriciū & Prætorem Thracesiorū, qui multū cum eo cucurrerat, & pro ipso certauerat, eiusq; consobrinus esse noscebatur, post XL dies cæcauit.

Nicetas captus

Artabasdus cum filijs oculis priuatus

Patriarchæ pompa

Sisinnius cæcatus

Anno quarto Imperij Constantini Maruan dux Arabum noscitur, qui principatus est eis annis sex. Hoc quoq; anno cometes magna in Syria uisa est, & seditionem concitauit Thebith contra Maruan, & Datach Arutitensis, quos Maruan captos occidit in terminis Emesæ cum multitudine bellatorum, id est decem milium. Eodem anno prece Christianorum Orientis permisit Maruan consecrari Theophylactum presbyterum Edessenum Patriarchā Antiochiæ, Stephano dormiente, & hunc literis præcepit honorari ab Arabibus. Donis em̄ spiritualibus adornatus erat, & maxime pudicitia. Porrò Abas qui multū Christianorū sanguinē fudit, & populatus est multa loca, occisus est in carcere, qui apud Cithim CXX. Calbenos

Maruan Amiras

suspendit in ligno. Venit autem quidam Æthiops missus à Maruan, & impleto folle uiua calce introiuit ad eum, folleq; ad totum caput ac nares eius imposito suffocauit illum, iustam inueniens malefico Abæ pœnam. Magicis enim deceptionibus, ac dæmonum inuocationibus multa contra Christianos fabricatus est mala. Hic etiam sanguini communicauit Gizid.

Abæ interitus

Anno quinto Imperij Cõstantini Zulcimin coaceruatis militijs rursum cum Maruan bellum aggreditur, & amissis populi septem milibus superatur, & penes Palmiram saluatur, ac deinceps in Perside. Seditionem quoq; concitauerunt Emeseni & Heliopolitæ & Damasceni Maruan obseruantes, qui filio suo quidem misso contra Dathachum uirtute, ipse uenit Emesan, quam in quatuor mensibus cepit, Dathach autem à Perside cum plurimo potentatu ueniebat. At uero Maruan aggressus eũ in Mesopotamia, cum multos collegarum occidisset, hunc comprehensum interfecit. In his Constantinus Germaniciam cepit, aciem dirigens contra Syriam, & Dulichium, aditu reperto propter Arabum mutuam pugnam, uerbo sanè Arabes inermes dimittens qui erant in ipsis. Assumpsit autẽ & cognatos suos ex materna linea descendentes, & Byzantij collocauit unà cum multis Syris Monophysicis hæreticis, ex quibus plures in Thrace usq; nunc habitant, & iuxta Petrum Cnaphea, trinitatem in trisagio crucifigunt. Porrò à quarta Idus Augusti usq; ad Octobris Calendas tenebræ factæ sunt caliginosæ. Tunc Maruan uictor Emesa capta interfecit omnes cognatos & liberos Hiscẽ, expugnatq; muros Heliopoleos & Damasci & Hierosolymorum, trucidans multos potentes & truncans residuos. Anno sexto Imperij Constantini factus est terræmotus magnus in Palæstina & circa Iordanem & totam Syriam, mense Ianuario, hora quarta, & multa milia, quin & innumerabilia mortua sunt, ecclesiæq; ac monasteria corruerunt, & maxime penes eremum Sanctæ ciuitatis. Eodem uero anno pestilens mors à Sicilia & Calabria incipiens, ueluti quidam ignis depascens, ad Monobasiam & Helladem, atq; interiacentes insulas uenit, per totam quartamdecimam Indictionem flagellans impium Constantinum, & cohibens ab insania, quam aduersus sanctas ecclesias & sanctas ac uenerabiles imagines irritabat. Verum ille ut Pharao quondam, incorrectus permansit. Sanè pestilentia hæc bubonis discurrens decimaquinta Indictione regiam peruenit ad urbem. Cœperunt autem subito fieri tam in hominum uestimentis, & in sacris ecclesiarum indumentis, quàm & in uelis, cruciculæ plurimæ ueluti ex oleo designatæ. Facta est ergo hinc tristitia & defectio animi multa propter dubium huiusmodi signum. Venit nihilominus & diuinitus indignatio dissipans incessanter non solum urbis ciues, sed & in omnibus suburbanis eius degentes. Factæ uero sunt & Phantasiæ in multos hominum, qui in ecstasi facti existimabant se cum peregrinis quibusdam, ut putabant, & trucibus faciebus comitari, & eos qui in itinere obuij fiebant, se quasi amicos salu

Arabum ciuile bellum

Const. contra Syriam

Monobasia

Pestilentia magna

Cruciculæ in uestimentis

Phantasmata

cos salutare ac colloqui fingebant, notatis uero his quæ dicebantur ab eis, hæc postea referebant. Contéplabantur aũt eosdẽ domos ingredi, & alios quidem ex domo deserere, alios autem uulnerare. Contigit autem eorum quæ dicta sunt, ab eis plurima ut uiderunt fieri. Præterea uernali tempore primæ Indictionis magis extensa est, æstiuo autem prorsus incendit, ita ut integræ quoque domus penitus clauderentur, nec essent qui non deberent mortuos sepelire. Ex necessitate itaq; multa excogitatum est, quod super animalia tabulæ sternerentur, & ita super has impositi mortui deferrentur. Pari modi & alij in plaustris suprapositi asportabantur. Cum autem repleta fuissent uniuersa tam scilicet urbana quàm suburbana monumenta, & cisternæ quoq; sine aqua, & lacus, & plurimæ uineæ, nec non & interiores horti, qui intra ueteres muros erant, ad huiusmodi capessendam sepulturam effossi sunt, & ita uix omnia hæc ad tantam necessitatem sufficere ualuerunt. Omni autẽ domo calamitate repleta propter depositionem quæ impie facta est ab imperantibus in sacras imagines, confestim Agarenorũ classis ab Alexãdria uenit in Cyprum, ubi & Romaicus erat stolus. At uero Prætore Cibioretarum irruente in eos, extemplo in portu Ciramea, & retenta portus fauce, cum essent triginta dromones, tres solos exiluisse fatentur. Anno septimo Imperij Constantini, occiditur Gregorius ab Aruritensibus, & uicit Maruan, ut prætuli. Anno octauo Imperij Constantini motus est in exterioribus Orientis partibus Persidis populus, qui dicuntur Chorosanitæ Maurophori, contra Maruan & omnem cognationem eius, qui principati sunt ab ipso Muhammath pseudopropheta usq; ad eundem Maruan, contra eos qui dicuntur filij Muhata. His enim post interemptionem Gizid debellantibus & constringentibus inuicem, hi qui dicebantur filij Hiscem & Halim cognati, & ipsi pseudoprophetæ, sed absconditi & fugaces existentes in minori Arabia cõgregati, tenente in eis primatum Hybraim, filio Euelid, mittunt libertũ suum quendam Amuslim dictum in Chorosam ad quosdam ibidem præminentes, cõtra Maruan sibi suffragari petentes. Qui collecti apud Cactaban quendam cõsiliantur, & concitant seruos in dominos proprios, & occidũt multos nocte una, quorum armis, equis & pecunijs lacupletati facti sunt potentiores. Diuiduntur autem in tribus duas, Caismos scilicet & Lamonites: quorum potentiores intuens Hamuslim esse Lamonitas, concitat cõtra Caismos, & interfectis eis uenit in Persidẽ cum Cactaban, & expugnans Hibin prolis Halbaren, capit cum uictoria cunctos, uirorum fermè centum milia. Et ueniens ad Hibin, ubi erat, hostiliter cum ducentis milibus proficiscentem, & illum dissoluit, ueniensq; ad Maruan apud Zaban fluuium, habentem trecenta milia debellat eum, & multitudinem infinitam occidit ex eis. Eratq; uisu mirabile, cum secundum scripturã unus persequeretur mille, denaq; milia transmouerent duo. Quos cum ita potentaliter uincentes Maruan intuitus extitisset

Chorasmij Maruan uincunt & fugãt in Aegyptum

 tisset

tisset, adijt Carras, & cum fluuium trāsmeasset, incidit pontem ex nauibus factum, & assumptis secum pecunijs ac domo sua cum quatuor milibus uiris uernaculis suis fuga lapsus est in Ægyptum. Anno nono Imperij Cōstantini persequutionē patitur Maruan à Maurophoris, & comprehensus ab eis occiditur, bello gesto grauissimo. Præerat autem eis Salim filius Halim, qui unus ex prælatis profugis erat, & qui destinauerant Amuslim: reliqui uero congregati contra Samariā & Thrachonitidē regionem, sorte principatum distribuerunt, Abubalas scilicet, & post illū frater eius Habdalla filius Muhammat, & post hunc Hyse. Et Syriæ quidem summā præturam taxerunt Habdallam tenere filium Halim, fratrē uero Salim: ipsum autem Salim præesse Ægypto. Porrò Habdallam fratrem Abubalæ, ab illo habere sortem principatus super Mesopotamiam statuerunt. Ipse sanè Abubalas, qui & omniū primas, habebat in Perside sedes, translato quoque sub se Persarū principatu, qui ei auxiliati fuerant, à Damasco. Hi uero qui saluati fuerant, tam uidelicet filij quàm cognati Maruan, uenientes ab Ægypto in Africam, indeque transmeātes fretum angusti maris ad Oceanum positi, quod dicitur Septem, quodque definit inter Libyam & Europam, Europam Hispaniæ habitauerunt usque ad præsens tēpus, habentes quosdam qui ibidem habitasse antea noscebantur, à Muhauia illuc traiecti nauigio, cum essent eius cognati, & ipsius religionis. Perdurauit autem excidiū sub Muhauia sex annis. Porrò octaua Calendas Februarij eiusdem Thraciæ Indictionis, natus est Imperatori Cōstantino filius quē nominauit Leonē, ex Chaiani Cazariæ filia. Anno uero eodem terræmotus factus est in Syria, & ingens ac terribilis casus, unde ciuitatum aliæ quidem penitus exterminatæ sunt, aliæ uero mediocriter, aliæ autem à montanis ad subiecta campestria cū muris & habitationibus suis integræ migrauerunt & saluæ quasi ad miliaria sex, uel etiam modicum quid ultra. Denique asseuerauerunt hi qui proprijs uisibus terram Mesopotamiæ contemplati sunt, in longitudine disruptam fuisse ad miliaria duo, & ex profundo eius ascendisse aliam terram nimis albam & harenosam, de cuius medio ascendit, ut aiunt, animal mulinum incontaminatum, loquens humana uoce, & prænunciās gentis incursionem ab eremo aduersus Arabes, quod & factum est. Præterea sequenti anno quartæ Indictionis solennitate sanctæ Pentecostes, coronauit Constantinus Imperator Leonem filium suum Imperatorem per Anastasium patriarchā consentaneum suum. Anno decimo Imperij Constantini, Muhammat fit Arabum dux, qui eis pręfuit annis quinque. Eodem anno simultates aduersus Maurophoros Persas Chalcedonij cōcitauerūt, & interempta sunt ex eis in montanis Emesæ per illos IIII. milia. Idipsum uero factū est, & per Arabiam in Caisinos ab eisdem Persis. Cum autem caput Maruan myrrha conditū allatum fuisset, plures à simultatibus cessauerunt. Anno undecimo Imperij sui Constantinus Theodosopolim

&

Maruan occisus à Salim

Sarraceni prouincias diuidunt

Abubalas Amiras

Maruan familia in Hispania sedes figit

Prodigiosus terræmotus

Prodigium

Leo coronatus

Muhammat qui & Abubalas Amiras

& Militenen cepit, & captiuos duxit Armenios. Theodorus quoque filius Bigarij, minoris Arabiæ oriundus, obeũte sanctissimo Theophylacto, Antiochiæ patriarcha præficitur, qui sex annis præfuit ecclesiæ. Anno duodecimo Imperij sui Cõstantinus impius Imperator, elatus sensu multa contra ecclesiam & orthodoxam fidem meditans, & silentia per dies singulos faciens, populum ad sensum suum flexit infeliciter sectandũ, præuius futuræ impietatis existens. Anno decimotertio Imperij Cõstantini, Anastasius, qui scelestè throno Cõstantinopolitano præfuit, mortuus est corpore simul & anima, miserabili passione, quę dicitur cordapsos, fatigatus, cum stercus per os euoluisset, dignã exoluẽs uindictã, pro audacia scilicet quam contra deum, contraq; suum magistrũ exhibuit. Eodem quoq; anno Constantinus impius contra sanctas ac uenerabiles imagines conciliũ iniquum triginta octo episcoporũ congregauit in palatio Hieriæ, quorũ primi erant Ephesinus filius Absimari, & Pastillas Pergensis, qui apud se, quæ sibi uisa fuerant dogmatizarunt, nullo præsente ex catholicis sedibus, Romana scilicet, uel Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana: à quarta Idus Februarij incipientes perdurauerunt usq; ad sextam Idus Augusti eiusdem septimæ Indictionis. Qui cum in Blaternas dei genitricis hostes conuenissent, ascendit Constantinus Imperator in ambonem, tenens Cõstantinum monachum, qui fuit Sylei episcopus, & cum orasset, uoce magna pronunciauit dicens: Constantino uniuersali patriarchæ multos annos. Et dein ascendit Imperator cum Constantino scelerato præsule & reliquis episcopis forum, & exclamauerunt suam diuulgantes cacodoxam fidem in cõspectu totius plebis, anathematizantes Germanum sanctissimum patriarcham, & Gregorium Cyprium, & Ioannem Chrysoroan Damascenum nepotem Mansur, uiros sanctos, & reuerendos magistros. Anno decimoquarto Imperij sui, Muhammat, qui & Abubalas, mortuus est, cum quinq; præfuisset annis. Eratq; Habdallas frater eius in Macha loco blasphemiæ ipsorum, scribit ergo Amuslim, qui erat in Perside, conseruandum sibi locum principatus, sicut sorte sibi fuerat deputatus. Qui cũ didicisset Habdallan filiũ Halim, fratrem uero Salim, summũ Prætorem Syriæ, principatum sibi affectantem, & uenientem ad obtinendam Persidem, aduersantemq; Persis, & fauentem his qui erant Syriæ, quiq; auxiliabantur ei, concitatis exercitibus suis aggredit apud Nisibin, & uictore eo Amuslim multos peremit. Erãt autem plures ex his Sclaui & Antiocheni. Ast Habdallas solus saluus remanens, post paucos dies petijt uerbũ ab altero Habdalla fratre Muhammat, ueniente studio multo in Persidem à Macha, quo in domuncula putrefacta retruso, effodi fundamenta præcipiens, hunc clàm interfecit. Porrò Amuslim furentẽ aduersus Arabes Syriæ, pro eo quod in Maurophoros insurrexerant, & multos in Palæstina, & Emesa, & maritima ceperant, atq; in eos irruere meditantẽ cohibuit cum exercitibus. At ille iratus Habdallæ

Theodosopolis et Militene à Ro. captæ

Populus ab Imp. in errorem tractus

Exitus Anastasij

Cõcilium contra imagines.

Macha

Contentio de principatu inter Arabes

ad interiorem Persidem cum multitudine properauit. Quē cūm uehementer ille metueret, accersit eum suasorijs uerbis & precibus, atq; ipsis execrabilibus principis ipsorū symbolis destinatis, uirga scilicet atq; sandalijs Pseudoprophetæ Muhammat, expetens ut ad se uia unius diei diuerteret, quatinus ei decētes gratiarum actiones referret. At ille deceptus uenit cum centum milibus equitum, unitusq; illi occiditur ab eo proprijs manibus, sicq; principatus Habdallæ confertur, qui uno & uiginti annis præfuit Arabib.

Habdallas Amiras

Anno decimoquinto Imperij sui Cōstātinus Syros & Armenios, quos à Theodosopoli & Mitilena duxerat, in Thracem emigrauit, ex quibus etiā Publicianorū hæresis est dilatata. Similiter & in urbe paucis præ mortalitate factis habitatoribus eius, duxit unà cum familijs, tam ex insulis & Hellade, quàm ex inferioribus partibus, sicq; urbem habitare fecit, quam & cōdensam reddidit. Eodem quoq; anno quæsiere Bulgares pacta, propter castra quæ constructa fuerant. Ast Imperatore apocrisarium eorum dehonestare destinante, exierunt hostiliter, & usq; ad longum murum uenerunt, & multo excidio perpetrato illæsi reuersi sunt. Anno decimosexto Imperij Constantini terræmotus haud modicus factus est in Palæstina & Syria, septimo Idus Martij, & exul factus est Theodorus Antiochiæ patriarcha, inuidia derogatus Arabum, quod crebro Imperatori Constantino causas eorum per literas indicaret, & de cætero Salim hunc exulem misit in Moabitidem regionem patriam suam, pręcepitq; idem Salim, nō construendas nouas ecclesias, nec uidendam crucem, sed neq; de fide à Christiano cum Arabibus dogmatizandum. Porrò exercitum mouit idem contra Romaniam cum octoginta milibus, & ueniens in Cappadociam audiuit Constantinum aduersus se uenientem armatū, & territus inefficax redijt, nihil depopulatus, nisi quod paucis Armenijs ad se confluentibus assumptis reuersus est. Anno decimoseptimo Imperij Constantini Habdallas tributorum rationem Christianis ampliauit, adeo ut omnes monachos & inclusos, atq; Cionitas, qui deo placere noscebātur, sub tributis redigeret. Signauit autem & ecclesiatū cimilia, & adduxit Hebræos ad uenundandum illa, & emerunt ea libere. Anno decimooctauo Imperij sui Constantinus Sclauinas penes Macedoniam positas captiuauit, & reliquos subiugauit. Eodem anno quidam ex Maurophoris Persis, cum magicæ religionis essent, deceptione diaboli detenti, uenundata substātia sua nudi supra muros ascendentes proijciebāt semetipsos, ita ut se uolare in cœlum arbitrarentur, qui nihil dignum ratione sortis illius habentes, artus conterebant, ad ima demersi, quorum sedecim, eos duntaxat qui in errore præeminebant, Habdallas per Halim interfecit in Beroëa & Chalcide. Anno decimonono Imperij Constantini, inuidia Christianos prohibuerunt Arabes à publicis chartothesijs ad modicum tempus. Sed rursus coacti committunt cum eis eadem ipsa, eo quod non possent ipsi scribere calculationes: aciesq; direxerunt

Noui coloni in urbe

Bulgarum incursio

Theod. exul

Habdallæ in Christianos tyrannis

Sclauini subiugati

Insanus error

direxerunt multas, & Paulum Prætorem Armeniacorum bellum agentes apud Melan peremerũt, nec non & quadraginta duos insignes uiros captiuos duxerunt, & capita multa. Imperator autem exercitum mouit in Bulgariam, & uenienti in Verebagan ad clausuram, Bulgares obuiam ei aduenerunt, & multos exercitus trucidauerunt, in quibus & Leonem patriciũ, & Prætorem Thracesiorum, & Leonem logothetam Tu dromu ceperunt, & arma eorum, & populum multum, & sic inhoneste reuersi sunt. Anno uigesimo Imperij Constantini factus est error Paschæ, & orthodoxi quidẽ in Oriente octaua Idus Aprilis pascha celebrauerunt, at uero erronei hæretici Idus Aprilis. Eodem anno translatum est caput sancti Ioannis præcursoris atq; Baptistæ à monasterio Spelei in templo suo in Emesensium ciuitate sita, cum esset illustre, & descensus ædificatus esset, ibi usq; hodie à fidelibus honoratum & adoratum, omni suauitatis, corporali scilicet ac spirituali honoratur odore, & emanans effundit omnibus sanitatem, qui fide flagrantes occurrunt. Eodemq; anno Docetes clarissima in oriente apparuit per decem dies, & iterum ad occidentẽ diebus uiginti & uno. Quidam uero Syrus Theodorus nomine Libanites, circa regionẽ Heliopoleos, quæ est ad Libanũ, aduersus Arabes insurrexit, & cum bellum mouisset in eos, ceciderunt ex utrisq; multi: nouissime uero terga & ipse uertens effugit, & Libanitæ omnes qui cum ipso erant, interempti sunt. Factæ sunt & in Africa seditiones & bella, solari eclipsi facta decimaoctaua Calendas Septembris, feria sexta, hora decima. Porrò insurrexerunt quidam ex Maurophoris apud Dabecho dicentes, filium protosymboli deum, ut nutritorẽ suum, & protulerunt dogmata huiusmodi. Et introierũt domũ Maurophori erroris sui, & occiderunt clauigeros sexaginta: & exierunt quidam in Barrasson, & captiuos multos, & pecunias innumerosas sumpsere. Anno uigesimoprimo Imperij Constantini seditionem concitarunt Cassiotæ contra Maurophoros propter mulieres. Manserant autem ex eis in domo, in qua tres fratres manebant, & uoluerũt uxores eorum in pelagus iacere: surgentes autem tres fratres, occiderunt & obtinuerunt illos, sed & coaceruati occiderunt etiam reliquos: & cum misisset Salimus militiam, fraudulenter uenere super illos, & comprehensis eis patibulo suspenderunt, & multos alios occiderunt. Porrò Paschali festiuitate ingressus est ad sanctam collectam in ecclesia catholica, cumq; Metropolitanus episcopus astaret, & exclamaret more solito, deo dicens: Plebs tua & ecclesia tua supplicat tibi, duxerunt eũ, & concluserũt in carcere, & alius impleuit sanctã collectã, & factus est timor magnus, & nisi Metropolita motalitate ac humilib. uerbis mitigasset eũ, malum profecto ingens in hac hora perpetratũ fuisset. Erat aũt hic beatissimus Anastasius. Eodem quoq; anno Constantinus persequutor Andream memorabilem monachũ, qui dicebatur Calybites, apud Blaternas flagris in hippodromio sancti Mamæ occidit, redarguentem impietatem

Paulus prætor ab Arabis uictus

Imp. à Bulgaris uictus

Error Paschæ

Baptistæ caput

Theod. Syrus

Cassiotæ

Salimus ecclesiã ingreditur

Andreas Calybites

eius

eius,& Valentinianiſtam ac Ciuilianum appellantē eum,quem & in rheuma maris iactari præcepit,niſi ſorores eius hunc rapientes in emporio Leucadiȷ ſepeliſſent. Anno uigeſimoſecundo Imperiȷ Conſtantini apparuit docetes in Oriente, & interfectus eſt filius Phatniæ. At uero Bulgares inſurgentes occiderunt dominos ſuos,& ſtatuerunt uirum in Senatum nomine Zeletin cum eſſet triginta annorum. Multi præterea Sclaui fugiētes ad Imperatorem,quos conſtituit ſuper Arthanam. Porrò decimaſeptima Calendas Iuliȷ exiuit Imperator in Thracem, miſſo nauigio per Euxinum pontū uſq; ad octoginta chelandia,ferentia duodenos equos. At uero Zeletis,audita contra ſe per terram & mare facta cōmotione, aſſumpſit in auxilium ex adiacētibus ſibi nationibus uiginti milia, & in munitionibus his conſtitutis ſe cautum & intrepidum reddidit. Aſt Imperator cum ueniſſet, caſtrametatus eſt in campo Anchiali, & pridie Cal. Iuliȷ primæ Indictionis feria quinta Zeletis apparuit cum multitudine gentium ueniens,ineuntesq; bellum, occidunt diutius inuicem, uerum Zeletis terga uertens effugit. Porrò pugna tenuit ab hora quinta uſq; ad ueſpertinam,& multitudines Bulgarum numeroſæ peremptæ ſunt,& multi ex his capti,multiq; Imperatori ſubditi facti ſunt. Aſt Imperator huiuſcemodi elatus uictoria,publicauit hanc corā urbe cum exercitibus ingreſſus armatis, & laudibus plebium celeberrimis diffamatus,& ex hylopanduris conſtrictos trahens Bulgares captos,quos extra portam Auream decollari præcepit: Zeletin uero Bulgares tumultuātes unà cū principibus eius interfecerunt, & cōſtituerūt Sabinū generū Comerſiȷ quondā domini ſui,qui uidelicet Sabinus cū mox ad Imperatorem miſiſſet, & pacē fieri exquiſiſſet, conuentu Bulgares facto reſtiterunt robuſte dicentes ei: Bulgaria per te,ut cernimus, redigitur in ſeruitutem Romanis.Factaq; Sabinus ſimultate fugit in caſtrū Meſembriæ, & ad Imperatorem ſe contulit: ſtatuerunt autem Bulgares alium ſibi dominum,Paganum nomine. Anno uigeſimotertio Imperiȷ Conſtantini egreſſi ſunt Turci à Caſpȷs portis, & occiderunt in Armenia multos, & præda ſumpta non pauca reuerſi ſunt. Coſmas autem quidam epiſcopus erat Epiphaniæ, quæ eſt ciuitas Apamiæ Syriæ: porrò quibuſdam ex ciuibus Epiphaniæ ad Theodorum patriarcham Antiochenum accuſationem contra eundē Coſmam ſuper diminutione ſacrorū uaſorū facientibus,cū ille minime potuiſſet reſtituere diſceſſit ab orthodoxa fide, conſentaneus Conſtantini in hæreſi,ſacris aduerſatus imaginibus, quem cōmuni ſententia Theodorus Antiochenus patriarcha,& Theodorus Hieroſolymitanus, atq; Coſmas Alexandrinus cum epiſcopis ſibi ſubiectis die ſanctæ Pentecoſtes poſt lectionem ſancti Euangeliȷ conſonanter anathematizauerunt ſinguli in ſua ciuitate. Eodem anno à Cal. Octobris factum eſt gelu magnum & amariſſimum,non ſolum in terra noſtra,uerumetiam in Oriente, & multomagis in Septētrionali parte, ut pelagus ponti uſq; ad centum miliaria

Zeletis

Imp. contra Bulgares

Zeletis uictus

Zeleti à ſuis occiſo Sabinus ſuccedit

Sabinus ad Imp. fugit, & Paganus ſuccedit

Turci in Armeniam

Coſmas epūs Epiphaniæ

Gelu inauditū ac prodigioſū

liaria præ glaciei rigore in lapidis duritiam fuerit uersum, habens cubitos in superficie ad profundum triginta, cunctis nimirum regionibus ab ipsa Lycia usq; ad Danubium, & Euphræ fluuiũ, Danastri quoq; & Danapri, atq; Necropela, nec non & per reliquas ripas, & usq; ad Mesembriam & Mœsiam similiter patientibus. Cumq; huiuscemodi gelu niue fuisset coopertum, super alios uiginti cubitos creuit, ita ut mare aridæ conformaretur, & pedibus calcaretur in superficie glaciei à Cazaria & Bulgaria, quin & adiacentibus insulis, tam ab hominibus quàm agrestibus & mansuefactis animantibus. Februario uero mense ipso secũdæ Indictionis, huiuscemodi gelu per iussionẽ dei in multas ac diuersas in specie montiũ factas concisiones in Danupsiã & Hieron descendit. Taliter per angustũ peruenerũt ad urbẽ, & usq; ad Propontidẽ, & insulas, & Abydum, omnes maritimos choros ac ripas replentes: quarum uidelicet concisionum inspectores & nos ipsi extitimus descendentes super unam eorum cum quibusdam triginta coætaneis nostris. Habebat autem & animalia campestria & mãsueta, & uiua & mortua. Omnis enim quicunq; uellet à Sophianis usq; ad urbem, & à Chrysopoli usq; ad sanctum Maman, & ad ea quæ dicuntur Galathi, per aridam sine prohibitione pergebat, & una quidem ex eis ad Acropoleos scalam disrupta contriuit eam, alia uero ingentis molis ad murũ collisa, hunc magno impulsu concussit, adeo ut interiores quoq; domus Salo comparticiparentur. Porrò in tria disrupta cinxit urbem à Manganis uidelicet usq; ad Bosphorum, cuius altitudo muros excessit. Omnes autem tam uiri quàm fœminæ, simul & pueri horum uisioni dantes indesinenter operam perseuerabant, & cum lachrymis domũ reuertebãtur, ignorãtes quid ad id fari quiuissent. Cæterum anno eodem mense Martio stellę de cœlo cadentes apparuere, ita ut omnes qui hoc uiderunt, instantis sæculi consummationẽ putarent. Siccitas quoq; multa effecta est, adeo ut etiam fontes exiccarentur. Ast Imperator accersito patriarcha, dicit ei: Modo quid uos læderet, si dixerimus, θεοτόκορ, χρισοτόκορ? At ille hunc complexus ait: Miserere domine, ne ad contagionem tuam ueniat sermo iste, nónne uides qualiter diuulgetur, & anathematizetur Nestorius à tota ecclesia? Qui respõdens ait: Ego discere uolens interrogaui, uerum usq; ad te sermo. Anno uigesimoquarto Imperij Constantini exierunt iterum Turci ad Caspias portas & Iberiam, quibus cum Arabibus bellum ineuntibus, ex utrisq; perierunt multi. Habdallas uero huiuscemodi calliditate deposuit à principatu Hysebin Muzæ, in quem, ut superius dictum est, tertia sors tenendi post eum cecidit. Videns enim cum dolore capitis hemigranite laborantem, & stocomi plenitudinem patientem, persuadet quod curandus foret si ex aliqua confectione ptarmica in nares eius insufflaretur à medico suo, Moyse nomine, diacono Antiochenorũ ecclesiæ, quem iam muneribus fecerat acerrimum conficere medicamen, quod simul narcoticum foret uehementer, qui

Stellæ cadẽtes

Siccitas

Turcorum eruptio

Habdallæ dolus

uidelicet cum paruisset Habdallæ, suscepit per nares confectionem, & repletus in omnib. circa caput, cũctisq; sensibus unà cũ hegemonicis operationibus defraudatus sine uoce iacebat. Aduocatis itaq; Habdallas ducib. ac primorib. gentis: quid uobis, inquit, uidet̃ super futuro rege? At illi abnegato eo concorditer, dextras dedere filio eius Habdallæ Muhammat, qui nuncupatur Madi: porrò Hyse absq; sensu domum reportauerunt. Hunc autem post tertium diem conualescentem, excusationibus fictis consolabatur, centum auri talentis iniurias recompensans. Eodem etiã anno misit Paganus dominus Bulgariæ ad Imperatorem, postulans ut cum eo facie ad faciem iungeretur. Et accepto uerbo descendit cum eo cum Boiladis suis. Cumq; Imperator unà cum Sabino sederet, suscepit eos, & exprobrauit inordinationem eorum, & odium habitum in Sabinum, feceruntq; pacem, ut putabant. Imperator clàm mittens in Bulgariã cepit Seuerorum principẽ Sclauinum, qui in Thrace multa fecerat mala. Comprehensus est aũt & Christianus, qui est Christianis margarites, & primus Scaurorum effectus est: quem apud sanctum Thomam manibus & pedibus detruncãtes, adduxere medicos qui hunc uiuũ inciderunt, à thorace pubetenus, ad hominis cognoscendam positionem atq; structuram, & sic eum tradiderũt igni. Actutum præterea exiens Imperator ab urbe, cũ sine custodia inuenisset, ob deceptoriã pacẽ per clausuras, ingressus est Bulgariam usq; ad Zitas, & misso igne in cohortes reuersus est, cum nil forte patrasset. Anno uigesimoquinto imperij sui, duodecima Calend. Decẽbris Indictionis quartæ, furens Impius & scelestus Imperator aduersus omnes timentes deum, protomartyrem Stephanum nouũ abstrahi præcepit, cum inclusus esset apud sanctum Auxentiũ in proximo mõte Amastri. Quem hi qui eruditionum eius fructum percipiebant, & unius ac similis sensus cum eo erant, scholarij quoq; ac reliquis ordinibus deputati, accipientes pedẽ ipsius rudente ligantes, traxerunt usq; ad ea quæ sunt pelagia prætorio, ubi & discerpentes eũ proiecerũt honorabiles ipsius reliquias in Biothanatorum locum, eo quod multos monuerit, & adduxerit ad monasticam uitam, atq; contemnere regias dignitates atq; pecunias persuaserit. Reuerendus quippe uir omnibus erat, pro eo quod ferè sexaginta annos egerit in claustris, & uirtutibus multis effulserit. Multos etiam principes ac milites accusatos quod imagines adorarent, diuersis pœnis & amarissimis tradidit uerberibus. Iusiurandum etiam generale ab omnibus sub Imperio suo degentibus exegit, ne quisq; adoraret icona: cum quibus & Constantinum falsi nominis patriarcham super ambonem ascendere, & exaltare preciosa ligna, & iurare fecit, quod non esset ex eis qui adoraret imagines. Cui mox ut ex monacho Stephanites efficeretur persuasit, & carnibus uesceret̃, atq; cytharœdos ad mensam regiam admitti pateretur: sed non in longum tardata ultio, hunc homicidam debitis tradidit pœnis. Deniq; duodecima Calend. Februarij quartæ

Pagani cum Imp. colloquiũ

Anatomia hominis uiui

Stephanus martyr

Indictionis

Indictionis motus est cōtra Bulgares,& direxit ad Achelon duo milia sexcenta chelandia extruens ea & armans ex cunctis thematibus. Quæ cum in Thoris stationem fixissent, flante Aquilone contrita sunt pene omnia, & populus necatus est,ita ut Imperator extendere retia,& mortuos educere ac sepelire præceperit. Porrò decimasexta Calend. Septembris eiusdem quartæ Indictionis,publice diffamauit & dehonestauit habitū monachorum in Hippodromo, præcipiens unumquenq; monachum manu tenere mulierem,& taliter transire per Hippodromum, sumptis iniurijs ab omni populo cumulatis. Similiter & octaua Idus Septēbris ducti sunt ad ludos Circenses insignes principes decem & nouem,& pompati sunt quasi mala contra Imperatorem consiliati fuerint, non ueraciter accusati, sed quia inuidebat eis, eo quod essent formosi atq; robusti, & ab omnibus collaudati: quibusdam uero ex eis & ob religionem, eo quod ad prædictum inclusum issent, & passiones eius publice diuulgarent, quos interfecit, quorum præcipui sunt,Constantinus patricius,& dudū logotheta Dromi,cuiq; nomen imposuit Podopagurum: & huius frater Strateius Spatarius & domesticus excubitorū: Antiochus logotheta Dromi factus & Prætor Siciliæ: Dauid Spatarius & comes Obsicij: Theophylactus protospatarius & primus imperialiū stratorum, filius patricij Bardanis: Theophylactus candidatus: & alij,quos cum in Hippodromo ludos palàm traduci, & ab omni populo conspui & maledici fecisset, sententiam dedit: & illos quidem duos fratres Cōstantinum atq; Strateium intra uenationis septa capitis animaduersione puniuit,multo super eos uniuersæ plebis facto lamēto, adeo ut cum hoc didicisset Imperator indignaretur,& Procopium præfectum cæderet,& ab administratione depelleret,tanquam id fieri permittentem: cæteros autem oculis priuatos in exiliū destinauit, quos & per singulos mittens, cum esset omni crudelitate plenus,ad loca in quibus degebant,centenis flagris uapulare iubebat. Porrò tertia Calendas Septembris eiusdem quartæ Indictionis, insaniens idem maleuolus aduersus æquiuocū suum & consentaneum suum patriarcham, & inuentis quibusdam clericis ac monachis instruxit illos ut dicerent: Audiuimus patriarcham cum Podopaguro aduersus Imperatorem loquentem: & misit eos ad Patriarchā,ut arguerent illum. Cumq; ille iuraret,fecit eos ad preciosa ligna iurare fatentes: A patriarcha hæc maledicta audiuimus. Inter hæc ergo misit, & bulla signauit patriarcham, & hunc exilio relegauit apud Iberiam,& rursum apud principem insulam.

Classis perdita

Monachi traducti

Const. sæuit in principes

Anno uigesimosexto Imperij Constantini, Habdallas filius Hali mortuus est,ruente super se turre in qua custodiebatur. Habdallas autem cum Amiræ fungeretur honore,multa mala Christianis sub principatu suo degentibus demonstrauit.Siquidem & cruces ecclesiarum abstulit, & uigilias nocturnas celebrare,sed & literas discere prohibebat.Hi uero qui dicuntur apud illos Aruritæ, quod interpretatur æmulatores, contra Palmirensem

eremum insurrexerunt. Is autem qui Christianis ineffabilibus dei iudicijs imperabat, fortassis ut Iezabel quondam, uel uæsanus Achab, multo peiora quàm Arabũ sit insania, sub imperio suo positis orthodoxis episcopis, monachis, loicis, prælatis atque subiectis ostendit, ubique intercessiones sanctæ uirginis & dei genitricis ac omnium sanctorũ in scriptis, ut inutiles ac sine scripto repellens, per quas nobis emanat omne suffragium, & sanctas eorum reliquias eijciens & inuisas reddens. Sicubi insignis quisquam audiebatur ad animarum sanitatem, & corporũ, uel sicut moris est à pie agentibus honorari, mox mortem aduersus huiusmodi, tanquã impie agentes minabatur: sin autem, proscriptiones, exilia & tormenta: deo autem gratissimum lipsanum utpote quidam thesaurus possessoribus habitus auferebatur, inuisum de cætero efficiendum. Tale quid & in preciosissimum laudabilis matris Euphemiæ lipsanum profanus hic Imperator gessit, in profundum id cum loculo iaciens, non ferens eam ex se super omnẽ populum suauitatem unguenti reddentẽ, & arguentem eius aduersus intercessiones sanctorum deliramenta. sed deus qui custodit ossa sibi placentium secundum diuina eloquia, illæsum hoc cõseruauit, rursus ostensurus illud apud Lemnum insulam. Per nocturnam ergo uisionem apparens, eleuandũ præcepit & conseruandum. Sub Constantino uero, & Eirene pijs Imperatoribus Indictione quarta cum decenti honore redijt ad templum suum, quod ipse quidem tanquam inimicus ecclesiarum, commune fecit armamentarium, sterquilinium quàm fore decreuit: illi uero repurgatum hoc iterum sacrauerunt, ad redargutionem quidem huius impietatis, ostensionem autem horum pietatis. Hoc autem obstupendum & scriptura dignum miraculum post uiginti duos annos, post iniqui principis mortem, unà cum pijssimis Imperatoribus & Tharasio sanctissimo patriacha nos uidimus, & cum eis complexi sumus, licet indigni magnam gratiam promerentes. Porrò decimasexta Calendas Decembris eiusdẽ quintæ Indictionis decreto Imperatoris promouet Nicetas eunuchus è Sclauis ortus, irregulariter patriarcha Cõstantinopoleos, & facta est siccitas, ita ut nec ros de cœlo caderet, defectaque penitus aqua ab urbe, ociosæ remanserunt tam cisternæ quàm lauacra, & fontalia fluenta, quæ prius iugiter effluebant. Quod intuens Imperator, cœpit renouare aquæductũ Valentiniani, qui cum usque ad Heracliũ perdurasset, ab Auarib. est destructus. Electis ergo ex diuersis locis artificibus, ab Asia quidem duxit & Ponto ædificatores mille, & linitores ducentos: à Græcia uero & insulis testacearios quingentos. Porrò ex ipsa Thrace operarios V. milia hominũ, & tegulas facientes ducentos, & præposuit eis principes, exequutoresque operum, ac patricium unum: sicque opere cõsummato aqua introiuit in urbem. Cæterum eadem die, Indictione quinta prouehit sui seruus Prætores, & operarios sua nequitia condignos, Michaẽlẽ scilicet Edessenum in Themate Orientalium, & Michaẽlem Lachanodraconem in Thracesijs

Const. sæuitia

Euphemiæ lipsanum

Siccitas

Aquæductus Valentiniani refectus

cesijs: sup buccellarios uero Manen à mania, id est insania nominatũ. Sed quis est idoneus ad enarrandum horum scelerata piacula, quæ partim in suis à nobis perstringuntur locis? Omnia enim eorum opera si cõscriberentur, quæ ad orationem imperantis sunt effecta, nec ipsum arbitror, ut proprie cum Euangelista dicam, capere mundum eos qui scribendi sunt libros.

Anno uigesimoseptimo Imperij Constantini, Constantinus falsi nominis patriarcha ductus est, nona Octobris, sexta Indictione à principe insula, quem & cecidit tyrannus, quod euadere non ualeret. Iussit autem in foro parari, & eundem sedere in gremio ecclesiæ magnæ, eratq; à secretis cum eo ferens chartæ tomum, in quo erant scripti huius excessus. Omni ergo populo ex præcepto regis illic congregato & uidente legebatur charta in audientia totius populi, & per singula capitula percutiebat à secretis faciem eius, Niceta patriarcha sedente in confessione ac intuente. Post hæc uero cum imposuissent eum in ambonẽ, & recte stare fecissent, accepit Nicetas chartam & misit episcopis: & ablato superhumerali eius, anathematizauerunt eum, & hunc socium Absin cognominantes ab ecclesia abstraxerũt. Postera uero die cum ludi Circenses agerentur, raserunt faciem eius, & barbam denudauerunt, capitis & superciliorum pilis ablatis: & indutum hunc laneo breui ac sine manicis uestimento, sedere fecerũt super asinum sagma ferentem, & ipsius tenere caudam, & duxerunt per Dippium in hippodromum cuncto populo imprecante illi mala & conspuente. Trahebat autem asinum Constantinus nepos eius naso reciso, cumq; uenisset ad uulgus descenderunt & conspuerunt, & puluerem proiecerunt super illum. Et cum adduxissent eum ad consistorium, deiecerunt eum de asino, & calcauerunt super collum eius, & collocatus contra uulgus, audiebat ab illis ludicra uerba usq; ad absolutionem ludorum equestriũ. Eodem quoq; mense, missis impius Imperator patricijs significat ei dicens: Quid dicis de fide nostra, & concilio quod fecimus? Qui sensibus ad uanitatẽ conuersis respondebat: Bene inquiẽs & credis, & bene conciliũ operatus es, putãs se ob hoc illũ placare sibi. At cõfestim illi respondentes dixerunt: Nos hæc audire noluimus ab ore tuo polluto, ex hoc ergo uade in tenebras. Et sic accepta sententia descẽdit ad claustra ferarũ, & decollatus est, & caput quidẽ per aures ligantes tribus diebus in Milio suspenderũt ad ostẽtationẽ plebis: corpus uero resti pede ligato traxerũt per plateas usq; ad loca pelagi, & sociandũ Biothanatis iactauerũt: similiter & caput eius post tres dies illuc delatũ proiecerũt. O irrationabilitatẽ & crudelitatẽ atq; immisericordiã immitissimę bestię, non est ueritus miser sanctum lauacrum. Duos enim filios eius ex tertia coniuge ipsius in ulnas suas susceperat. Siquidem semper feralibus moribus, & immansuetus esse probabatur. Ab hoc autem anno amplioti est insania usus, mittens quippe deposuit Petrum nobilem Stilicen à Metra, quem uitum cum suis dogmatis cedere renuisset, ligatis pedibus eius in prædictum

Const. patriarcha traducitur

Const. decollatur

Const. seipso sæuior

Palatij locum inclusit, & hunc tractũ quoq; per plateas proijci iussit: alios etiam in saccis uinciens, & lapidibus aggrauans, eruens oculos in pelagus iactari præcipiebat, nares abscindens, flagellis excorians, & omnem tormenti speciem aduersus eos qui pie uiuebant excogitans. Et in urbe quidem per seipsum hæc & consentaneos suos, Antonium patricium & scholarum domesticum, ac Petrum magistrum super populum singulorũ ordinum, qui à se fuerat eruditus ad talia, agebat: in exteris uero partibus per iam dictos Prætores. Ipse namq; citharæ delectabatur sonitu atq; conuiuijs, turpibus sermonibus & saltationibus eos qui sibi adhærebant, incessanter erudiens: & sicubi quisquam corruens uel dolens, solitam Christianorũ uocem emitteret dicens, dei genitrix iuua: aut uigilias agens deprehenderetur, aut ecclesijs assuetus, aut cum religione uiuens, aut non passim iuramentis abutens, inimicus Imperatoris & immemorabilis nominabatur. Monasteria uero quę in gloriam dei & saluandorum refugium effecta sunt, domos fore communes fautoribus suis militib. sanciebat. Deniq; Dalmatij cœnobiũ, quod inter optima Byzantij erat cœnobia, militibus in habitaculum tribuit. Ea uero quę dicunt Calistrati, & Dij, ac Maximini monasteria, nec nõ & alias sacras monachorum ac uirginum domos à fundamentis destruxit. Eos autem qui monasticam uitam subire ex insignibus militibus studuerãt, & maxime illos qui sibi adhæserant, & complices libidinis suæ, & nefandorum actuum fuerant, morti subdebat, suspectui habens confusionem, quæ sibi ex propalationibus fieret, se pronunciantium. Vnde & Strateium Podopaguri fratrem, cum esset urbanus specie assumpsit. Amabat enim talibus adhærere propter luxurias suas. Cumq; moleste eum sensisset tulisse infandas in uiros insanias suas, & beato Stephano incluso sancti Auxentij has manifestas reddidisse, salutisq; remedia suscepisse, hunc quasi insidiatorẽ suum diffamans unà cum incluso, ut prædictum est, interfecit. Fecit autem abundare ornatas species in urbe. Nouus enim Midas factus, aurum coaceruauit, & agricolas denudauit, & ob tributorum exactionem cogebantur homines largas dei geniminum munificentias facili seu uili precio uenundare. Eodemq; anno Nicetas falsi nominis patriarcha iconas ex musiuo factas, quæ in patriarchio secreti minoris erant, erasit, & imagines magni secreti, quæ sculptæ erant in ligno, deposuit, & cæterarum imaginum facies deliniuit: sed & in Abramio similiter fecit. Anno uigesimooctauo Imperij sui coronauit Imperator Eudoxiã uxorem suam, cum esset trigamus, & hęc esset tertia coniunx, in tribunali decem & nouem accubituum. Cal. Aprilis filios suos ex ipsa creatos, Christophorum scilicet & Nicephorum, postera die qua sanctum celebratum est Pascha, Cæsares ordinauit, patriarcha orationem faciente, & imperatoribus chlamydes & cæsaricias imponentibus galeas. Pari modo & Nicetæ nouissimo fratri eorum nobilissimo facto, superposuit ei chlamydem & auream coronã, & ita processerunt iactantibus

Monasteria diruta

imperatoribus hypatiã, & trimisia, & hemisia, & nũmismata noua usq; ad magnam ecclesiam. Anno uigesimonono Imperij Constantini, ingressa est Eirene ab Athenis ueniens cum dromonibus & chelandijs plurimis, adornatis sericis pallijs, & proceribus urbis cũ uxoribus obuiã occurrentib. & præcedẽtib. eã. Cumq; uenisset patriarcha ad palatiũ in ecclesiã Phari, facta sunt ad eandẽ Eirenen sponsalia Leonis imperatoris, & decimasexta Cal. Ianuarijs coronata est in triclinio Augusta Imperatrix Eirene. Hoc etiam anno facta est commutatio in Syria uiri ad uirum, & fœminæ ad fœminam, & pueri ad puerum: & præcepit Habdallas radi barbas eorum, & fieri calamaucos cubiti unius & semis. Anno trigesimo Imperij Constantini mouit exercitum Banacas contra Romaniam, & multos captiuos abduxit, & Romani ingressi quartam Armeniã, despoliauerunt eam. Præterea moritur Salem, & trãslata est Germanicia in Palæstinam. Eodem uero anno imitatus Lachanodraco magistrum suum, omnem monachum & monachã in themate Thracesiorũ cõmorantes apud Ephesum congregauit, & eduxit eos in campum, & ait: Qui uult Imperatori ac nobis obedire, alba induatur ueste, & uxorẽ sumat hac hora: ast qui hoc facere paruipenderint, priuati luminibus, in Cypro exilio damnabuntur. Tumq; opus pariter cum uerbo consummatum est, & multi ostensi sunt martyres: multi uero deficientes & eneruati perierũt, quos & familiares sibi Draco faciebat. Præterea Indictione nona, mense Ianuario, natus est Imperatori Leoni & Eirene filius, dum adhuc uiueret Constantinus auus eius. Anno trigesimoprimo Imperij Constantini mouit exercitum Banacas contra Romaniam, & cum descendisset ab Isauria in castrum Sices, obsedit illud. Quod cum Imperator audisset, scripsit ad Michaëlem Prætorem Orientalium, & ad Manen Bucellarium, & Bardan Armeniacorum Prætores, qui cum uenissent, tenuerunt egressum eorum, quia erat clausura ualde difficilis ad meandum. Stolus autem Cibioretarum cum Præcona Spatario Prætore suo ueniens, applicuit in portu prædicti castri. Quod cum Banacas uidisset sui desperatus, fiduciam rursus assumit, suosq; alacres reddit: & ascendens ad pedestres exercitus, magnis & repentinis uocibus cum omnibus suis clamorem dedit, sicq; illos territos fugat, multisq; peremptis deprædatus est omnia circa regionẽ, & cum spolijs multis reuersus est. Eodemq; anno misso Prætore Thracesiorũ Lachanodraco, Leone notario suo, & Leone ex monacho, uenundabat omnia monasteria uirorum ac mulierum, & omnia uasa sacrata, & libros, & pecora, & quæq; patrimoniorum eorum erant, & horum precia principi detulit: quotquot autem monachicos, & paternos libros reperit, igne combussit: & sicubi lipsanũ sancti quisquam habens apparuisset ad custodiam, & hoc quoq; nihilominus igni tradebat: eum uero qui habebat illud, ut impie agentem puniebat: & multos quidẽ monachorum interfecit uerberibus, quosdam etiam gladijs trucidauit. Præterea innumerabiles

Eirene Leoni iuncta

Banacas

Monachi monachas ducerẽ adacti

Banacas iterũ excurrit

Bona monachorũ uenũdata

Monachi exterminantur

merabiles oculorum uisibus priuauit, & quorundam quidem barbas cera & oleo perungens succendebat ignem, & ita tam facies eorum quàm capita cremabat. Porrò alios post multos cruciatus etiam exilijs destinabat, & postremo in toto themate sibi subiecto non deseruit hominem unum monastico schemate amictum. Quod cum didicisset Imperator, bonum semper exosum habens, scripsit ei gratias dicens: Inueni te uirum secundum cor meũ, quia facias omnes uoluntates meas. Hunc ergo imitantes & cæteri similia perpetrabant. Anno trigesimosecundo Imperij Constantini, misit Habdallas in Africam Mualabicũ cum exercitu multo. Et ingressus est Alfadalbadinar in Romaniã, & cepit captiuos quingentos. Mopsustenses autem obuiam eis occurrentes, & bellum exagitantes occiderunt ex Arabibus mille. Ast Habdallas abiens Hierosolymam ieiunauit & præcepit Christianos & Hebræos inscribi in manibus, & idcirco multi Christianorum in Romaniam confugerunt. Anno trigesimotertio Imperij sui mouit Constantinus mense Martio duodecima Indictione stolum chelandiorum duum milium contra Bulgariam. Et ingressus ipse in rubea chelandia motus est ad intrandum Danubium amnem, prætoribus equestrium thematum derelictis extra clausuras, si fortasse possent Bulgaribus in se intuitum intentionis figentibus introire Bulgariam. Cum aũt uenisset ad Barnas formidabat, & redire meditabatur. Sed & Bulgares simili pauore metuentes, & ei inuidentes, miserũt Hoylam & Zigaton petentes pacẽ. Quos cum uidisset Imperator, gauisus est, & pacem fecit, præstito uicissim iureiurando, quatinus neq; Bulgares exirent contra Romaniam, neq; Imperator studeret contra Bulgariam intrare. Et factis super hoc ex utraq; parte scriptis adinuicẽ, reuersus est Imperator, & urbem adijt, derelictis thematibus in castris quæ condidit. Octobri uero mense, undecima Indictione, nuntiũ suscepit à Bulgaria ab occultis amicis suis, quod mitteret dominus Bulgariæ duodecim milia ex populo, & Boyladen ad captiuandã Berzitiam, & adducendum eos in Bulgariam. Venerant enim ad eum legati domini Bulgariæ, cum adhuc hi essent in urbe: qui simulauit se aduersus Arabes exercitum mouere, & transmeauerunt tam uexilla, quàm supellectiles ministerij regis & apparatus. Cum autem apocrisarios dimisisset, per exploratores eorum egressu comperto, assumpto exercitu festinus iter arripuit, & coaceruatis Taxatis, & Thracesianis, & unitis ordinibus optimatibus fecit eos octoginta milia. Et pergens in locum, qui dicitur Lithsoria nullius tubæ clangore sonante, irruerũt super illos, & uertẽs eos fecit uictoriam magnam, & cum multis exuuijs & captiuis reuersus est, triumphũ sui trophæi ostentans penes urbem, & obstipatus Obsicijs incedens, bellumq; hoc nobile nuncupans, eo quod nemo sibi restiterit, nec mactatio in hoc aut effusio Christiani facta fuerit sanguinis. Anno trigesimoquarto Imperij Constantini, Constantinus soluens Bulgarum pacem, construxit iterum stolum


Bellum cum Bulgaris

Barnas

stolum magnum,& intromissis in eum equitum XII. milibus, direxit omnes prætores classium, omnes in illo: ipse uero timens mansit cum equestri militia. Cum autem uenissent usq; Mesembriam, & hanc ingressi fuissent, ualenter Aquilone uento spirante omnia penè contrita sunt,& multi perierũt. & rediijt cum nil utilitatis adtulisset. Porrò Telericus dominus Bulgariæ comperto, quod per familiares suos cõsilia sua cognosceret, scribit ei dicens: Vellem effugere & uenire ad te, transmitte ergo mihi uerbum securitatis, & quos habeas hic amicos, ut hoc eis credam,& mecum occurrant. At ille leuitate usus scripsit ei. Qui cum hoc didicisset, per medium eos recidit. Quod audiens Constantinus, aliquandiu canos suos euulsit. Anno trigesimoquinto Imperij sui Imperator mense Augusto tertiadecima Indictione exiuit cõtra Bulgares, qui diuinitus in cruribus est plaga percussus, quæ Græce ἄνθραξ appellatur, & hinc febre ualidissima detentus Archadiopolim rediijt, à subiectis super humeros in lecto delatus, & ueniens Silimbriam, nauem ingressus est, cumq; ad rotundum peruenisset castellum, miserabiliter in chelandio moritur, clamans & dicens: Viuens adhuc igni sum inextinguibili traditus, sanctamq; uirginem & dei genitricem laudari expostulans, cum sine fœdere eius fuerit inimicus. Regnauit autem post mortẽ patris sui annis triginta quinq;, mensibus duobus, diebus uigintisex, & ita uitam dissoluit, sanguinibus multis infectus,& dæmonum inuocationibus ac sacrificijs, persequutionibus quoq; sanctarum ecclesiarũ rectæq; ac immaculatæ fidei, nec nõ & monachorum peremptionibus,& uiolationibus monasteriorum, malisq; uarijs supercrescens, non minus quàm Diocletianus & aliquis Tyrannorum. Præterea eodem anno, & eodem mense moritur Habdallas Arabũ dux. Cum enim ambo hi uelut acerrimæ bestiæ diuturnis temporibus ac crudelitatibus humanũ genus depasti sint, mortui sunt prouidentia dei,& obtinent principatum Leo & Mady filij eorum. Præterea eodem anno Adilgisus Longobardorum Rex ad regiam urbem ueniens Imperatori se profugus contulit.

Naufragium — *Telerici astus* — *Const. exitium* — *Adilgisus rex*

DE GESTIS ROMANORVM
LIBER VIGESIMVSTERTIVS
LEO



NNO ab incarnatione Domini DCCLXVIII Leo Constantini filius imperat, & Mady dux habetur Arabum, qui nouẽ his præfuit annis. Leo uero Imperator cœpit expẽdere pecunias, quæ sibi fuerant à patre dimissæ, placuitq; tam optimatibus quàm populo, & uisus est breue tempus pius esse, sanctæq; dei genitricis ac monachorum amicus: unde & monachos Metro-

Mady Amiras

Populus Constantinum Imperatorē petit

politanos in summis sedibus collocauit, militiasq; ex themate fecit multas, & ordines in urbe ampliauit. Quamobrem thematum principes commoti, omnes ingressi sunt cum multitudine populi copiosa, petentes Constantinum filium Imperatorem. At ille, ut moris est principibus, renunciauit eis, Filius est, inquit, meus unicus mihi, & idcirco uereor hoc facere, ne forte contingat mihi quod humanum est, & cum adhuc sit paruulus, morti eum tradatis, & alium promoueatis. At illi cum iuramentis se profitebantur illi satisfacturos neminem regnaturum præter filium eius, etiamsi mori eum deus uoluisset. Hoc autem à Dominica die, qua Palmarum solennitas agitur, usque ad quintam feriam hebdomadæ maioris, populo in hippodromo coaceruato petente, sancta parasceue iussit iurare illos. Et iurauit omnis populus in honorandis & uiuificis lignis, tam scilicet ex thematibus & senatu, quàm etiam exterioribus ordinibus, & ciuibus omnibus & ergasteriacis, Imperatorem nō admittendi, excepto Leone seu Constantino ac semine ipsorum, & fecerunt scripta, quemadmodum iurauerūt, propriæ manus. Et in crastino sabbato sancto exiuit Imperator in tribunalib. decem & nouem accubituum, & prouexit nobilissimum Eudoxium fratrem suum. Nam Anthimum uiuens pater eius prouexerat. Et processit Imperator cum reliquis Cæsaribus, & tribus nobilissimis ac nouo Constantino ad magnā ecclesiam: & mutato indumento, sicut Imperatoribus moris est, ambonem ascendit cum filio suo simul & patriarcha: & ingressus omnis populus posuerunt scripta sua in mensa sancta. Tunc Imperator alloquutus est populū sic: En fratres, petitiones uestras adimpleo, & dono uobis filium meum Imperatorem, ecce ab ecclesia de manu Christi suscipite. At illi clamauerūt uoce magna dicentes: Fideiussor noster esto fili dei, quomodo de manu Christi suscipimus Dominum Constantinum Imperatorem, ad custodiendum eum, & commoriendum pro eo. Et in crastinum, quando uidelicet magnus & dominicus dies Paschę celebratus est octaua Cal. Maij decimaquarta Indictione, auroræ crepusculo, exiente Imperatore unà cum patriarcha in hippodromum, delato altario, omni populo contemplante, patriarcha fecit orationem, & coronauit Imperatorem filium suum, & ita processit ad magnam acclesiam uterq; Imperator cum duobus Cæsaribus, & tribus nobilissimis. Processit autē & Imperatrix Eirene, cum præcessissent Imperatores, sceptris obsequentibus per scholas antelatis, & ascendentibus per Æneæ portæ ascensum in Catechumeni ecclesiā, nō exiens in plateam Emboli. Mense uero Maio eiusdem Indictionis accusatus est Nicephorus Cęsar & frater Imperatoris, quod insidias construxisset aduersus eum cum quibusdā Spatarijs atq; stratoribus, alijsq; regijs hominibus, & facto Imperator silentio apud Magnauram, exposuit populo, quæ de se fuerant dicta. Qui unanimiter exclamauerunt, ut uterq; recederet è medio, non me morantes, semper periuri, se patri eorum iurasse non admissuros post mortem

Eudoxius & Anthimus

Const. coronāt

Nicephorus Cæs. exulat

tem eius iniuriam pati natos eius. Ast Imperator rebelles cæsos & tonsos exilio damnauit, & apud Chersonam deportatos fore decreuit, & climata illa sub custodia & munimine conseruanda. Anno secundo Imperij Leonis confugit Telericus Bulgariæ dominus ad Imperatorẽ, qui fecit eum patricium, iungens illi uxoris suæ Eirene consobrinam. Cum autem baptizatum eum ex sancta piscina suscepisset, magnifice honorauit pariter & amauit. Anno tertio Leonis, sedit Ithumas apud Dabechũ, & seditionem commouit. Leo autem militias Romanorum direxit, & ingressa sunt Syriam C. milia, quibus duces erant, Michaël Lachanodraco Thracesiorũ, Artauadus Armenius Orientalium, Tazates Buccellariorũ, & Basterotes Armeniacorũ, & Gregorius Obsicianẽsiũ Prętores, & circũdederũt Germaniciã, ubi erat Isbal filius Mady, & apprehenderũt omnes camelos eius, & futurum erat ut caperent etiã Germaniciã, nisi muneribus persuasisset Lachanodraconi Isbal. & recessisset à castro: & exiuit in prędam regionis, & captiuatis hæreticis Iacobitis Syris iterum ad castra reuersus est. Et misso Ithumas exercitu à Dabecho & Amiradibus bellũ cum Romanis fecerunt, & ceciderunt ex Amiradibus quinq;, & Arabibus sex milia, & sexta feria redierunt. Egressi enim fuerant dominico die. Præterea μαίωμα facta, Imperator in Sophianis sedit in solio cũ filio suo, & ita diuulgauerũt Prætores triũphos quos sumpserant. Transtulit aũt Syros hæreticos in Thracem, & locauit eos illic. Anno quarto Imperij Leonis furore accensus Arabum dux Mady, mittit Asach cum uirtute multa Maurophorum scilicet Syriæ ac Mesopotamiæ, & descendit usq; ad Dorileũ: uerum Imperator pręcepit Prætoribus, ne debellarent eos publico bello, sed munirent ciuitates, & populum introducerent, ad earum custodiã destinatis & principibus magnis per singulas ciuitates, ipsiq; sumerẽt electorum militum terna milia, & insequerentur eos ne dispergerent cursus. Et incenderunt ipsi primitus tam pabula equorum, quàm escas ubicunq; fuissent inuentæ. Cum autem residerent Dorilei diebus quindecim, & defecissent sibi quę uictui sunt necessaria, exilia effecta sunt eorum animalia, multaq; in eis præda patrata est. Et reuersi sunt, & obsederunt Amorium die uno: quod cum uidissent munitum esse, & multam habere armaturã, reuersi sunt nihil proficientes. Anno quinto Imperij Leonis, uenit Mady Arabum dux Dabechum cum multo apparatu atq; potẽtatu, & misso filio suo in Romaniã, ipse rediit ad sactã ciuitatẽ: & misit Thesian, qui dicebatur Zelotes, & dat ei potestatẽ apostatas faciendi Christianorũ seruos, & desolãdi ecclesias sanctas: & uenit Emesam, & repromittit se non compellere ad menzerizandum, nisi eos qui dudum ex infidelibus fuissent, donec patefacti sunt Hebræi & Christiani. Et statim cœpit impie cruciare, sicut nec Lysias olim uel Agricolaus, multosq; pdidit. Sanè fœminę, gratia Christi dei nostri, uicerũt eius insaniã: & hæ cũ Nubitenses essent Archidiaconi Emesæ, ac filij Esaiæ, multũ cruciatæ cum

Telericus baptizatus fit patricius

Ro. in Syriam

Asach in Phrygiam

Arabes Christiani nos persequantur

non cessissent impietati: millena quippe flagra recipiẽtes, & aliis multis cruciatæ & attentatæ, coronã uictoriæ à Christo perceperunt. Peruenit aũt & usq; Damascũ, & multas ecclesias desertas fecit, nõ intendẽs dato Christianis uerbo ab Arabibus. Præterea octaua Idus Februarii, mortuo Niceta, de quo prædictum est, Constantinopoleos episcopo, secunda ieiuniorum hebdomada, die Dominico, Paulus honorabilis, genere Cyprius, uerbo & actu coruscans, post plurimam propter hæresim qua tenebatur excusationem, ui multa cõpellente consecratur patriarcha Constantinopoleos. Media uero hebdomada ieiuniorum tentus est Iacobus Protospatarius, & Papias ac Strateius & Theophanes cubicularii unà cũ aliis religiosis uiris, eo quod imagines adorarent. Tunc denudans occultam malitiam suam Leo persequutoris filius, & hos immisericorditer cęsos & tonsos, & per medium urbis uinctos pompari fecit, & includi in Prætorio mandauit: inter quos etiam moritur Theophanes confessor effectus, & coronam martyrii consequutus: reliqui autem omnes post huius obitum probati monachi inuenti sunt. Ast Aaron ingressus Armeniacorũ thema obsedit Semaluos castellum æstate tota, & Septembri mense cepit illud in uerbo. Miserat autem Ithuman in Asiam cũ quinquaginta milibus, & occurrens Michaël Lachanodraco cursu modico suo debellauit eum, & iugulauit fratrẽ Ithumæ. Eodemq; mense, quarta Indictione mortuus est Leo filius Constantini hoc modo. Cum insaniret circa lapides, nimis adamauit coronam magnæ ecclesiæ, & accipiens portauit eam, & exierunt carbunculi in capite eius, & captus à ualida febre mortuus est, cum regnasset annis quinq;, diebus sex.

Paulus patriarcha

Leo patrem æmulatur

Leonis exitus

CONSTANTINVS ET EIRENE



ANNO ab incarnatione domini DCC. LXXIIII. Eirene piissima unà cum filio suo Constantino gloriose Imperium diuinitus accepit, sexta Idus Septẽ. Indictione quarta, quũ mirabilis prædicaretur deus etiam in hoc, per uiduam fœminam & puerum orphanũ depositurus cõtra se famulosq; impietatem, & aduersus cunctas ecclesias motam impugnatoris dei Constantini tyrãnidem, & olim diaboli piscatorem, & illiteratorũ infirmitatem. Post quadraginta uero dies Imperii eius, cum filius eius esset decem annorum, consilium facientes quidam senatorum uoluerunt educere Nicephorum Cęsarem, & Imperatorem statuere. Cum autem hoc ad notitiam suam peruenisset, tenti sunt Gregorius logotheta dromi, & Bardas dudum Prætor Armeniacorum, Constantinusq; uicarii Spatarius & domesticus excubitorum, & Theophylactus Rangabi Drongarius duodecimæ insulæ, & multi alii, quos cæsos & tõsos in diuersis locis exilio relegauit. Porrò uiri sui fratres, Cæsares ac nobilissimos, tonsos sacerdotio fungi, & populo communionem in festiuitate Natiuitatis Christi porrigere fecit, in qua procedens Imperatorio more publice cum puero, reddidit ecclesiæ stemma, quod fuerat à marita ablatum, pulcherrime fabrefactum, &

Coniuratio detecta

& lapidibus præciosis uenustatũ. Promouit autem Helpidium Prætorem in Sicilia, qui & illic ante Prætor extiterat. Porrò decimaseptima Calend. Maij accusatus est idem Helpidius, quod cum Cæsaribus sentiret, & misso Theophilo Spatario præcepit, ut compendio raperet & duceret eum: qui cum perrexisset, non dederunt eum Siculi. At illa huius uxorem & filios cæsos & tonsos Prætori misit custodiendos. Iunio autem mense omnia interiora Thematis destinauit ad clausuras custodiendas, & obseruandi exitum Arabum, præponens eis caput Ioannem Saccellarium, qui erat eunuchus & domesticus eius: at uero misit Mady Cebir cum uirtute multa, & occurrunt in locum qui dicitur Milium. & inito bello superantur Arabes, & occiduntur ex eis multi, & ita cum confusione sunt reuersi. Cœperunt interea pijssimi principes fiducialiter agere, & uerbum domini dilatare, & qui uolebant saluari, sine prohibitione mundo abrenuntiare, & glorificationem dei exaltare, atq; omne bonũ manifestare. Hoc etiã anno in longis Thracæ muris quidam homo fodiens inuenit arcam lapideam, quam cum expurgasset & releuasset, reperit uirum iacentem, & conglutinatas arcæ literas continentes hæc: Christus nascetur ex uirgine Maria, & credo in eum: sub Constantino & Eirene Imperatoribus ô sol iterum me uidebis.

Helpidius prætor

Arabes repulsi

Arca lapidea cum inscriptione

Anno secundo Cõstantini & Eirenę, direxit Eirena Cõstantem Saccellarium & Mamalum primicerium ad Carolum Francorum regem, quo filiam suam nuptum traderet Imperatori Constantino filio suo. Et facto placito, ac iureiurando inter utrosq; reliquerunt Helisęum eunuchum atq; notarium ad docendum illam Gręcorum literas simul & linguam, ut erudiret eam secundum mores Romani Imperij. Constructis autem nauibus numerosis, & electis ex Thematibus populis ac principib. qui sufficerent, promouit Theodorum patricium eunuchum uirum industrium, & direxit aduersus Helpidium in Siciliam: cumq; multa fierent bella, uicerunt hi qui circa Theodorum erant. Quo uiso Helpidius timuit, & sumptis quotquot habebat pecunijs, cum Nicephoro transmeauit in Africam: & accepto uerbo securitatis ad Arabes confluxit, quem illi susceptum, ut Romanorum tenebant Imperatorẽ, coronantes eum itcasium, & ocreis & schemate induentes. Cum autem Romanorum populus in his uacaret, egreditur Mady filius Aaron cum potentatu & apparatu nimio, tam Maurophororum, q; totius Mesopotamiæ & Syriæ & deserti, & uenit Chrysopolim derelicto Binuso ad obsidendum Nacoliam, & custodiendũ dorsa sua. Misit autem & Burnice in Asiam cum triginta milibus: quæ cum debellasset Lachanodraconẽ cum Themate Thracesiorum in loco Darino dicto, & ipsi cum triginta milia essent, quinq; milia interfecit. Ast Imperatrix misso Antonio domestico suo cum ordinibus obtinuit Barim, & concluserunt eos. Confugit autem ad eos Tazates Buccellariorũ Prætor propter odium quod contra Stauratiũ patriciũ habebat & logothetam Tu dromu, eunuchum omnibus

Legatio ad Carolum

Helpidius cũ Nicephoro in Africam fugit

Sarr. contra Ro. expeditio

nibus qui tunc esse uidebãtur præminentem,& omnia disponentem,& dato eis consilio postulauerũt pacem. Cum autẽ ad hoc exissent Stauratius, & Petrus magister,& Antonius domesticus, non studuerunt subtiliter agere,ut uerbũ caute susciperẽt,sed exeuntes incõsulte,tenti sunt ab illis,& cõpedibus uincti sunt, & coacti sunt utræq; partes ad faciendã pacẽ,& donauerunt inuicẽ,Augusta uidelicet & Aaron xenia multa pacto firmato,ut p singulos annos eis censum tribueret.Et facta pace discesserũt, etiã dimittentes ciuitatẽ Nacoliæ.Tulit aũt & Tazates uxorẽ suam, & omnẽ substantiam.

Pax cum Sar.

Anno III.Imp. sui pace facta cũ Arabibus & aditu reperto Eirena mittit Stauratiũ patriciũ & logothetã Dromi cũ uirtute multa contra Sclauinorũ gentes. Qui cum descendisset in Thessaliam & Græciam, subiecit omnes & tributarios fecit Imperio. Introiuit autẽ & in Peloponnesum, & multam captiuitatem & exuuias Romano Imperio attulit. Anno quarto Imperij Constantini & Eirenæ redijt Stauratius, de quo supra dictum est, à Sclauis,& triumpho manifestauit trophæa in Hippodromo. Mẽse autem Maio eiusdem septimę Indictionis,exiuit Imperatrix Eirena unà cum filio suo,& uirtute copiosa in Thracẽ, circumferens organa,& cætera genera musicorum, & uenit usq; Beroëam,& hanc ædificari iubens, nominauit Eirenopolim. Venit autẽ & usq; Philippopolim cum omni securitate, & redijt cum construxisset etiã Anchialum. Eodem quoq; anno Arabum dux Mady,qui & Muhãmat,mortuus est:& principatus est Moyses filius eius. Porrò primo die Cal. Septemb. eiusdem septimæ Indictionis Paulus Almisicus patriarcha sanctissimus infirmatus thronum reliquit: & descendens ad monasterium Flori, monasticum suscepit habitum Imperio ignorante. Cum autẽ Imperatrix hoc didicisset,uenit cum filio tristis & clamans: Cur inquit,hoc fecisti? At ille cum lamentis ait ad eam: Vtinam ne unquam in sacerdotij throno sedissem,ecclesia dei tyrannidem patiente,pręsertim cum scissa sit à reliquis uniuersalibus sedibus, & anathematizata. Quæ demum ascitos patricios & senatus primores misit ad eum audire quæ ab ipso dicebãtur,qui dixit ad illos:Nisi synodus uniuersalis fiat,& error qui est in medio uestri corrigatur, salutem non habetis. At illi dixerunt ei: Quare subscripsisti cum consecrareris iconam? At ille ait,idcirco lamentis afficior,& cucurri ad pœnitentiam deprecaturus deum, ne me sicut sacerdotem iudicet & cruciet,qui tacuerim usq; nunc,& præ timore furoris uestri non prædicauerim ueritatẽ. Et in his obdormiuit in pace,derelicto lamento multo tam pijs quàm impijs,& religiosis uiris Reip. Colendus enim uir erat, & supra mensuram misericors,ac omni reuerentia dignus: multamq; fidem habebat tam Resp. quàm Imperium erga illum. Ex tunc ergo cœpit dici & disputari super sanctis imaginibus. Anno V.Imperij Eirenæ cum filio,Arabum dux prouehitur Moyses, qui eis uno præfuit anno. Hoc quoq; anno collecto Eirene omni populo apud Magnauram,dixit ad eos:Scitis fratres quid

Sclauini sub acti

Eirenopolis

Moyses Amiras

Pauli patrarchæ exitus

quid fecerit Paulus patriarcha. Et siquidem uixisset, non hunc utiq; patere-
mur dimittere sacerdotij thronum, licet monasticum induerit habitũ: quia
uero sicut deo placuit, de hac uita migrauit, qui possit pascere nos, prouidea-
mus hominem, & ecclesiam dei didascalicis seruare sermonibus, qui uniuer-
saliter dixerunt, non fore alium nisi Tharasium à secretis. At illa: Et nos,
inquit, ipsum elegimus, sed resultat & dicit pro qua causa nõ suscipit electio
nem Imperij & totius plebis. At ille respondit populo dicens: Immaculatę
fidei nostræ Christianorum custodes, & eorum qui in gloria dei sunt æmu
latores fideles Imperatores nostri, & in commodum nostrum curam facien
tes, & maxime nunc ecclesiastica negocia diligenter cõsiderantes, quo sum-
mus sacerdos in hac urbe regia constitueretur, in suæ pietatis animum me as-
sumpsere, & ut manifeste mihi diceretur, quod consiliati sunt, præceperunt.
Cumq; ad hoc me indignum esse pronunciarem, & nullum cõsensum effi-
cerem, utpote qui iugum huius sarcinæ portare uel sufficere nõ possem, ius-
serunt me adduci ante faciem uestram, pro eo quod huius cõsilij unanimes
& comprobatores effecti sitis. Et nunc ô uiri, qui deum timetis, & semper
hunc in cordibus habetis, quiq; Christi inuocatione nominamini ueri dei
nostri Christiani, audite breuissimum ab exiguitate mea & humilitate ser-
monẽ. Ego enim quicquid pijs Imperatoribus nostris, & per omnia ortho-
doxis responderim, etiam in conspectu uestro orationis meæ apologia re-
spondeam. Timore deprimor ad consentiendum huic electioni, & uereor à
facie dei currere taliter, & quomodolibet incircunspectus, ut non terribili
damnationi succumbam. Si enim diuinus apostolus Paulus, qui dei uoces
audiuit, cœlumq; habuit erudiens se, & paradisi inspector effectus est, au-
diuitq; arcana uerba, & portauit nomen domini coram gentibus & regi-
bus, dixit: Ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar: quomo-
do ergo ego qui in mundo conuersatus, & cum laicis connumeratus, in Im-
peratoris administrationibus militaui, sic absq; iudicatione atq; circunspe-
ctione possim insilire ad sacerdotij magnitudinem? Horrendum conamen
ad exiguitatem meam & temerariũ studium. Causa uero timoris mei hæc
est, Aspicio enim, & uideo ecclesiã quæ super petram Christũ deum ædifi-
cata est & fundata, scissam nũc & diuisam, & nos alia atq; aliter loquentes,
& aliter eos Christianos qui in Oriente unius nobiscũ fidei sunt, sed & his
concordãtes Occidentales, nos ab omnibus illis alienatos, & à se per singu
los dies anathematizatos. Dira pœna est anathema, procul à regno cœlo-
rum expelli & à deo emitti, ducẽs in tenebras exteriores. Nescit lex ecclesiæ
uel terminus sectam siue contentionem, sed sicut nouit confiteri unũ baptis-
ma, unam fidem: ita & concordiam unam in omni ecclesiastico negocio. Ni
hil enim est in conspectu dei tam acceptum atq; placabile, quàm ut unum
simus, & una efficiatur ecclesia catholica, quemadmodũ in synceræ fidei no-
stræ symbolo confitemur. Et petimus nos fratres, ut reor & uos, quoniam

Tharasius à secretis

Verba Tharasij

ſcio timorem dei uos habere, à pijſſimis Imperatoribus ueſtris & orthodo-
xis ſynodũ uniuerſalẽ colligi, ut efficiamur nos, qui unius dei ſumus, unum:
& qui trinitatis cultores exiſtimus, unici & unanimes collegæ: & qui capitis
noſtri Chriſti ſumus, efficiamur corpus unum compactum atq; cõnexum:
& qui ſancti ſpiritus ſumus, efficiamur nõ contra inuicem, ſed pro inuicem:
& qui ueritatis exiſtimus, efficiamur ſapientes, uerũ atq; dicentes, & non ſit
in nobis certamen, neq; diſſenſio, ut pax dei quę exuperat omnem ſenſum,
muniat nos omnes. Et ſiquidem iuſſerint, orthodoxi & propugnatores Im-
peratores ſcilicet, ueſtræ poſtulationi & meæ annuere, conſentio & ego: ſin
autem, impoſſibile eſt mihi & hoc facere, ne ſubijciar anathemati, & inue-
niar condemnatus in die domini noſtri & iuſti iudicis, ubi neq; Imperator,
neq; ſacerdos, neq; principes, nec hominum multitudo poterit eripere me.
Et quicquid placuerit uobis fratres, date apologiæ meæ, imò uero aſſertio-
ni ueſtræ, & reddite petitioni meæ reſponſum. Et libenter audierunt omnes
quæ dicta ſunt, aſſenſum præbentes ut fieret ſynodus. At uero Tharaſius
rurſus diſputans ad populũ ait: Leo Imperator ſubuertit imagines, & quan-
do facta eſt ſynodus, ſubuerſas inuenit: & propter quod Imperatoria ma-
nu ſubuerſæ ſunt, iterum quæſtionem habet idem capitulum, quomodo an-
tiquam conſuetudinẽ in eccleſia traditam præſumpſerunt, ſicut eis libitum
fuit, exterminare. Sed ueritas dei, ut Apoſtolice dicamus, non eſt alligata.
Itaq; octaua Calend. Ianuarij, ipſius octauæ Indictionis, conſecratus eſt
almus pater noſter Tharaſius patriarcha Conſtantinopolitanus, qui miſ-
ſis ſynodicis Romam uiris, & libello fidei ſuæ, receptus eſt ab Adriano pa-
pa. Mittens autem & Imperatrix petijt ut mitteret literas ſuas, & homines
claros qui inuenirẽtur in ſynodo. Qui direxit Petrum Vicedonum eccleſiæ,
& Petrum Hegumenum ſancti Sabæ, uiros honorabiles, ac omni uirtute
adornatos. Miſit autem & Antiochiam & Alexandriam tam Imperatrix
quàm patriarcha. Adhuc namq; pax quæ facta fuerat cum Arabibus non
eſt ſoluta. Et duxerunt ab Antiochia quidem Ioannem magnum atq; fa-
moſum, uerbo & opere ſanctitatis participẽ, qui & Syncellus Antiocheni
patriarchæ fuit, & Thomam Alexandrinum uirum zelatorem & religio-
ſiſſimum, qui & Theſſalonicæ ciuitatis magnæ, quæ eſt in Illyrico, factus
Archiepiſcopus claruit. Interea mortuo Moyſe, fit Arabum dux Aaron,
qui uiginti tres eis præfuit annis, & multa Chriſtianis oſtendit mala.

Tharaſius patriarcha *Adrianus papa* *Adron Amiras*

Anno ſexto Imperij ſui mittentes Imperatores conuocarunt omnes qui
ſub eorum erant poteſtate antiſtites: Peruenientibus quoq; à Roma tranſ-
miſſis ab Adriano literis & hominibus, ut prædiximus, & ab Antiochia &
Alexandria: & ſeptima Idus Auguſti, nona Indictione, præſidẽtes in tem-
plo ſanctorum Apoſtolorũ apud regiam urbem, cœperunt ſanctas ſcriptu-
ras relegere, & obijcere inuicem, Imperatoribus ac catechumenis aſpicienti-
bus. Aſt populus ſcholariorum & excubituum atque ordinum cæterorum

Synodus

adunati

adunati à suis principibus, cum haberent etiam ipsi magistrum Constantinum deo odibilem dudum Imperatorem, irruerunt in eos nudatis gladijs, minitantes mortificare tam summum sacerdotem quàm orthodoxos episcopos & abbates. Imperio uero per astãtes sibi familiares homines hos se dare nitente, non acquieuerunt, quin potius exprobrauerunt. Cum autem surrexisset patriarcha, & tribunal cũ episcopis & monachis esset ingressus, hi qui maligni sensus eorum erant episcopi, exierunt ad eos clamãtes & dicentes: Vicimus. Et gratia dei nemini nocuerunt furiosi illi & inhumani. Et taliter dissoluto synodo unusquisq; redijt ad propria. Anno septimo Imperij sui, misso Eirene Stauratio patricio & logotheta in Thracem mense Septemb. in initio decimæ Indictionis ad ulteriora themata, persuasit eos sibi cooperatores fieri, & depellere ab urbe impium populum, quem nequissimus Constantinus instruxerat: & cum se fingeret, quod totum exercitum motura esset in Orientales partes, eo quod Arabes fuissent egressi, exijt omnis regius apparatus atque supellex asq; ad Malagma: & introeuntes hi qui exteriorum thematum erãt, tenuerunt urbem. Mittens autem ad illos significauit eis dicens: Mittite mihi arma uestra, opus enim non habeo uobis. At illi stulti diuinitus facti dederunt arma. Tunc missis familijs eorum in naues, exules eorum misit ab urbe in propriam regionem unumquenq; iubens abire, in qua & genitus esset. Et cum fecisset proprium exercitum, & principes sibi obtemperantes, ipsa iterũ mense Maio mittens per omnem locũ, conuocauit omnes episcopos, quo conuenirent in Nicensium ciuitatem ad efficiendum illic cõcilium. Et per totum æstiuum tempus congregati sunt omnes apud Niceam. Siquidem eos qui ex Romanæ sedis & Orientalium persona uenere non dimiserat, sed retentos secum habebat.

Arma adẽptá Iconomachis

Anno octauo Imperij Eirene & Constantini, exiuit Tharasius archiepiscopus Cõstantinopoleos in Nicẽsium ciuitatem, & celebrata est sancta & uniuersalis septima synodus episcoporũ, & recepit catholica ecclesia prisca ornamenta sua, nihil nouum prædicans, sed sanctorum patrum dogmata immota custodiẽs, & nouam hæresim abdicans, tresq; falsos nominatos patriarchas anathematizans, Anastasium scilicet, Constantinum & Nicetam, atq; omnes consentaneos eorum. Facta est autem prima conuentio ac sessio episcoporum in ecclesia catholica sanctæ Sophiæ Nicenæ ciuitatis. Et quinto Idus Octob. undecimæ Indictionis, mense Nouẽbre, ingressi sunt omnes regiam urbem, & præsidentibus Imperatoribus unà cum episcopis in Magnaura lectus est tomus, & subscripsit tam Imperator quàm mater eius, firmantes pietatem secundum antiqua dogmata opera sacerdotum: & cum honore dimiserũt eos, & pace potita est ecclesia dei catholica, quanquam inimicus zizania sua in operibus suis seminare non cesset, sed ecclesia dei semper impugnata triumphat. Anno nono Imperij sui Eirena Imperatrix pace soluta cũ Francis, causa nuptialis contractus direxit Theo

VII. Synodus

phanen protospatarium, & adduxit puellam ex Armeniacis nomine Mariam ab Amnia, & iunxit eam Cōstantino filio suo, cum ipse multū tristaretur, & nollet propter affectum, quo erga filiam Caroli regis Francorum flagrabat, quam antea disponsauerat: & consummauerūt nuptias eius mense Nouembri, Indictionis duodecimæ. Interea Eirena misit Ioannem Saccellarium & logothetam in Longobardiā, unà cum Adelgiso dudum maioris Longobardiæ rege, quem illi datum dicebant, ad ultionem inferendam si possent in Carolum, & quosdā subducendos ab illo. Descenderunt ergo cum Theodoro patricio eunucho Prętore Siciliæ, & inito bello tentus à Francis amare peremptus est. Anno decimo Imperij Eirenes, mouit diabolus liuore pietatis Imperatorum homines, qui instigauerūt matrem aduersus filium, & filium aduersus matrem. Inflexerūt enim eam, quasi ex præsignantibus futura cognitionibus certi facti, asserentes ei: Non est prædestinatum apud deum tenendi filium tuum imperium, sed tuum est, à deo tibi datum. At illa ut mulier seducta, præsertim cum amorem quoq; principatus haberet, credidit ita esse, & nō recognouit, quod ipsi uolentes dispensare res, id sub occasionem prætenderent. Ergo cum Imperator iam uiginti esset annorum, factus robustus atq; idoneus, uidebat se nihil potestatiue gerentem, & tristabatur: intuens è contrario Stauratium patricium & logothetam omnia possidere, omnesq; ad illum procedere, & neminē ad se frequentate audere: tum consilio inito cum familiaribus perpaucis hominibus suis, & Petro magistro suo, & Theodoro patricio, & Damiano patricio, æque firmauit quo comprehenderet eum, & exulem in Siciliam destinaret, ipseq; teneret Imperium cum matre sua. Porrò sexta Idus Februarij horribilis factus est terræmotus, ita ut non auderet quisquam domi dormire, sed omnes in hortis & sub diuo tabernaculis factis & tētorijs degebāt. Ast Imperatrix unà cum filio suo egressa est ad sanctum Maman. Cum aūt Stauratio nunciata fuisset & præsignata res, commouit Augustam cōtra filium: quæ cōprehensos omnes Imperatoris homines cecidit atq; totondit, unà cum Ioanne protospatario & baiulo ipsius, & exilio relegauit in inferiorib. partibus usq; in Siciliam: Petrum uero magistrum dehonestationibus submittens, in domo sua sedere præcepit: similiterq; Theodorum patricium: porrò Damianum patricium cæsum ac tonsum in castrum Apolloniadem exulem fore destinauit: percutiensq; filium conuitijs multis lacessens, egit ne procederet per dies non paucos. Cœpit autem iuramentis submittere militiam ita dicentem: Quia quousq; tu uiuis, nō permittimus filium tuum imperare. Et iurabant omnes sic, nemine cōtradicere audente. Interea classis Arabum in Cyprum exiuit. Quod cognoscens Imperatrix, coaceruauit etiam ipsa omnia Romana nauigia, & misit aduersus eos. Cum autē usq; Myra uterq; Prætor uenisset, diuertit à promontorio Chelidoniorum, & ingressus est in Attaliæ sinum. At uero moti Arabes de Cypro, cum serenitas

Maria Const. nupta

Adelgisus reditum infeliciter tentat

Const. noua consilia

Eirene filium Imperio priuat

Arabes in Cyprum

nitas eos cepisset, circunferebantur in pelago: cumq́ꝫ terræ proximi cernerentur, uiderunt eos Pretores, & acie directa præparati sunt ad bellandum. Theophilus autem Cibioretarum Prætor, cum uir esset robustus, fisus ante omnes egressus, tentus est ab illis, qui tum ductus ad Aaron, uidendus ab eo, adhortatus est ut proditor fidei fieret, & temporalia dona susciperet. Qui cum hoc nullatenus admisisset, peramplius q́ꝫ coactus nequaquam cessisset, gladij animaduersionem sustinens martyr optimus est ostensus.

Theophilus Prætor martyr

Anno ab incarnatione domini DCCLXXXIII. Eirene primo Imperij sui anno, mense Septembri Indictione decimaquarta misit, & uenerunt qui iurabant ad Armeniacorum Thema, qui iurare minime consenserunt, quia nõ imperabimur à filio tuo in uita tua, sed nec præponemus, inquiũt, Eirene ante Constantini nomen, sed Constantini & Eirene, ut ab initio suscepimus. Misit autem iterum ad inflectendum eos Alexium Spatarium, & Drongarium uigiliæ. At illi tenentes eum, ut sibi præesset prouexerunt: Nicephorum uero patricium custodiæ manciparunt, Constantinumq́ꝫ solum principem & Imperatorem laudauerunt & acclamauerunt. Hoc comperto reliquorum populi Thematum, prætoribus suis expulsis Constantinum tantum Imperatorem & ipsi prædicabant. O maligni diaboli uersutias, quomodo per multa argumenta studet genus hominum perdere. Qui enim ante quindecim annos terribili iureiurando iurauerunt, & facta propriæ manus scripta in sancto altari recondiderunt, iterum iurabant se à filio eius non imperandos in uita ipsius: & rursus obliuioni hoc tradentes, Constantinum Imperatorem bonę famæ efferebant, non perpendentes miseri, quod non oporteat reciprocum fieri iuramentum. Necessitas enim incumbit, ut omnem reciprocam iurationem periuriũ subsequatur: periurium autem abnegatio dei est. Collecti autem mense Octobri, decimaquarta Indictione, hi qui ex Thematibus erant apud Acroam, exquisierunt omnes communi cõsilio Constantinum Imperatorem uicesimũ agentem annum: timens autem Eirena impetum populi absoluit eum. At illi quidem Imperatorem firmauerunt: huius autem matrem respuerunt. Præterea direxit Imperator Michaëlem Lachanodraconem, & Ioannem Baiulum suum ac protospatarium, & iuramentis submiserunt Armeniacos, ne susciperent Eirenen matrem suam in Imperatricem: Alexium uero confirmauit in prætorem suũ. Et cum redisset in urbem mense Decembri, cęsum & tonsum Stauratium exulem fecit apud Armeniacorum Thema ad satisfactionẽ eorum. In exilium nihilominus & Aetium misit protospatarium spadonem & intimum eius, & omnes domesticos ipsius spadonis: hanc autem cum suauitate sua & affluentia locauit in palatio Eleuterij, quod ipsa construxerat, in quo & pecunias multas absconderat. Factum est autem eodem mense incendium, & cõcrematum est triclinium patriarchæ, quod dicitur Thomaites, & quæstorium, & aliæ domus usq́ꝫ ad Milium. Cæterum Aprili mense

Const. Imperiũ receptum solus administrat

Constantinus cum mouisset castra cōtra Bulgares, uenit ad castellū, quod dicitur Probati, ad riuum scilicet sancti Gregorij: & cum occurrisset Cardamo domino Bulgariæ, pusillo circa uesperam facto bello, formidantes qui ex parte Romanorū erāt, per noctem fugerunt, & inglorij redierunt: quin & Bulgares metuentes reuersi sunt. Anno secundo Imperij Constantini, mense Septembri castra mouit aduersus Arabes, & profectus ab Amorio abijt Tarsum Ciliciæ. Porrò decimaoctaua Calendas Februarij rogatus Imperator à propria matre, & à multis optimatibus, pronunciat eam Imperatricem: & laude simul cum illo attollitur, ut à primordio Constantini & Eirenes, & omnes quidem obediūt. Ast Armeniacorum Thema pertinaciter instans adhuc renititur, & quærit Alexium, qui paulo ante Prætor in eis fuerat, & ab Impatore euocatus, dignitate patricij sublimatus, penes ipsum degere uidebatur. Hunc ergo propter huiusmodi requisitionem, & quosdam sermones super ipsa dictos, quod uidelicet regnaturus esset, cædens ac tondens in Prætorio posuit. Iulio uero mense exercitum mouit aduersus Bulgares, & costruxit castrum Marcellorum: & duodecima Calend. Augusti exiuit Cardamus dominus Bulgariæ cum omni uirtute sua, & stetit in munitionibus. Fiducia uero fretus, & à pseudoprophetis Imperator credere persuasus, quod eius esset uictoria, incircūspecte ac inordinate bellum infert, & ualido uincitur marte, fugatusq; redijt in urbem, multis amissis non solum communis populi, sed & primatuum, inter quos & Michaël magister Lachanodracon, & Bardas patricius extiterūt, & Stephanus protospatarius, Nicetas quoq; ac Theognostus facti Prætores, & homines regij nō pauci, sed & Pancratius pseudopropheta, & Astronomus, qui & uicturum illum uaticinatus est. Abstulerunt etiam Bulgares sarcinam, pecuniam, equos & aulæa unà cum uniuerso regio apparatu. Cum autem collecti essent ordines in urbem, cōsiliati sunt educere Nicephorum, & Cęsarem & Imperatorem constituere. Quo comperto Constantinus misit & eduxit utrosq; filios Cōstantini aui sui ad sanctum Maman, & Nicephorum quidem oculis, Christophorum atq; Nicetam, Anthimum atq; Eudoxiū linguis priuauit: cum quibus & prædictum Alexium patricium luminibus priuauit, obediens maternis & prælati Stauratij suadelis, ei asseuerantium, quod nisi hunc cæcum redderet, in Imperatorem forent electuri. Factū est autem horum pœna malorum mense Augusti, die sabbati, Indictione decimaquinta, hora nona. Veruntamen non in longum dei iusticia hanc iniustam ultionem dimisit inultam. Post quinquennium namq; eodem mense, & eodem die sabbati orbatus est oculis à propria matre idem Constantinus. Anno tertio Imperij Constantini audientes Armeniaci de Alexio patricio quod cæcus factus fuerit, custodiæ mancipant Prætorē suum, Theodorum uidelicet patricium Camulianū. Quo comperto Imperator, misit primum quidem ad eos nonnullos: post sanctum uero pascha ipse mouit

Eirene Imperatricis dignitatem resumit

Imp. à Bulgaris uictus

Imp. ex patruis unū oculis, reliquos IIII. linguis priuat

Armeniaci rebelles domti

mouit exercitum contra eosdem Armeniacos unà cum reliquis Thematibus. Octaua Calendas Iunij Indictionis primæ die sancto Pentecostes, cum proditos eos Armeniorum fraude, qui cum ipsis erant, uicissent, comprehendit illos debellatos, & interfecit Andronicum Spatarium, & Turmarchan, atq; Gregorium episcopum Synopensem: reliquos uero rerũ iacturis & sumptibus & proscriptionibus affecit. Porrò mille uinctos exercitus ipsorum introduxit per Blacernarum portam in urbem, quorum facies atramento & punctionibus superscripsit: Armeniacus insidiator: & dispersit eos tam in Siciliam quàm cæteras insulas. Armenij sanè proditores eorum nihil ab Imperatore honoris seu libertatis assequuti, castrũ Amachan Arabibus tradiderunt. Anno quarto Imperij Constantini, ceperunt Arabes Sebasan castrum sub uerbo, propter quod & principes eius ad propria redierunt. Anno quinto Imperij sui Constantinus odio habens Mariam uxorem suam, summissione matris suæ Imperium appetentis, & quod ab omnibus reprehẽsibilis iudicaretur, affectãtis, coëgit ut fieret monacha: quam cum inflexisset, totondit mense Ianuario, & Aprili mense mouit exercitum aduersus Arabes, & mense Maio bellum iniens cum uno cursu ipsorũ in loco qui dicitur Amusan, uicit, uertit, & hos insequutus est usq; ad amnem: & cum uenisset Ephesum, & apud Dei locum orationes fecisset, commercium nundinarum, quod centum esset auri librarum, indulsit ad famulatum sancti Ioannis apostoli. Augusto uero mense coronauit Imperator Theodaten Cubiculariam in Augustam, & desponsauit eam Imperator. Anno sexto Imperij sui, Indictone prima celebrauit Imperator Constantinus cum Theodate nuptiarum principia in palatio sancti Mamæ per dies quadraginta. Mense uero Aprili eiusdem Indictionis, nocturno tempore factus est terræmotus in Sicilia & Creta ualde terribilis. Mense autem Maio factus est terræmotus Constantinopoli nimis horribilis. Cardamus prætera dominus Bulgariæ denunciauit Imperatori dicens: Aut tribue mihi pacta, aut ueniam usq; ad Auream portam, & demoliar Thracem. Ast Imperator posuit equina stercora in mapsa, & transmisit ei: Qualia inquiens pacta te decere præuidi, transmisi tibi. Verum quia senex es, nolo ut fatigeris usq; ad hęc loca, sed ego ueniam usq; ad Marcellam, & tu exi, & quicquid deus iudicauerit facito. Et cũ misisset Imperator ad ulteriora Themata, consciuit populum suum, & uenit usq; Versiciniã, & Cardamus usq; ad lucum Abroleua: & cum formidaret, mansit in nemore. Ast Imperator confortato populo suo abijt usq; ad lucum Abroleuã, inuitans eum per dies septemdecim. At ille nõ est ausus, sed repedauit fugax ad sua. Eodem quoq; anno Arabes uenerunt Amorium, & cum nihil profecissent, reuersi sunt præda in regionibus circunquaq; facta. Eodẽ quoq; anno Plato Sacundionis Abbas se abscidit à cõmunione Tharasij patriarchæ, pro eo quod Imperatorẽ receperit in cõmunionem, & permiserit eum tondere

Imp. uxorẽ in monasterium trudit

Theodata Augusta

Ludibrium

Plato Abbas

uxorem suam Mariam,& Ioseph monacho & abbati monasterij,quod ap pellatur Concarata,coronare eum Theodaten præceperit. Quod cum didi cisset Imperator,misso Bardanio patricio & scholarũ domestico,cũ Ioanne comite Obsicij Platonem introduxit in urbem, & retrusit intra claustra in templo principis militiæ,quod est in palatio:reliquos uero monachos cum nepotibus eius percussos exilio relegauit apud Thessalonicam, quibus au/ xiliabatur mater Imperatoris,tanquam qui filio resistebant,& eum consun debant. Anno septimo Imperij sui,mense uero Septembri egressus est Imperator cum matre sua ut calefieret apud Prusam. Octobre uero mense natus est Imperatori filius,quem cognominauit Leonem:quæ cum cogno/ uisset Imperator, derelicta matre apud thermas unà cum ordine regio uni uerso atq; principibus,cursim in urbẽ regressus est. Quapropter huius ma/ ter spacio reperto alloquuta est, & subtraxit muneribus ac promissionibus agminũ principes,ut deponeret̃ filius eius,& ipsa singulariter imperaret: & alios horũ p̱ seipsam,alios uero p̱ homines suos blãdiẽs adtraxit ad se oẽs, & pręstolabat̃ congruũ inuenire diẽ. Interea obeũte Romę Adriano papa, consecratur Leo uir honorabilissimus,& per omnia reuerendus. Mense ue/ ro Martio exiuit Imperator aduersus Arabes, habens secum Stauratium patricium,& cæteros amicos matris suæ, necnon & electam cateruam expe ditorum militum ex utrisq; Thematibus uiginti milia. Vidẽtes autem qui circa Stauratium erant,alacritatem populi & Imperatoris, timuerũt ne for/ te inito bello ille uinceret,& ipsi adinuentis aduersus eum frustrarentur insi dijs: ergo muneratis uigilibus persuaserunt eis mentiri,perhibendo Sarra/ cenos fugisse. Imperator itaq; multum tristatus, inefficax urbem ingressus est,& Calendis Maij mortuus est filius eius Leo, & luxit eum uehementer. Porrò decimasexta Calendas Augusti ab equestri agone ad sanctum Ma man transeunte,transmearunt ad eum comprehendendum hi qui erant ex ordinib. quos mater Imperatoris alloquuta est: quo ille cognito in chelan/ dium suum ingressus est, & transmeauit ad Pylas, uolens ad Orientalium Thema confugere. Erãt autem cum eo & amici matris eius, quos ille sic esse ignorabat. Præterea ipse & mulier eius exiuit usq; ad Tritonem. Porrò con silio inito amici matris eius dixerunt ad semetipsos: si coaceruatus ei fuerit populus,non iam dominio constringetur,nec iam latere poterimus eum,& perdet nos. Materq; ipsius congregatis in palatio Eleuterij,qui ex ordinib. fuerant collocati,introiuit in palatium: & cum didicisset populi ad Impera/ torem concursum,timuit nimis, & tractabat qualiter mitteret episcopos ad eum,& acciperet uerbũ,& sederet in angulo. Verum scripsit occulte ad ami/ cos qui cum ipso erant,quia nisi modum quemlibet feceritis, & tradideritis eum,uerba quæ habetis mecum,habeo indicare Imperatori. At illi metuen tes tenuerunt eum ad preces, & in chelandium deducto eo, sabbato mane uenerunt ad urbem,& incluserunt eum in domo Purpurea in qua & natus est.

Birene machi/ natur contra filium

Leo papa

Const. exitus

est,& circa horam nonam crudeliter & insanabiliter oculos eius euellunt,ita ut hunc mors subsequens confestim extingueret,consilio matris suæ, & consiliariorum eius. Obtenebratus est autem sol per dies septendecim. Et non dedit radios suos,ita ut errarent naues maris,omnesq; dicerent, quod propter obcæcationem Imperatoris sol obcæcatus radios suos retraxerit: & taliter de cætero imperat Eirena mater eius. Eodem etiã anno Romæ cognati beatæ memoriæ Adriani papę commouentes populum tumultuati sunt contra Leonem Papam, & tenentes cæcauerunt eum, non tamen penitus lumen eius extinguere potuerũt. At ille confugit ad Carolum regem Francorum,qui ultus est inimicos eius amare,& restituit eum in sede sua. Cæterum uicem Carolo recompensans, in Imperatorem coronauit eum in templo sancti Petri apostoli, perungens oleo à capite usq; ad pedes, & circundans Imperatoria ueste atq; corona VIII. Cal. Ianuarij Indictione nona. Igitur Romanis imperat Eirena annis V.

Leo papa fugit in Franciã

EIRENE



NNO ab incarnatione domini DCCXCI. Eirene cum secundo imperare cœpisset, confestim direxit Dorotheũ Egomenũ Chrysopolitanum, & Constantinum Chartophylacem ecclesiæ magnæ ad Habdimelich partes Cappadociæ depopulantem atq; Galacię, intercedens pro pace:quod tamen factum non est. Octobre mense quidam rebelles in custodia positis in palatio Tuterapiu filijs impugnantis deum, Constantini scilicet,ad magnam persuadent ecclesiam confugere,quasi petentes securitatem subsequentis indemnitatis suæ, quatinus per huiusmodi occasionem appellarent ex eis quenquam Imperatorem. Et multo populo ad ecclesiam concurrente,ingressus est Aetius eunuchus patricius, & eduxit eos uerbo,nemine ad eos attendente, & exilio damnauerunt eos apud Athenas. Duo autẽ patricij Stauratius & Aetius,qui dilecti esse noscebantur imperaticis,facti sunt in alterutrum hostes,ita ut inimicitiam manifeste monstrarent, ambo intentionem habẽtes, post mortem eius cognatis suis imperium acquirendi. Anno secundo Imperij Eirenæ Habdimelich exiuit contra Romaniam, & missis expeditorum milibus in cursum descendit usq; Malagma, & præoccupans in stabulis Stauratij equos, Imperatorio equitatu capto sine læsione reuersus est, & reliqui descendunt usq; Liliam, & multam consequuti sunt prædam. Mense autẽ Martio septima Indictione uoluit Achamirus Sclauinorum Belzitiæ princeps pulsatus ab Helladicis,educere filios Constantini, & ex eis promouere in Imperatorem. Cum autem cognouisset Imperatrix Eirene, mittit ad patricium Constantinum Serentapicum,Theophylactũ filium eius,qui Spatarius erat & nepos eius, & omnium oculos eruit,& dissipauit cõsilium eorum contra se nequiter adinuentum. Porrò Paschalis festiuitatis secunda feria processit Eirena à sanctis apostolis,in curru aureo uecta,qui quatuor albis equis trahebatur, & à quatuor

Sarraceni prouincias populantur

Filij Constantini exulant

Sar. rursus excurrunt

quatuor patricijs tenebatur, Bardanio uidelicet Prætore Thracesiorum, Sisinnio Prætore Thracæ, Niceta domestico scholarum, & Constantino Boyla, iactās liberaliter hypatian. Mense uero Maio infirmata est Imperatrix penè usq; ad mortem, & protenta est contentio eunuchorum Aetij & Stauratij. Aetius autem auxiliatus est Nicetæ patricio & scholarum domestico, & insequuntur seuere Stauratium, credere facientes Imperatricem, quod imperium appeteret: ita ut atrociter irata illi, ascendens in palatium Tenthierium, direxit rebellionis & simultatis sollicitum eum esse sibi sceleris acquisitorem: qui adhæc apologia facta, muniebat seipsum. Insaniebat autem aduersus Aetium & Nicetam & prædictos patricios. Anno tertio Imperij Eirenæ, mēse Februario, Indictione octaua, iam dictus Stauratius patricius tyrannidem ac simultatem in urbe regia construebat, scholarios qui erant in ea, excubitores unà cum primis eorum, pecunijs & muneribus assumens & placans: Eirene autem pia Imperatrix silentio in Triclinio Iustiniani facto, prohibuit omnem qui militaret adhærere Stauratio, & sic adepta sunt modicā tranquillitatem negotia. Aetius uero & Nicetas cum alijs quibusdam certatim aduersabantur Stauratio, qui corde perculsus, sanguinem per os emisit spumosum ex partibus pectoris & pulmonis: hoc medici aspicientes, mortale pronunciauerunt: ast adulatores & imperiti, non solum medici, sed & pseudomonachi & diuini, iuramentis credere persuaserūt usq; ad diem mortis eius, quæ facta est Iunio mense, Indictione octaua, quod uicturus & regnaturus esset: quibus ille innixus seditionē in Cappadocijs construxit aduersus Aetiū fieri, quam non meruit uiuens audire. Post duos namq; dies mortis eius super hoc nuncius uenit, & in seditione comprehensi exilijs sunt & animaduersionibus subditi. Anno quarto Imperij Eirenæ octaua Calēdas Ianuarij, Indictionis nonæ, Carolus rex Francorum coronatus est à Leone papa: & cum uoluisset contra Siciliam classibus præliari, se pœnituit, coniungi potius cum Eirene uolens, legatis ad hoc sequenti anno directis, Indictione decima. Martio uero mense, nona Indictione Eirene pia Imperatrix Byzātijs ciuilia donauit tributa, Habdicq; ac Hyeriæ ea quæ dicuntur commercia releuauit, magnis super his, & alijs multis beneficijs gratiarum actionibus freta. Anno quinto Imperij Eirenæ Aetius patricius liber à Stauratio factus, & ideo securitate potitus, imperium ad proprium fratrem transferre satagebat: quem & Monostrategum fecit in Thrace simul & Macedonia, ipse ulteriora themata tenens, Orientalis scilicet & Obsicij. Cum ergo elatione refertus esset, eos principes qui sublimiores erant, dehonestans pro nihilo reputabat: qui & ualde mœsti aduersus eos effecti simultatem aduersus Imperatricem meditantes, hāc in opus duxerunt. Peruenerunt autem & Apocrisarij à Carolo & Leone papa directi ad Eireneam pijssimam, postulātes ut iungeretur illi ad nuptias, & ueniret eò ad Hesperia: quæ profecto obaudiuisset, nisi Aetius supradictus inhibuisse

Carolus Imp. coronatur

Legati Caroli ad Eirenam

buisset prævalens, & imperium in proprium fratrem usurpans. Sequenti autem anno, qui est primus annus Nicephori, pridie Calendas Nouẽbris, Indictione undecima, quarta noctis hora, quæ feria secunda lucescit, idem Nicephorus cum esset patricius & logotheta generalis, tyrannidem aduersus Eirenen pijssimam concitauit, deo quidem ineffabilibus ob nostrorum multitudinem peccatorum iudicijs indulgente, cooperantibus ei Niceta patricio ac domestico scholarum, & Sisinnio patricio fratre ipsius, uiro periurijs & fraudulentijs pleno, & Niceta Triphilio. Erant aũt & cum eo Leo patricius Musulatij, & Theoctistus patricius, & Petrus patricius & quæstor, seducentes quosdã à populo, qui erant ex ordinibus: cumq; uenissent ad portam, quæ dicta est Chalce, custodesq; falso ac subito decepissent, persuaserunt eis ut crederent, quod ab ipsa fuerint destinati, quatinus eundem Nicephorum Imperatorem appellarent, eo quod Aetius patricius sibi uim inferret ad annunciandum fratrem suum Leonem Imperatorem: qui mendacio tanto credentes, Imperatorem pariter pronunciauerunt eum qui erat tyrannus. Taliter ergo ad magnũ palatium ijdem patricij uenientes, ingressi sunt illud, indeq; per totam urbem ignobiles seruos dirigentes acclamationem fecerunt ante mediam noctem, & custodes in medio palatij, quod Tueleutheriu nũcupatur, posuerũt, ubi contigit Imperatricem esse. Diluculo sanè accersentes eam, concluserunt eam in maiori palatio, & ita processerunt ad maguam ecclesiam ad coronandum scelestum. Conuenit interea uniuersa plenitudo urbis, & omnes super his quę gerebantur moleste ferentes, maledicebãt coronanti & coronato, cunctisq; cõgratulantibus ei. Equidem cum religione ac ratione uiuentes diuinum mirabantur iudicium, qualiter eam permiserit, quæ pro recta fide more martyrum agonizauerat, a subulco expelli: præsertim cũ ei deuotissimi eius præcipue adhærere propter auaritiam proposuerint, Leo scilicet patricius eunuchus & Saccellarius Sinopeos, & deo perosi tribus filijs, ac patricij qui superius dicti sunt, qui donis plurimis ab illa ditati sunt, & cum ea sæpe conuescentes, & adulationib. cum iuramentis horribilibus certã reddentes, omnibus mundi rebus se necessariorem reputare, quam haberent erga illam beneuolentiã affirmabãt: alij autem ut in ecstasi facti, gestorum certitudinem minime sentiẽtes, somnium se uidisse putabant: alij aũt, qui duntaxat perpendere bene sciebant, præteritam felicitatem beatificabant, & futuram infelicitatem per tyrannidem lugebant, maximeq; hi qui maligni uoti tyranni experientiam quandam ante perceperãt. Porrò uniuersos cõmuniter possidebat caligo, & sine consolatione mentis defectio: ne per singula illius miserandę diei deformia uerba scribẽs protelem sermonẽ. Deniq; sequenti die sumptis quibusdam ex patricijs ascendit ad Imperatricem custodiæ mancipatam, simulans, ut ei moris erat, falsam benignitatem, per quam & plures decepit, & excusans se, quod inuitus ad principatum ascenderit, nec hũc unquam desiderauerit.

Nicephorus coronatur

Nicephori ad Eirenen ficta uerba

Maledi-

Maledicebat autem his qui se prouexerant, & illam insidijs appetiuerant, ut proditor dominum postquam cum ipso cænauerit, quos & imitatores il-lius testabatur. Ostensis etiam nigris calciamentis, amare se talibus uti præter leges imperatorias affirmabat, fiduciamq; dolose habere monebat eã, etiam cum iuramentis de omni corporali requie, quam consequi dominam à seruo deceret, nullamq; arbitrari erumnam casus illius hortabatur: commonebat postremo nil occulere à se imperialium thesaurorũ, & damnabat auaritiæ uitium, hos illam habere nõ ferens. Languebat enim eo uehementer omnia deuorans, omnemq; in auro spem & fiduciam ponens. At uero dilecta deo Eirena, quamuis cõgrueret ut passione tam repentinæ commutationis utpote mulier teneret, forte prudẽtia dixit ad eum: Qui heri quasi seruus periurus fuerat, hodie solers & seditiosus tyrannus ac impudens habetur. Ego quidem ô homo deum deputo, & pridem cum essem orphana, exaltasse me, & dein super solium cum essem indigna prouexisse me: causam uero depositionis mihimet applico, & peccatis meis ascribo, in cunctis autem ac modis omnibus sit nomen domini benedictum. Porrò modum promotionis tuæ deo reddo: ueruntamen delatas mihi contra te super dignitate, qua nunc circundaris, auditiones non ignorabam, quas ueras fuisse rerum finis ostendit, quas si moleste tulissem, facile mihi erat te interficiendi. Sed modo iuramentis tuis fidendo, modo tibi parcendo, multos mihi deuotos paruipendi, deo quæ mea sunt dans, per quem reges regnãt, & potentes obtinent terrã. Sed & nunc cum sis pius, & ab ipso profectus, te adoro, & peto meæ parcere infirmitati, & cõcede mihi domum Eleutherij à me constructam in refocillationem incomparabilis calamitatis meę. At ille ait: Si hoc uis fieri tibi, iura mihi per omnem diuinam uirtutem, non absconsuram te quicquam ex thesauris Imperij, & adimpleo postulationes tuas, & omnem placationẽ faciam. Quę iurauit ei ad preciosa & uiuifica ligna, quia non mouebo à te obolũ unum, quod & fecit. Verum ille consequutus quod desiderabat, protinus exilio relegauit eam apud Principem insulam, in monasterio quod ipsa ædificauerat, cum adhuc essent in urbe missi Caroli, & quæ agebantur aspicerent.

Eirenes ad Nicephorum uerba

Eirene relegata

DE GESTIS ROMANORVM

LIBER VIGESIMVSQVARTVS

NICEPHORVS



ANNO ab incarnatione domini DCCXCV Nicephorus uorax cunctorũ imperio potius, nec saltim parum uoluit hypocrisin tegere, sed quasi recisurus iusticiam, nequam in Magnaura & iniustum fore constituit iudicium. Intentio namq; tyranno inerat, ut res ipsæ ostenderunt, non pauperibus iura tribuendi, sed per hoc omnes

nes qui magni erant, inhonorandi & captiuandi, & ad se quæ cunctorum erant transferendi, quod & fecit. Videns autem aduersum se omnes contristatos, & pauens ne forte memores Eirenæ beneficiorum asciscerēt eam iterum ad Imperium, Nouembre mense, hyeme nimiū graui imminente, non est ipsius misertus misericors ille, sed exilio deportari præcepit in insulam Lesbum, & cautissime custodiri, quin & à nemine contueri. Porrò pridie Calend. Maij, mortuus est Niceta Triphylius, ut aiunt, à Nicephoro ueneno extinctus, & Nonis Maij, feria quinta, cum Nicephorus ad suburbana Chalcedonis exisset, equumq́ʒ mansuetissimum ascendisset, hunc ex prouidentia dei eijciēs, dextrū pedem eius contriuit. At uero decimaquarta Cal. Augusti, feria quarta, hora prima, Bardanes patricius, & Prætor Orientalium, qui cognominatus Turcas, appellatus est Imperator ab omnibus ultra suis Thematibus, qui multum renitens ut euaderet illos, minime ualuit, & descendēs usqʒ Chrysopolim, cum circuisset diebus octo, & minime fuisset receptus, redijt usqʒ Malagma, qui metuens Deum, & recogitans, ne forte per se mactatio Christianorum efficeretur, misit ad Nicephorum, & accepto uerbo in scriptis proprię manus eius, in quo & sanctissimus Tharasius Patriarcha, & omnes patricij subscripserunt, quod illæsus & indemnis cum omnibus qui cum ipso erant, foret reseruandus: sexta Idus Septembr. clàm fugiens descendit in ciuitatem Bithynię, in monasterio Heraclij: & inuento chelandio, quod ab Imperatore fuerat super hoc missum, tonsus, & indutus stola monachica, & ingressus illud abijt in insulā quæ dicebatur Prima, in qua ædificauerat monasterium, opinatus quod foret ueritus terribile uerbum, quod dederat sibi contemptibilis Nicephorus, & in nullo esset lædendus. At ille primum quidem denudat illum substātia eius, & occasione accepta omnes thematum principes & habitatores: quosdā & de regia urbe captiuauit: exercitum autem priuatum toga deseruit. Verum quis sermo enarrare sufficiet digne cętera quę diebus illis ab eo gesta sunt propter indulgentiam dei pro commissis nostris? Nona uero die, mense Augusto, undecimæ Indictionis defuncta est Imperatrix Eirena in exilio in insula Lesbi, & translatum est corpus eius in insulam Principis, in monasterium quod ipsa construxit. Anno secundo Imperij sui, Nicephorus coronauit filium suum Stauratium per Tharasium sanctissimum patriarcham in ambone maioris ecclesiæ in Imperatorem, cum esset inutilis modis omnib. ad tantam dignitatē, tam aspectu quàm robore & sensu. Cæterum Nicephorus, qui nunquam usquam ueritatem seruauit, Lycaonienses quosdam, imò uero Lycantropos concordes & consentaneos ad Proten insulam misit, & iussit eos discedere, & prædictum quasi se ignorante luminibus priuare Bardanem, & post facinus ad ecclesiam fugere. Quo facto tam patriarcha & senatus, quàm omnes timentes deum acriter doluerunt. Ast Imperator nequissimus Nicephorus cum iuramentis omnes primores Lycaonien-

Bardanes patricius

Stauratius coronatur

ses simulatus exquirebat,in eos ut putabatur ulturus, omnia secundũ ostentationem,& nihil secundum deum agens. Erat enim illi præcipue cum reliquis præuaricationibus huiuscemodi mentis idioma, per quod uidelicet & ante Imperium multos seduxit:ueruntamen id ridiculum habebatur,liquido hoc scientibus eius studium, ita ut impudentia multa & caligosa & polluta facies eius tunc inaccessibilis fieret per septem dies, eo dolose intra cubiculum Imperatorium eiulante. Nam & naturaliter eius muliebres aderant lachrymæ,quas multis prauis inesse,& pseudoprophetis proculdubio constat,quanquam plurimos non latuerit.Mense uero Augusto cum aduersus Arabes exisset,occurrit eis apud Crason Phrygiæ,& inito bello superatur, multisq; amissis cum propemodum ipse uiuus foret capiendus,principum quidam fortissimi uix hunc saluabant. Anno tertio Imperij sui,simultate facta in Perside, descendit Arabum dux pacificaturus eos. Nicephorus autẽ spatio reperto,ædificauit Ancyram Galatiæ, & Thebasan,& Andrasum.Misit etiam & cursum:qui reuertentes nihil profecerunt,sed contrà multos perdiderunt. Anno IIII.Imperij Nicephori mouit exercitum Aaron dux Arabum aduersus Romaniam in uirtute graui,trecentorũ scilicet milium,tam Maurophoris q; Syria & Palæstina coaceruatis:& cum uenisset Tyana,ædificauit domũ blasphemiæ suæ, & obsidens cepit Heracliũ tunc castrum quod erat ualde munitũ,& Thebasan,& Malacopan,& Sideropelum,& Andrasum.Misit autem & cursum sexaginta milia bellatorum, & descendit usq; Ancyram, & hac uisa reuersus est. Ast Imperator Nicephorus metu & impossibilitate detentus, exiuit & ipse in desperatione fortia infortunij demõstraturus,& multis trophæis factis misit ad Aaron, Metropolitam synodorum, & Petrum Egumenum Gylei, & Gregorium œconomum:& multum disputantibus eis firmauerunt pacem, ut per unumquenq; annum tribueret illis tricena milia numismatum,& tria numismata in tributum capitis Imperatoris, & tria filij eius: quibus acceptis Aaron iocũdatus est,& plus exultauit quàm si dena milia suscepisset talenta,tanquã qui subegisset Romanum Imperium. Porrò conuenit inter eos castra quæ destructa erant non reædificanda.Cumq; Arabes regressi fuissent,construxit eadẽ continuo castra & pręmuniuit:quo comperto Aaron misit iterum, & recepit Thebasan,missoq; stolo in Cyprum ecclesias destruxit, Cypros emigrauit, & multo excidio facto pacem dissoluit. Anno quinto Imperij sui Nicephorus castra mouit contra Bulgares: & cum uenisset Adrianopolim,& sensisset quod simultatẽ contra se Imperatorij homines,& quidam ex ordinibus meditarentur, inefficax repedauit, nihil proficiens, nisi quod tribulibus suis tantũ ultionem intulit,horum multos cædibus & proscriptionibus rerum submittens. Anno sexto Imperij Nicephori,mense Septembri, Aaron dux Arabum cum classi contra Rhodum Chumeid direxit,qui cum subito transmeasset,Rhodumq; peruenisset, multum in ea excidium

Niceph.ab Arabis uictus

Ancyra
Thebasa
Andrasus

Aaron copiæ

Tyana

Imp.pacem emit

Rhodus

excidium fecit. Veruntamen municipium quod in ea erat, nõ impugnatum remansit. Cum autem ipse remeasset, euidenter impugnatus est à sancto & miraculorũ patratore Nicolao. Cum enim Myram uenisset, & sacram eius arcam conterere tentasset, aliam pro ea cõtriuit: moxq; classem multorum & marinorum fluctuum, tonitruorũ, quorum inæqualitas comprehendit, ita ut plurimæ scaphæ conquassarentur, ipseq; impugnator Chumeid uirtutem sancti cognosceret, & præter spem periculum euaderet. Porrò decimaquarta Calendas Ianuarij Nicephorus post multam electionem uirginum ex omni potestate sibi subdita, causa copulãdi Stauratiũ filium suum, coniungi factam, Theophaniam Atheniensem cognatam beatæ Eirenæ, quæ uiro desponsata erat, separauit ab eodem uiro, & ipsi Stauratio misero copulauit, impudẽter ut in alijs & in hoc quoq; præuaricator effectus: alias uero duas ista pulchriores, quas cũ ea elegerat, manifeste corrupit in eisdem nuptiarũ diebus, ab omnibus idem obscœnus irrisus. Deniq; mẽse Februario simultatẽ excogitantes aduersus eum multi ex proceribus, Arsabir quæstorem & patricium, uirum pium & rationabilissimũ elegerunt, quod cum multiformis Nicephorus agnouisset, ipsum quidem cæsum ac tonsum monachum fecit, & exilio relegatum in Bithyniam misit: reliquos autem cædibus, & tonsuris, & publicationibus, insuper & exilijs subdidit, non solum mundialis uitę principes, sed & episcopos & monachos, nec non & maioris ecclesiæ sincellum, & saccellarium, & chartophylacem, uiros rationabiles & reuerentia dignos. Anno septimo Imperij Nicephori Arabum dux mortuus est in interiori Perside, quæ uocatur Curasan, & suscepit principatum Muhammat filius eius, scrupulosus per omnia, contra quem Habdallas frater eius seditionem cõmouens, intestini belli factus est autor, & hinc qui in Syria & Ægypto & Libya erant, in diuersos incisi principatus, tam publicas res, quàm alterutros subuerterunt, mactationibus & rapinis ac diuersis flagitijs contra se contraq; subditos Christianos confusi. Ac per hoc ecclesiæ, quæ in sancta dei nostri erant ciuitate, desertæ factæ sunt: & monasteria duarum magnarum labrarum, sanctæ uidelicet memoriæ Charitonis & Cyriaci atq; Sabę, nec non & reliqua sanctorum cœnobia Euthymij ac Theodosij. Theodorus autem Egumenus studij, & Ioseph frater eius archiepiscopus Thessalonicensis unà cũ Platone incluso & cæteris monachis suis à communione recesserunt Tharasij sanctissimi patriarchæ, propter Ioseph Vicedonum, qui præuaricatorem Cõstantinum & Theodaten coronauerat. Tunc Nicephorus Imperator occasione percepta, cum episcopos & Egumenos congregasset, synodum aduersus illos celebrari præcepit, per quam à monasterio & urbe deiecti, exilio sunt destinati, mense Ianuario, Indictione secunda. Eodem etiam anno, dum roga penes Strumonẽ amnem populo distribueretur, irruentes Bulgares hanc, ademerũt auri libras centum & mille, multumq; populum occiderunt, cum Prætore atq; principibus

Sacrilegij pœna

Theophania

Arsabir

Muhammat Amiras

Arabum intestinum bellum

Ioseph epũs

Strumo Fl.

Clades à Bulgaris

pibus. Erant enim & cæterorum Thematum ibidem taxati principes non pauci, qui omnes illic perierunt. Ceperunt autem & totam sarcinam, & ita reuersi sunt. Eodem etiam anno ante solennitatem Paschæ Crūnus Bulgarum dux acie contra Sardicam directa dolo hanc cepit. Ex militijs autem Romaicis interfecit sex milia absq; multitudine priuatorum. Nicephorus autem aduersus eum tertia feria, hebdomade salutaris passionis egressus, dignum quidem sermone nihil gessit. Nos autem principes cæde Bulgarica saluati uerbum salutis deposcunt: cum dare dedignatus fuisset, amisit: inter quos erat & Cumatius Spatarius, mechanicæ artis expertus. At Nicephorus multo dedecore iuratorijs sacris regiæ urbi persuadere satagebat, ut crederent quod festiuitatem Paschæ in aula Crunni celebrauerit. Præterea cum ciuitatem Sardicam quæ destructa fuerat, reædificare uoluisset, multitudinibus resistentibus timens, persuadendum turbis, imperator super ædificio pecunias ab eis cœpit exigere. At illi sensu ingenuo, ut ex nequā illius argumentationibus subministrato, tumultuantur aduersus illum & aduersus principes suos per horas sex, & irruentes disrumpunt tabernacula ipsorum. Cum autem uenissent usq; ad Imperatorē, iniurijs & maledictis hunc submittunt, ulterius se non ferentes immensam auaritiam, & nequam moliminis eius animum deiurantes. At ille repentino simulato pauore perterritus, surrexit à mensa, & primo quidem per Nicephorum & Petrum patricios iuramentis & persuadibilibus uerbis sedare conabatur exercitum. At illi modica quiete potiti, collem quendā ceperunt, quem quia per se in manibus habebant, obliti sunt: κύριε ἐλέησον exclamātes, ac si super quodam terræmotu, uel imbrium defectu. Ille autem utpote ad omne malum semper paratus, clandestinis muneribus noctu multis ex principib. pellectis, in crastinum ipse per seipsum medius ueniens, alloquutus est turbas cum omni tranquillitate, ac super æquali cura erga natos eorum iuramentis horribilibus eos certificans: & continuo regiam peruenit ad urbem, Theodosio patricio & primiscrinio cognomento Salibra deserto, ad perdiscendum ex alterutris eos qui seditionem patrauerant. Cumq; multitudines reuerterentur, rogas eis apud sanctum Maman se tribuere fingens, cædibus ac tonsuris & exilijs, multis ex eis punitis, Chrysopolim reliquos transduxit, calcans tanta ac tam horribilia iuramenta. Illi autē propter erumnam igneum fluuium meatum appellauerunt. Anno octauo Imperij sui Nicephorus post multas impias animaduersiōes, militias prorsus humiliare tractās, Christianos exules ex omni themate in Sclauinias ferri iussit, horum autem substantias uenundari. Erat autem hæc res captiuitate non minor, multis ex amentia blasphemantibus, & inimicorū cursus poscentibus, alijs nihilominus circa sepulchra parentalia lamentantibus, & defunctos beatos asseuerantibus: fuerunt autem & qui suspendio usi sunt, ut à tantis malis eriperentur. Etenim immobilium res quæ inerant sibi, secum ferre non poterant

Sardica amissa

Seditio

Nicephori tyrannis & auaritia

rant,& substantia quam ex parentalibus doloribus possederant, perditam contēplabant.& impossibilitas omnis omnes possidebat. Hæc quidē inchoata sunt à Septembri mense, porrò circa pascha finita sunt. Secundam uero cum hac afflictionem commouens, militare præcepit egenos, & armari aduersus compatriotas, conferre nihilominus etiam decem & octo ac dimidium numisma per singulos fisco unà cū omni proximitate ad tributa publica. Tertiam malignitatem inferens, perpendere iussit & augeri horum tributa, & præstare Cariacitorum causa siliquas binas. Et ad quartam nequitiam, reliquos redditus omnes augmentari præcepit. Quinta uero afflictione illata à uenerabilium domorū inquilinis, orphanotrophi scilicet, ac hospitalium gerocomiorum, ecclesiarum quoq; ac monasteriorū regularium per singulos focos census exigi, à primo tyrānidis eius anno pręcepit, & quę meliora erant in rebus, in regiam curatoriam deferri iubebat. Sextam commouens afflictionem, à prætoribus inspici iubet eos qui ex paupertate creati essent, & ab his pecunias exigi, quasi ab inuentoribus thesaurorum. Septimam quoq; adinueniens, eos qui ante uiginti annos inuenerant, & usq; ad hunc, doliū aut uas quodcunq;, omnibus proprijs priuari pecunijs. Octauam, eos qui ex auis uel patribus hæreditauerunt, & diuisa substātia pauperes facti fuerunt, ex eisdem annis uiginti siclos ærario publico iubebat præbere: & eos qui emerant extra Abydum corpora seruilia, bina numismata in tributum dare præcepit, maxime eos qui in Dodecaniso erant. Nonam, naucleros qui maritima inhabitant, & maxime eos terreno labore minoris Asiæ uiuentes, emere de rebus quę ab illo rapiebantur cogebat, utcunq; appreciarentur ab ipso. Decima, insignibus Constantinopoleos naucleris collectis, dedit ad usuram quatuor siliquatū numismata, cum auri duodecim librarum, persoluerent simul & consueta comercia. Hæc ex multis summatim pauca descripta sunt, significanti multimodū ad omnem speciem eius molimen. Quæ enim in regia urbe primoribus mediocrib. & exiguis ostensa sint mala, nequeunt scribi, alios quidem eo inuestigāte qualiter domi uiuerent, ac submittente malignorum quosdam seruorum derogandi dominis, in primordijsq; quasi dubitante super his quæ dicebantur, deinde uero affirmante calumnias. Idipsum & super ignobilibus gerebat, dignos eos honoribus iudicans. Præterea domorum multas habitatarum à prima in tertiam generationem subuertebat, spe fretus, ut quanto celerius ruerent, tanto has ipse hæreditate citius possessurus esset. Dignum autem est ut & hoc, causa uoluptatis & paradigmatis, memoriæ commendemus. Cerularius quidam erat in foro ex laboribus suis locuples & nihil egens, quo accersito omnium uorax Imperator ait: Pone manum tuam in uertice meo, & iura quantum tibi sit aurum. Qui parum tanquā indignus recusans coactus est ab eo facere hoc. Et centū se libras habere dixit. Quas eadem hora auferri præcepit dicens: Tu quid opus habes sollicitari? prande mecum, & tolle li-

Exemplum auaritiæ

bras decem, & his uade contentus. Anno nono Imperij sui Nicephorus cõtra Christianos adinuentiones extendit inspectiones sine deo in emptionibus animantiũ, diuersorum fructuũ iniustas titulationes, & iacturas principum, fœnerationes in nauibus: qui omnibus legẽ ponebat, ne ad usuram quicquam tribueretur, & alia dena milia malorum commenta, quorum particularis historia onerosa est his qui cõpendiosas causas discere exquirunt.

Arreptitius

Calendis autem Octobris tertia feria, euaginato quidam dissipatus in habitu monachi gladio cuiusdam militantium, cucurrit in palatium, Nicephorum interficere quærens: duo uero ex his qui circunstabant, irruentes in eum, atrociter uulnerati sunt ab eo. Comprehensus autem & multis pœnis affectus excusauit se, dæmonium habere prætendẽs, nullumq; prorsus accusans. At ille muniuit hunc in ligno cum patientibus. Multi ergo deinceps augurati sunt, enormis fore hoc miraculi signũ, asseuerantes tam imperantibus quàm subiectis, quemadmodum & in impio Nestorio factum est. Manichæorum uero, qui nunc Paulitiani & Atingani dicuntur, quiq; in Phrygia & Lycaonia constituti, confines eius habebantur, amicus feruentissimus erat, responsis eorum semper & immolationibus congratulatus. In quibus & cum Bardanius patricius contra eum insurrexit, his aduocatis, hunc molitionibus eorum subegit. Taurum quippe in loco quodam ferreo palo cornibus alligans ad terram, incuruatum sic dum mugiret & uolutaretur, occidi fecit: huiusq; uestem in mola uersa uice molens, & incantationibus usus uictoriam tulit, permittente deo propter multitudinem peccatorum nostrorum. Isti locum sub imperio eius adepti sunt intrepide conuersandi. Vnde multi leuiorum infandis eorum corrupti sunt sectis. In exactione uero quidã falsus eremita Nicolaus nomine, & quidam cum eo blasphemi facti fuerant etiam recti sermonis, uenerabiliumq; imaginum aduersij, quos Nicephorus defendebat, & summũ sacerdotem, & omnes secundum deum uiuentes tristatos pro hac causa reddebat. Sæpe namq; querentes aduersus eos indignatus est, inimicitias inuicem agitantibus congratulans, deridens omnem Christianum proximum diligentem, ueluti diuinorum mandatorum euersor: cui studium erat, iudicij rationabilia & irrationabilia contra omnem hominem in Magnauræ pœnaliter admouendi, quo nemo uacaret agere aduersus impietates eius. Deniq; militares principes more seruorum uti episcopis: & inferioris ordinis clericis iussit adituris episcopia & monasteria, & his qui eorum erant autorabiliter abusuris, eos qui à sæculo diuinis cõtulerant obsequijs aurea uel argentea uasa, uituperabat, & ecclesiarum quæq; sacrata pro communibus haberi dignum fore dogmatizabat, instar Iudæ tale quid super dominico decernentis unguento. Antecessores etiam suos Imperatores uniuersos uelut improuidos accusauit, generaliter omnium prouidentiam auferens, simul & dicens: neminem posse imperantẽ circumuenire, si uoluerit, qui imperat, strenue principatũ tenere.

Atingani Manichæi imperatori chari

Nicephori uitia

Sed

Sed uanus factus est in cogitationib. suis diuinitus occidēdus. Interea mense Februario eiusdē quartædecimæ Indictionis primo sabbato ieiuniorum obuij facti Sarraceni penes Euchaicam Leoni Prætori Armeniacorum deferenti thematis rogam, hanc abstulerunt cum multitudine populi copiosa. Talenta ergo erant sedecim, libræ mille trecentæ. In his nec sic redargutus Nicephorus ab auaritia sua cessauit. Igitur nouus Achab signis non eruditus, quin ecōtra Phalaride ac Mida ambitiosior factus, cōtra Bulgares prælium præparat unà cum Stauratio filio suo, & Iulio mense à regia urbe digressus, iussit Nicetę patricio & generali logothetæ, publicos ecclesiarum & monasteriorū census imponere, & octo annorū præteritorū redhibitiones à principum domibus exigere, & erat lamentum magnum. Cum aūt querimoniam audiret à quodam proprio famulo, Theodosio uidelicet Salibara patricio dicente sibi: Omnes ô domine cōtra nos clamāt, & in tempore tentationis calui nostro congratulabuntur, sic ait ad eum. Si deus obdurās obdurauit cor meū ut Pharaonis, quid boni erit his qui sub manu mea sunt à Nicephoro? Theodosi, noli expectare propter ea quæ à te cōspiciūtur: hæc dominus nouit, ipse ego conscriptor horum uiua uoce audiui à Theodosio. Collectis itaq; militijs non solū ex Thrace, uerumetiā ex ulterioribus Thematibus, cum his etiā egenos pedites cum proprijs stipendijs cōtra Bulgares fundis & uirgis armatos, & blasphemantes minauit. Crunnus aūt multitudines timens, cum essent Marcellis, pacē petebat. At ille nequā consilijs & consentientiū consiliorum suorum persuasionibus prohibitus est, & post multos anfractus p auia loca precipitanter temerarius simul & pauidus ingreditur Bulgariam XIIII. Cal. Augusti, cum Syrius appareret cuncta consumens, frequēter ita fatus: Quis ibit, inquiens, & decipiet Achab? Quia siue deus, siue aduersarius trahit me nolentē. Porrò priusq; ingressus fuisset Bulgariam Byzātius dilectus huius famulus ad Crunnū confugit Marcellis, secū subrepta ueste Imperiali, & auri libris centū. Multi aūt huius fugam in malū Nicephori auspicati sunt. Tribus quippe diebus post primos conflictus se prosperari opinatus, non prosperā facienti deo adscribebat uictoriam: sed Stauratij solius bonā fortunā bonumq; consiliū prædicat, & principibus qui introitū inhibuerāt minabatur. Et irrationabilia quoq; animantia, & infantes, & omnem ætatem immisericorditer occidi præcepit, & mortua cōprouincialiū corpora insepulta dimisit, solius spoliorū collectionis curam faciens. Claues aūt & signacula penetralibus Crūni superimponebat, ea ut propria de cętero cōmuniens. Aures etiā & cętera Christianorū membra, qui saltē tetigisset ex spolijs quicquā abscindebat, & aulā incendit quæ dicebatur Cortis Crunni, cum ipse uehementer esset humiliatus, & significasset, dicēs: Ecce uicisti, tolle ergo quicquid tibi placuerit, & egredere in pace. At ille cum pacis esset inimicus, hanc admittere noluit. Tunc sæuiens ille in regionis introitus & exitus lignea munimina mittēs maceria circundedit

Sarraceni stipendium exercitus intercipiunt

Imp. contra Bulgares

atq; tutauit. Nicephorus autem hoc comperto, mox attonitus quid nam ageret circũiens ignorauit, & his qui simul aderant, futuram perditionẽ prænunciabat asseuerans: Etiamsi pennati fuerimus, nemo speret exitiũ se euasurum. Hæc autẽ molimina erant per dies duos, quintã uidelicet & sextam feriã: & nocte sabbati turbationes turbarum armatarũ circa Nicephorum, & eos qui cum ipso erant, auditę, acies omnes eneruauerunt. Ante diei uero principiũ superuenientes barbari contra tabernaculũ Nicephori, & magnates qui cum ipso erant, hunc miserabiliter interficiunt: inter quos erant Aetius Petrus, & Sisinnius Trifiles patricij, atq; Theodosius Salibaras patricius, qui cõtristauit, & multa mala beatę ostendit Eirenæ: nec nõ & Eparcus patricius & Prætor Oriẽtaliũ, multiq; ꝓtosparij & spatarij, & excubitus domesticus, & ordinũ princeps seu Drongarius impialis uigilię, simul & Thracæ Prætor, & multi principes thematũ cũ infinitis populis, omnisq; Christianorũ corrupta est species. Arma quoq; omnia perierũt, & Imperij uasa. Porrò talis diei deformia uerba absit ut Christiani ulterius uideãt, utpote omne lamentũ excedentia. Caput aũt Nicephori Crũnus recisum suspẽdit diebus multis in ligno, in ostentationẽ ad se uenientiũ nationũ, & confusionem omniũ nostrum. Post hæc sanè accipiens illud & denudãs, argentoq; forinsecus induens, bibere in illo Sclauinorũ principes fecit gloriatus. Verum licet multæ uiduæ ac orphani fuerint facti uno die, & lamentatio intolerabilis haberetur, huius tamen occisio, multorũ facta est cõsolatio. Modũ uero huius occisionis nullus eorũ qui saluati fuerant, liquidius enarrauit. Ferunt etiã quidã, quod Christiani hunc cadentẽ lapidibus impetierunt: ast effœminatorũ uirorum, seruorũ scilicet eius cum quibus & cõcumbebat, alij quidẽ igne ualli, alij uero gladijs perierũt cum ipso. Huius principatu Christiani grauiorẽ nullo tempore sunt consequuti. Omnes enim qui ante se imperauerunt, ambitionibus & luxurijs atq; barbaricis crudelitatibus superauit, de quibus per singula prosequi, & posteris incredibile, & nobis erit laboriosum. Vulneratus est aũt & Stauratius periculose in dextera parte colli, & uix à pugna saluus euasit, & uenit Adrianopolim atrociter plaga colaphizatus. At uero Stephanus patricius, & scholarũ domesticus, cũ adisset quoq; Theoctistus magister, pronũciauit Stauratiũ Imperatorẽ, & disputauit populo qui saluatus fuerat cõtra patrẽ suũ: qui oppido delectati sunt. Michael sanè Europalates illæsus euadens, admodũ ab amicis rogatus est ut Imperator appellaretur, & nõ admisit propter iuramẽta Nicephoro præstita atq; Stauratio. Huic Stephanus Domesticus resistebat, spe uitæ Stauratij. Porrò Stauratius per urinam sanguine immenso prorũpente, arefactus est fœmoribus & tibijs, adeo ut phorio ueniret Byzantium. Hũc Nicephorus patriarcha ualido amãs affectu, consiliũ dabat ei ut deũ placaret, & eos qui in auaritia prægrauati erant à patre suo consolaretur. Atqui paterni sensus hæres germanus dicebat, non posse plus tribus reddere talentis. Hæc aũt

Ro. Clades in Bulgaria

Poculũ ex capite Niceph.

Nicephorus omniũ imperatorũ pessimus

Stauratius uulneratus

Stauratius patris uitiorum hæret

erant exilis pars iniusticiæ illius: ueruntamen & circa hęc pigritabatur, non uiuere fidens. Cum aũt fœdus illibatum more paternæ mentis circa neminem seruaret, frequentius dehonestationibus submittebat Theoctistũ magistrum, & Stephanum domesticũ, & Michaëlem Europalatẽ, auertens animo, & Procopiam sororem suam ut insidiantẽ sibi Theophaniæ Augustæ submissionibus. Mox quippe misera per beatę imitationẽ Eirenæ obtinere sperabat Imperium cum sine liberis esset. Ast uero Stauratius uidens se insanabiliter infirmari, habitum Imperium uxori acquirere festinabat, & Bulgares in Christianos excitare supra præcedentia mala: supra quo pauentes Nic[illegible]phorus patriarcha, Theoctistus magister, & Stephanus domesticus, ex[illegible]ulta inimicitia in alternam amicitiã cum Michaële Europalate uenere. Circa fines Septembris V. Indictione Cal. Octob. uespere Stauratius aduocatum Stephanũ domesticũ percontabatur, quo nam modo Michaëlem sororis suæ maritũ ex propria domo posset ducere ad eius oculos eruendos: quo perhibente, hoc impossibile fore hac hora propter uirtutẽ quæ circa illum esset, & ob munitionem domus loci eius, rogat nemini fieri nota quæ dicta sunt. At ille cum uerbis persuadibilibus inflexisset eum ne solicitus esset, per totam noctem militias ordinum, quæ remanserant, collegit in Hippodromo unà cum principibus proprijs ad pronunciandum Michaëlem Imperatorem, quemadmodũ in subsequentibus indicabitur. Porrò Nicephorus patriarcha scriptum à Michaële propriæ manus exegit de recta fide, & ut sine sanguine manus à Christianis seruaret, ac de sacris hominib. seu monachis & de toto ecclesiastico catalogo, ne percuterentur ab illo.

Ambitio Theophaniæ

MICHAEL

ANNO ab incarnatiõe domini DCCCIIII. Indictione quinta, tertia Nonas Octob. Michaël Europalates mitissimus appellatus est Imperator Ro. in Hippodromo à toto Senatu atq; ordinib. qui imperauit annis duobus. Stauratius aũt acclamatione huius audita, statim comam totondit, & monachicis indutus est uestimẽtis per Simeonem monachum cognatũ suum ualde patriarcham implorãs, qui ueniens in palatium unà cum Imperatore Michaële, Stauratiũ rogabat ne tristaretur super hoc quod factũ est, non per insidias, sed desperatione uitæ ipsius id gestum asseuerãs. At ille nequitiæ paternæ rabie furens, non adquieuit dicens ad eum: Amicũ meliorẽ me non habebis. Hora uero quarta coronatus est Michaël à Nicephoro patriarcha in ambone magnæ ecclesiæ, in q̃ magna exultatio facta est: & donauit patriarchæ auri libras L. & clero XXV. Vir enim magnanimus & non auarus omnes cõsolatus est qui Nicephori nequitia sunt læsi, donisq; Senatũ ac militiã recreauit. Porrò IIII. Idus Octobris coronata est Procopia in Triclinio Augusta, multisq; donis liberalib. auxit Senatũ. Mulieribus uero Thematicorũ militũ, qui fuerãt in Bulgaria perempti, auri quinq; talenta dedit. Theophaniã aũt uxorem Stauratij sin

Stauratius cũcullam induit

Michael à Nicephor coronatus

Procopia coronata

Liberalitas Michaelis

gularem uitam amplexã, & cognatos illius qui miserabiliter sub Nicepho/ro uixerant dicauit. Interq; alia insignem domum & monasteriũ Thebrai/ca dictum, ubi Stauratius est sepultus, illi concessit. Omnes etiam patricios & senatores, sacerdotes & summos sacerdotes, & militantes monachos & pauperes tam in regia urbe quàm in Thematibus degentes locupletauit, adeo ut immensurabilis auaritia Nicephori, propter quam & male periit, paucis diebus disparuisse probaretur. Super multos præterea optimos mores suos cum piissimus & orthodoxus esset, tristabatur super his qui à sancta scindebantur ecclesia, quacunq; occasione siue ratione: multũq; sanctissimum patriarcham, & eos qui poterant cum communi pace concurrere, rogans non quiescebat, inter quos & Theodorum Egumenum studii, & Platonem atq; Ioseph archiepiscopum Thessalonicensem fratrem Theodori in custodiis detentos amaris, unà cum principibus monasterii eorum satagebat unire, quod & fecit. Cæterum misit ad Carolum regem Francorum pro pace atq; contractu nuptiarum in Theophylactum filium suum. Nicephorus quoq; sanctissimus patriarcha, transmisit synodicas literas ad Leonem sanctum papam Romanum. Antea quippe faciendi hoc à Nicephoro prohibebatur. Porrò octaua Cal. Ianuarii, quintæ Indictionis Michaël tranquillissimus Imperator coronauit Theophylactum filium suum Imperatorẽ à Nicephoro patriarcha in ambone maioris ecclesiæ, feria v. & obtulit preciosissimũ stẽma in sancto altario in uasis aureis, & lapidibus uenustis, & quadrãgulis uelis antiquitus ex auro & purpura clare cõtextis, atq; admirabilibus sanctis imaginibus uariatũ. Donauit autẽ & patriarchæ auri libras XXV. ac uenerabili clero libras centũ, splendidam reddẽs sanctam festiuitatem & filii pronunciationẽ. Multo sanè diuino zelo Imperator piissimus motus contra Manichæos, qui nunc Pauliciani dicuntur, & Atinganos in Phrygia & Lycaonia degentes, capitalem animaduersionem Nicephori sanctissimi patriarchæ ac aliorum piorum prædicamentis promulgauit. Auersus est autem per alios nequam morum consiliarios obtentu pœnitentiæ, cum esset impossibile illos pœnitentiam agere, qui eorum errore decepti fuissent. Dogmatizabant autẽ indocte, non licere sacerdotibus promulgare contra impios mortem, per omnia diuinis super hoc aduersantes scripturis. Si enim Petrus uertex Apostolorum Ananiam & Saphiram ab uno mẽdacio tantum mortificauit, & Paulus clamat: Qui talia, inquiens, agunt, digni sunt morte: & hæc de solo corporali peccato: quomodo non horum contrarii erunt, qui omni spiritali & corporali spurcitia dæmonibus seruiunt? Stauratius uero ulcere tabefactus ex mortali plaga circa spinæ loca infixa, ita ut non posset quisquam appropinquare illi ob multum fœtorem, mortuus est tertia Idus Ian. Indictione quinta, cũ imperasset, ut putatur, mensibus duobus, diebus sex. Porò quinta Idus Maii, feria quinta eclipsis solaris facta est magna. Et septima Idus Iunii egressus est Imperator Michaël

Legatio ad Carolum

Literæ synodicæ

Theophylactus coronatus

Capitalis sententia contra hæreticos

Stauratius moritur

Bellum cum Bulgaris

chaël contra Bulgares,& cum eo simul Procopia usq; Zerulum. Crunnus autem dux Bulgarum,cum Debeltum obsidione cepisset, & eos qui in ipso fuerant unà cum episcopo trāsmigrasset, multitudines quæ propter malum frequensq; consilium nequam consiliariorum Imperatoris ad eum conflu-xerāt,ad insidias & iniurias Obsicij maxime,& Thracesiorū conuersi sunt, quos Michaël compescens, donis & admonitionibus silentio imposito mi-tigauit. At uero Bulgares simultatibus militiarum cōpertis, & quod essent formidantes prælium , amplius confortati præualuerūt aduersus Thracem & Macedoniam . Tunc Ancialum & Beroen dimittentes Christiani fuge-runt nemine persequente,Nicetamq; ac Probati castrum , & alia quædam præsidia,similiter & Philippopolim & Philippos,& Strymonem habitan-tes,occasione accepta fugientes ad propria redierunt.Hoc autem diuina in-dignatio fecit,Nicephori uæsaniam arguens,per quam putatiuæ correctio-nes eius,in quibus gloriabatur,celeriter corruerūt: prauasq; opiniones mul torum,qui deum impugnantes & abundantes hæreses Paulitianorū, Atin-ganorum,Iconoclastrum & Tetraditarum desierūt accusare. Omitto enim adulteria , fornicationes , libidines atq; periuria,odia fraterna & auaritias, nec non & pręuaricationes reliquas cōtra sanctas ac uenerabiles imagines, contraq; sanctum monachicum habitum : mouebant linguas, beatum di-centes deo abominabilem Cōstantinum , quod fortiter aduersus Bulgares gesserit propter pietatem,quam ut impie illi infelices fatebantur, habuerit. At uero hi qui in urbe regia erāt,armabantur post synodū uniuersalem ad fidem subuertendam orthodoxam,cęcos cæcis mentibus sine deo uolentes imperare filios Constantini deum impugnātis, apud Panormum insulam custodiæ mancipatos,quos per noctem furari uoluerūt,& adducere ad ex-ercitum. Sed dominus hos confudit, erigens Michaëlem pijssimum in de-fensionē ueritatis. Disputatis enim cōuenientibus de fide plebibus,regiam repedauit ad urbem,& sapienter cogitās,multos rebellium per paucas pla-gas deterruit, exilio iubens deportari filios Constantini , qui oculis orbati esse cernebātur in Aphusiam. Vnum uero ex supradictis seductoribus fal-sum eremitam,exactione maleficij socium Nicolai,qui iconam sanctissimæ dei genicricis deposuerat,lingua recisa mutilauit, qui & mortuus est corpo-re & anima. Collegam autem suum Nicolaum, promittentem se pœniten-tiam acturum, omnibus publicauit,& confitentem sua ipsius mala,tradidit illum in monasterio custodiendum,ne libera conuersatione habitu proprio abuteretur. At uero Atinganos publicans exilio tradidit per Leonē Orien-talium Prætorem. Porrò Augusto mense,quinta Indictione, Thebid con-tra Christianos mouit exercitum: cum quo Leo bellum conferens, prospe-ratus est duo milia interficiēs,& equos comprehendens & arma. Muham-mat autem primus filius Aaron tenens principatū gentis,inito bello in in-teriori Perside cum Habdalla fratre suo superatus est,Et fugiens in Gabda hanc

Debeltus amissa

Fuga ex op-pidis

Atingani ex-ules

Sarr. uicti

Plures Ara-bum tyrannì

hanc obtinuit. Damascum uero alter tyrannus, & Ægyptum, & Africam duo partiti sunt, & alius Palæstinam more latronis depastus est. An/no secundo Imperij Michaëlis, Crūnus Bulgarum dux per Dragomirum pro pace rursum ad Imperatorem Michaêlem legationem misit, quærens fœdera quæ sub Theodosio Adramitino & Germano patriarcha repro/missa fuerāt Cormesio, qui per illud tempus dominus erat Bulgariæ, quæ terminos continebant Ameleonis Thracensis: uestimenta quoq; seu cocci neas pelles usq; ad precium quinquaginta librarum auri: & super hæc pro/fugos utriusq; partis ad alterutrum reddi, si contigisset eos insidiari prælatis: negotiātes uero in utraq; regione p præcepta & signacula cōmendari: si qui uero sine signaculo inuēti fuissent, diriperetur quod haberent, & inferretur publicis rationibus. Scripsit aūt ad Imperatorē: Nisi accelerau eris, inquiēs, ad pacē iudicio tuo, præliabor contra Mesembriā. His receptis Imperator neq; consiliatiorū admonitionibus pacē nō admisit. Sub obtentu enim fal sæ pietatis, & circa Remp. perditionis nequā cōsiliatores asserebāt, nō oportere fugitiuos reddere, perhibentes in testimoniū illud euangelicū domini eloquiū perhibentis: Eum qui uenit ad me, nō eijciam foras. Mediāte uero mense Octobre aciem dirigit Crunnus contra Mesembriam in machina/mentis, & mangonis, & arietibus, quæ Nicephori causa destructoris Chri/stianorum didicerat. Arabs enim quidam ad baptismum confugerat satis expertus mechanicæ artis, quem cum castrametatus esset, in Adrianopo/lim constituit, cui nullum meritum conferens, quin potius adbreuians eius rogam, murmurantem nimis cecidit: qui super hoc tristatus fugit ad Bul/gares, & docuit eos omnem mechanicam artem. In his insistēs, nemine ob multam stulticiā resistente per totum mensem, cepit eam. Calendis autem Nouembribus aduocauit Imperator patriarcham cum angustiaretur, & de pace consilium sumpsit. Aderant autem & Metropolitani, Nicenus scilicet & Cizicenus, præsentibus quoq; prauis consiliarijs cum Theodoro Egume no studij: etiā patriarcha ac Metropolitani antistites, pacē cum imperato/re amplectebantur: mali uero consiliarij cum Theodoro Egumeno studij hanc subuertebant fatentes: In subuersione diuini mandati nemo pacē am/plectitur. Eum quippe qui uenit ad me, ait dominus, non eijciam foras. Pri/mo quidē quando nemine ad nos ex eis confugiente, nos eos qui intra Cur/tem erant prodidimus, ualentes hos cum pace saluare: secundo uero quia & si fugerunt, raro quidem ad nos, pro acquirenda tamen plurimorum salute oportebat potius decertare, quàm super incertis & inuisibilibus locupletari. Gratius enim est deo, plures potius saluare quàm paucos. Porrò damnum in pluribus pati propter modicum lucrum, primæ dementiæ est. Hæc Cal. facta sunt Nouembribus. Porrò prima die nonas Nouembris apparuit cometes in figura duarum lunarum fulgentium, adunantium se atq; sepa/rantium in diuersa schemata, ita ut in acephali uiri fictionem formarentur.

Legati Bulgarorū de pace

Mesembria à Bulgaris capta

Prodigium

Et in

Et in crastinum de excidio Mesembriæ uenit miserum nuncium, deterrens omnes ob maiorum omnium malorum expectationem. Inuenientes enim eam inimici plenam omnibus rebus, quæ ad habitationẽ hominum adesse solent, hanc tenuerunt unà cum Debelto, in quo & syphones æreos inuenerũt triginta & sex, & ignis humidi qui per eos emittebatur, argentiq; ac auri non modicam copiam. Eodem anno multi Christianorum ex Palæstina ac Syria in Cyprum uenere fugientes immensam Arabum afflictionem. Cum eñ sine generali principatu Syria esset & Ægyptus & Africa & omnis principatus qui sub ipsis est, homicidia, rapinæ, adulteria, ac omnes deo odibiles actiones in ciuitatibus ac uillis, ut diuinitus peritura gente perpetrabantur: inq; alma dei nostri ciuitate colenda loca sanctæ dei genitricis & resurrectionis ac caluariç seu reliqua profanata sunt. Similiter autẽ & Lauræ eremi opinatissimæ, sancti Caritonis, & sancti Sabæ, & reliqua monasteria & ecclesiæ desertæ factæ sunt. Alij autem percepto martyrio interempti sunt: alij uero Cyprum, & ex hac Byzantiũ properarũt, quos Michaël pius Imperator, & Nicephorus sanctissimus patriarcha benigna munificẽtia receperunt. Nam his qui uenerunt ad urbem, monasteriũ insigne donauit: his uero qui in Cypro remanserãt monachis & laicis talentũ auri transmisit, & hos diuersis cõsolatus est modis. Erat quippe Michaël circa omnes suauis & clemens, circa negotiorum uero dispositionem iners, seruitute subactus Theoctisto magistro & cæteris principibus. Præterea mense Februario duo Christiani ex Bulgaria fugientes nunciauerunt Imperatori, Crunnum prædaturum eos qui essent in Thrace repente festinare. Quintodecimo Calendas Martij exiuit Imperator ab urbe, & dei prouidẽtia inefficax redijt, & ascendẽs monasterium Tharasij sancti patriarchæ, celebratis eius memorijs unà cum Procopia Augusta, petalo argenteo librarum nonaginta quinq; sacrum eius sepulchrũ uestiuit. Post captam uero Mesembriam, Imperator Crunno pace negata, ex omnibus Thematibus electam militiam ante uernale tempus in Thracem transire præcepit, ita ut omnes moleste ferrent, maxime Cappadoces & Armeniaci. Imperatore autem exeunte cum ordinibus mense Maio, exiuit cum eo iterũ Procopia uxor sua usq; ad aquç ductum iuxta Heracleam. At uero multitudines super hoc duriter ferẽtes in derogationẽ ac maledictionẽ cõuersæ sunt contra Michaëlẽ. Porrò quarta Idus Maij, eclipsis facta est circa XII. partem Tauri iuxta horologium oriente sole, & multus timor cecidit super turbas. Ast Imperator circuibat Thracem cum prætoribus ac militijs, neq; contra Mesembriam pergens, neq; aliud quid eorum quæ agi debent ad destructionẽ hostium patrans, sed tantum suasus sermonibus uanis consiliariorũ suorum, bellorum experientiam non habentium, ac per hoc asseuerantium, non audere inimicum aduersum illum uenire in propria regione sedentem. Et erat barbarico impetu grauior conciuium cœtus, deficientium circa necessarias utilitates, &

Tharasij sepulcrum

Imp. contra Bulgares

rapinis ac inuasionibus exterminantium compatriotas. Circa initia uero Iunij mensis Crūnus Bulgarū dux exijt cum exercitibus suis, ueritus quod multi essent Christianorum: cumq; mouisset exercitum in Versiniciam, quasi triginta signis ab Imperialibus castris, Leo patricius & Prætor Orientalium, Ioannes quoq; patricius & Macedoniæ Prætor cognomento Aplaces, multū prompti ad hos debellandos, prohibiti sunt ab Imperatore per malos scilicet consiliarios. Cum autē urbs litanias celebraret cum summo sacerdote in templo sanctorum, quidam impiorum, deo perosi, Cōstantini

Impostores

hęreseos, obserata porta imperialiū sepulchrorū, nemine attēdente propter turbæ frequentiam, quo subito cum quodā sonitu aperiretur egerunt, quasi ex quadam operatione facti prodigij, & intro insilientes procidebant seductoris monumento, hunc inuocantes & non deum: surge dicentes, & auxiliare perditæ Reip. Diffamaueruntq; quia surrexit super equum sedens, & uadit Bulgares debellaturus, qui è contrario Tartarum habitat cum dæmonibus. Qui ab urbis præfecto comprehensi, primo quidem mentiebantur, diuinitus ultro fuisse apertas sepulchrorum portas: præsentati uero tribunali præfecto, & circa testimonium claudicantes, obserationis fraudem ante omnem pœnam confessi sunt, quos merito uestibus pompæ submisit, uociferantes causam pœnæ. Sic enim nequitiæ inuentor diabolus suos milites erudiuit, ut non peccata sua accusent, sed orthodoxam & patribus traditam fidem, sacrumq; habitum monachorum, qui diuinæ est philoso-

Habitus monachorum

phiæ gymnasium. Multi autem qui in his blasphemabant, habitu tantum Christiani erant, ueritate uero Pauliciani, qui non ualentes detestabilia opera sua manifestare, huiuscemodi occasione indoctos adulterabant, Constantinum qui Iudaici erat sensus, beatū dicentes ut prophetam & uictorem, hæresimq; ipsius in subuersionē incarnatæ dispensationis do-

Prælium apud Adrianopolim

mini nostri amplectentes. Porrò decima Calendas Iunij prælium ineuntibus haud procul ab Adrianopoli, delinquunt quidem Christiani ualde dire circa bellum, obtinent autem inimici pugnam, adeo ut plures cōgressionem nec intuentes summa fuga uterentur: ita ut Crunnus cōsternatus æstimaret insidiarum argumentum esse quod factum est, & modicum retineret suos ab insequutione: quia uero eos uidit sine ulla retentione fugere, persequutus occidit multitudines copiosas, & ueniēs nihilominus ad sarcinas, has cum exuuijs abstulit. Ast Imperator fugiens repedabat in urbem cum multitudinibus, harumq; principibus sumptis insuper pollicebatur Imperij depositiones deiurans: inter quos & Leonem patricium, & Prætorem Orientalium, tanquam pium & fortissimum & per omnia strēnuum, in tenendo imperio asciscere socium uoluit: qui nullatenus acquiescens, dimisit eum Thematibus præesse. Octaua Calendas Iunij deponere uolens imperium, & alium promouere, qui tamen ab uxore & filijs permissus non est, & ab his qui nequiter præualuerant. Verum in hoc Nicephorus sanctissi-

mus

mus patriarcha consentiebat, & ipse, inquiens, & filij eius saluandi erunt, si taliter quis promoueatur. At uero Prætores descendentes cum multitudin bus in urbem, imperatorem fugisse audientes, desperati quod ab eo de cætero imperandi forent, consiliati sunt apud semetipsos, & implorabant Leonem, quo auxiliaretur communi Reip. & Christianorum religioni opitularetur. At ille aliquandiu quidem uehementer differebat, temporis considerans difficultatem, & barbarorũ incursionem intolerabilem, & semetipsum erga Imperatores conseruans rectum & absq; insidijs: quia uero ad urbem properare inimicum uidit, scribit Nicephoro de fide sua recta affirmans, petens etiam ut cum oratione & nutu eius imperium sumeret, & ueniẽs ad tribunal ante urbem positum unà cum Prætoribus & exercitibus, ualde legitimus Romanorum Imperator ostenditur, & die media Constantinopolim per Carsij portã ingreditur, & ad regalia peruenit. Porrò audita huius acclamatione Michaël in oratorium Phari accurrẽs unà cum Procopia natisq; suis, detonsis capillis, monastica induit uestimenta, V. Idus Iulij, sexta Indictione, feria secunda.

Leo Imperator declaratur

Michael fit monachus

LEO

POSTERA uero die Leo coronatus à Nicephoro patriarcha in ambone maioris ecclesiæ, urbis præcepit custodiri portas: & muros die ac nocte ipse per se circuiens, & exercitãs cunctos, ac bonã spei fiduciam habere commonens, eo quod deus celeriter foret inopinate facturus per intercessiones intemeratæ dei genitricis & omnium sanctorum, nec omnino confundi nos esset passurus ob multitudinem culparũ nostrarum. Interea nouus Sennacherib, Crunnus uidelicet, derelicto proprio fratre cum uirtute sua ad impugnandum Adrianopolim, post sex dies Imperij Leonis superueniẽs in uiribus suis & equis, regiam urbem gyrauit iuxta muros à Blacernis usq; ad Auream portam, ostendens uirtutẽ suam: & celebrato polluto dæmonico sacrificio in prato penes mare sito, postulauit ab Imperatore ut figeret contũ suum in eandem portam Auream: quo id fieri non permittente, reuersus est ad tabernaculum suum. Cum autem admiratus fuisset muros urbis & bene ordinatatã imperatoris aciem, & super obsidionem quam sperabat, desperatus effectus esset, ad conuentiones conuertitur, & ante pacẽ tẽtatoria uerba faciebat. At Imperator accepta occasione conatus est huic insidiari, sed à multitudine peccatorũ nostrorum hoc in finem perducere prohibitus est, administrantiũ huiuscemodi rusticitate, uulnerantium quidem hunc, mortalẽ tamen nõ inferentiũ plagam. Super hoc ergo insaniens nequissimus, misso cursu ad sanctum Maman, palatiũ illic habitum incendit, & æreo Leone Hippodromi unà cum urso & dracũculo lateribus ac marmoribus electis in plaustro impositis reuersus est, & obsessam Adrianopolim cepit.

Crunnus exercitum urbi admouet

Crunnus insidijs petitus

Adrianopolis à Bulgaris capta

HISTORIAE ROMANAE FINIS

PAVLI DIACONI HISTORIOGRAPHI VERISSIMI, DE LANGOBARDORVM ORIGINE ET GESTIS LIBER I

De septentrionalis plagæ salubritate & populorum frequentia eorumq́ ad nouas sedes emigratione. CAP. I



EPTENTRIONALIS plaga, quanto magis ab æstu solis remota est, & niuali frigore gelida, tanto salubrior corporibus hominũ, & propagandis est gentibus magis coaptata. Sicut è cõtrario omnis meridiana regio, quo solis est feruori uicinior, eo morbis est abundantior, & educandis minus apta mortalibus. Vnde fit, ut tantæ populorum multitudines arctoo sub axe oriantur: ut non immerito uniuersa illa regio usq; ad occiduum, licet loca singula proprijs nuncupentur nominibus, generali tamen uocabulo Germania uocitetur. Quanquã & duas ultra Rhenum prouincias Romani cum ea loco occupassent, superiorẽ & inferiorem Germaniam dixerunt. Ab hac ergo populosa Germania sæpe innumerabiles captiuorum turmæ abductæ, meridianis populis pretio distrahuntur. Multę quoq; ex ea, eo quod tantas mortaliũ turmas germinat, quantas alere uix sufficit, sæpe gentes egressæ sunt: quæ non solum partes Asiæ, sed etiam maxime sibi contiguã Europam afflixere. Testãtur hoc ubiq; urbes erutæ per totum Illyricũ, Galliamq; : sed maxime per miseram Italiam, quæ pene omnium illarũ gentium experta est sæuitiam. Gothi siquidem, Vuandali, Hunni, Eruli, Turingi, necnon & aliæ feroces & barbaræ nationes, è Germania prodierunt.

Germania · *Italiæ uastatio.* · *Vuandali.*

De Vuinnilorum seu Langobard. origine : migratione, & ducibus, migrandiq́ causa. CAP. II



ARI etiam modo Vuinnilorũ, hoc est Langobardorum gens: quæ postea in Italia feliciter regnauit, à Germanorũ populis originem ducens, è Scandauia Baltei seu Baltici maris insula, nouarum sedium quærendarũ gratia ob multitudinem profecta est (licet & aliæ causæ egressionis eorũ asseuerentur). Cuius insulę etiam Plinius Secũdus in libris, quos de natura rerum cõposuit, mentionem facit. Hæc igitur insula, sicut retulerunt nobis, qui eam lustrauerunt, non tam in mari est posita, quàm marinis fluctibus circumfusa. Intra hanc ergo constituti populi dum in tantam multitudinẽ pullulassent, ut iam simul habitare non ualerent: in tres (ut fertur) partes, omnem cateruã diuidentes, quænam ex illis patriam esset relictura ut nouas sedes exquirerent, sorte disquirunt. Igitur ea pars cui sors dederit genitale solum excedere, exteraq; arua sectari, constitutis supra se duobus ducibus Ibore scilicet & Agione : qui & ger-

Vuinnili. · *Langobardi* · *Scandinauia* · *Ibor et Agio*

mani erant & iuuenili ætate floridi, cæterisq; præstantiores: ad exquirendas quas possint incolere terras, sedesq; statuere, ualedicentes suis simul & patriæ, iter arripiunt. His ducibus erat mater nomine Gambara, mulier, ut inter barbaros, & ingenio acris & consilijs prouida, de cuius uiribus & prudentia non minimum confidebant.

Gambara

De septem dormientium miraculo, digressio. CAP. III



Aud ab re esse arbitror paulisper narrandi ordinem postponere: & quia adhuc stilus in Germania uersatur, miraculum quod illic, apud omnes celebre habetur, & quædam alia breuiter intimare. In extremis igitur circumuersis germaniæ finibus, in ipso Oceani litore, antrum sub eminenti rupe conspicitur: ubi septem uiri (incertum ex quo tempore) longo sopiti sopore quieuerunt: ita illæsis non solum corporibus, sed etiam uestimentis, ut ex hoc ipso quod per tot annorum curricula sine ulla corruptione perdurant, apud indociles easdem & barbaras nationes uenerationi habeantur. Ii autem quantum ex habitu dignoscitur, Romani esse cernuntur. Ex quibus dum unum quidam cupiditate stimulatus uellet exuere, mox ei (ut dicitur) brachia exaruerunt: pœnaq; sua cæteros deterruit ne quis eos ulterius contingere auderet. Videndū ad quem eos profectum, per tot tempora, prouidētia diuina conseruarit. Fortasse enim horum quandoq; prædicatione (quia nō alij quàm Christiani esse putantur) gentes illæ saluandæ sunt.

7 dormientes

De Scrictofinnis & eorum moribus, ac hyemis rigore: dierumq; breuitate. CAP. IIII



Vic loco Scrictofinni (sic enim gens illa nominatur) uicini sunt. Qui etiam æstatis tempore niuibus non carent: nec aliter fieri potest quàm ut crudis agrestium animantium carnibus uescantur: de quorum etiam hirsutis pellibus sibi indumenta coaptant. Ii à saliendo iuxta linguam barbaram etymologiam ducunt. Saltibus enim utentes, arte quadam ligno incuruo ad arcus similitudinem feras assequuntur. Apud hos est animal ceruo satis assimile: de cuius ego corio, ut fuerat pilis hispidum, uestem in modum tunicæ genuum tenus aptatam conspexi: qua (ut ferebatur) Scrictofinni utuntur. Quibus in locis circa æstiuale solstitium quamuis diei lux adsit, sol tamen non uidetur: diesq; minimi præ alijs, noctes uero longiores existunt. Quia scilicet quanto magis à sole disceditur, tanto sol ipse terræ uicinior apparet, & umbræ longiores excrescunt. Deniq; in Italia, sicut & antiqui scripserunt, circa natalem domini nouem pedes in umbra staturæ humanæ hora sexta metiuntur. Ego autem in Gallia belgica in loco qui Totonis uilla dicitur, constitutus, staturæ meæ umbram metiens decem & nouem cum semis pedes inueni. Sic quoq; contrario modo, quanto propinquius meridiem uersus ad solem acceditur, tanto semper umbræ breuiores uidentur: intantum

ut circa solstitium æstiuale respicienti solem de medio cœli, in Aegypto, & Syene & eorum uicinia, nullæ uideantur umbræ. In Arabia uero hoc ipso tempore sol supra medium cœli ad partē aquilonis cernitur, umbræq; uersa uice contra meridiem uidentur.

De maris umbilico testimonium Virgilij. CAP. V

NEc multum procul ab hoc (de quo prædiximus) litore contra occidentalem partem, qua sine fine oceanum pelagus patet, profundissima illa aquarum uorago est, quam usitato nomine maris umbilicum uocamus, quæ bis in die fluctus absorbere & rursum euomere dicitur, sicut per uniuersa illa litora, accedentibus ac recedentibus fluctibus celeritate nimia fieri comprobatur. Huiusmodi uorago à poëta Virgilio charybdis appellatur. Quam ille in freto Siculo esse his uersibus attestatur.

Maris umbilicus

Dextrum Scilla latus, læuum implacata charybdis
Obsidet, atq; imo barathri ter gurgite uastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursumq; sub auras
Erigit alternos, & sidera uerberat unda.

Ab hac sane, de qua diximus, uoragine sæpe naues rapi è cursuq; attrahi affirmantur, tanta celeritate, ut sagittarum per aërem lapsus imitari uideantur, & nonnunquam in illo barathro horrendo nimis exitio pereant. Sæpe cum iam iamq; mergendæ sint, subitis undarum molibus retroactæ tanta rursus agilitate inde elongātur, quanta prius attractæ fuerant. Affirmant esse & aliam huiusmodi uoraginem inter Britanniam insulam Galliamq; prouinciam. Cui etiam rei astipulantur sequanica aquitanicaq; litora: quę bis quotidie tam subitis inundationibus opplentur, ut qui fortasse aliquantulū introrsus ad litora deprensus fuerit, euadere uix possit. Videas earum regionū flumina fontes uersus cursu uelocissimo relabi, ac per multorum milium spatia dulces fluminum lymphas in amaritudinem uerti.

Quam mirabiliter quidam de tali aquarum uortice ereptus sit. CAP: VI

TRiginta fermè milibus à sequanico litore Ebodia insula distat, in qua (sicut ab ipsius incolis asseueratur) uergentiū in eadem charybdi aquarum garrulitas est. Audiui quendam nobilissimum Gallorum referentem, quod aliquot naues prius tempestate conuulsæ, postmodum ab hac eadem charybdi uoratæ sint. Vnus autem solummodo ex omnibus uiris qui in nauibus illis fuerant, morientibus cæteris dum adhuc spirans fluctibus supernataret, ui aquarum abductus, ad ora usq; immanissima illius barathri peruenit. Qui cum iam profundissimum & sine fine patens chaos aspiceret, ipsoq; pauore semimortuus se illuc uenturum expectaret, subito quod sperare non poterat saxum

quoddam superiectus insedit. Decursis siquidē iam omnibus quæ sorbendæ erant aquis, ora illius uoraginis denudata relicta erant. Dumq́ʒ ibi inter tot angustias anxius perpenso metu, palpitansq́ʒ resideret, dilatamq́ʒ ad modicū mortem nihilominus operiretur, ecce prospicit subito quasi magnos aquarum montes de profundo resilire, nauesq́ʒ quæ absorptæ fuerant prius emergere. Cumq́ʒ una ex illis ipsi cōtigua esset, ad eam nisu quo poterat accedens, apprehendit, celeriq́ʒ uolatu ad proximum littus aduectus, metuēdæ necis casum euasit, proprij mox periculi enarrator futurus. Nostrum quoqʒ, id est Adriaticum mare, quod licet Oceano dissimile, tamen Venetiæ Istriæq́ʒ litora peruadit, credibile est paruos huiusmodi occultosq́ʒ habere meatus, quibus & recedentes aquæ sorbeantur, & rursus inuaso litore reuomantur. His itaque prælibatis ad cœptam narrandi seriem redeamus.

De egressione Langobardorum de Scandinauia, sub Ibore & Agione seu Agone ducibus. CAP. VII

Scoringa.

Ambri & Asi.

Ibor & Agio.



Igitur egressi de Scandinauia seu Scādauia insula Vuinnili sub Ibore & Agione ducibus, in regionem quæ uocatur Scoringa adducti, per aliquot illic annos consedere. Illo quoqʒ tempore Ambri & Asi Vuandalorū duces uicinas prouincias bello præmebant. Ii multis elati uictorijs nuntios ad Vuinnilos mittunt, ut aut tributa Vuandalis persoluerent, aut se ad belli discrimina præpararent. Tunc Ibor & Agio annuente Gambara matre, decernunt melius esse armis tueri libertatem, quàm tributi eam pensione fœdare. Mandant igitur per legatos Vuandalis, pugnaturos se potius, quàm seruituros. Erant siquidem tunc Vuinnilorum uniuersi iuuenili ætate florentes, sed numero perexigui, quippe qui unius non nimiæ amplitudinis insulæ, tertia solummodo particula erant.

Quomodo Vuandali Goddan, Vuinniliq́ʒ Fream eius uxorē de belli exitu consuluerint, & unde sint Langobardi dicti. CAP. VIII

Goddani oraculum.

Freæ consiliū

Langobardi



Recitat hoc loco antiquitas ridiculam fabulam, quod accedentes Vuandali ad Goddanum uictoriam de Vuinnilis postulauerint, illeq́ʒ responderit se illis uictoriam daturum, quos priores oriente sole respexerit. Tunc accedentē Gambaram ad Fream uxorem Goddani uictoriam Vuinnilis postulasse: Freamq́ʒ consilium dedisse, ut Vuinnilorum uxores solutos crines in faciem ad barbæ similitudinem demitterent, maneq́ʒ primo cum uiris adessent, seseq́ʒ pariter uidendas Goddano in regione quam ille per fenestram in orientem uersus aspicere solitus erat collocarent. cumq́ʒ id ita factum fuisset, eosq́ʒ Goddan oriente sole intentius aspiceret, dixit: qui sunt isti Langobardi? Tunc Fream subiunxisse precantem, ut quibus nomen tribuerit uictoriam condonaret,

sicq́ Goddanum Vuinnilis uictoriam concessisse. Hæc risu digna sunt, & pro nihilo habenda. Victoria enim non est hominum potestati arbitrioq́ attributa, sed de cœlo potius ministratur. Certum tamen est Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum prius Vuinnili dicti fuerint, postmodum ita appellatos. Nam iuxta illorũ linguam, Lang longam, & bard barbam significat. Vodan sanè quem adiecta litera Guodan dixerũt, ipse est qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab uniuersis Germaniæ gentibus ut deus adoratur. Quod non tantũ circa hęc tempora, sed etiam longe anterius, nec in Germania modo, sed in Græcia quoq́ cõtigisse perhibetur.

De Vuinnilorum seu Langobardorum uictoria contra Vuandalos. Et in Mauringam seu Mauringiam transitu territis incolis per Cynocephalorum fictionem: deq́ singulari certamine serui Langobardi cum fortissimo hoste, eiusq́ & aliorum multorum manumissione. CAP. IX



Igitur Vuinnili qui & Langobardi commisso cum Vuandalis prælio, acriter utpote pro libertatis gloria certantes, uictoriam obtinent. qui magnam postmodum famem cõmeatusq́ penuriam in eadem Scoringa prouincia perpessi, ualde animo consternati sunt. De qua egrediẽtes dum in Mauringam transire disponerent, Assipiti eorum iter impediunt, denegantes eis omni modo per suos terminos transitum. Porro Langobardis cum magnas hostium copias cernerẽt, neq́ cum eis ob paucitatem exercitus congredi auderent, dumq́ quęrerent quid agere deberent tandem necessitas consiliũ repperit. Simulantes enim se in castris suis habere Cynocephalos, id est canino capite homines, diuulgant apud hostes, hos pertinaciter bella gerere, humanum sanguinem bibere, & si hostem assequi non possint, proprium potare cruorem. atque ut huic assertioni fidem facerẽt, ampliant tentoria, plurimumq́ in castris suis ignem accendunt. quibus auditis hostes creduli effecti, bellum quod minitabantur, attentare nõ audent. Habebant tamen apud se hostes uirum fortissimũ, de cuius fidebant uiribus, posse se procul dubio obtinere quod uellent. Hunc itaq́ solum pro omnibus pugnaturum obijciunt: mandantq́ Langobardis ut unum quem uellent suorum mitterent, qui cum eo ad singulare certamen exiret: ea uidelicet conditione, ut si suus bellator uictoriam caperet, Langobardi itinere per quod uenerant, abirent: sin uero superaretur ab altero, tum se Langobardis transitum per fines proprios non negaturos. Cumq́ Langobardi quem potissimũ de suis aduersus uirum illum bellicosissimum mitterent, ambigerent, quidam ex seruili conditione sponte se obtulit, promittens se prouocanti hosti congressurum: ea pactione, ut si de hoste uictoriam reportaret, à se suaq́ progenie seruitutis neuum auferrent. Quid plura? gratanter quæ postularat sese facturos pollicentur. Aggressus autem hostem pugnauit & uicit, Langobardis transitum, sibiq́

Serui non seruilis animus

& suis quæ optauerat iura libertatis adeptus. Igitur Langobardi tandem in Mauringam peruenientes, ut bellatorum possent ampliare numerũ, plures à seruili iugo ereptos ad libertatis statum perducunt: utq; rata eorum libertas haberi posset, sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilominus ob rei firmitatem quædã patriæ uerba. Egressi itaq; Langobardi Mauringam, applicuere sese in Rugulandiam, ubi aliquantum temporis cõmorati dicuntur. Post hæc Antaibos & Bantaibos pari modo & Burgandaibos dicuntur per annos aliquot possedisse, quæ nos possumus arbitrari esse uocabula pagorum, seu quorumcunq; locorum.

De morte ducum Iboris & Agionis, primoq; Langobardorum Rege Agelmundo Agionis filio, & de meretricula quæ uno partu septem enixa, eos in piscinam abiecit. CAP. X

MOrtuis interea Ibore & Agione ducibus qui Langobardos à Scatinauia seu (ut dixi) Scandauia adduxerant, & usq; ad hæc tempora rexerant, Langobardi ultra sub ducibus esse nolentes regem sibi ad cæterarũ gentium ritum statuerunt. Regnauit itaq; super eos primus Agelmundus Agionis filius ducẽs & prosapiam & originem Gungingorum quæ apud eos cæteris generosior habebatur. Hic (sicut à maioribus traditur) tribus & triginta annis Langobardorum tenuit regnum. His temporibus quædam meretrix uno partu septem pueros enixa, belluis omnibus crudelior mater, in piscinã proiecit necandos. Hoc si cui impossibile uidetur relegat historias ueterum, & inueniet non solum septem infantulos, sed etiam nouem unam mulierem semel peperisse. & hoc certũ est maxime apud Aegyptios fieri. Contigit itaq; ut rex Agelmundus iter capiens ad eandem piscinam deueniret: qui quũ equo retento miserãdos infantulos miraretur, hastaq; quam manu gestabat huc illucq; eos obuerteret, unus ex illis iniecta manu hastam regiam comprehendit. Rex misericordia motus, factũq; altius admiratus, eum magnũ futurũ pronuntiat: moxq; eum è piscina leuari præcipit, atque nutrici traditum omni cum custodia mandat tollendum. Et quia eum de piscina quæ eorum lingua Lama dicitur abstulit, Lamissioni eidem nomen imposuit. Qui cum adoleuisset ita strenuus iuuenis factus est, ut & bellicosissimus existeret, & post Agelmundi funus regni gubernacula susciperet. Ferunt hunc quum Langobardi cum rege suo tunc agẽtes ad quendam fluuium peruenissent, & ab Amazonibus essent prohibiti ultra permeare, cum earum fortissima in fluuio natando pugnasse, eamq; peremisse, sibiq; laudis gloriam, Langobardis autem transitum parauisse. & inter utrasq; acies prius conuenisse, quatenus si Amazon eundem Lamissionem superaret Langobardi à flumine recederent, si uero à Lamissione (ut & factum est) ipsa uinceretur, Langobardis eadem permeandi fluenta facultas præberetur. Constat autem

Agelmundus rex I.

Partus 7 infantulorum.

Lamißio.

Lamißio Amazonẽ superat.

huius assertionis seriem minus esse ueritate suffultam. Omnibus etenim quibus ueteres historiæ notæ sunt, patet gentem Amazonum longe antea quàm hæc fieri potuerint, fuisse deletam: nisi forte quia loca eadem ubi hæc gesta feruntur, nõ satis nota fuerint historiographis, ut uix ab aliquo eorũ uulgata sint, fieri potuit ut usq; ad id tempus ibidẽ huiusmodi mulierũ genus haberetur. Nam & ego referri à quibusdam audiui in hodiernum usq; diem in ultimis Germaniæ finibus gentem harum existere fœminarum.

De Agelmundi à Bulgaris occidione, & filiæ eius abductione, Deq; egregia in eos per Lamissionem ultione. CAP. XI



Gitur Langobardi transmisso de quo iam diximus flumine, cum ad ulteriores terras peruenissent, illic per tempus aliquod commorabantur. Interea cum nihil aduersi suspicarentur, & essent longa sub quiete minime solliciti, securitas quæ semper detrimentorum mater est, eis non modicam perniciem peperit. Nocte enim quadam quum negligentia resoluti cuncti quiescerent, subito super eos irruentes Bulgari, plures ex eis sauciant, multos prosternunt, tam diu tamq; atrociter per eorum castra grassantes ut ipsum Agelmundũ regem interficerent, eiusq; unicam filiam sorte captiuitatis auferrent. Resumptis tamen uiribus post hæc incommoda Langobardi Lamissionem (de quo superius diximus) sibi regem constituerunt. Qui (ut erat iuuenili ætate feruidus, & ad bellica certamina satis promptus) conseruatoris sui Agelmundi necem ulcisci cupiens, in Bulgaros arma conuertit. Primoq; mox prælio commisso, Langobardi hostibus terga dantes, ad castra refugiunt. Tunc rex Lamissio id conspiciens elata altius uoce omni exercitui clamare cœpit, ut opprobrij quod pertulerant meminerint, reuocarentq; ad mentis oculos dedecus acceptum: ut eorum regem hostes iugularint, utq; miserabiliter & indigne eius filiam quam sibi reginam optauerant captiuam abduxerint. Postremo hortatur ut se suosq; armis defenderent, melius esse ducentes in bello animam ponere, quàm ut uilia mancipia hostium ludibrijs subiacere. Hæc & his similia dum uociferans diceret, & nunc minis, nunc promissionibus ad toleranda belli certamina eorum animos roboraret: si quem etiam seruilis conditionis pugnantem uidisset, libertate eum simul cum præmijs donaret: tandem hortatu exemploq; principis qui primus ad bellum prosiluerat accensi in hostes irruunt, pugnant atrociter, & magna aduersarios clade prosternunt, tam de uictoribus uictoriam repetentes, quàm & regis cædem & proprias iniurias ulciscentes. Demum magna de hostium exuuijs præda potiti, deinceps ad expetendos obeundosq; belli labores audaciores sunt effecti.

Agelmundi cædes

Lamißio rex 2.

De Regno Leth seu Lethi, Gildeochi & Gedeochi, seu ut Sabel. Hildeoci & Godoochi. Et de transitu Langobardorum in Rugulandam seu Rugorum terram. CAP. XII

Leth rex 3.
Gildeochus rex 4.
Gedeochus rex 5.
Odoacer rex Italorum.
Feletheus rex Rugorum.
S. Seuerinus



Efuncto posthæc Lamissione qui secundus regnauerat, tertius ad regni gubernacula Leth ascendit. Qui cum quadraginta ferme annis regnasset, Gildeochum filium suum qui quartus in regum numero fuit, regni successorem reliquit. Hoc quoq; defuncto, quintus Gedeochus regnum suscepit. His aūt temporibus inter Odoacrem qui in Italia per aliquot iam annos regnarat, & Feletheum (qui & Feba dictus est) Rugorum regem magnarum inimicitiarum fomes exarsit. Qui Feletheus illis diebus ulteriorem danubiј ripam incolebat, quam Onerici finis, id est Danubiј separat. In his Onericorum finibus beati tunc erat Seuerini cœnobium, qui omni scientia & prærogatiua sanctitatis preditus, multis iam erat uirtutibus clarus. Cumq; eisdem in locis ad uitæ usq; metas habitasset, nunc tamen eius corpus Neapolis retinet. Hic sæpius hunc de quo diximus, Feletheum, eiusq; coniugem cui uocabulum Gisa fuit, ut ab iniquitate desisterent uerbis cœlestibus monuit. Quibus pia uerba spernentibus, hoc quod eis postmodū contigit, longe antea futurum prædixit. Igitur Odoacer gentibus suæ ditionis congregatis, utpote Turgilingis seu Turingis, Erulis, Rugorumq; parte, quam iamdudum possidebat, necnon & Italiæ populis, uenit in Rugulandam, pugnansq; cum Rugis & ultima eos clade conficiens, Feletheum eorum regem extinxit. Vi itaq; Italiam repetens copiosam secum captiuorū multitudinē auertit. Tunc Langobardi de suis finibus egressi uenerāt in Rugulandā, quæ latino uocabulo Rugorū regio dicitur. atq; in ea, quia erat solo fertili, aliquot commorati sunt annis.

De Claffone & Tadone regibus, deq; Langobardorum cum Erulis in Affelda prælio. CAP. XIII

Claffo rex 6.
Tado rex 7.



Nter hæc moritur Gedeochus, cui successit Claffo filius eius. Defuncto quoq; Claffone, Tado eiusdē filius, septimus ascendit ad regnum. Egressi quoq; Langobardi de Rugulāda habitauere in campis patentibus, qui sermone barbarico Felden appellantur. Quo in loco dum per triū annorū spatia morarentur, bellū exortū est inter Tadonē atq; Rodulfum Erulorū regem. Qui cum prius fœdera necterēt, causam discordię hanc habuerūt. Germanus Rodulfi regis ad Tadonē ferendę pacis gratia uenerat: qui cū expleta legatione patriā repeteret, cōtigit ut ante domū regis filiæ, quę Rumetruda dicebatur, transitū haberet. Illa multitudinē uirorū, nobilemq; comitatū aspiciēs, interrogat quis ille esse possit qui tam sublime obsequiū haberet: dictūq; illi est, Rodulfi regis germanū legatione perfunctū in patriam regredi. Mittit puella qui eum inuitaret, ut poculum dignaretur accipere. Ille corde simplici, ut inuitatus fuerat, uenit: & quia erat

Rumetruda

statura

statura pusillus eũm fastu superbiæ puella despexit, uerbaq́ aduersus eum irrisoria protulit. At ille uerecundia pariter & indignitate rei permotus, talia rursum uerba respondit, quæ ampliorem puellæ confusionem afferrent. Tunc illa furore fœmineo succensa, doloremq́ cordis cohibere non ualens, malum quod mente conceperat explere contendit. Simulat itaq́ patientiam: uultum exhilarat, eumq́ uerbis iocundioribus demulcens ad sedendum inuitat, taliq́ eum in loco sedere constituit, quo parietis fenestram ad scapulas haberet: quam fenestram quasi ad hospitis honorem, re autem uera, ne eum aliqua pulsaret suspitio, uelamine texerat precioso: pręcipiẽs pueris suis rem atrocissimam, ut quum ipsa quasi ad pincernam loquens misce dixisset, illi eum à tergo lanceis perforarent. Factumq́ ita est, nam mox crudelis fœmina signum dedit, illiq́ mandata peragunt: ipseq́ uulneribus transfixus in terram corruens expirauit. Ea quum Rodulfo regi nunciata fuissent, tam crudelem germani necem ingemuit, dolorisq́ impatiens ad ulciscendam fratris mortem exarsit, fœdusq́ quod cum Tadone pepigerat dirumpens eidem bellum indixit. conueniunt utrorumq́ acies in campos patentes, Rodulfus suos in pugnam dirigit: ipse in castris residens, deq́ uictoria nihil ambigens, ad tabulam ludit. Erant enim tunc Eruli bellandi peritia multorumq́ strage notissimi. Qui siue ut expeditius bella gererent, siue ut illatum ab hoste uulnus se contemnere indicarent, nudi pugnabant, operientes duntaxat corporis uerecunda. Eorum itaq́ uiribus rex indubitanter confidens, dum ipse securus ad tabulam luderet, unum de suis qui forte aderat, in arborem ascendere iubet, quatinus sibi suorum uictoriam referret: cõminatus eius se caput abscisurum, si Erulorum aciem fugere nunciaret, aut Erulorum flecti acies & Langobardos eas opprimere se uidere diceret. Interrogatus itaq́ sæpius à rege quid Eruli facerent, eos optime pugnare ait: nec prius malum quod cernebat (loqui nõ audens) aperuit, quàm uniuersæ acies hostibus terga pręberẽt. Tum enim licet sero in uocem prorumpens, Væh tibi (inquit) misera Erulia, quæ cœlestis domini plecteris ira. Ad hæc uerba commotus rex, ait. Nunquid fugiunt Eruli mei? At ille. Non inquit ego hæc, sed tu rex ipse dixisti. Tunc (ut in talibus fieri assolet) Rex ipse & omnes qui aderant perturbati, dum quid agerent hæsitarent, superuenientibus Langobardis grauiter cæduntur. Rex quoq́ ipse nequicquã fortiter pugnans extinctus est. Erulorũ uero exercitus dum hac illacq́ diffugerent tanta amentia cœlitus immissa perciti sunt, ut uiridantia camporũ lina cernentes, natatiles esse aquas putarẽt, dumq́ quasi nataturi brachia extenderẽt, hostiũ gladijs crudeliter feriebant. Tunc Lãgobardi parta uictoria ingentẽ prædã quã in castris Rodulfi reppererãt, inter se diuidũt. Tado uero Rodulfi uexillũ quod Bandũ appellant, eiusq́ galeã quã in bello gestare consueuerat, abstulit. Atq́ ex illo tẽpore omnis Erulorũ uirtus ita concidit,

Petulantia muliebris

Heruli nudi pugnant.

Rodulfi uecordia

Erulorum clades.

Rodulfi cædes

Bandum

concidit, ut ultra regem non haberent. Iam hinc Langobardi ditiores effecti, à tot diuersisq; gentibus quas superauerant, ultro cœpere bella expetere, & uirtutis gloriam circumquaq; prolatare.

De Vuachonis gestis, connubijs, prole & successibus, deq; Vualtaritho eius filio qui octauus sceptra Langobardorum rexit. CAP. XIIII



T uero Tado post hunc belli triumphum non diu lætatus est. Irruit nanq; super eum Vuacho Zachilonis fratris eius filius, ut eum hac luce priuaret. Conflixit quoq; aduersus Vuachonem Hildechis filius Tadonis, sed superante Vuachone deuictus ad Gepidas confugit, ibiq; profugus ad uitæ suæ finem usq; permansit. Quam ob causam Gepidæ cum Langobardis extunc inimicitias contraxere. Eodemq; tempore Vuacho super Sueuos irruit, eosq; dominio suo subiugauit. Hoc si quis mendacium & non esse uerum existimat: legat prologum edicti, quem rex Rotharis de Langobardorum legibus composuit, & pene in omnibus hoc codicibus sicut in hac historiola scriptum comperiet. Habuit autem Vuacho uxores tres, primam Ranicundam nomine, filiam regis Turingorum. deinde duxit Hostricosam filiam regis Gepidarum, de qua habuit duas filias: quarũ alteri nomen erat Vuisegarda, quam tradidit in matrimonium Theodeberto regi Francorum: secunda autem dicta est Vualderada quæ sociata est cum Subaldo alio rege Francorum. Tertiam uero uxorem Vuacho habuit Erulorum regis filiam nomine Salingam, ex qua natus est filius, quem Vualtarithum appellauit, quiq; Vuachone mortuo super Langobardos iam octauus regnauit. Omnes autem Adelingi fuerunt. Sic enim apud eos quædam nobilis prosapia uocabatur.

Vuacho — *Sueui uicti à Vuachone.* — *Vuachonis coniuges.* — *aliàs, Cusupaldo regi.* — *Vualtarithus rex 8.* — *Adelingi*

De Andoino rege IX qui Langobardos in Pannoniã duxit, deq; gestis eius ibidem. CAP. XV



Valtarithus autem cum septem annos regnasset ab hac luce subtractus est. Post quem nonus Andoinus regnum adeptus est, qui non multo tempore post Langobardos in Pannoniam adduxit. Gepidæ uero ac Langobardi concepta iamdudum rixa, tandem in apertum exarserunt bellum, quod ab utrisq; partibus pro facultatibus apparabatur. Commisso autem prælio dum ambæ acies fortiter dimicarent, & neutra alteri cederet, contigit ut in ipso certamine Andoini filius Alboinus & Turismodus Turisindi filius inter se obuij fierent, quem Alboinus spata percutiens de equo præcipitatum extinxit. Cernentes Gepidæ regis filium per quem magna suæ partis bella constiterant, interisse: mox dissolutis animis fugam ineunt. Quos Langobardi insequentes acriter sternũt: cæsisq; quàmplurimis ad extrahenda occisorũ spolia reuertuntur. Cumq; peracta uictoria ad sedes proprias remeassent, regi suo Andoino suggesserunt, ut ei Alboinus cõuiua fieret, cuius uirtute in prælio uirtutem cepissent: ut sicut

Andoinus rex 9. — *Turismodum necat Alboinus.* — *Gepidarum fuga*

ut sicut in patris periculo, ita & in conuiuio cōmunis esset. Quibus Andoinus respondit, se hoc facere minime posse, ne ritum gentis infringeret. Scitis enim (inquit) non esse apud nos consuetudinem, ut regis filius cum patre prandeat, nisi prius à rege gentis exteræ arma susceperit.

Quomodo Alboinus Andoini filius à Turisindo Gepida honorifice acceptus & mensa ac armis, id est insignibus donatus ad patrem rediit: mensaq́ ab eo dignatus est. CAP. XVI

His Alboinus à patre auditis, solummodo quadraginta secum iuuenes assumens, ad Turisindum Gepidarum regem cum quo paulo ante bellum gesserat, profectus est: causamq́ quamobrem uenerat indicauit. Qui eum benigne susceptū ad suum conuiuium inuitauit: ad que dexteram suam ad quam Turisimodus eius quondam filius, sedere consueuerat: collocauit. Interea dum apparatas epulas sumerent: Turisindus iamdudum sessionem filij mente reuoluens, natiq́ funus ad memoriam ducens, præsentemq́ peremptorem eius in loco eiusdem residere conspiciens, alta trahens suspiria sese continere non potuit: sed tandem dolore in uocem erumpente, Amabilis inquit mihi locus iste est, sed persona quæ in eo residet, nimis ad uidendum grauis est. Tunc regis alter qui aderat filius paterno stimulatus sermone, Langobardos iniurijs lacessere cœpit: asserens eos quia in suris inferius candidis utebantur fasciolis: equabus quibus cruruntenus pedes albi sunt, esse persimiles, addiditq́ dicens: faciles sunt equę quas refertis seu simulatis. Tunc quidam Langobardorum ita respondit. Perge in campum Affeld: ibiq́ procul dubio experieris quàm ualide istæ equæ quas nominas ualeant calcitrare: ubi sic tui dispersa sunt ossa germani, quemadmodum pili iumenti in medijs pratis. His auditis Gepidæ confusionem ferre amplius non ualentes uehementer in iram commoti sunt, manifestasq́ iniurias uindicare nituntur. Langobardi contra, parati ad bellum, omnes ad gladiorum capulos manus adijciunt. Tunc rex de mensa prosiliens se in medium obiecit, suosq́ ab ira belloq́ compescuit: interminans se primo eum puniturum, qui primus pugnam commiserit: non esse uictoriam deo placitam dicens, cum quis in domo propria hospitem perimit. Sic deniq́ iurgio compresso iam deinceps lætis animis cōuiuium peragunt, sumensq́ Turisindus arma Turismodi filij sui ea Alboino tradidit, eumq́ ad patris regnū incolumem redire permisit. Reuersus itaq́ ad patrem Alboinus tam claris armis insignitus mox eiusdem conuiua effectus est. Qui dum cum patre lætus regias delicias caperet, ordine cuncta retulit quæ sibi apud Gepidas in Turisindi regia mensaq́ cōtigissent. Mirantur cuncti qui aderant & laudant audaciam Alboini: nec minus extollunt Turisindi maximā fidem.

De Iustiniani principis semper Augusti magnificis gestis, scriptis, & ædificiis. Deq; Cassiodoro, Prisciano, Aratore, & diuo patre Benedicto, eorumq; præconiis. CAP. XVII



Ac tempestate Iustinianus Augustus Romanũ imperium feliciter sorte regebat. Qui & bella prospere gessit: & in causis ciuilibus mirificus extitit. Nam per Belisarium patricium Persas fortiter deuicit. Per quem eundem Belisarium Vuandalorum gentem capto eorũ rege Gelismero usq; ad internecionẽ deleuit: Aphricamq; totam post annos nonaginta & iure & ui Romano imperio restituit. Rursumq; Belisarii uiribus Gothorum gentem in Italia, capto Vuitichiso eorum rege superauit. Mauros quoq; post hoc Aphricã infestantes eorumq; regem Antalam per Ioannem proconsulem mirabili uirtute protriuit. Pari etiam modo & alias gentes belli iure compressit. Quam ob causam propter horum hominum uictorias: ut Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Atticus, Abaricus, Vuandalicus, Aphricanusq; diceretur & haberet tot nomina meruit. Leges quoq; Romanas, quarum prolixitas non minima erat, & inutilis dissonantia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes constitutiones principum quæ utiq; multis in uoluminibus habebantur, in duodecim libros contraxit, idemq; uolumen Codicem Iustinianum appellari præcepit. Rursumq; singulorum magistratuum siue iudicum iurisconsultorumq; leges, quæ pene ad duo milia librorũ erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerũ redegit: eumq; codicem digestorum siue pandectarum uocabulo nuncupauit. Quatuor etiam Institutionum libros, in quibus breuiter uniuersarũ legum textum cõprehendit, opus nouum composuit. Nouas quoq; leges quas ipse statuerat in unum uolumen redegit: eundemq; codicẽ Nouellam nuncupari sanciuit. Extruxit quoq; idem princeps intra urbem Constantinopolim Christo domino, qui est sapiẽtia dei patris, templum: quod græco uocabulo hagian sophian, id est sanctam sapientiam nominauit. Cuius opus adeò cuncta alia ædificia excellit: ut in totis terrarum spatiis illi simile non posset inueniri. Erat enim hic princeps fide catholicus, in operibus rectus, in iudiciis rectus, ideoq; ei omnia concurrebant in bonum. Huius temporibus Cassiodorus apud urbem Romam tam seculari quàm diuina scientia claruit, qui inter cætera quæ nobiliter scripsit, psalmorum præcipue occulta potentissime reserauit. Hic primum consul, deinde senator, ad postremum uero monachus extitit. Hoc etiam tempore Dionysius abbas in urbe Roma constitutus, paschalem calculum miranda argumentatione composuit. Tunc quoq; apud Constantinopolim Priscianus Cæsariensis grammaticæ artis profunda (ut ita dixerim) scrutinia rimatus est. Tunc præterea Arator Romanæ ecclesiæ subdiaconus, poẽta q; mirabilis apostolorum acta uersibus hexametris exarauit. His adhæc diebus beatissimus pater Benedictus primum in loco qui Sublaco dicitur,

qui

Iustinianus Augustus. Belisarius dux. Vuandalorũ interitus. Gothi uicti. Codex. Pandectæ Digesta. Institutiones. Nouella. Aedes Sophiæ Cassiodorus. Dionysius abbas. Priscianus Cæsariensis.

qui ab urbe Roma quadraginta milibus abest: & postea in Cassino & magnis uitæ meritis, & apostolicis uirtutibus effulsit. Cuius uitam (sicut notum est) beatissimus papa Gregorius in suis dialogis suaui sermone composuit. Ego quoq; pro paruitate ingenij mei, ad honorẽ tanti patris singula eius miracula per singula disticha, elegiaci metri modo contexui.

De Alboino Andoini filio qui mortuo patre regum nonus effectus, inuictissimus claruit præliator. CAP. XVIII

ANdoinus autem (ut ad historiam reuertar) ut dixi Langobardorum rex nonus: qui ex Rodelinda coniuge Alboinum de quo iã pluscula scripsimus susceperat, post multa præclare gesta fato cõcessit. Post cuius funus iustaq; peracta, Alboinus sępe nominatus, rex decimus ad regendã Langobardorum gentem cunctorum uotis accessit. Qui cum famosissimum & uiribus clarum ubiq; nomen haberet: Clotarius Frãcorum rex filiam suam Chlodsuindam ei in matrimonio sociauit. De qua unam tantum filiam Albisindam nomine genuit. Obijt autem Turisindus rex Gepidarum: cui successit Cunimundus in regno. qui uindicare ueteres Gepidarum iniurias cupiens: rupto cum Langobardis à patre icto fœdere, bellum potius quàm pacem elegit. Alboinus uero cum Abaribus qui primum Huni postea à regis nomine Abares appellati sunt, fœdus perpetuũ inijt: dehinc ad præparatum à Gepidis bellum profectus est. Qui cum aduersus eum è diuerso præpararentur, Abares ut cum Alboino statuerant, eorum patriam inuasere. Tristis ad Cunimundum nuntius ueniens: inuasisse Abares eius terminos dicit: qui prostratus animo tristisq; & in angustijs positus, hortatur tamen suos primũ cum Langobardis cõfligere: quos si superare ualerent, tunc demũ Hunorum exercitũ è patria pellerent. Committitur ergo prælium, pugnatumq; est totis utrinq; uiribus. Langobardi autẽ uictores euadunt tanta in Gepidas ira sęuiẽtes, ut eos ad internecionẽ usq; delerẽt, atq; ex copiosa multitudine uix nũtius superesset. In eo prælio Alboinus Chunimundum occidit, caputq; illius auferẽs ad bibendũ ex eo poculũ fecit, quod poculi genus apud eos scala dicit: lingua uero latina patera uocitatur. Cuius filiã nomine Rosimundam cum magna diuersi sexus & ętatis multitudine, captiuã abduxit, quã quia Chlodsuinda tum obierat, in suã, ut postmodũ patuit, perniciẽ duxit uxorem. Tũc Langobardi tantã adepti sunt prædã, ut iam ad amplissimas peruenerint diuitias. Gepidarũ uero genus ita imminutũ est ut ex illo tempore ultra nõ habuerint regẽ: sed uniuersi qui bello superstites esse poterant à Langobardis subiecti sunt, ut usq; in hodiernũ diem Hunis eorum patriã possidentibus gemãt. Alboini uero ita præclarũ longe lateq; nomẽ percrebuit, ut hactenus etiã tam apud Baioariorum gentem q̃; & Saxones & alios eiusdem linguæ homines eius liberalitas & gloria bellorumq; felicitas & uirtus eorũ carminibus celebretur. Arma uero præcipua sub eo fabricata fuisse à multis hucusq; narratur.

Alboinus rex decimus.

Clotharius Frãcorũ rex.

Turisindi Gepidæ mors.

Cunimundus regnat.

Prælium acre

Gepidæ delentur

Poculũ è capite hostili.

Rosimunda.

PAVLI DIACONI DE GESTIS
LANGOBARDORVM LIBER II

Narses Chartularius imperialis aduersus Totilam Gothorum regẽ pũgnaturus ab Alboino qui cum fœdus habebat, auxiliũ petit. CAP. I



Narses. Totila.

GITVR cum circũquaq; frequentes Langobardorum uictoriæ personarent, Narses Chartularius imperialis qui tunc præerat Italiæ, bellum aduersus Totilam Gothorum regem præparans, cum iampridem Langobardos sibi confœderatos haberet, legatos ad Alboinum dirigit, quatinus ei pugnaturo cum Gothis auxiliũ suppeditaret. Tunc Alboinus electam ei bellatorum manum direxit, qui Romanis aduersus Gothos auxilium ferrent. Qui per maris Adriatici sinum in Italiam transuecti, sociati Romanis pugnam iniuere cum Gothis. Quibus usq; ad internecionem pariter cum Totila rege suo deletis, onerati multis muneribus uictores ad propria remearunt. Omniq; tempore quo Langobardi Pannoniam possedere Romanorum reipublicæ aduersus æmulos adiutores fuere.

Lãgobardi Italiam ingreßi. Gothi delẽtur

De Theodeberti Francorum regis ducibus Buccilino & Amingo in Italia à Narsete occisis, & de Leutharij morte. CAP. II




Buccilinus Theodebertus rex

Is temporibus Narses etiã Buccilino duci bellum intulit, quem Theodebertus Francorum rex cum Italiam introisset, reuertẽs ad Galliam cum Amingo altero duce ad subijciẽdam Italiam dereliquerat. Qui Buccilinus cum pene totam Italiam direptionibus uastaret: & Theodeberto regi suo de prẹda Italiæ munera copiosa cõferret, cum in Campania hyemare disponeret, tandem in loco cui Tanneta nomen est graui bello à Narsete superatus extinctus est. Amingus uero dum Vuidino Gothorum comiti contra Narsetem rebellanti auxilium ferre conatus fuisset, ambo à Narsete superati sunt. Vuidinus superatus Constantinopolim in exilium abijt. Amingus uero qui ei auxilium præbuerat, Narsetis gladio perimitur. Tertius quoque Francorum dux nomine Leutharius, Buccilini germanus, dum multa præda onustus ad patriam cuperet reuerti, inter Veronam & Tridentum, iuxta lacum Benacum propria morte defunctus est.

Amingus

Leutharius

Narses Sinduald um Brentorum regem rebellantem occidit, Italiam obtinet, & laudatur. CAP. III



Abuit nihilominus Narses certamen aduersus Sindualdum Brentorum regem, qui adhuc de Erulorum stirpe remanserat, quos secum in Italiam ueniẽs adduxerat. Huic Narses sibi primũ fideliter adhærenti multa beneficia contulit, sed nouissime superbe rebellantem, & regnare cupientem, bello superatum & captum

cessa in trabe suspendit. Eo quoq; tempore idem Narses patricius per Dagisteum magistrum militum, uirum bellicosum & fortem, uniuersos Italiæ fines obtinuit. Hic Narses prius quidem Chartularius fuit: deinde propter uirtutum meritum patriciatus honorem promeruit. Erat autem uir pijssimus, in religione catholicus, in pauperes munificus, in reparandis basilicis multum studiosus, uigilijs & orationibus intantum studens, ut plus supplicationibus ad deum profusis, quàm armis bellicis uictoriam obtineret.

Sindualdus suspenditur. Narseti paret Italia. Narses & eius successus ac laus

De horrenda pestilentia in Liguria orta, Iustiniani obitu, Iustini successione, Vitalisq; episcopi exilio. CAP. IIII


IIsdem temporibus in Liguria prouincia maxima pestilentia exorta est. Subito enim apparebant quædam signacula, per domos ostia, uasa, uestiméta, quę si quis uoluisset abluere, magis magisq; apparebant. Post annum uero expletum cœperunt nasci in inguinibus hominum & alijs delicatioribus locis, glandulæ in modum nucis seu dactyli, quas mox subsequebatur febrium intolerabilis æstus: ita ut in triduo homo extingueretur. Sin uero aliquis triduum transegisset, habebat spem uiuendi. Erat autem ubiq; luctus, ubiq; lachrymæ. Nam ut uulgi rumor habebat, fugientes cladem aut uitantes, relinquebant domos desertas habitatoribus, solis catulis eas seruantibus. Pecuaria sola remanebant in pascuis, nullo astante pastore: Cerneres uillas & castra agminibus hominum repleta, postero die uniuersis fugientibus in summa uastitate & silentio. Fugiebant filij parentum insepulta relinquentes cadauera. Parentes autem obliti pietatis uiscera, natos relinquebant æstuantes. Si quem forte antiqua pietas perstringebat, ut uellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus: & dum obsequebatur, perimebatur: dum conferre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadauer remanebat: ut uideres sæculum in antiquum redactum silentium. Nulla uox audiebatur nisi gementium in morte, nullus pastorum sibilus, nullæ ferarum insidiæ parabantur pecudibus, nulla damna domesticis uolucribus. Sata transgressa metendi tempora, intacta expectabant messores. Vinea amissis folijs, radiantibus uuis illæsa manebat, hyeme appropinquante. Nocturnisq; horis personabat tuba bellantium, audiebatur à pluribus quasi murmur exercitus. Nulla erant uestigia commeantium, nullus cernebatur percursor, & tamen uisus oculorum superabant cadauera mortuorum. Pastoralia loca uersa fuerant in hominum sepulturas, & habitacula humana facta fuerant confugia bestiarum. Et hæc quidem mala intra Italiam tantum, usq; ad fines Alemannorum & Baioariorum solis Romanis accidere. Inter hæc Iustiniano principe uita decedente, Iustinus minor rempub. apud Constantinopolim regendam suscepit. His quoq; temporibus Narses patricius, cuius studium ad omnia uigilabat, Vitalem episcopum Altinæ ciuitatis, qui ante annos plurimos ad Francorum regnum, hoc est, ad Maguntineñ. ciuitatem confugerat,

Pestis maxima

Iustinianus moritur. Iustinus imperat

gerat, tandem comprehensum apud Siciliam exilio damnauit.

De Romanorũ in Narsetem ob nimias opes inuidia, eorumq; eiusdem apud Iustinum delatione: de Iustini in ipsum odio, & Longini in locũ Narsetis suffectione, deq; Langobardorum in Italiã excitatione. CAP. V



DEleta, ut dictum est, uel superata omni Gothorum gente, Hunis quoq; de quibus diximus, pari modo deuictis, Narses dũ multum auri & argenti aliarumq; rerum diuitias acquisiuisset, magnam à Romanis, pro quibus multum contra eorum hostes laborauerat, inuidiã contraxit. Qui cõtra eum Iustino Augusto, eiusq; coniugi Sophiæ in hæc uerba suggessere dicentes: quod expedierat Romanis seruire potius Gothis quàm Græcis: ubi Narses eunuchus imperat, & nos seruitute opprimit, & hæc noster pijssimus princeps ignorat. Aut igitur libera nos de manu eius, aut certe & urbem Romam, & nosmetipsos gentibus trademus. Cumq; hoc Narses audisset, hæc breuiter retulit uerba. Si male feci Romanis, male inueniam. Tunc Iustinus Augustus in tantum aduersus Narsetem commotus est, ut statim in Italiam Longinum præfectum mitteret qui Narsetis locum obtineret. Narses uero his cognitis ualde timuit, & usq; adeo ab Augusta Sophia perterritus est ut ultra regredi Constantinopolim non auderet. Cui inter cætera, quia eunuchus erat, illa hoc fertur mandasse, ut eum puellis in Gynæceo lanarum pensa faceret diuidere. Ad quæ Narses respondisse fertur, talem se eidem telam orditurum, qualem ipsa dum uiueret deponere ac detexere non posset. Itaq; odio metuq; exagitatus, Neapolim Campaniæ ciuitatem secedit: unde legatos mox ad Langobardorum gentem dirigit, mandans ut pauperrima Pannoniæ rura desererent, & ad possidendam Italiam cunctis refertam diuitijs uenirent. simulq; multimoda pomorum genera, aliarumq; rerum species, quarum Italia ferax est, ad eos mittit, ut eos ad ueniendum citius possit illicere. Langobardi uero læta nuntia, & quæ ipsi præoptauerant, gratanter accipiunt, deq; futuris commodis animos extollunt. Continuo autem apud Italiam terribilia noctu signa uisa sunt, utpote igneæ acies in cœlo apparentes, eum uidelicet qui postea effusus est sanguinem tali coruscatione portendentes.

Ro. criminantur Narsetem

Longinus Italiæ præficitur

Alboinus cum Langobardis in Italiam migraturus Saxones in auxiliũ asciscit, & Hunis Pannoniam sub pacto committit. CAP. VI



ALboinus itaq; ad Italiam cum Langobardis profecturus, ab antiquis amicis suis Saxonibus auxilium petijt, quatenus spatiosam regionem possessurus, cum plurimis intraret. Ad quem Saxones plus quàm uiginti milia uirorum cum uxoribus simul & paruulis, ut cum eo ad Italiam pergerent iuxta eius uoluntatem uenerunt. Hoc audiẽtes Clotharius & Sigisbertus reges Francorum, Sueuos aliasq; gentes in locis de quibus ijdem Saxones exierant posuere. Tunc Alboi-

Lãgobardorũ in Italiã irruptio.

Saxonum uiginti milia Italiam petunt.

Clotharius & Sigibertus

Alboinus sedes proprias, hoc est, Pannoniam amicis suis Hunis cõtribuit, eo quidẽ pacto, ut si quo tempore Langobardis necesse foret reuerti, sua rursum arua reciperẽt. Igitur Langobardi relicta Pannonia cum uxoribus & natis omniq; supellectile Italiam properant possidere. Habitauerunt autem in Pannonia annos quadraginta duos: de qua egressi sunt mense Aprili per indictionem primam, altero die post sanctum pascha. Cuius festiuitas eo anno iuxta calculi rationem ipsis Calendis aprilis fuit, cum iam à domini incarnatione anni quingenti sexaginta octo, essent euoluti.

Pannonia Hunis cõmittitur

Annus 568

Alboinus è monte qui deinceps regius dictus est & Bisontes alit, Italiam contemplatus, Venetiam primam petit occupatq;, & in ea Gisulfum nepotem suum & populo & equis donatum uicarium linquit.

CAPVT VII

IGITVR cum rex Alboinus cum omni suo exercitu, uulgiq; promiscui multitudine ad extremos Italiæ fines peruenisset, montem quendam qui in ijsdem locis prominet ascendit, indeq; quantum prospicere potuit, partem Italiæ contemplatus est. Qui mons propter hanc (ut fertur) causam, ex eo tempore Mons regis appellatus est. Ferunt autem in hoc monte Bisontes feros nutriri, nec mirum cum hic Pannoniam usq; pertingat, quæ huiusmodi animantium ferax est. Cæterum rettulit mihi quidam ueracissimus senex, se corium occisi Bisontis uidisse in hoc monte, tantum, ut in eo quindecim homines alius iuxta alium potuissent cubare. Inde autem Alboinus cum fines Venetiæ (quæ prima est Italiæ prouincia) hoc est ciuitatis uel potius castelli Forijuliani terminos sine aliquo obstaculo introijsset, perpendere cœpit cui potissimum primam prouinciarum quam ceperat, committere deberet. Siquidem omnis Italia quæ meridiem uersus, uel potius in Eurum extenditur, aut Tyrrheni aut Adriani maris fluctibus ambitur: ab occiduo autem & aquilone iugis alpium ita circuncluditur, ut nisi per angustos meatus & per summa montium iuga nõ possit haberi introitus: ab orientali uero parte, qua Pannoniæ coniungitur, & largius patentem, & plenissimum habet ingressum. Igitur, ut diximus, dum Alboinus animum intenderet, quem in dictis locis ducem cõstituere deberet, Gisulfum (ut fertur) nepotem suum, uirum per omnia idoneum, qui eiusdem strator erat, qui lingua propria Marpais appellatur, Foroiulianæ ciuitati & toti illius regioni præficere statuit. Qui tamen se non prius regimen eiusdem ciuitatis & populi suscepturum dixit, quàm sibi quas ipse eligere uoluisset Langobardorum pharas, hoc est generationes, tribueret ad habitandum. Itaque annuente rege quas optauerat præcipuas Langobardorum prosapias ut secum habitarent accepit, & ita demum ductoris nomen adeptus est. Poposcit etiam à rege generosarum equarum greges, & in hoc quoq; liberaliter à principe exauditus est.

Mons regis Bisontes

Venetiã occupat Alboinus

Italiæ limites & monumẽta

Gisulfus præficitur forojulij

Qui status rerum in Francia fuerit in tempore aduentus Langobardorum in Italiam. Et de morte Narsetis. De diuisione autem regni aliter differit Gregorius Turoñ. lib. 4. cap. 24. ubi dicit nõ Senonas sed Suessionas: nec Metenses sed Remeñ. nec Aripertum sed Charibertum primum filiorum Clotarij. Sabellicus autem Ennea. 8. lib. 5. dicit quod Parrhisijs Arithpertus maximus natu regnarit, in Aurelianeñ. Guntrannus, Chilpericus in Suessionibus, in Metensibus Sigibertus. CAP. VIII

Regni Francorũ diuisio



HISCE diebus quibus Langobaddi Italiam inuaserunt, Francorum regnum, mortuo iam eorum rege Clothario, eius filij quadrifariam regebant diuisum. Primusq; ex ijs Aripertus sedem habebat apud Parrhisios. Secundus uero Guntrannus ciuitati præsidebat Aurelianeñ. Tertius autem Chilpericus cathedram habebat apud Senonas in loco Clotharij patris sui. Quartus nihilominus Sigibertus apud urbem regnabat Metensem. Hoc autem tempore Romanam ecclesiam uir sanctissimus Benedictus papa regebat. Aquilegieñ. quoq; ciuitati eiusq; populis Paulus patriarcha præerat. Qui Langobardorum barbariem metuens ex Aquilegia ad Gradi insulã confugit, secumq; omnem suæ ecclesiæ thesaurum deportauit. Sequenti uero æstate tanta fertilitas extitit, quantam nulla ætas asseuerat meminisse. Eo quoq; tempore Huni qui & Abares, comperta Clotharij regis morte in Sigibertum eius filium irruunt. quibus ille in Turingia occurrens eos iuxta Albim fluuium potentissime superauit: pacemq; petentibus dedit. Huic Sigiberto de Hispanijs ueniens Brunechildis matrimonio iuncta est. de qua ille unũ Childebertum nomine suscepit. Rursusq; Abares cũ Sigiberto in locis ubi & prius pugnantes Francorum proterendo exercitum, uictoriã sunt adepti. Narses uero de Campania Romam regressus ibidem paulo post ex hac luce subtractus est. Cuius corpus positum in locello plumbeo, cum omnibus diuitijs eius Constantinopolim est perlatum.

Benedictus papa

Paulus patriarcha

Venetiarũ origo

Sigibertus in Hunos

Abares seu Huni uincũt

Narsetis exitus

De Alboini erga Felicem episcopũ munificentia, deq; eiusdẽ & sancti Fortunati à dolore oculorũ per diuũ Martinũ sanatione, occasione cuius describit peregrinationẽ dicti Fortunati ad diuũ Martinum. CAP. IX



IGITVR Alboinus cum ad fluuium Plauem peruenisset, ibi ei Felix episcopus Taruisanæ ecclesiæ occurrit. eiq; ut erat largissimus, omnes ecclesiæ suæ facultates postulanti concessit, & per suũ pragmaticum postulata firmauit. Sane quia huius Felicis fecimus mẽtionem libet quoq; pauca de uenerabili & sapientissimo uiro Fortunato cõtexere, qui hunc Felicẽ asserit sibi sociũ fuisse. Hic itaq; Fortunatus, ortus quidem in loco qui Duplabilis dicitur fuit, qui locus haud longe à Cenitẽsi castro uel Taruisana distat ciuitate: sed tamẽ Rauennæ nutritus & doctus in arte grammatica, rhetorica & Geometrica clarissimus extitit. Is cum oculorum dolorẽ uehementissimũ pateret, & similiter Felix præfatus socius eius eo-

rundem

rundem dolore laboraret: utriq; ad Basilicam beatorũ Pauli atq; Ioannis quæ intra eandem urbem sita est perrexere. In qua etiam altarium in honore beati Martini confessoris constructum, propinquam habet fenestrã, in qua lucerna ad exhibendum lumen est cõstituta. De cuius oleo postq; fratres isti, Fortunatus scilicet & Felix, dolentes oculos tetigerant, ilico dolore fugato sanitatem quam optabãt, adepti sunt. Qua de causa Fortunatus in tantum beatũ Martinum ueneratus est, ut relicta patria paulo ante quàm Langobardi Italiam inuaderẽt, ipsius sanctissimas reliquias in Gallia sitas uisitare decreuerit, quod iter suum per flumina, montes, ualles, oppida, pagos, ipse in carminibus suis dilucide describit. Qui postquam Turonos iuxta uotum propriũ peruenit, Pictauos pertrãsiens, illic habitauit, & multorũ ibidem sanctorũ gesta, partim prosa, partim metrica oratione conscripsit. Nouissimeq; in eadem ciuitate primũ presbyter, deinde episcopus ordinatus est, atq; in eodẽ loco digno tumulatus honore quiescit. Hic beati Martini uitam quatuor libris heroico uersu contexuit, & multa alia, maximeq; hymnos singularum festiuitatum: & ad diuersos amicos uersiculos nulli poëtarum secundus, suaui & diserto sermone composuit. Ad cuius ego tumulum cum illuc orationis gratia aduentassem, epitaphium, rogatus ab eiusdem loci abbate, contexui.

Fortunatus in Galliã uenit

Fortunati scripta

De urbibus ab Alboino Langobardorum rege in Venetia captis, & quanta sit eius regionis extensio. CAP. X

VT uero cœptã repetamus narrationẽ, Alboinus Vincentiam Veronamq; & reliquas Venetiæ urbes, exceptis Patauio & Montesilicis & Mantua, cepit. Venetia enim non solũ in paucis insulis quas nunc Venetias dicimus, cõstat: sed eius terminus à Pannoniæ finibus usq; ad Adduam fluuium profertur. Probatur hoc in annalibus antiquis in quibus Bergamum ciuitas esse legitur Venetiarum. Nam & de Benaco lacu in historijs ita legimus. Benacus Venetiarũ est lacus, de quo Mincius fluuius egreditur. Henetũ enim, licet apud latinos aspiratio in u uertatur, Græci laudabilem dicunt. Venetiæ aũt Histria connectitur, & utræq; pro una prouincia habẽtur. Histria enim ab Histro fluuio cognominatur, qui secundum Romanam historiam amplior quàm nũc est fuisse perhibetur. Huius Venetiæ Aquilegia ciuitas caput extitit, pro qua nunc Forumiulij, (ita dictum quod Iulius Cæsar negotiationis forũ ibi statuerat) habetur.

Venetiæ ambitus

Hister

Forumiulij

De cæteris (præter Venetiam quæ prima est) Italiæ prouincijs. Et de nominum Italiæ etymologijs & causis. CAP. XI

NON ab re me facturum arbitror si etiã cæteras Italiæ prouincias attingam. Secunda igitur post Venetiam est LIGVRIA à legendis, id est, colligendis leguminibus quorum satis fertilis est nominatur. In qua Mediolanum est & Ticinum, quæ Papia alio nomine nuncupatur. Hæc usq; ad Gallorum fines extenditur.

Prouinciæ Italiæ
Venetia I
Liguria II

Inter hanc & Sueuiam Alemannorum prouinciã quæ Septentrionem uersus sita est, duæ prouinciæ, scilicet, RETIA prima & RETIA secunda inter alpes consistunt, in quibus proprie Reti habitare noscuntur. Quinta uero prouincia Alpes COTIAE sunt, quæ sic à Cotio rege, qui Neronis tẽpore fuit, sunt appellatæ. Hęc prouincia à Liguria in Eurum uersus usq; ad mare Tyrrhenum extendit, ab occiduo uero Gallorum finibus copulatur in Aquis, ubi aquæ calidę sunt, Dertona, & monasterium Bobium, Genua quoq; & Sauona ciuitates habent. Sexta prouincia est TVSCIA à ture, quod populus illius prouinciæ superstitiose in sacrificijs deorum suorũ incendere solebat, sic appellata. Hæc habet intra se Circium uersus Aureliã, ab oriẽtis uero parte Vmbriam. In hac prouincia Roma quæ olim totius mundi caput extitit, est constituta. In Vmbria uero quæ istius pars ponit, Perusium & lacus Clitorius, Spoletumq; consistunt. Vmbria autem dicta est quod in inundatione terrarum imbribus superfuerit. Septima prouincia ab urbe Roma usq; ad Silerum Lucaniæ fluuiũ producitur. In qua opulentissimę urbes Capua, Neapolis, & Salernum constitutæ sunt. Quæ CAMPANIA appellata est propter uberrimam Capuæ planitiem. Cæterum maxima ex parte montuosa est. Porro octaua LVCANIA, quæ nomen à quodã Luco accepit, à Silero fluuio inchoatur cum BRVTIA, quæ ita à reginæ quondam suæ nomine appellata est, usq; ad fretum Siculum per oram maris Tyrrheni sicut & duæ superiores, dextrum Italiæ cornu tenens pertingit. In qua Pestum, Lainum, Cassianum, Consentia, Rhegiumq; urbes positæ sunt. Nona autem prouincia in Apœninis alpibus sita est, quæ inde originem capiunt, ubi Cotiæ alpes finiuntur. hæ Apœninæ alpes per mediam Italiam extẽsæ Tusciam ab Æmilia, Vmbriamq; à Flaminia diuidunt. In qua sunt ciuitates, Ferromanum, Monsbellus, Bouium, Vrbinum: necnon & oppidum quod Verona appellatur. Alpes autem Apœninæ dictæ sunt à Pœnis, hoc est ab Annibale & eius exercitu, qui per easdem Romam tendentes transitum habuerunt. Sunt qui alpes Cotias & Apœninas unam dicant esse prouinciam. Sed tales dictores reuincunt historiæ, quæ alpes Cotias per se prouinciã appellant. Decima prouincia AEMILIA, à liguria incipiens inter Apœninas alpes & Padi fluenta Rauennam uersus pergit. Hæc locupletibus urbibus decorat, Placentia scilicet & Parma, Regio, Bononia, Foro Cornelij, cuius castellũ Immola appellat. Extiterũt quoq; qui Æmyliam & Valeriam Nursiamq; unã prouinciam dixerunt, sed eorum sententia quod mẽdax sit in multis probat.

Dehinc undecima prouinciarum est FLAMINIA, quæ inter Apœninas alpes, & mare est adriaticum posita, In qua nobilissima urbiũ Rauenna, & quinq; aliæ ciuitates consistunt, græco uocabulo pentapolis dictæ. Cõstat autẽ Aureliam, Æmyliam & Flaminiam à cõstratis uijs quæ ad urbẽ Romam ducunt, & ab eorũ à quibus cõstratæ sunt nominibus ita appellatas.

Retiæ duæ
V
VI Tuscia
VII Campania
VIII Lucania Brutia
IX Apœninæ alpes
X Aemilia
XI Flaminia

Post Flaminiã duodecima prouincia PICENVM occurrit, habens ab austro Apenninos montes, ex altera uero parte Adriaticum mare. Hęc usque ad Piscariam fluuium protenditur. In qua sunt ciuitates quatuor: Firmum, Asculum, Pinnæ, quæ iam uetustate consumpta est: & Adria quæ Adriatico pelago nomen dedit. Huius habitatores quum à Sabinis illuc properarent, in eorum uexillo picus auis consedit, atq; hac de causa Picenis nomen inditum. Porro decimatertia prouincia VALERIA, cui est Nursia annexa, inter Vmbriam & Campaniam Picenumq́; consistit. Quæ ab oriente Samnitum regionem attingit. Huius pars occidua, quæ ab urbe Roma initium capit, Hetruria dicta est. Hæc habet Tybur, Carsulos, Reate, Furconium, Amiternum, regionemq́; Marsorum, & eorum lacum qui Fucinus appellatur. Marsorum aũt regionem ideo intra Valeriam prouinciam existimo computari, quod in catalogo prouinciarum Italiæ minime ab antiquis descripta sit. Siquis autem hanc per se prouinciam esse uera ratione comprobauerit, huius rationabilis sententia modis erit omnibus tenẽda. Decimaquarta SAMNIVM, inter Campaniã & mare adriaticum, Apuliamq́; à Piscaria incipiens habetur. In hac sunt urbes tres: Theata, Aufidena, Esernia, quæ est antiquitate consumpta: Samnium, à quo tota prouincia nominatur. Et est harum prouinciarum caput ciuitas ditissima Beneuentum. Porro Samnites nomen accepere olim à Samnio colle quem primum insederunt. Quintadecima prouinciarum est APVLIA, consociata Calabria, intra quam est regio Salentina. Hæc ab occidente & Aphrico habet Samnium & Lucaniam, à solis uero ortu adriatico pelago finitur. Habet urbes satis opulentas, Luceriam, Sipontum, Canusium, Acheruntiã, Brundusium, & Tarentum, & in sinistro Italiæ cornu quod quinquaginta milibus extenditur aptam mercimonijs Hydrontum. Apulia autem à perditione nominatur. Citius enim solis ibi feruoribus terræ uirentia perduntur.

XII Picenum

XIII Valeria

Marsi

XIIII Samnium

XV Apulia

Decimasexta prouincia insula ponitur, quæ Tyrrheno mari abluitur: de Siculisq́; ducibus proprio nomine nuncupatur. Decimaseptima CORSICA, Decimaoctaua SARDINIA ponitur, quæ utræq; Tyrrhenis fluctibus ambiuntur. Porro Corsica à duce suo Corso, Sardinia à Sardo Herculis filio nominatur. Certum est tamen Liguriam ac partem Venetiæ Æmyliamq́; & Flaminiam ueteres historiographos Galliam cisalpinam appellasse. Inde est quod Donatus Grammaticus in expositione Virgilij Mantuam in Gallia esse dixit. Indeq́; est quod in Romana historia legitur Ariminum in gallia constitutum. Siquidem antiquissimo tẽpore Brennus Gallorum regulus, qui apud Senonas regnabat, cum trecentis millibus Gallorũ Senonum in Italiam uenit, eamq́; usq; ad Senogalliã, quæ à gallis Senonibus uocitata est, occupauit. Causa aũt cur Galli in Italiã uenerint, hæc fuisse describitur. Cum enim uinũ degustassent ab Italia delatum, auiditate uini illecti ad Italiam transierunt. Horum centies mille non longe

XVI Sicilia

XVII Corsica

XVIII Sardinia

Gallia togata

Gallorũ Senonum Brenno duce gesta & exitus

à Delphis

à Delphis grassantes Græcorum gladijs extincti sunt. Alteri centies mille Galatiam ingressi, primo Gallogræci, postea uero Galatæ appellati sunt. Et hi sunt quibus doctor gentium Paulus epistolam scripsit. Reliqui Galli ad centum milia qui in Italia remanserant, Ticinum, Mediolanum, Bergomum, Brixiamq; construentes, cisalpinam galliam regioni nomen dederunt. Isti sunt Galli Senones qui olim urbem Romam inuaserunt. Sicut autem dicimus Galliam transalpinam quæ trans alpes habetur: sic Galliam cisalpinam quæ citra alpes est uocitamus. Porro Italia quæ has prouincias continet, ab Italo Siculorum duce, qui eam antiquitus inuasit, nomen accepit. Siue ob hoc Italia dicitur, quia magni in ea boues, hoc est, itali habentur. Ab eo nanq; quod est italus per diminutionem, licet una litera addita & altera mutata, uitulus appellatur. Italia etiam Ausonia dicitur ab Ausone Vlyssis filio. Prius tamen Beneuentana regio hoc nomine appellata est, postea uero tota sic cœpit Italia uocitari. Dicitur etiam Latium Italia, pro eo quod Saturnus Iouem filium suum fugiens intra eam inuenisset latebram. Igitur postquam de Italiæ prouincijs uel ipsius nomine intra quam res gestas describimus sufficienter est dictum, nunc ad historiæ ordinem redeamus.

Gallogræci, Galatæ

Ausonia

Latium.

De Liguriæ & bonæ partis reliquæ Italiæ ab Alboino captione, & de Ticini seu Papiæ obsidione. CAP. XII



Alboinus igitur Liguriam introiens, indictione ingrediēte tertia ad Nonas Septemb. sub tēporibus Honorati archiepiscopi Mediolanum ingressus est. Dehinc uniuersas Liguriæ ciuitates præter eas quæ in littore maris positæ sunt cepit. Honoratus uero archiepiscopus Mediolanum deserens ad Genuensem urbem confugit. Paulus quoq; patriarcha Aquilegieñ. undecim annis sacerdotio functus ab hac luce substractus est, regendamq; ecclesiam Probino reliquit. Ticinensis autem ciuitas per ea tempora ultra quatuor annos obsidionem perferens, se fortiter continuit, Langobardorum exercitu non procul ab ea in occidentali parte residente. Interim Alboinus eiectis militibus, inuasit omnia usq; ad Tusciam, præter Romam & Rauennam & quædam castella quæ erant in maris littore cōstituta. Nec erat tunc uirtus Romanis ut resistere possint: quia & pestilentia quæ sub Narsete facta est, plurimos in Liguria & Venetia extinxerat: & post annum quē diximus miræ ubertatis fuisse, fames nimia irruens uniuersam Italiam deuastauit. Certum est autem Alboinum tunc multos secum ex diuersis gentibus, quas uel alij reges uel ipse ceperat, ad Italiam adduxisse. Vnde in hodiernum usq; diem populos in ijs quos inhabitant uicos, Gepidas, Bulgaros, Sarmatas, Pannonios, Sueuos, Noricos, & alijs huiuscemodi nominibus appellamus.

Mediolanū captum.

Honoratus archiepiscopus.

Pauli patriarchæ obitus.

Ticini obsidio

De Ticini

De Ticini seu Papiæ deditione CAP. XIII

AT uero Ticinensis ciuitas per tres annos & aliquot menses obsidionem perferens, tandem se Alboino tradidit & obsidentibus Langobardis. In quam cum Alboinus per portam quæ dicitur sancti Ioannis ab orientali urbis parte introiret, equus eius in portæ medio concidens, quamuis calcaribus stimulatus, quamuis hincinde à stratorio uerberibus cæsus non poterat eleuari. Tunc quidã de Langobardis, ita regem allocutus est. Memento domine rex quale uotum uouisti. Frange tam dirum uotum & ingredieris urbem. Vere enim Christianus est populus in hac ciuitate. Siquidem Alboinus uouerat quod uniuersum populum, quia se dedere noluerat, gladio extingueret. Qui postquam tale uotum dirumpens ciuibus ueniam promisit, mox equo surgente ciuitatẽ ingressus in sua promissione permansit. Tunc ad eum omnis populus in palatium, quod quondam rex Theodoricus construxerat, concurrens post tantam miseriã, de spe iam fidens cœpit animum ad meliora futura leuare.

Alboini uotũ

De nece Alboini per Rosimundam coniugem. CAP. XIIII

QVi rex postquam in Italia tres annos & sex menses regnauerat, insidijs suę coniugis interemptus est. Causa autẽ eius interfectionis huiusmodi fuit. Quum in conuiuio ultra quàm oportuerat apud Veronam lætus resideret, cum poculo quod de capite Chunimundi regis sui soceri fecerat: reginæ ad bibendum uinum dari præcepit, atq; eam ut cũ patre suo lætanter biberet inuitauit. Hoc ne cui uideatur impossibile, ueritatem in Christo loquor. Ego hoc poculum uidi in quodã die festo Ratichis principem ut illud conuiuis suis ostentaret manu tenentẽ. Igitur Rosimunda ubi rem animaduertit, altum concepit in corde dolorem: quem compescere non ualens mox in mariti necem patris cædem uindicatura exarsit. Consiliumq; mox cum Helmige, qui regis Scilpor hoc est armiger & collactaneus erat, ut regem interficeret inijt. Qui reginæ suasit, ut Peredeũ quia erat uir fortissimus in hoc consilium ascisceret. Cum uero Peredeus reginæ suadenti tantum nefas consensum adhibere nollet, illa se noctũ in lectulo suæ uestiarię, cum qua Peredeus stupri cõsuetudinem habuerat, supposuit. Vbi Peredeus inscius fraudis cum regina concubuit. Cumq; illa patrato iã scelere ab eo quæreret quam se esse existimaret, & ipse nomen suæ amicæ quam esse putabat, nominasset: regina subiunxit, Nequaquã est ut putas, sed ego Rosimunda sum. Certe nunc Peredee rem talem perpetrasti, quod aut tu Alboinum interficies, aut ipse te suo gladio extinguet. Tunc ille intellexit malum quod fecit, & quod sponte noluerat, tali modo in regis necem coactus assensit. Tunc Rosimunda dum se Alboinus in meridie sopori dedisset: magnum in palatio silentium fieri præcipiens, omnia alia arma subtrahens, spatam illius ad lectuli caput, ne tolli aut euaginari possit, fortiter colligauit: & iuxta consilium initum, Peredeum & Helmigem interfectores omni

Peredeus

omni bestia crudelior introduxit. Alboinus subito de sopore experrectus malum quod imminebat intelligens, manum citius ad spatam porrexit, quam strictius ligatam cum extrahere nõ ualeret, apprehenso scabello suppeditaneo se per aliquod tempus defendit. Sed heu prò dolor, uir bellicosissimus & summæ audaciæ, nihil contra hostem præualens quasi unus de inertibus interfectus est. Vniusq; mulierculæ consilio perijt, qui per tot hostium strages in bello fortunatissimus extitit. Cuius corpus cum maximo Langobardorum fletu & lamentis, sub cuiusdam scalæ ascensu, quę palatio erat contigua, sepultum est. Fuit autem statura procerus: & ad bella peragenda toto corpore coaptatus. Huius tumulum nostris in diebus Giselbertus qui dux Veroneñ. fuerat, aperiens, spatam eius, & siqua alia ornamēta eius in eo inuenta fuerant abstulit: qui se ab hac culpa, uanitate solita apud indoctos homines purgando Alboinum id iussisse iactabat.

De fuga Helmigis & Rosimundæ in Rauennam, & de utriusq; nece per uenenatum poculum. CAP. XV

IGitur Helmigis extincto Alboino regnum eius inuadere conatus est: sed minime potuit, quia Langobardi nimium de morte illius dolentes eum moliebātur extinguere. Statimq; Rosimunda Longino præfecto Rauennæ mandat: ut quamprimum nauem dirigeret quæ se & Helmigem suscipere posset. Longinus tali nuntio lætus festinanter nauem direxit: in quam Helmigis cum Rosimunda iam sua coniuge fugientes nocte ingressi sunt. Auferentesq; secum Albisindam regis filiam, & omnem Langobardorum thesaurum: uelocius Rauennam peruenere. Tūc Longinus præfectus suadere cœpit Rosimundæ ut Helmigem interficeret, & ipsius se nuptijs copularet. Illa (ut erat ad omnem nequitiam facilis) cum affectaret Rauennatium domina fieri, ad tantum facinus perpetrandum assensum præbuit. Atq; dum Helmigis se in balneo abluerat, egredienti mortis poculum, quod salutare asseruit, propinauit. Ille ubi sensit se mortis poculum bibisse, Rosimundam euaginato gladio super eam, quod reliquū erat bibere coēgit. Sicq; dei omnipotentis iudicio regis interfectores nequissimi uno momento perierunt.

Longinus exarchus

De Peredei Constantinopolim ablegatione & facinore CAP. XVI

HIs ita peremptis Longinus præfectus Albisindam cum Langobardorum thesauris Constantinopolim ad Tyberium imperatorem direxit. Affirmant aliqui etiam Peredeum pariter cum Helmige & Rosimunda Rauennam uenisse, atq; deinde cum Albisinda Constantinopolim missum, ibiq; in spectaculo populi coram imperatore leonem miræ magnitudinis occidisse. Cui (ut ferunt) ne aliquid malignum in regia urbe, quia magnæ uirtutis erat, moliretur: iussu imperatoris oculi euulsi sunt. Qui sibi post aliquātum temporis duos cultellos aptauit: quibus in utrisq; manicis suis absconsis palatiū petijt: atq; se quædam ad

Peredei exitus

dam ad Augusti utilitatem, si ad eum intromitteretur, locuturū promisit. Ad quem Augustus Tyberius duos sibi familiares, qui eius uerba suscipe rent, patricios misit. Quos cum peruenissent ille quasi aliquid secretius di-cturus propius accedēs ambos cultris illis è manica tractis grauiter ita sau ciauit ut statim in terrā corruentes expirarēt. Sicq; Sansonis illius fortissi-mi facto ex aliqua parte nō absimilis suas iniurias ultus est. Et pro amis-sione duorum luminum, duos imperatori uiros utilissimos interemit.

De Clebe quē Sabellicus Clephem uocat, rege XI CAP. XVII

LAngobardi uero apud Italiam omnes commmuni consilio Cle-bem seu Clephem, nobilissimum de suis uiris, in urbe Ticinensi sibi regem statuerunt. Hic multos Romanorum uiros potentes alios gladio extinxit, alios ab Italia exturbauit. Iste cum annum unum & menses sex cum Ansane cōiuge sua regnū obtinuisset, à puero de familia sua gladio iugulatus est.

Clephis rex XX

Clephis cædes

De ducibus Langobardorum qui per decem annos facto interregno rempub. eorum tenuerunt, & de eorum sæuitia. CAP. XVIII

POst cuius mortem Langobardi per annos decem regem nō ha-bentes sub ducibus fuerunt. Vnusquisq; enim ducum suam ciui-tatem obtinebat: Zabanus Ticinum, Alboinus Mediolanum, Vuallarus Bergamum, Alahis Brixiam, Comus Tridentum, Gisulfus Fo-rumiulij. Sed & alij extra hos in suis urbibus triginta duces fuerunt. Qui-bus diebus multi nobilium Romanorū ob cupiditatem ducum interfecti sunt. Reliqui uero per partes diuisi, tertiam partem suarū frugum Lango-bardis persoluerunt, & tributarij efficiuntur. Porro his Langobardorū du-cibus septimo anno ab aduentu Alboini & totius gentis, spoliatis ecclesijs, sacerdotibus interfectis, ciuitatibus subrutis, populisq; qui more segetum excreuerant, extinctis, in ijs regionibus quas Alboinus ceperat: Italia ex maxima parte capta, à Langobardis subiugata est.

Duces Lan-gobardorū

Italiæ ca-lamitas

PAVLI DIACONI DE GESTIS LANGOBARDORVM LIBER III

De Langobardorum ducibus qui ad prædandum Galliam sunt in-gressi, ut prædixerat Hospitius Anachorita sanctissimus. CAP. I



IGITVR aliquot ex ducibus Langobardorum cum ua-lido exercitu Gallias ingrediuntur. Horum aduentum uir dei Hospitius, qui apud Niceā erat inclusus, sancto sibi id reuelāte spiritu longe ante præuidit, & eiusdem urbis ciuibus quæ mala imminerēt prædixit. Erat enim uir iste magnæ abstinentiæ & probabilis uitæ, qui con strictus ad carnem cathenis ferreis, indutus desuper cilicio, pane in cibum

Hospitius uir dei

cum paucis dactylis utebatur. In diebus autem quadragesimæ radicibus herbarũ Ægyptiacarum quibus eremitæ in Ægypto usi fuerant, exhibitis à negociatoribus alebatur. Per hunc dominus magnas uirtutes operari dignatus est, quæ scriptę habent' in libris uenerabilis uiri Gregorij Turoneñ. episcopi. Igitur uir iste sanctus aduẽtum Langobardorum in Gallias hoc modo prædixit, Venient Langobardi in Gallias, & deuastabunt ciuitates septem: eo quod increuerit malitia eorum in conspectu domini. Est enim omnis populus periurijs deditus, furtis obnoxius, rapinis intẽtus, homicidijs promptus, in quibus non est iustitiæ fructus. Non decimæ dant', non pauper alitur, non tegitur nudus, non suscipitur hospitio peregrinus, ideo hæc plaga uentura est super populũ istũ. Monachis quoq; suis præcipiens ait: Abscedite & uos à loco isto, auferentes uobiscũ quæ habetis. Ecce enim gens quam prædixi appropiat. Dicentibus autem illis, nõ relinquemus te sanctissime pater, ait. Nolite timere pro me. Futurum est enim ut inferant mihi iniurias, sed non nocebunt usq; ad mortem. Discedẽtibus autem monachis, aduenit exercitus Langobardorum. Qui dum cuncta quæ reperiebant uastabant, ad locum ubi uir sanctus inclusus erat peruenerunt. At ille per fenestrã è turri se eis ostendit. Illi uero circũeuntes turrim, dum aditum quærerent, per quẽ ad eũ ingredi possent, & minime inuenirẽt, duo ex eis ascendentes tectum discooperuerũt illud, & uidentes eum cinctũ cathenis indutumq; cilicio dicunt: hic malefactor est & homicidiũ fecit, ideo in his ligaminibus uinctus tenetur. Vocatumq; in partem, interrogãt quid mali fecerat, quod tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidã esse, omniumq; criminũ reũ. Tunc unus extracto gladio ut caput eius amputaret dexterã erigit, sed eius dextera mox in ipso ictu suspensa diriguit, nec eam ad se potuit retrahere: relictus autem gladius in terram decidit. Quod uidentes socij eius clamorẽ in cœlum dederunt, flagitantes à sancto uiro ut quid eis agendũ esset, clemẽter insinuaret. Ipse uero imposito salutis signo arens brachium sanitati restituit. Langobardus autem qui sanatus fuerat, ad fidem Christi cõuersus, statim clericus, deinde monachus effectus est. Atq; in eodem loco usq; ad finem uitæ suæ in dei seruitio permansit. Beatus uero Hospitius dum Langobardis dei uerbum loqueretur, duo duces qui eum uenerabiliter audierunt, incolumes patriæ restituti sunt: quidam uero qui eius uerba despexerant, in ipsa prouincia miserabiliter perierunt.

Gregorius Turonen.

Langobardi ad Hospitiũ ueniunt

Miraculosa Hospitij salus

Alia miracula

Quomodo Langobardi in Gallia, Amatum Patricium uirũ & Guntranni regis ducẽ, occiderint cum innumeris Burgundionibus, uicti autem sint à Mumulo itidem patricio & in Italiam repulsi. CAP. II



IGitur deuastãtibus Langobardis Gallias, Amatus patricius prouinciæ, qui Guntranno regi Francorum parebat, contra eos exercitũ direxit, Commissoq; bello terga uertit, ibiq; extinctus est. Tantamq; tũc stragem Langobardi de Burgundionibus

Gunthrannus rex Franco. Amatus cæditur

dionibus fecerunt, ut non possit colligi numerus occisorum. Ditatiq; inæstimabili præda, ad Italiam reuertuntur. Quibus discedentibus Ennius qui & Mumulus, accersitus à rege, patriciatus honorem meruit. Irruẽtibus autem iterum Langobardis in Galliam, & usq; Mustiam Scalmes accedentibus, qui locus Ebredunensi adiacet ciuitati, Mumulus exercitum mouit, ut cum Burgundionibus illuc proficiscatur. Circundatisq; Langobardis cum exercitu, factis etiam concisis per deuia syluarum, irruit super eos, multosq; ex eis interfecit: nonnullos uero cepit, & regi suo Guntranno direxit. Langobardi uero ijs patratis ad Italiam sunt regressi.

Burgundionum strages

Saxones qui in Italiam uenerant in Galliam irrũpentes à Mumulo reuerti coguntur, assumptis autem uxoribus & liberis rursus in Galliam ad Sigibertum regem ut eius auxilio in patriam reuertantur, redeunt, unde in patriam reuersi à Sueuis fere delentur. CAP. III



Post hæc Saxones qui cum Langobardis in Italiam uenerant, in Gallias prorumpũt, & intra territoriũ Regense, id est apud Stablonem uillam, castra constituunt, discurrentes per uillas urbium uicinarum, diripientes prædas, captiuos abducentes, cunctaq; uastantes. Quod cum Mumulus comperisset, super eos cum exercitu irruit, multosq; ex eis interfecit, & donec nox finem faceret cædere nõ cessauit. Ignaros enim reppererat homines & nihil de ijs quæ acciderant autumantes. Mane autem facto statuunt Saxones exercitum præparantes se fortiter ad bellum, sed intercurrentibus nuntijs pacem fecerunt, datisq; muneribus Mumulo, & relictis captiuis & uniuersa præda ad Italiam reuertuntur. Ingressi autem Italiam assumptis secum uxoribus & paruulis suis cum omni supellectile, rursum ad Gallias deliberant redire: scilicet ut à Sigiberto rege suscepti, eius possint adiutorio ad patriam remeare. Id autem certum est, Saxones cum uxoribus & paruulis ideo in Italiam uenisse ut in ea habitarent. Sed quãtum datur intelligi, noluerunt Langobardorum imperijs subiacere. Sed neq; eis permissum est à Langobardis in proprio iure subsistere, ideóque existimantur ad suam patriam repedasse. Ii Gallias ingressuri duos ex se cuneos fecerunt, quorum unus per Niceam urbem, alter per Ebredunum ingressus est, illa uidelicet uia reuertentes quam anno superiore tenuerant. Ii quia tempus messium erat colligendarum, metentes ac triturantes frumenta comedebãt, ac suis animantibus ad esum præbebãt. deprædabantur pecora, sed nec ab incendijs abstinebãt. Qui cum ad Rhodanum amnem peruenissent, ut transmisso eo se Sigiberti regno cõferrent, occũrrit eis Momulus cum ualida multitudine: quo uiso illi timentes, datis pro redemptione sua multis aureis nummis trãsire permissi sunt. Qui dum ad Sigibertum regem pergunt, multos in itinere negotiatione sua deceperunt, uenundantes bracteas & laminas æreas pro aureis. erant enim ita ne-

Mumulus Saxones sternit

Saxones rursum in Galliã redeunt

scio quo fuco coloratæ, ut auri probati atq; examinati speciem simularent. Vnde nonnulli hoc dolo decepti probatum dantes aurum, & accipientes æs, pauperes sunt effecti. Peruenientes tandem ad Sigibertum regem, ad locum unde prius egressi fuerant, redire permissi sunt. Qui dum in patriam uenissent, eam à Sueuis & alijs gentibus ut supra memorauimus occupatam inuenerunt. Contra quos insurgentes, conati sunt eos extrudere, aut resistentes delere. At illi obtulerunt eis tertiam partem regionis, dicentes: simul hic possumus uiuere & sine collisione communiter habitare. Cumq; nullo modo acquiescerent, dehinc obtulerunt eis medietatem, postea duas tertias partes, sibi tantum unam tertiam reseruantes. Nolentibus autem Saxonibus obtulerunt cum terra etiam omnia pecora, tantum ut à persequendo cessarent. Sed nec hoc Saxones probātes, certamen expetunt, atq; inter se ante certamen qualiter uxores Sueuorum diuiderent constituunt. Verum non ita eis ut putabant euenit. Nam commisso prælio, uiginti milia eorum desiderata sunt: Sueuorum uero quadringenti duntaxat & octoginta ceciderunt, reliquis uincentibus. Sex milia autem Saxonum qui bello superfuerant, deuouerunt se neq; barbam neq; capillos rasuros, nisi se de Sueuis hostibus ulciscerentur. Qui iterum pugnam ingredientes uehementer attriti sunt, & sic à bello quieuerunt.

Saxonum impostura

Saxones in patriā reuersi

Sueui quæ Saxonibus obtulerint

Saxones à Sueuis cæduntur

Quomodo tres duces Langobardorum Amo, Zaban, & Rhodanus in Gallias irruperint & reiecti sint. De Gallorum in Italiam aduentu, & de Chilperici regis obitu. CAP. IIII

POST hæc tres Langobardorum duces, uidelicet Amo, Zaban, ac Rhodanus in Gallias irruperunt. Et Amo quidem Ebredunensem carpens uiam usque Machaonem uillam, quam Mumulus munere regis habere meruerat, accessit: ibiq; tentoria fixit. Zaban uero per Diensem descendens urbem, usque Valentiam uenit. Rhodanus autem Gratianopolim urbem aggressus est. Amo itaque Arelateñ. debellauit prouinciam cum urbibus quæ circunsitæ sunt, & usq; ad ipsum lapideum campum, qui adiacet urbi Massiliensi, accedens, uniuersa quæ reperit depopulatus est. Aquensibus autem obsidionem parās, uigintiduabus libris argenti acceptis discessit. Rhodanus autem & Zaban pari modo incendijs & rapinis loca ad quæ accesserant, demoliti sunt. Quæ cū Mumulo patricio relata fuissent, cū ualida manu perueniens, primum cum Rhodano qui Gratianopolim oppugnabat, conflixit, & multos de eius exercitu peremit, ipsumq; Rhodanū lancea uulneratū ad montium excelsa fugere cōpulit. Qui exinde cum quingētis uiris qui superfuerāt, per deuiā syluam prorūpens ad Zabanum, qui tūc Valentiam obsidebat, peruenit, eiq; omnia quæ sibi aduersa cōtigerāt nuntiauit.

Amo

Zaban

Qui dū

Qui dum pariter ad Ebreduneñ. urbem omnia deprædãtes uenissent: Mumulum cum exercitu occurrentem habuerunt: commissoq́ prælio ab eo uicti sunt. Tum Zaban & Rhodanus Italiam repetentes Segusium deuenere. Quam urbem Sisinnius tunc magister militum ad partem retinebat imperatoris. Ad quem puer à Mumulo missus literas pertulit Mumulum aduentare significãtes. Quibus compertis Zaban & Rhodanus mox ad propria discessere. Amo uero his auditis collecta omni præda Italiam repetiturus proficiscitur: sed obsistentibus niuibus prædam magna ex parte relinquens, uix cum suis alpinum tramitẽ erumpere potuit: & tunc ad propria unde uenerat peruenit. Iisdẽ diebus aduenietibus Francis ad Magnos Castrum, quod supra Tridentum in cõfinio Italiæ positum est, se eis tradidit. Quã ob causam Comes Langobardorũ de Largare, Rugilo nomine, Magnos adueniens deprædatus est. Qui dum cum præda reuerteretur, in campo Rotaliano offendit Chrannichem ducem Francorum: à quo cum pluribus è suis peremptus est. Qui Chrannichis non multo post Tridentum ueniens ipsum deuastauit. Quem insequens Eoinus Tridentinus dux deprehensumq́ in loco cui Salurnis nomẽ est, cum exercitu interfecit: prædamq́ omnem quam ille ceperat excussit: expulsisq́ Francis Tridentinum territorium recepit. Hoc tempore Sigibertus rex Francorũ occisus est fraude Chilperici germani sui, cum quo bellum inierat. Regnumq́ eius Childebertus eiusdem filius adhuc puerulus cum Brunichilde matre regendum suscepit. Eoinus quidem dux Tridentinorum, de quo prædiximus, accepit uxorem filiam Gondobaldi Baioariorum regis.

Langobardi in Italiam repulsi

Sigiberti regis cædes Childebertus regnat

De Iustini auari interitu: & Tyberij Augusti pientissimi & liberalissimi in Christi pauperes studio. CAP. V

CIRCA hæc eadem tempora apud Constantinopolim ut superius præmissum est: Iustinus minor regnabat: uir omni auaritiæ deditus: contemptor pauperum: senatorum spoliator. Cui tanta fuit cupiditatis rabies, ut arcas ferreas iuberet fieri in quas ea quæ rapiebat auri argentiq́ talenta congereret. Quem etiam ferunt in hæresin pelagianam dilapsum. Hic quum à diuinis mandatis aures cordis auerteret: iusto dei iudicio amisso rationis usu demens effectus est. Hic ad se Tyberiũ Cæsarem asciuit, qui palatium & singulas prouincias gubernaret. Hominem iustum, utilem, strenuum, sapientem, eleemosynariũ, in iudicijs æquum, in uictorijs clarum, & quod his omnibus supereminet, uerissimum Christianũ. Hic quum multa de thesauris quos Iustinus aggregauerat, pauperibus erogaret: Sophia Augusta frequentius eum increpabat, quod remp. sic redigeret in paupertatem: dicens, quod ego multis annis congregaui, tu intra modicum tempus prodige dispergis. Cui respondit Tyberius. Confido in domino quod non deerit pecunia fisco nostro, in tantum ut pauperes eleemosynam accipiant, & captiui redimantur: qui uerus & magnus est Thesau-

Iustinus auarus

Tyberius Cæsar uir bonus

rus, dicentē domino, Thesaurizate uobis thesauros in cœlo: ubi neq; erugo neq; tinea corrumpunt, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ergo de ijs quæ dominus tribuit congregemus thesauros in cœlo: & dominus eos nobis augere dignabitur in cœlo. Igitur Iustinus cū duodecim annos regnasset, amentia quam incurrerat, tandem uitam finiuit. Bella quæ ante per Narsetem patricium Gothis & Francis illata, superius per anticipationem diximus, huius tempore gesta sunt. Deniq; cum & Roma temporibus Benedicti papæ, uastantibus omnia per circuitum Langobardis famis uiolentia & commeatus penuria laboraret, multa milia frumenti nauibus ab Ægypto dirigens Tyberius, eā diligētia siue studio misericordiæ releuauit.

Iustini exitus

Fames Romæ

De Tyberij pietate in crucem domini: thesauri inuentione duplici, coronatione, & uitatione insidiarum. CAP. VI.



MORTVO igitur Iustino imperatore, Tyberius Constantinus Romanorum regum quinquagesimus suscepit imperium. Hic (ut superius diximus) quum sub Iustino adhuc Cæsar palatiū regeret: & multas quotidie eleemosinas faceret, magnam ei dominus auri copiam suppeditabat miro quodam indicio. Nam deambulans per palatium uidit in pauimento domus tabulam marmoream in qua erat crux dominica insculpta. & ait. Cruce domini frontem nostram & pectora munire debemus, & ecce sub pedibus calcamus eam. Quo dicto mox iussit eandem tabulam auferri, qua ablata inueniunt & alteram subtus idem crucis signum habentem, quam itidem iussit auferri. Et quum tertiam deinceps repertam eiusdem iussu abstulissent, inueniunt magnum thesaurum habentem supra mille auri centenaria. Tyberius autem sublatum aurum adhuc abundantius quàm consueuerat pauperibus elargitur. Narses quoque patricius Italiæ, cum in quadam ciuitate intra Italiam domum magnā haberet, cum multis thesauris ad supra memoratam urbem uenit, ibiq; in domo sua occulte cisternam magnam fodit, in qua multa milia centenariorum auri & argenti reposuit. Interfectisq; omnibus conscijs, uni tantummodo puerulo qui per iuramentum ab eo obstrictus erat, commendauit. Defuncto uero Narsete supradictus puer iam senex effectus, ad Tyberium Cæsarem ueniens dixit. Si mihi aliquid profuerit, magnam rem tibi Cęsar dicam. Cui ille. Dic ait quod uis: & si quidem profuerit mihi & tibi commodum erit. Tum senex, Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo uitæ positus celare diutius non debeo. Tunc Cæsar gauisus mittit cum eo usq; ad locum pueros suos, qui peruenientes usq; ad cisternam, eamq; reserantes, inueniūt tantum auri & argenti, ut uix per multos dies à deportantibus potuerit euacuari. Quę pene omnia Tyberius secundū morem suū erogatione largiflua dispensauit egenis. Hic cum augustalem coronam accepturus esset, eumq; iuxta consuetudinē populus ad spectaculum circi expectaret, insidias ei præparans, ut Iustinianum Iustini

Tyberius constantinus imperat

Thesauri miraculosa inuentio

Narsetis thesaurus indicatur Tyberio

Tyberij coronatio

stini nepotem ad dignitatem imperij sublimaret, per loca sancta prius procedens, dehinc pontificem urbis cum consularibus ac præfectis ad se uocās, palatiumq́ ingressus, induitur purpura, diademate coronatur, thronoq́ imperiali impositus cum innumeris laudibus in regni gloria confirmatur. Quod aduersarij eius audientes, nihilq́ ei qui in deo spem suam posuerat officere ualentes, magno sunt confusionis pudore cooperti. Transactis autē paucis diebus aduenieńs Iustinianus pedibus se subiecit imperatoris, ob meritum gratiæ quindecim auri centenaria deferens. Quem ille iuxta clementiæ suæ ritum collegit, sibiq́ in palatio assistere iussit. Sophia uero augusta immemor promissionis quam quondam Tyberio fecerat, insidias ei tentat ingerere. Procedente itaq́ eo ad uillam ut iuxta ritum imperialem triginta dies ad uindemiam iocundaretur: Sophia uocatum ad se Iustinianum uoluit ad imperium sublimare. Quo comperto Tyberius cursu ueloci Cōstantinopolim reuertitur: apprehensamq́ Augustam omnibus thesauris expoliauit, solum ei uictum quotidianum & amictum relinquens. Segregatisq́ pueris eius ab ea, alios de sibi fidelibus constituit, qui illi parerent, mandans prorsus ut nullus de prioribus haberet ad eam accessum. Iustinianum uero uerbis solummodo obiurgatum tanto deinceps amore dilexit, ut filio eius filiam suam sponsam promitteret, rursumq́ filio suo filiam eius expeteret, sed ea res, quā ob causam nescio, ad effectum minime peruenit. Huius Tyberij exercitus ab eo in Persidem missus Persas potentissime debellauit, uictorq́ regrediens tantæ molis prædam cum uiginti pariter elephantis detulit, ut humanæ cupiditati satis esse crederetur.

Tyberij clementia

Sophiæ perfidia

Tyberij exercitus Persas uincit

De magnificentia Tyberij in Chilpericum regem Francorum, de diui Gregorij libris, & in Eutychium uictoria: de Spoletani ducis præda & de Tyberij obitu, ac Mauricij Cappadocis successione. CAP. VII.



AD hunc Chilpericus Francorū rex legatos suos dirigens, multa ab eo ornamenta, aureos etiam singularum librarum suscepit nummos, habentes ab una parte effigiem imperatoris impressam, in circulo autem, Tyberij Constantini perpetui Augusti: ab altera uero parte, equum & ascensorem cum scriptura: Gloria Romanorum. Huius sub diebus Gregorius diaconus qui post Papa extitit, cum esset apocrisarius apud eandem urbem regiam, Morales libros composuit, Eutychiumq́ eiusdem urbis episcopum de resurrectione errantem in conspectu eiusdem Augusti superauit. Hac etiam tempestate Pharoaldus primus Spoletanorum dux cum Langobardorū exercitu Classem inuadens opulentā urbem spoliatā cunctis diuitijs nudā reliquit. Mortuo uero apud Aquilegiam patriarcha qui ecclesiā unum annū rexerat, eidem ecclesiæ sacerdos Helias præficitur. Tyberius aūt Constantinus postq́ imperium septem rexerat annis, sentiens sibi mortis diem imminere, una cum consilio Sophiæ Augustæ, Mauriciū genere Cappadocē, uirum strenuum,

Tyberij dona Chilperico missa

Gregorij Morales

ad imperium elegit: filiamq; suam regalibus ornamentis instructam eidem nuptum dedit dicens, sit tibi imperium meum cum hac puella concessum, utere eo felix: memor semper ut æquitate & iustitia delecteris. Quæ postq; dixit, de hac luce ad æternam migrauit, magnum populis luctum ob suam mortem relinquẽs. Fuit enim summæ bonitatis: in eleemosynis promptus, in iudicijs iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona uoluntate complectens, omnes diligens, ipse quoq; dilectus à cunctis. Quo defuncto Mauricius indutus purpura, redimitus diademate, ad circum processit: acclamatisq; laudibus & applausibus, largitus populo munera, in Græcorum imperio confirmatus est.

De Autharo seu Authare rege Langobardorum. XII. Et Langobardici regni æquitate. De donis à Mauricio imperatore Childeberto regi missis & repetitis, deq; Droctrulfo duce. CAP. VIII

Autharus Lãgobardorũ Rex XII

Flauiorum prænomina



AT uero Langobardi cum per annos decem sub potestate ducum fuissent, tandem cõmuni consilio Autharũ Clephonis supra memorati principis filium regem sibi statuerunt. Quem etiam ob dignitatem Flauium appellauerunt. Quo prænomine omnes qui postea fuere Langobardorum reges feliciter usi sunt. In huius diebus ob restaurationem regni, duces qui tunc erant, omnes substantiæ suæ medietatem regalibus usibus tribuunt: ut esse possit unde Rex ipse & qui ei aderant, eiusq; obsequijs per diuersa officia dediti, alerentur. Populi tamen aggrauati per Langobardos hospites partiuntur. Erat sane hoc mirabile in regno Langobardorum, quod nulla erat uiolentia, nullæ struebantur insidiæ, nec aliquem iniuste angariabant, neminem spoliabant. Non erant furta, non latrocinia: unusquisq; quolibet securus sine timore pergebat. Hoc tempore Mauricius imperator Childeberto regi Francorum quinquaginta milia solidorum per legatos suos dono misit, ut cum exercitu super Langobardos irrueret, eosq; de Italia exterminaret. Qui cum innumera Francorum multitudine in Italiam subito introiuit. Langobardi uero in ciuitatibus se communientes, intercurrentibus legatis, oblatisq; muneribus, pacẽ cum Childeberto fecerunt. Qui cum ad Gallias remeasset, Imperator Mauricius cognito quod cum Langobardis fœdus percusserat, solidos quos ei ob Langobardorum expulsionem dederat, repetere cœpit. Sed ille suarum uirium potentia fretus, ne responsum quidem reddere dignatus est. His ita gestis Autharus rex Brixellum ciuitatem super Padi marginem positam, expugnare aggressus est. in quam Droctrulfus dux à Langobardis confugerat: seq; partibus Imperatoris tradens, sociatis militibus, Langobardorum exercitui fortiter resistebat. Iste ex Sueuorum gente oriundus inter Langobardos creuerat, & quia quærebat secum occasionem ulciscendæ suæ captiuitatis, tandem repperit, & contra Langobardos ilico in arma surrexit. Aduersus quem Langobardi grauia bella gesserunt, tandemq; eum

Brixellum

Droctrulfus dux

cum

cum militibus imperatorijs quos iuuabat exsuperātes, Rauennam compulerunt, Brixellum ui capientes, & muros eius ad solum usq; diruentes. Post hæc Autharus rex cum Smaragdo patricio, qui tūc Rauennæ præerat, usq; in annum tertium pacem seu inducias fecit.

De Droctrulfi gestis, morte, & epitaphio. CAP. IX

HVius autem Droctrulfi adminiculo sæpe Rauennatium milites aduersus Langobardos dimicauerunt, extructaq; classe Langobardos qui Classem urbē tenebant, hoc adiuuante expulerunt. Cui cum uitæ explesset terminum, honorabile monumentum ante limina beati Vitalis martyris tribuentes, tali Epitaphio laudes eius extulerunt.

Clauditur hoc tumulo Droctrulfus corpore solo,
Nam meritis uiuit totus in orbe suis.
Ex ualidis fuit ipse quidem: nam gente Sueua
Ortus, adhuc iuuenis captus ab hoste fuit.
Terribilis uisu facies, sed corda benigna,
Longaq; robusto pectore barba fuit.
Arma sequens semper Romana & publica signa
Vastator gentis uixerat ipse suæ.
Contempsit charos dum nos iuuat ille, parentes,
Te patriam reputans esse Rauenna suam.
Huius prima fuit Brixelli gloria capti,
Quo residens cunctis hostibus horror erat.
Qui Romana potens ualuit præsigna iuuare,
Vexillum primum Christus habere dedit.
Inde etiam retinet dum Classem classibus, arma
Armis opponit, mœnia nostra diu.
Lango hic bardorum uires contriuit, opesq;
Ipsorum, titulis clarus ad astra datis.
Martyris auxilio Vitalis fultus, ad ista
Peruenit uictor sæpe trophæa potens.
Cuius & in templo petijt sua membra iacere,
Hæc loca post mortem fausta futura putans.
Ipse sacerdotem moriens hæc dona petiuit,
Quis exoratis lætus ad astra abijt.

De Pelagio papa & Childeberto rege & eius sorore & Mauricio Imperatore eorumq; gestis. CAP. X

DEniq; post Benedictum papam Pelagius Romanæ ecclesiæ pontifex absq; iussione principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitū obsiderēt, nec posset quisquā Roma egredi.

Pelagius papa iniussu principis

Hic Pelagius Heliæ Aquilegienſi epiſcopo nolenti tria capitula Calcedoñ. ſynodi ſuſcipere, epiſtolam ſatis utilem miſit, quam beatus Gregorius cum eſſet adhuc diaconus ſcripſit. Interea Childebertus rex Francorum bellum aduerſus Hiſpanos gerens, eoſdem acie ſuperauit. Cauſa huius certaminis iſta fuit. Childebertus rex Ingundem ſororem ſuam Herminigildo Leuigildi Hiſpanorum regis filio coniugẽ tradiderat. Qui Herminigildus per prædicationem Leandri epiſcopi Hiſpaleñ. atq; adhortationem coniugis ſuæ, ab Arriana hæreſi, qua pater ſuus languebat, ad catholicam fidem conuerſus fuerat. Quem pater impius in ipſo ſacrato paſchali die ſecuri percuſſum interemerat. Ingundis uero poſt mariti iam martyris funus de Hiſpanijs fugiens, dum in Gallias repedare uellet, in manus militum incidẽs qui limitem Hiſpanum aduerſus Gothos protegebant, cum paruo filio capta atq; in Siciliam abducta eſt, ibiq; diem extremum clauſit. Filius uero eius Mauricio imperatori Conſtantinopolim eſt trãſmiſſus. Rurſus Mauritius Auguſtus legatos ad Childebertum mittens, ut contra Langobardos in Italiam exercitum trajceret ſollicitauit. Childebertus autem exiſtimans ſuam ſororem apud Conſtantinopolim uiuere, legationi acquieuit, ſpe ſororis recipiendæ, iterumq; aduerſus Langobardos Francorum exercitum in Italiam miſit, Contra quos dum Langobardorũ acies properaret, Franci & Alemanni diſſenſiones inter ſe habentes ſine ullius conquiſitione ad patriam ſunt reuerſi.

Childebertus Hiſpanis bellum mouet

Herminigildus

Mauritij legati

De aquarum diluuio in Italia, & ſæua tempeſtate & peſtilentia illius tẽporis, & de Letania inſtituta. CAP. XI

Diluuium



EO tempore fuit aquæ diluuium in finibus Venetiarum & Liguriæ, cæteriſq; regionibus Italiæ, quale maximum poſt Noe tempora creditur non fuiſſe. Factæ ſunt lacunæ poſſeſſionum, ſeu uillarum, hominumq; pariter & pecudũ magnus interitus. Deſtructa ſunt itinera, diſſipatæ uiæ, tantũq; Ateſis fluuius excreuit ut circa baſilicã beati Zenonis martyris, quæ extra Veronenſis urbis muros ſita eſt, uſq; ad ſupremas feneſtras aqua pertingeret, licet (ſicut beatus Gregorius, qui poſtea papa fuit, ſcripſit) in eandẽ baſilicã aqua minime introierit. Vrbis quoq; Veroneñ. muri ex parte alia eadem ſunt inundatione ſubruti. Facta eſt autem dicta inundatio kalendis Nouemb. Sed tantæ coruſcationes & tonitrua tunc fuerant, quãtæ uix æſtiuo tẽpore fieri ſolent. Poſt duos quoq; menſes eadẽ urbs Veroneñ. magna ex parte incendio cõcremata eſt In hac diluuij effuſione in tantũ apud urbem Romam Tyberis fluuius excreuit, ut aquæ eius ſupra muros urbis influerẽt, & maximas in ea regiones occuparent. Tunc per alueum eiuſdem fluuij cum multa ſerpentium multitudine, draco etiam miræ magnitudinis per urbem tranſiens uſq; ad mare deſcendit. Subſecuta ſtatim eſt hanc inundationem grauiſſima peſtilentia,

Ateſis

quam

quam inguinariam appellant, quæ tanta clade populum deuastauit, ut de inæstimabili multitudine uix pauci remanerent. Primumq; Pelagium Papam uirum uenerabilem perculit, & sine mora extinxit. Deinde pastore interempto sese per populos extendit. In hac tanta calamitate beatissimus Gregorius qui tunc leuita erat, à cunctis generaliter papa electus est. Qui dum septiformem letaniam ordinasset, intra unius horæ spatiũ, dum populi deum precarentur, octoginta ex eis subito ad terram corruentes spiritum exhalauerũt. Septiformis autem letania ideo dicta est, quod totius urbis populus à Beato Gregorio in septem partes deum deprecaturus diuisus est. In primo nanq; choro fuit omnis clerus. In secundo omnes abbates cum monachis suis. In tertio omnes abbatissæ cum congregationibus suis. In quarto omnes infantes. In quinto omnes uiri laici. In sexto oẽs uiduæ, & in septimo omnes mulieres coniugatæ. Ideo autẽ de beato Gregorio plura dicere omittimus, quia iam ante aliquot annos eius uitam deo auxiliante contexuimus. In qua quæ dicenda fuerant iuxta tenuitatis nostræ uires uniuersa descripsimus.

Pelagij papæ mors

Gregorius sanctus fit papa

Letania septiformis

De missis in Britanniam & de Anglorum ad Christum conuersione. Deq; episcopis ab Romana ecclesia desciscentibus. CAP. XII



HOc eodem tempore idem Beatus Gregorius Augustinum & Melitum & Ioannem cũ alijs pluribus monachis timentibus deum in Britãniam misit, eorumq; prædicatione Anglos ad Christum conuertit. His diebus defuncto Helia Aquilegiẽ. patriarcha, postq; XV. annos sacerdotium gesserat, Seuerus huic succedẽs regendã suscepit ecclesiã. quẽ Smaragdus patricius ueniẽs de Rauenna in Gradum, per semetipsum è basilica extrahẽs Rauennam cũ iniuria duxit, cum alijs tribus ex Histria episcopis, scilicet Ioanne Parẽtino, Seuero, atq; Vindemio. quibus cõminans exilia, atq; uiolentiã inferens, communicare compulit Ioanni Rauennati episcopo trium capitulorum dãnatori. Qui à tempore papæ Vigilij & Pelagij à Romanæ ecclesiæ deciderat societate. Exacto uero anno è Rauenna ad Gradum reuersi sunt. Quibus nec plebs communicare uoluit, nec cæteri episcopi eos receperũt. Smaragdus aũt patricius iuste correctus, successorem Romanum patriciũ accipiẽs, Constantinopolim remeauit. Post hæc facta est synodus episcoporũ in Mariano, ubi receperunt Seuerum patriarcham Aquilegiẽ. dantem libellũ erroris sui, quia trium capitulorũ damnatoribus cõmunicarat Rauennæ. Nomina uero episcoporũ qui se ab hoc schismate cohibuerunt, hæc sunt. Petrus de Altino, Clarissimus Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridẽtinus, Iunior Veroneñ. Horontius Vincentinus, Rusticus de Taruisio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Accilo, Laurentius Belunensis, Maxentius Iuliensis, & Adrianus Polensis. Cum patriarcha aũt cõmunicauerunt isti episcopi. Seuerus, Parentinus, Ioãnes patricius, Vindemius & Ioannes quos diximus.

Angli conuertuntur ad fidem

Smaragdi impietas

Seuerus reconciliatur ecclesiæ

De Au-

De Authari in Istriam & Cumacinam insulam felici expeditione, cõtraq; Francos & Græcos mirabili uictoria. CAP. XIII

Expeditio in Histriã



Ac tempestate Flauius Autharus rex ad Histriam exercitum misit, cui exercitui Eoinus dux Tridẽtinus præfuit. Qui post prædas & incendia, facta pace in annum unum, magnam pecuniam regi detulerunt. Aliĳ quoq; Langobardi in insula Cumacina per Francionem magistrum militum qui adhuc de Narsetis parte fuerat, in ea se per uiginti annos cõtinuerant, qui Francio post sex menses obsidionis suæ, Langobardis eandem insulam tradidit. Ipse uero ut se obtulerat, dimissus à rege cũ sua uxore & supellectile Rauennam properauit. Inuentæ sunt in eadem insula diuitiæ multæ, quæ ibidem à singulis ciuitatibus fuerant commendatæ. Misit autẽ Autharus legatos ad Childebertum petẽs eius germanam sibi matrimonio sociari. Cumq; Childebertus acceptis muneribus à Langobardorũ legatis, germanã suam eorũ regi se daturum promisisset, aduenientibus tamen Gothorum de Hispania legatis eandem suam germanã, quod gens illa ad fidem catholicam conuersa fuisset, eorũ regi promisit: legationemq; ad imperatorem Mauritium direxit, mandans ei: ut quod prius non fecerat, nunc cõtra Langobardorum gentem bella susciperet, atq; cum eius cõsilio eos ab Italia expelleret. Qui nihil moratus exercitum suum ad Langobardorum debellationem in Italiam misit. Cui Autharus rex cum Langobardis non segniter obuiã pergit, & pro libertate fortiter confligit, ita ut Langobardi uincerent omnes. Galli autem uehemẽter afflicti, & si multi capti plurimi tamen per fugam elapsi uix ad patriã reuertuntur. Tantaq; strages facta est de Francorum exercitu, quanta nunquã alibi commemoratur. Mirandum sane est cur Secundus qui aliqua de Langobardorum gestis scripsit, hanc tantam eorum uictoriam præterierit, cum hæc quæ præmisimus de Francorũ interitu in eorum historia ĳsdem ipsis pene uerbis exarata legantur.

Francio deditur

Autharus Childeberti sororem procatur

Francorũ strages

Quomodo Autharis desponsam sibi Theodelindam regis Baioariæ filiam sub specie oratoris uisit, & ad se fugientem duxit quidem, sed Agilulfo nupturam augur designauit. CAP. XIIII



Lauius uero rex Autharis legatos postea in Baioariã misit, qui Garibaldi eorum regis filiam sibi in matrimoniũ peterent. Quos ille benigne suscipiens Theodelindam filiam suam promisit Authari se daturum. Qui legati reuertentes cum hæc Authari nuntiassent, ille per semetipsum suam sponsam uidere cupiens, paucis secum sed expeditis ex Lãgobardis adhibitis, unum quem sibi fidelissimũ putauit, & omnium ferme annosissimum secum ducens, sine mora ad Baioariam perrexit. Qui cum in conspectum Garibaldi regis iuxta morem legatorum introducti essent, & is qui cũ Authari antiquissimus uenerat post salutationẽ, uerba (ut moris est) intulisset: Autharis cũ à nullo illius regionis cognosceretur,

Theodelinda

Garibaldus Boiariæ rex

ad regem

ad regem Garibaldum propinquius accedens ait. Dominus meus Autharis rex me proprie ob hoc misit, ut uestram filiam ipsius spōsam quæ nobis domina futura est conspicerē, ut qualis eius forma sit ualeam eidem certius renuntiare. Quibus auditis rex filiam suā iussit ad se uenire. quam cum Autharis, ut erat satis eleganti forma, tacito nutu contemplatus esset, eiq; per omnia cōplacuisset, ait ad regem. Quia talem filiæ uestræ personam cernimus, ut eam merito nobis reginam fieri optemus, si placet regiæ maiestati, de eius manu, sicut postea nobis factura est, uini poculum sumere præoptamus. Cumq; id rex annuisset, illa accepto uini poculo prius ei qui senior uidebatur propinauit. Deinde quum Authari, quem sponsum suum esse nesciebat, porrexisset, ille postq; bibit, cum poculū redderet, eius manum, nemine animaduertēte, digito tetigit, dexteramq; suam illi à frōte per nasum ac reliquam faciem perduxit. Illa autem hoc suæ nutrici rubore perfusa indicauit. Cui nutrix ait. Iste nisi esset rex & sponsus tuus nequaquam te tangere auderet, sed interim sileamus, ne hoc patri tuo fiat cognitum. Re enim uera, digna persona est, quæ tenere regnum & tuo sociari coniugio possit. Erat autem tunc Autharis iuuenili ætate floridus, statura decens, flaua cæsarie perfusus, & multum decorus aspectu. Qui mox à rege commeatu accepto cum suis in Italiam reuersus est, Noricorum finibus festinanter abscedens. Noricorum quidem prouincia, quam Baioariorum populus inhabitat, habet ab oriente Pannoniā, ab occidente Sueuiam, à meridie Italiam, ab aquilonis uero parte Danubij fluenta. Igitur Autharis cum iam prope Italiæ fines peruenisset, secumq; adhuc qui eum ducebant Baioarios haberet, erexit se super equum cui insidebat quātum potuit, & toto annisu securiculam quam manu gestabat in arborem quę proxima erat fixit, eamq; fixam reliquit, adijciens hæc insuper uerba. Talem Autharis ictum seu feritam facere solet. Cumq; hoc dixisset, intellexerunt Baioarij qui eū comitabantur, eum ipsum esse regem Autharim. Deniq; post aliquantum temporis cum propter Francorum aduentum perturbatio Garibaldo regi aduenisset, Theodelinda filia eius cum suo germano nomine Gundoaldo ad Italiam confugit, seq; aduentare Authari sponso suo nuntiauit. Cui ille statim obuiam cum magno apparatu ad nuptias celebrandas in campum cognomento Sardis qui supra Veronam est occurrēs, eandem cunctis lætantibus in coniugem ad Idus Maias accepit. Erat autem inter cæteros Langobardorum duces tunc ibi Agilulfus dux Taurineñ. ciuitatis. Quo in loco cum turbato aere lignum quoddā in septis regijs situm cum magno tonitruorum fragore fulminis ui ictum fuisset, habebat tūc Agilulfus quendam de suis aruspicinæ peritum, qui per artem diabolicam intelligebat: quid futurum ictus fulminum portenderet. Qui secreto quum Agilulfus ad requisita naturæ resideret, eidem dixit. Mulier ista quæ modo regi nostro nupsit, post nō multum temporis coniunx tua futura est. Quod ille audiens, caput se eius am-

Norici

Vaticinium ex fulmine

putaturum, si ea de re aliquid amplius diceret, cōminatus est. Cui ille. Ego quidē, inquit, occidi possum, sed fata nequeūt immutari: nam certe ad hoc in hāc regionē uenit fœmina ista, ut tuis nuptijs copuletur. Quod ita quoq; post factum est. Hoc tempore (quam ob causam incertum est) Insul cognatus regis Autharis apud Veronam est interfectus.

De Gallorum exercitu iterum sub Childeberto in Italiam irrumpente: & de oppidulis ab eis captis, & de dysenteria & fame quas perpessi sunt.

CAPVT XV



HAC etiam tempestate Grippo legatus Childeberti regis Francorum Constantinopoli legatione perfunctus cum eidem regi suo quàm honorifice ab Imperatore Mauricio susceptus fuisset nunciasset, & quod iniurias quas apud Carthaginē perpessus fuerat, imperator ad uoluntatem Childeberti regis ulturum se promisisset, Childebertus confestim iterato in Italiam exercitum Francorū cum uiginti ducibus ad debellandam Langobardorū gentem misit. E quibus ducibus Aldoaldus & Holo & Cedinus eminentiores fuerunt. Sed Holo cum importune ad Bilitioneñ. castrum accessisset, iaculo sub mamilla sautiatus cecidit, & mortuus est. Reliqui uero Franci cum egressi fuissent ad prædandum, Langobardis irruentibus passim per loca singula prosternebātur. At uero Aldoaldus, & sex alij duces Francorum ad Mediolaneñ. urbem uenientes ibi eminus in campestribus castra posuerunt. Quo loco ad eos imperatoris legati uenerunt, nuntiantes adesse exercitum in subleuamen & auxilium eorum, dicentesq; quod post triduum cum eodem exercitu redirēt. Et hoc, inquiunt, uobis erit signum: Cum uideritis uillæ huius quæ in monte sita est domus incendio concremari, & fumum incendij ad cœlos usq; sustolli, noueritis nos cum exercitu quem pollicemur aduentasse. Sed expectantes Francorum duces dies sex iuxta condictum, nullum ex ijs quos legati imperatoris promiserant uenisse contemplati sunt. Cedinus autē cum XIII. ducibus læuam Italiæ ingressus, quinq; castella cepit, à quibus etiā sacramenta fidelitatis exegit. Peruenit etiam exercitus Francorum usq; Veronam: & deposuerunt castella plurima per pacem, post sacramenta autem data gentes quæ se eis crediderant peremptæ sunt, nullum ab eis dolum existimantes. Nomina autem castrorum seu oppidulorum quæ diruerunt in territorio Tridentino ista sunt. Tesana, Maletunum, Sermosanum, Apianum, Fagitana, Cimbra, Brixianum, Brentonicū, Balenesene, Mase, & duo in Alsuca, & unū in Verona. Hęc omnia castra cum direpta & diruta essent à Francis, ciues uniuersi ab eis ducti sunt captiui. Pro Feruge uero castro intercedentibus episcopis Ingenuino de Saluone, & Agnello de Tridēto, data est redemptio, per caput uniuscuiusq; uiri solidus unus, usq; ad solidos sexcentos. Interea Francorum exercitus, cum esset tempus æstiuū, propter incōsueti aeris incōmoditatem dysenterię morbo grauiter exagitari cœpit.

Holonis casus

Francorum strages

Aldoaldus

Cedinus

Oppidula à Gallis capta

Quo

Quo morbo plures ex eis interierunt. Quid plura? Cum per tres menses Francorum exercitus Italiam peruaderet, nihilq; proficeret, neq; de inimicis ultionem sumere posset, eo quod se in loca fortissima recepissent: neq; regem attingere ualerent, de quo ultio fieret, qui se intra Ticinensem muniuerat urbem: exercitus ut dixi labefactus aëris intemperie, ac fame constrictus redire ad propria destinauit. Qui reuertentes in patriam tantam famis uiolentiam perpessi sunt, ut prius uestiméta propria, insuper etiam & arma ad coëmendum uictum præberent, quàm ad genitale solum pertingerent.

Francorum calamitas & fames

De gestis Autharis circa Beneuentum, & accessu ad Columnam maris Siculi, deq; primo duce Beneuentano Zotone. CAP. XVI

CIRCA hæc tempora putat' esse factum quod de Authari rege refertur. Fama est enim tunc eundem regem per Spoletum Beneuentum peruenisse, eamq; regionem cepisse, & etiam Rhegium usq; extremam Italiæ ciuitatem uicinam Siciliæ peruasisse. Et quia ibidem intra maris undam columna quædam est posita, dicitur usq; ad eam equo insidens accessisse, eamq; hasta sua tetigisse dicendo, hucusq; erunt Langobardorum fines. Quæ columna in hodiernum usq; diem dicitur persistere, & columna Autharis appellari. Fuit autem primus in Beneuento dux nomine Zoto, qui illic rerum potitus est per curricula annorum uiginti.

De legatis Autharis ad Guntrannum regem Francorum, & ostento mirabili circa eundem Guntrannum. CAP. XVII

INTEREA Autharis rex legationem uerbis pacificis ad Guntrannum regem Francorum, patruũ Childeberti regis direxit. A quo ijdem legati iucũde suscepti, ac ad Childebertum, qui & nepos ex fratre erat, directi sunt, ut ad eius nutum pax cum Langobardorum gente firmaretur. Erat autem Guntrannus ipse rex pacificus & omni bonitate cõspicuus. Cuius unum factum satis admirabile libet huic historiæ breuiter inserere, præsertim cum hoc in Francorum historia minime contineri nouerimus. Is cum uenatum quodam tempore in syluas iuisset, & (ut fieri assolet) in diuersa diuagantibus socijs, ipse cum uno tantum sibi fidelissimo remansisset, grauissime somno depressus, caput super genua eiusdem fidelis sui reclinans, obdormiuit. De cuius ore paruum animal in modũ reptilis, egressum, tenuem riuulum qui prope decurrebat, ut transire possit, satagere cœpit. Tunc ille in cuius gremio rex quiescebat, spatã suam uagina exceptam super eundem riuulum posuit, per quam illud reptile in ulteriorem partem transmeauit. Quod cum non longe ab eo loco in quoddam foramen montis ingressum fuisset & per eandem spatam eundem riuulum denuo transmeasset, rursum in os Guntranni introiuit. Guntrannus autem paulopost de somno expergefactus, mirificam se uisionem uidisse narrauit. Rettulit enim sibi apparuisse in somnis quod fluuium quendam per pontem ferreum transisset, & montem quendam subintrasset, ubi magnum auri pon-

Guntranni laudes

Miraculum

dus aspexisset. Is uero in cuius gremio dormierat quæ uiderat per ordinem ei rettulit. Quid plura? Efossus est locus ille, & inæstimabiles thesauri qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum miræ magnitudinis & magni ponderis fecit. Multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad sepulchrum domini Hierosolymam transmittere uoluit: sed cum minime posset, idem super corpus beati Marcelli martyris, quod in ciuitate Cabilonen. sepultum est, ubi sedes regni ipsius erat, poni fecit: & est ibi usque in præsentem diem, nec est usquam ullum opus ex auro confectum quod ei ualeat cōparari. Sed nos his breui relatu, quia digna erant, contractis, ad historiam cœptam reuertamur.

De Morte Autharis regis, & successore eius Agilulfo, & de coniugio eius cum Theodelinda. CAP. XVIII



INTEREA dum legati Autharis regis in Francia morarētur, rex Autharis apud Ticinum Nonis Septemb. ueneno (ut tradunt) accepto moritur, postquam sex regnauerat annos. Statimque à Langobardis legatio ad Childebertum regem Francorum missa est, quæ Autharis regis mortem eidem nunciaret, & pacem ab eo expeteret. Quod ille audiens legatos quidem suscepit, pacem uero in posterum se daturum promisit. & præfatos legatos post aliquot dies promissa pace absoluit. Regina uero Theodelinda, quia multum placebat Langobardis, permissa est in regia persistere dignitate, suadētibus ei ut sibi quemcunque uellet ex omnibus Langobardis maritum eligeret, talem scilicet qui regnum utiliter regere possit. Illa uero cum prudentibus consilium habens Agilulfum ducem Taurinatum, & sibi uirū, & Langobardis regem elegit. Erat enim uir idem strenuus & bellicosus, & tam forma quàm animo ad regni gubernacula coaptus. Cui regina statim ad se ut mandarat uenienti obuiam ad Laumellum oppidum properauit, & accepto poculo uinum propinari fecit, quod cum prior bibisset, residuum Agilulfo ad bibendum tribuit. Is cum reginæ accepto poculo manum honorabiliter osculatus esset, regina cum rubore subridens, nō deberi sibi manum, sed os osculari ab eo decere ait: moxque se ad illius basium erigens, & de nuptijs suis deque regni dignitate adeunda decretum suum aperuit. Quid plura? Celebrantur mox cum magna lætitia nuptiæ: suscepitque Agilulfus qui fuit cognatus Autharis regis, initio mensis Nouembris dignitatem regiam. Sed tunc paucis tantum congregatis in unum Langobardis, postea mense Maio ab omnibus in regnum apud Mediolanum sublimatus est.

Autharis mors

Theodelinda in regno cōfirmatur

Theodelinda nubit Agilulfo

PAVLI

PAVLI DIACONI DE GESTIS LANGOBARDORVM LIBER IIII

De legatione Agilulfi regis in Franciam ad redimendos captiuos, deq; anni ſiccitate, & annonæ caritate, & de uictorijs Agilulfi in Gandulfum & Menulfum duces. CAPVT I



ONFIRMATO ergo Agilulfo (qui & Ago dictus eſt) in regia dignitate, Agnellum epiſcopum Tridentinum in Franciam miſit ad redimendos eos qui Tridẽto captiui à Francis abducti fuerant. Qui inde rediens ſecum aliquos captiuos, quos Brunechildis regina Frãcorum proprio pretio redemerat, reduxit. Eoinus quoque dux Tridentinorum ab obtinendam pacem ad Gallias perrexit. qua impetrata regreſſus eſt. Hoc anno fuit ſiccitas nimium grauis à menſe Ianuario uſq; ad mẽſem Septembrem: & facta eſt magna penuria annonæ & fames ualida. Venit quoq; magna locuſtarum multitudo in territorium Tridẽtinum: quæ maiores erant quàm cæteræ locuſtæ: & mirum dictu, herbas fruticesq; depaſtæ ſunt. Segetes uero agrorũ exiguæ prouenerunt. Sequenti quoque anno pari modo reuenerunt. His diebus Agilulfus occidit Menulfum ducẽ inſulæ ſancti Iulij: eo quod ſe ſuperiori tẽpore Francorum ducibus tradidiſſet. Gandulfus uero Bergomenſis dux in ciuitate ſua Bergomo rebellans cõtra regem ſe cõmuniuit: ſed datis obſidibus pacem cum eo fecit. Rurſus autẽ in inſula Comacina ſe clauſit: quã Agilulfus ingreſſus auxiliares Gandulfi expulit: & theſaurum quẽ ibidem à Romanis poſitum inuenerat Ticinum tranſtulit. Gandulfus uero iterato Bergomum confugiens, ibiq; ab Agilulfo captus, rurſum in gratiam receptus eſt. Rebellauit etiam Vlfaris dux Taruiſinus contra Agonem ſeu Agilulfum regem apud Taruiſium: ubi & obſeſſus & captus ab eo eſt.

Agilulfus rex XIII

Menulfi cædes

Gandulfus rebellis

De bello à Childeberto geſto: de hyeme uehemẽti: fluxu cruoris. De ſcriptis diui Gregorij papæ ad Theodelindam miſsis: per quam eccleſiæ poſſeſsionem fere recepit. Deq; Thaſsilonis regno & geſtis. CAPVT II



OC anno fuit peſtis inguinaria iterum apud Rauennam, Gradum, & Iſtriam grauiſsima: ut etiã prius ante triginta annos extiterat. Hoc etiam tempore Agilulfus rex cum Abaribus pacem fecit. Childelbertus uero bellum geſsit cum conſobrino ſuo Chilperici filio, in quo prælio uſq; ad triginta millia homines cæſi ſunt. Fuit aũt tunc hyems frigida nimis, qualem nullus recolebat prius fuiſſe. In regione quoq; Brionum ſanguis de nubibus fluxit, & Interni fluuij riuulus aquas cruoris emiſit. Iiſdem diebus ſapientiſsimus ac beatiſsimus papa Gregorius Romanæ urbis epiſcopus, poſt alia multa quæ ad utilita-

Childeberti geſta

tem sanctæ ecclesiæ scripserat, etiã libros quatuor de uitis sanctorũ composuit: quem codicem dialogum, id est duorũ locutionem, quia eum colloquẽs cum suo diacono Petro, ediderat, appellauit. Hos aũt libros præfatus papa Theodelindæ reginæ misit, utpote quam sciebat & Christi fidei deditam, & in bonis artibus esse præcipuam. Per hanc quoq; reginam multum utilitatis ecclesia dei consecuta est. Nam pene omnes ecclesiarum sublimitates Langobardi quum adhuc gentilitatis errore tenerẽtur inuaserant: sed eius salubri supplicatione rex permotus, & catholicam fidem tenuit, & multas possesiones ecclesiæ largitus est: atq; episcopos qui in depresione & abiectione erant ad dignitatẽ & honorẽ reduxit. His quoq; diebus Thasilo à Childeberto rege Francorum apud Baioariam rex creatus est. Qui mox cum exercitu Sclauorum prouinciam introiẽs, parta uictoria ad solum proprium cum magna præda remeauit.

Thaßilo

De Romano exarcho & eius in Agilulfum gestis: deq; pace per Gregorium ecclesiæ impetrata. CAPVT III



HAC etiam tempestate Romanus patricius, exarchus Rauẽnæ, Romam properauit. Qui dum Rauẽnam reuerteretur, recepit ciuitates quæ à Langobardis tenebãtur. Quarum ista sunt nomina: Suttium, Polimartium, Horta, Tudertum, Ameria, Perusium, Luceoli: & alias quasdam ciuitates. Quod factũ cum regi Agilulfo nuntiatũ esset: statim Ticino egressus cum ualido exercitu Perusium petijt: ibiq; per dies aliquot Mauritionem ducem Langobardorum, qui se Romanorum partibus tradiderat, obsedit: & captum sine mora uita priuauit. Huius regis aduẽtu iterũ beatus papa Gregorius exterritus est: ut ab expositione templi de quo Ezechiel scripserat, desisteret: sicut ipse quoq; in suis homilijs refert. Rex autem Agilulfus extincto Mauritione Ticinum repedauit. Nec multo post suggerente maxime Theodelinda regina coniuge eius, sicut eam beatus Gregorius suis epistolis sæpius admonuerat, cum eodem uiro sanctissimo papa Gregorio atq; Romanis pacem firmissimam pepigit. Eidemq; reginæ idem uenerabilis sacerdos pro gratiarum actione hanc epistolam misit.

Rex cum Ro.

GRegorius Theodelindæ reginæ Langobardorum. Quia excellentiam uestram ad faciendam pacem studiose & benigne se sicut solet impendisse, renuntiante filio nostro Probo abbate cognouimus (nec enim aliter de Christianitate uestra confidẽdum fuit: nisi in causa pacis laborem & bonitatem uestram omnibus mõstraretis) omnipotenti deo gratias agimus, qui ita cor uestrum sua pietate regit: ut sicut uobis fidem rectam tribuit: ita quoq; placita sibi uos sæpe operari cõcedat. Non enim, excellẽtissima filia, de sanguine, qui ab utraq; parte fundendus fuerat, paruum te credas acquisiuisse meritum. Ex qua re uoluntati uestræ gratias referentes, dei nostri misericordiam deprecamur, ut bonorum uobis uicem & retributionem in cor

Epistola Gregorij papæ

pore

pore & in anima, hic & in futuro compẽset. Salutãtes uos præterea paterna dilectione hortamur: ut apud excellentissimum coniugem uestrum ita agatis, quatinus Christianæ Reipublicæ societatem non reijciat. Nam sicut & uos scire credimus, multis modis ei utilis est: si se ad eius amicitiam conferre uoluerit. Vos igitur more uestro, quæ ad gratiam & conciliationẽ partium pertinent semper studete: atque ubicunque causa mercedis extiterit laborate: ut bona uestra amplius ante omnipotentis dei oculos commendetis.

GRegorius Agilulfo regi Langobardorum. Gratias excellentiæ uestræ referimus: quod petitionem nostram audientes, pacem, quæ utrisque esset partibus profutura, sicut de uobis confidentiam habuimus, ordinastis. Ex qua te excellẽtiæ uestræ prudẽtiam & ueritatem ualde laudamus: quia pacem diligẽdo, uos deũ qui autor ipsius est, amare mõstratis. Nam si (quod abesse gaudemus) facta non fuisset: quid agi debuit: nisi ut cum peccato & periculo partium, sanguis miserorũ rusticorum, quorum labor utrisque proficit, funderetur? Sed ut prodesse nobis eandem pacem, quemadmodũ à uobis facta est, sentiamus, paterna charitate petẽtes petimus: ut quoties occasio se dederit, ducibus uestris per diuersa loca, & maxime in his partibus cõstitutis, uestris præcipiatis epistolis: ut hanc pacem, sicut promissum est, summopere custodiant, nec occasiones sibi aliquas quærant, aut contentio, aut seditio aliqua nascatur. Et quatinus uoluntati uestræ gratias agere ualeremus, latores præsentium literarum, sicut reuera homines uestros, in eo quo debuimus affectu suscepimus. Quia iustum fuit ut uiros sapientes, & qui pacem factam deo propitio nunciauerunt, cum charitate & suscipere & dimittere deberemus.

Alia epistola

De strage Baioariorum à Cacano. De Childeberti uxorisque nece. Hunorum in Galliam irruptione. Guntranni morte. Pace cum Theodorico Francorum rege. Gandulfi & Vuarnecausi cæde. De peste & portentis ac bello Francorum.

CAPVT IIII



INter hæc sequẽti mẽse Ianuario apparuit cometes, id est stella crinita, mane & uespere per totum mensem. Eo quoque mense defunctus est Ioannes archiepiscopus Rauennæ: cuius in locum Marianus ciuis Romanus substitutus est. Eoino quoque duce Tridenti mortuo, datus est eidem loco dux Gandoaldus, uir bonus ac fide catholicus. Iisdem temporibus Baioarij usque ad duo milia uirorum dum super Sclauos irruunt, superueniente Cacano, omnes interficiuntur. Tunc primum caballi siluatici & bubali in Italiam delati Italiæ populis miraculo fuerunt. Hac etiam tempestate Childebertus rex Francorum ætatis anno uigesimoquinto, cum uxore ueneno, sicut fertur, extinctus est. Huni quoque qui & Abares dicuntur, à Pannonia in Turingiam ingressi, bella grauissima cum Francis gesserũt. Brunechildis tunc regina cum nepotibus adhuc puerulis Theodeberto & Theoderico regebat Galliam, à quibus

Bauarorum strages à Cacano

Childeberti mors

Guntramni mors Huni accepta pecunia reuertũtur ad propria. Mortuus quoq; Guntrãnus rex Francorum, regnumq; illius Brunechildis regina suscepit cũ nepotibus adhuc paruulis filijs Childeberti. Per idem tempus Cacanus rex Hunorum legatos ad Agilulfum Mediolanum mittens, pacem cum eo fecit. Romanus quoq; patricius moritur: cui Callinicus succeßit, & cũ Agilulfo rege pacem composuit. *Pax cum Francis* Hac etiã tempestate Agilulfus cum Theodorico Francorum rege pacem perpetuam fecit. Post hæc Agilulfus, qui & Ago, rex rebellantem sibi Zangrulfum Veroneñ. ducem extinxit. Gandulfum quoq; Bergomeñ. ducem, cui iam bis pepercerat, peremit. Pari etiam modo & Vuarnecausum apud Ticinum occidit. Subsequenti tempore rursus Rauennam, & eos qui circa oram maris erant, pestis grauißima uastauit. Sequenti uero anno mortalitas ualida populos Veronenses attriuit. Tunc etiam signũ sanguineum in cœlo apparuisse uisum est: & quasi hastæ sanguineæ: & lux clarißima per totam noctem. *Francorum discordia* Theodebertus autem Francorum rex eo tempore cum Clothario patruele suo bellum gerens, eius exercitum uehementer afflixit.

De Ariulfi morte: & miraculo sancti Sabini.

CAPVT V



Equẽti anno Ariulfus dux qui Faroaldo apud Spoletum successerat, moritur. Hic Ariulfus cum bellum contra Romanos in Camerino gesißet, uictoriamq; patraßet, requirere à suis hominibus cœpit: quisnam uir ille fuißet quẽ in prælio quod gesserat, tam strenue pugnantem uidißet. Cui cum sui responderẽt, se illic nullum fortius bellantem quàm ducem ipsum uidisse: ille ait. Certe multo per omnia me meliorem ibi alium uidi: qui quoties me aduersæ partis aliquis percutere uoluit, me semper suo clypeo protexit. Cumq; dux ipse prope Spoletũ, ubi basilica beati martyris Sabini episcopi sita est, in qua eiusdem uenerabile corpus requiescit, aduenißet: interrogauit cuius illa tam ampla domus eßet. *Sabini præsidium* Responsumq; est ei à uiris fidelibus Sabinum ibi martyrem requiescere: quem Christiani quoties in bello contra hostes irent præsidium haberent: ac eum propterea in suum auxilium uocarent. Ariulfus uero cum adhuc eßet gentilis, ita respondit: Et potest fieri ut homo mortuus aliquod uiuẽtibus auxilium præstet? Qui cum hoc dixißet, equo desiliens eandem basilicam conspecturus intrauit. Tunc alijs orantibus ipse picturas eiusdem basilicæ mirari cœpit. Qui cum figuram beati martyris Sabini depictam cõspexißet: mox cum iuramẽto affirmauit. Talem omnino eum uirum qui se in bello protexerat formã habitumq; habuisse. Tuncq; intellectum est beatum martyrem Sabinum eidem in prælio adiutorium contulisse. Igitur mortuo Ariulfo, duo filij Faroaldi superioris ducis inter se propter ducatum decertantes, alter eorum Teudelapius nomine, uictoria potitus ducatum suscepit.

De direptione Cœnobij diui Benedicti in Cassino siti, & de Ariche successore Zotonis Beneuentani, & epistola diui Gregorij. CAP. VI

CIRCA hæc tempora cœnobiũ beat Benedicti patris, quod in castro Cassino situm est, à Langobardis noctu inuaditur. Qui uniuersa diripientes, ne unum quidem ex monachis tenere potuerunt, ut prophetia uenerabilis patris Benedicti, quam lõge ante prædixerat, impleretur, qua dixit. Vix apud deum obtinere potui, ut ex hoc loco mihi animæ cederentur. Fugientes autẽ ex eodẽ loco monachi Romam petierunt, secum codicem sanctæ regulæ, quã præfatus pater composuerat, & quædam alia scripta, necnon libram panis & mensuram uini & quicquid ex supellectili recipere poterant, deferentes. Cæterũ post beatum Benedictum Constantinus, post hunc Simplicius, post quem Vitalis, ad postremum Bonitus congregationem ipsam rexit, sub quo hæc destructio facta est. Mortuo autem Zotone Beneuentanorum duce, Arichis in locum ipsius à rege Agilulfo missus, successit: qui ortus in Foroiulij fuerat, & Gisulfi Forijuliani ducis filios educarat, eidemq; Gisulfo consanguineus erat. Ad hunc Arichem extat epistola beati Gregorij papæ in hunc modũ directa.

Direptio Caßini

Abbates Benedictini

GRegorius Arichi duci. Quia sic de gloria uestra, sicut reuera de filio nostro confidimus, petere à uobis aliquid fiducialiter prouocamur, arbitrantes quod uos minime patiamini nos contristari, maxime in tali re unde uestra anima multum adiuuari poterit. Indicamus autem propter ecclesiã beatorum Petri & Pauli aliquãtas trabes nobis necessarias esse, & ideo Sabino subdiacono iniunximus de partibus Brixiorum aliquantas incidere, & ut usq; ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re auxilio indiget: salutantes gloriam uestram paterna charitate, petimus ut actionarijs uestris, qui in illo loco sunt, demandetis, ut homines qui sub eis sunt cum bobus suis in eius auxilium transmittant, quatinus uobis concurrentibus melius quod ei iniunximus possit perficere. Nos enim promittimus, quod dũ res erit perfecta dignũ uobis euxenium, quod non sit iniuriosum, transmittemus. Nam scimus nos considerare, & filijs nostris qui bonam nobis uolũtatem exhibent, respondere. Vnde iterum petimus gloriose fili ut ita faciatis, ut & nos uobis possimus esse pro præstito beneficio debitores, & uos mercedem pro sanctorum ecclesijs habeatis.

De captione filiæ Agilulfi & generi eius Godescalci, & de constitutione ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ in Modoecia. CAP. VII

HIS diebus capta est filia Agilulfi regis cũ uiro suo nomine Godescalco de ciuitate Parmensi, ab exercitu Callinici patricij, & ad urbem Rauennam sunt deducti. Hoc quoq; tempore misit Agilulfus rex Cacano regi Auarum, artifices ad faciendas naues, cum quibus idem Cacanus insulam quandam in Thracia expugnauit.

Per idem quoque tempus Theodelinda regina Basilicam beati Ioannis

Baptistæ

Baptistæ in Modoecia construxit, pro se & pro uiro suo, & pro filijs ac filiabus & cunctis Langobardis Italiensibus, ut ipse sanctus Ioannes sit intercessor pro cunctis Langobardis ad dominum: & illi uenerunt inter se unanimiter maiores natu cum rege suo, una cum Theodelinda regina dicẽtes. Si sanctus Ioãnes pro nobis interpellator sit ad dominum deum nostrum Iesum Christum pro nobis, nos omnes unanimiter pollicemur illi omni anno in die natiuitatis suæ, hoc est, VIII Kalend. Iulij de nostris facultatibus transmissuros honorifice ad oraculum eius, ut per illius interpellationẽ habeamus iuuamen domini nostri Iesu Christi, tam in bello quàm in alijs locis omnibus quocunq; ituri sumus. Ab illo ergo die in omnibus actibus eorum cœperunt inuocare sanctum Ioannem, ut illis præberet auxilium in uirtute domini nostri Iesu Christi, & illi omnes permanebant illæsi, uictoresq; extiterunt super cunctos aduersarios suos. Locus autem ille supra Mediolanum duodecim milibus est, quem regina dedicandum curauit, multisq; ornamentis auri & argenti mirifice decorauit, prædijsq; ditauit, familiasq; & possessiones multas eidem loco addixit in honorem sancti Ioannis Baptistæ. Dicamus assertionẽ scripturæ Theodelindæ reginæ. Offert gloriosissima Theodelinda regina una cum filio suo Adaluualdo rege, sancto Ioanni patrono suo de dono dei, & de dotibus, chartulam suę donationis, quam in suorum præsentia scribere fecit. Si quis quolibet tempore hanc testem uolũtatis suæ corruperit, in iudicij extremi die cum Iuda traditore damnetur. Ordinatio uero eius talis fuit. De rebus sancti Ioannis nullo modo se debet aliquis intromittere nisi tantum sacerdotes qui ibi deseruiunt die ac nocte, tantùmq; famuli ac famulæ qui ibi subiecti sunt communiter debeant uiuere. Quo in loco etiam Theodoricus quondã Gothorum rex palatiũ magnum construxit, eo quod ęstiuo tempore locus ille uicinus alpibus temperatus ac saluber existit. Ibi etiã præfata regina sibi palatium cõdidit, in quo aliquid de Langobardorum gestis manifeste ostẽditur. Quomodo eo tẽpore Langobardi comam capitis tõdebant, uel qualis illis uestitus qualisúe habitus erat, seq; à ceruice usq; ad occipitium radentes nudabant, capillos à fronte usq; ad os demissos habentes, quos ab utraq; parte in frontis discrimine diuidebant. Vestimenta uero eis erãt laxa, & maxime linea, qualia Angli Saxones habere solent, ornata institis latioribus, uario colore contextis. Calcei uero eis erãt usq; ad summũ pollicẽ pedis aperti, & alternatim laqueis corrigiarũ retenti. postea uero cœperũt uti consutis. Super equos equitantes tributos byrreos mittebant, sed hoc de Romanorum consuetudine traxerant.

Lãgobardorũ prisca facies & uestimẽta

De Patauij expugnatione. De pace cum Auaribus. De Adaluualdi natiuitate, de Smaragdo, de Mauritij meritis & nece. CAP. VIII

Patauium concrematur



Sq; ad hæc tpa Patauiũ urbs fortissima militibus repugnãtibus Lãgobardis restitit. sed tãdem iniecto igni tota flãmis uorãtibus cõcremata est, & iussu regis Agilulfi usq; ad solum destructa est.

Milites

Milites tamẽ qui in ea fuerunt Rauennã remeare permissi sunt. Hac tempestate legati Agilulfi regressi à Cacano pacem perpetuã factã cum Auaribus nuntiauerunt. Legatus quoque Cacani cum eis aduenięns ad gallias perrexit: denuntians Francorum regibus ut sicut cum Auaribus Hunis, ita cum Langobardis pacem habeant. Inter hæc Langobardi cum Auaribus & Sclauis in Istrorum fines ingressi, uniuersa ignibus & rapinis uastauerũt. Agilulfo quoq; regi tunc nascitur filius ex Theodelinda regina in Modoeciæ palatio, qui Adalualdus est appellatus. Sequenti tempore Langobardi castrum Montis silicis inuaserunt. Per idem tempus repulso à Rauenna Callinico rediit Smaragdus qui prius fuerat Rauẽnæ patricius. Igit' Mauricius Augustus postquam annos unum & uiginti rexerat imperium, cum filiis suis, Theodosio, Tyberio, Constantino, à Phocate qui fuit Strator Prisci patricii, occiditur. Fuit autem utilis reip. Nam sæpe contra hostes dimicans, uictoriã obtinuit. Huni quoq; qui & Auares appellantur, eius uirtute deuicti sunt. Hoc anno Gandoaldus dux Tridentinorum & Gisulfus Foriiulii cum antea Agilulfi regis societatem abnuissent, ab eo in pace recepti sunt. Tunc etiam baptizatus est prænominatus puer Adalualdus filius Agilulfi regis in ecclesia sancti Ioannis in Modoecia, & susceptus est de fonte à Secundo seruo dei de Tridento: cuius sæpe facimus mentionẽ. Fuit autem festi pascalis dies eo tempore.

Pax cum Cacano

De Langobardorum post uictorias uarias cũm Romanis pace restituta filia Agilulfi. de discordia Francorum inter se. de Diui Gregorii transitu & hyeme rigida, & humillima Gregorii per epistolam purgatione.

CAPUT IX.



ERAT autem his diebus adhuc discordia Lãgobardis cum Romanis propter captiuitatem filiæ regis. Quia ob hanc causam rex Agilulfus egressus Mediolano mense Iulio obsedit ciuitatem Cremonẽ. cum Sclauis, quos ei Cacanus rex Auarum in auxilium miserat: & cepit eam duodecimo Kalend. Septemb. & ad solum usq; destruxit. Pari etiam modo expugnauit Mantuam interruptis muris eius arietibus, dans ueniam militibus qui in ea erant Rauennam reuertendi. Ingressusq; est in eandem idibus Septemb. Tunc etiã partibus Langobardorũ se tradidit castrum quod Vulturnia uocatur. Milites uero Brixellum oppidum igni concremantes fugerunt. Istis patratis reddita est filia regis à Smaragdo patricio, cum uiro & filiis ac cunctis rebus, factaq; est pax Menses nouẽ usq; Kalend. Aprilis indictione octaua. Filia uero regis mox à Rauenna Parmam rediit, ubi ob difficultatem partus periclitata statim defuncta est. Hoc anno Theodebertus & Theodericus reges Francorum aduersus Clotharium patruum suum dimicauerunt, in quo certamine ex utraq; parte multa milia occiderunt. Tunc etiam beatus Gregorius papa migrauit ad Christum, cum iam Focas per indictionem octauam anno regnaret

Cremona uastatur & Mantua

gnaret

gnaret secundo. Cuius in locum ad apostolatus officium Sabinianus est ordinatus. Fuit autem hyems frigida nimis, & mortuæ sunt uites pene in omnib. locis. Messes quoq; percussæ uredine passim euanuere. Debuit etenim mundus famem sitimq; pati, quando decedente tanto doctore animas hominum spiritualis alimoniæ penuria, sitisq; ariditas inuasit. Libet sane eiusdem beati Gregorij papæ epistolam quandam huic opusculo inserere, ut possit liquidius agnosci, quàm humilis ille uir fuerit, quantæq; innocentiæ & sanctitatis. Hic itaq; cum accusatus apud Mauricium Augustum & eius filium fuisset, quod Malchum episcopum quendam in custodia pro solidis occidisset, scribens pro hac re epistolam Sabiniano suo apocrisario, qui erat apud Constantinopolim, inter cætera sic ait. Vnum est quod breuiter suggeras domino nostro: quod si ego seruus eorum in mortem Langobardorum me miscere uoluissem, hodie Langobardorum gens nec regem, nec duces, nec comites haberet, atq; in summam confusionẽ diuisa esset. Sed quia deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Malchus autem episcopus neq; in custodia fuit, neq; in aliqua afflictione, sed die quo me causam nesciente à Bonifacio notario in domum eius ductus est: ibiq; prandit, & honoratus est ab eo: & noctu subito mortuus est. Ecce quantæ humilitatis uir iste fuit: qui cum esset summus pontifex, se seruum nominauit. Ecce quantæ innocentiæ, qui nec in mortem Langobardorum qui utiq; increduli erant & omnia uastabant, se uoluit immiscere.

Epistola apologetica diui Gregorij

De Adalualdi in regem assumptione, de Francorũ cum Saxonibus bello. De pace cum Smaragdo & Romanis. De patriarchis Aquilegieñ. & cæde Consinij & Eleutherij eunuchi. CAP. X.

Adalualdus rex XIIII



SEQVENTI mense Iulio Adalualdus Agilulfi filius creatus est Langobardorum rex apud Mediolanum in circo, in præsentia patris sui Agilulfi regis, astantibus legatis Theodeberti, & firmata est pax perpetua cum Francis. Eodem tempore Francis cum Saxonibus pugnantibus magna strages ab utrisq; partibus facta est. Apud Ticinum autem in Basilica beati Petri apostoli, Petrus cãtor fulmine ictus est. Sequenti uero mense Nouembri Agilulfus rex pacem fecit cum Smaragdo patricio in annum unum, accipiens à Romanis duodecim milia solidorum aureorum: ciuitatesq; Tusciæ, Balneum regis, Vrbs uetus, à Langobardis inuasæ sunt. Tunc etiam mense Aprili & Maio apparuit in cœlo stella crinita: & postea Agilulfus rex iterum fecit inducias cum Romanis ad tres annos. His diebus defuncto Seuero patriarcha, ordinatus est loco eius Ioannes abbas patriarcha in Aquilegia uetere, cum consensu regis & Gisulfi. In Grado quoq; ordinatus est Romanus Candidianus antistes. Rursum mense Nouembri & Decembri cometes apparuit. Cãdidiano quoq; defuncto apud Gradum ordinatus est patriarcha Epiphanius, qui fuerat primicerius notariorum, ab episcopis qui erant sub Romanis, & ex illo

ex illo tempore cœperũt duo esse patriarchæ. Hac ætate Ioannes Consinius inuasit Neapolim: quem Eleutherius patricius de eadem ciuitate non multos post dies expulit, & mox comprehensum interfecit. Post hæc idem Eleutherius patricius eunuchus imperatoris iura usurpauit. Qui dum à Rauenna Romam pergeret: in castro Luceolis à militibus interfectus est. Caput uero eius Constantinopolim ad imperatorem delatum est.

Consinius *Eleutherius*

De pace cum Phoca imperatore: & de eiusdem ad imperium euectione, & gestis eius. CAP. XI



HAc etiam tempestate misit Agilulfus rex Stabilitianum notarium suum Constantinopolim ad Phocam imperatorem, quo redeunte cum legatis imperatoris facta pace annuali, Agilulfo regi ijdem legati imperialia munera obtulerunt. Phocas autem ut præmissum est extincto Mauritio eiusq; filio, Romanorum regnum inuadens per octo annorum curricula principatum tenuit. Hic rogante Papa Bonifacio statuit sedem Romanæ & apostolicæ ecclesiæ primam esse, cũ prius Cõstantinopolitana se primam omnium ecclesiarum scriberet. Idem eodem papa Bonifacio petente iussit Romæ in uetere fano quod Pantheon uocabatur ablatis idololatriæ sordibus ecclesiam beatæ semper uirginis Mariæ & omnium Martyrum fieri, ut ubi quondam omnium nõ deorum sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps fieret omniũ memoria sanctorum. Huius tempore Prasini & Veneti per orientem & Ægyptum ciuile bellum fecerunt, ac sese mutua cæde prostrauerũt. Persæ quoq; aduersus rempub. christianam grauissima bella gerentes, multas Romanorum prouincias & ipsam Hierosolymam abstulerunt: & destruentes templa, & sancta profanantes ueterum ornamenta locorum & communium, etiam uexillum sanctum dominicæ crucis asportarũt. Contra hunc Phocam Heraclianus qui Aphricam regebat rebellauit, atq; cum exercitu ueniens eum regno uitaq; priuauit, remq; publicam Romanam Heraclius eiusdem filius regendam suscepit.

Phocas cum Agilulfo pacẽ in annum pasciscitur *Romanæ sedis principatus* *Pantheon* *Prasini Venetiq;* *Persæ* *Phocas occiditur* *Heraclius imperat*

De Cacani Auarum irruptione in oram Venetam, & forti sed infelici Gisulfi occursione. De Foroiulij excidio per Romildam, & eius supplicio, liberorumq; casu. CAP. XII



CIrca hęc tempora rex Auarum quem sua lingua Cacanum appellant, cum innumerabili multitudine ueniens Venetiarum fines ingressus est. Huic Gisulfus Foroiulianus dux cum Langobardis quos habere poterat, audacter occurrit. Sed quamuis forti animositate contra immensam multitudinem bellũ cum paucis gereret: undiq; tamẽ circunseptus cum omnibus pene suis extinctus est. Vxor uero Gisulfi nomine Romilda, cum Langobardis qui euaserant, & cum eorum uxoribus & filijs qui in bello perierant, inrra muros Foroiuliani castri septa est, huic erant filij Taso & Cato iam adolescẽtes, Rodoaldus uero &

Cacanus uictor *Gisulfi cædes* *Romilda & eius liberi*

Grimoaldus, adhuc in puerili ætate constituti. Habebat itidem filias quatuor, quarum Pappa una, altera Gaila, uocabantur: reliquarum duarum nomina non retinemus. Cōmuniuere se quoq; Langobardi & in reliquis castris quæ ijs uicina erant, hoc est in Comhona, Memaso, Osopio, Artenia, Reumari, Glemona: & etiam in Bilige, cuius positio omnino inexpugnabilis extitit. Pari etiam modo & in reliquis castellis, ne Hunis hoc est Auaribus præda essent, se communiuere. Auares uero ubi per omnes Foroiulianorum fines discurrentes omnia rapinis & incendijs uastarant, Foroiulianum oppidum obsidione claudunt, & totis uiribus expugnare moliuntur. Horū rex, iam dictus Cacanus, dum circa muros armatus cum exercitu obambularet, ut qua ex parte urbem facilius expugnare posset indagaret, à Romilda de muris prospectus est. quæ dum eum iuuenili ętate florentem cerneret, ut meretrix nefaria concupiuit, eiq; mox per nuntium mandauit, ut si se in matrimonio acciperet, ipsa Forumiulij cum omnibus quæ inerant eidem traderet. Quod rex barbarus audiens, eidem malignitatis dolo quo mandauerat, se id facturum, eamq; se in matrimonio accepturum promisit. Illa uero nihil morata portas Foroiuliensis castri aperuit, & ad sui cunctorumq; qui inerant perniciem hostem introduxit. Ingressi uero Auares cum rege suo Forumiulij, uniuersa quę inuenire poterant diripiunt, ipsamq; urbem flammis concremantes, uniuersos quos repererunt captiuos abducunt: fallaciter tamen eis promittentes, quod eos unde digressi fuerant, in Pannoniæ finibus collocarēt. Qui cum in patriam reuertentes ad campum quem sacrum nominant, peruenissent, omnes, qui iam in maiore ætate constituti erant, Langobardi gladio perimuntur. Mulieres uero & Cato ac Rodoaldus cæteriq; Gisulfi & Romildæ filij cum hanc Auarum malitiam cognouissent, statim ascensis equis fugam arripiunt. E quibus unus Grimoaldum puerulum fratrem suum, quod existimaret eum propter paruitatem super equum currentem se retinere non posse, perimere uoluit, dicens melius eundē gladio perire quàm captiuitatis iugum sustinere. Cum igitur ut eum percuteret lanceam eleuasset, puer lachrymans exclamauit dicens, noli me pungere, quia possum me super equū tenere. Qui iniecta manu eum per brachiū apprehendens, super nudum equi dorsum posuit: eundemq; si posset se continere hortatus est. Puer uero frenum equi manu accipiens, fugientes fratres & ipse secutus est. Quo comperto Auares mox ascensis equis eos persecuti sunt. Sed reliquis ueloci fuga euadentibus, Grimoaldus puerulus ab uno eorum qui uelocius equitauerat, capitur: nec tamen eum comprehensum suo ferire gladio propter paruitatem dignatus est, sed sibi potius eundem in seruitium seruauit. Cumq; hostis ad castra reuertens apprehenso eiusdem equi freno eum reducendo de tam nobili præda exultaret (Erat enim ipse puerulus eleganti forma, micantibus oculis, lacteo crine perfusus) puer cum se captiuum trahi doleret, ingentes animos angusto

Romildæ importunus amor

Forumiulij proditur, diripitur, desolatur

Captiuorum cædes

Libertatis amor

in pectore

in pectore uersans, ensem qualem in illa ætate habere poterat uagina exe/
mit, incq; hostis præeuntis caput quantulo adnisu ualuit incussit: moxcq; ad
cerebrum usq; ictus pertingens hostem ab eo deiecit. Puer uero Grimoal/
dus uerso equo fugam lætabundus arripiens, tandem fratribus adiunctus
est, eisq; liberatione sui nuntiata, hostisq; interitu, inæstimabile gaudiũ fe/
cit. Auares uero omnes Langobardos qui iam uirili ætate erant gladio peri
munt, mulieres uero & paruulos captiuitatis iugo abducunt. Romildam ue
ro quæ totius malitiæ caput extitit, rex Auarum propter iusiurandum sicut
ei promiserat nocte una quasi in matrimonio habuit, nouissime uero duo/
decim Auaribus tradidit, qui eam per totam noctem uicibus sibi succeden/
tes libidine uexarent. Postmodũ quoq; palum in medio campo configi præ
cipiens, eandem eius cacumini inseri mandauit, inquiens, talem te dignũ est
maritũ habere. Igitur dira proditrix patriæ tali exitio perijt, quæ amplius
suæ libidini quàm ciuium & consanguineorum saluti prospexerat. Filiæ ue/
ro eius non matris libidinem secutæ sed castitatis amorem, cauentes ne ab
Auaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mamillas
sub fascia posuerunt, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidũ exhalabant.
Cumq; eas uellent Auares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant
eas naturaliter ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, atq; di/
centes omnes Langobardas fœtidas esse. Hac itaq; arte Auarũ libidinem
puellæ nobiles euadentes, & ipsæ castæ seruatæ sunt, & utile seruandæ casti
tatis, siquid tale contigerit, fœminis omnibus dereliquerunt exemplũ. Quæ
postea per diuersas regiones uenundatæ, iuxta nobilitatem suam dignis
sunt nuptijs potitæ. Nam una dicitur Alemannorum regi, alia uero Baioa/
riorum principi nupsisse.

Romildæ exitus

Castitatis studium

De progenitorũ & præcipue proaui auctoris mirabili casu. CAP. XIII



Xigit uero nunc locus, prætermissa generali historia, pauca eti/
am priuatim de meo qui hæc scribo genere eloquia retexere, &
(quia res ita postulat) paulo altius narrationis ordinem replica
re. Eodem igitur tempore, quo Langobardorum gens de Pan
nonia ad Italiam uenit, Leupchis abauus meus ex eodem Langobardorũ
genere cum eis pariter aduentauit. Qui postquam aliquot annos in Italia
uixerat, diem claudens extremum quinq; ex se genitos filios adhuc paruu/
los reliquit, quos tempestas ista captiuitatis de qua nunc diximus, compre/
hensos omnes ex castro Foroiuliensi in Auarum patriam exules deduxit.
Qui cũ per multos annos in eadem regione captiuitatis miseriam sustinu/
issent, & iam ad ætatem uirilem peruenissent, cæteris quatuor quorum no/
mina non retinemus, in captiuitatis angustia persistentibus, quintus eorum
germanus nomine Leupchis, qui noster postea proauus fuit, inspirante (ut
credimus) misericordiæ auctore, captiuitatis iugũ abijcere statuit, & ad Ita/
liam ubi gentem Langobardorum residere meminerat, tendere: atq; ad li/

bertatis iura studuit repedare. Qui cũ iter ingressus fugam arripuisset, pharetram tantum & arcum & aliquantulum cibi uiatici gerens, nesciretq; omnino quò pergeret, ei lupus adueniẽs comes & ductor itineris effectus est. Qui cũ ante eum pergeret, & frequenter post se respiceret, ac eo stante subsisteret, eoq; pergente præiret, intellexit sibi eum diuinitus esse datum ut iter quod nesciebat ostenderet. Vbi uero per aliquot dies per montium solitudines hoc modo perrexerant, panis eidem uiatori quem exiguum habuerat, omnino defecit. Qui cum ieiunans iter carperet, & iam fame labefactus defecisset, tetendit arcum suum, eundemq; lupum, ut eum in cibũ sumere posset, sagitta interficere uoluit. Sed lupus ille ictus ferientis præcauens, ab eius uisione elapsus est. Ipse autem amisso lupo nesciẽs quò pergeret, & insuper fame nimiũ debilis effectus, cum iam de uita desperaret, se in terram proijciens obdormiuit, uiditq; quendam uirum in somnis talia dicentem: Surge qui dormis, arripe uiam in eam partem contra quã pedes tenes, in hac etenim est Italia ad quam tendis. Qui statim surgens in illam partem quã dormiens didicerat pergere cœpit. Nec mora, ad habitaculum hominis peruenit. Erat enim Sclauorum habitatio in illis locis. Quem cum una mulier uetula iam uidisset, statim intellexit eum fugitiuum & fame laborare, ductaq; misericordia super eum, abscondit eum in domo sua, & in secreto paulatim ei uictum ministrauit, ne si ei ad saturitatem uictum administraret, eius uitam funditus extingueret: sicq; competentem ei uictum præbuit donec uires recuperauit. Cumq; iam ualidum ad iter faciendũ uidisset, datis ei cibarijs ad quam partem tendere deberet admonuit. Qui post aliquot dies Italiam ingressus, in domum in qua natus fuerat peruenit: quæ tota ita deserta erat ut non haberet tectum, sed etiam rubis & sentibus obsita esset. Quibus ille succisis intra eosdem parietes uastam ornũ reperiens, in eam pharetram suam suspendit. Qui postea consanguineorum & amicorum suorum muneribus ditatus, & domũ ædificauit & uxorem duxit: sed nihil de rebus quas genitor eius habuerat, excussus ab ijs qui eas inuaserant longa & diuturna possessione, conquirere potuit. Is ut iam præmisi, extitit mihi proauus. Ipse etenim genuit auum meũ Arichim. Arichis uero patrem meũ Varnefritũ. Varnefritus autẽ ex Theodelinda cõiuge genuit me Paulũ germanumq; meum Arichim, qui auũ nostrũ cognomine rettulit. His paucis de propriæ genealogiæ serie delibatis, nunc ad generalis historiæ tramitẽ reuertamur.

De Foroiulianis ducibus, & eorum nece. de morte Thassilonis, Secundi episcopi, Theodeberti regis, & Gundoaldi ducis: & studio pacis Agilulfi regis, Sclauorumq; irruptione. CAP. XIIII


Ortuo itaq; ut diximus Gisulfo duce Foroiulieñ. Taso & Cato filij eius eundem ducatum gerendum susceperunt. Eo uero tempore Sclauorum regionem quæ Aglia appellatur, usq; ad locum qui Medaria dicitur, possederunt. Vnde usque ad tempora

pora Rachis ducis ijdem Sclaui pensionem Foroiulianis ducibus persolue-rũt. Hos duos fratres Gregorius patricius Romanus Opitergij dolosa fraude peremit. Nam cum promitteret Tasoni barbam ut moris est incidere, eumq́ filium fateretur, & ipse Taso cũ Catone germano suo & electis muneribus ad eundem Opitergium cum suis esset ingressus, statim dictus patricius ciuitatis portas claudi præcepit, & armatos milites in Tasonẽ eiusq́ socios immisit. Quod Taso perspiciens, audacter se cum suis ad præliũ præparauit, ultimũq́ inter se data pace uale dicentes per singulas ciuitatis plateas in se irruentes trucidantes, cũ magnam de Romanis stragem fecissent, ad extremum etiam ipsi perempti sunt. Gregorius uero patricius propter iusiurandum quod dederat, caput Tasonis sibi afferri iubens, eius barbam sicut promiserat periurus abscidit. His ita peremptis Grasulfus Gisulfi frater Foroiulianus dux constituitur. Radoaldus uero & Grimoaldus ægre ferentes se sub patrui sui potestate degere, cum essent iam prope iuuenilem ætatem, ascensa nauicula remigando ad Beneuenti fines peruenerunt, inde ad Arichim Beneuentanorum ducem suum quondam pędagogum properantes. A quo gratissime suscepti & filiorum loco habiti sunt. Iisdem temporibus mortuo Thassilone Baioariorũ duce, filius eius Garibaldus Maguntiâ Sclauis deuictus est, & Baioariorũ termini à prædantibus inuadunt. Baioarij tamen uiribus resumptis, & prædas ab hostibus excusserũt, & hostes de suis finibus reppulerunt. Rex uero Agilulfus pacem cum imperatore in annum unum, iterumq́ in alterum faciens, cum Francis quoq́ iterato pacis cõcordiam renouauit. Hoc nihilominus anno Sclaui Istriam interfectis militibus lachrymabiliter deprædati sunt. Sequenti quoq́ mense Martio defunctus est apud Tridentum Secundus seruus Christi, de quo sæpe iam diximus, qui usque ad tempora sua succinctam de Langobardorum gestis composuit historiolam. Eodem tempore rex Agilulfus cum imperatore iterato pacem composuit. Interfectus autem est ijsdem diebus Theodebertus rex Francorum, & facta est pugna grauissima inter Francos. Gundoaldus etiam germanus Theodelindæ reginæ, qui erat dux in ciuitate Hastensi, nemine sciente auctorem mortis ipsius, hoc ipso in tempore sagittæ ictu interijt.

Radoaldi & Grimoaldi fuga.

Agilulfus pá-ci studet

Secundi hi-storia

Theodeber-tus rex Fran-corum cæsus

De morte Agilulfi regis: de successione Adalualdi, & Arioũaldi. de Columbani sanctitate & cœnobio. de Rotharis in regnum erectione. de Arrianorum errore. de edicto Rotharis. De Aionis insania. Arichis in Radoaldum & Grimoaldum paterna affectione. & uicissim eorũ in Aionem fraterna charitate. CAP. XV



Æterum Agilulfus qui & Ago est appellatus, postquam uigintiquinque annos regnauerat, diem clausit extremum, relicto in regno filio suo Adalualdo, puero paruo, cum Theodelinda matre. Sub his ecclesiæ restauratæ sunt, & multæ dationes per loca

Agilulfus moritur

Adalualdus rex xiiij

uenerabilia largitę. Sed dum Adaluualdus euersa mente insaniret, postq̃ cũ matre decẽ regnauerat annos, de regno eiectus, & Langobardis in eius loco Arioaldus substitutus est. De cuius regis gestis ad nostram notitiam aliquid minime peruenit. Circa hæc tempora beatus Columbanus è Scotorum genere oriundus, postq̃ in Gallia in loco qui Lexouiũ dicit᷑ monasterium cõstruxerat, in Italiam ueniens à Langobardorũ rege gratanter susceptus est. Cœnobiumq̃ quod Bobiũ appellat᷑ in alpibus Cotijs ædificauit, quod xl. milibus ab urbe distat Ticinensi. Quo in loco & multæ possessiones à singulis principibus Langobardicis largitæ sũt, & magna ibi facta est cõgregatio monachorũ. Arioaldus autẽ postq̃ super Langobardos duodecim annos regnauerat, ab hac luce subtractus est. Langobardorũ uero regnum Rotharis genere Harodus suscepit. Fuit autem uiribus fortis & iustitiæ tramitẽ sequens. Sed tamẽ fidei Christianæ nõ rectam lineam tenens, Arrianæ hæreseos perfidia maculatus est. Siquidẽ Arriani minorẽ patre filium, spiritũ quoq; sanctũ minorem patre & filio, ad suam perniciẽ asserũt. Nos autẽ catholici, patrẽ & filiũ & spiritum sanctũ sub tribus personis unũ & uerũ deũ, æquali potentia, eademq̃ gloria cõfitemur. Huius temporibus ꝑ omnes pene ciuitates regni eius duo episcopi erant, unus catholicus & alter Arrianus. In ciuitate quoq; Ticinensi usq; nunc ostendit᷑ ubi Arrianus episcopus resideret. Qui tamen Arrianus episcopus qui in ea præsedit, fuit Anastasius nomine, qui ad fidem catholicam cõuersus Christi postea ecclesiam rexit. Hic Rotharis rex Langobardorum leges quas sola memoria & usu retinebat, scriptorũ serie cõposuit, codicemq̃ ipsum, edictũ appellari præcepit. Erat autẽ iam ex quo Langobardi in Italiam uenerant annus septuagesimusseptimus, sicut idẽ rex in sui edicti testatus est prologo. Ad hunc regem Arichis Beneuenti dux Aionem filiũ suũ direxit. Qui cũ Rauennam uenisset Ticinũ pergens, ibi ei Romanorũ malitia talis potio data est, quæ eum mente excedere faceret, atq; ex eo tempore nunq̃ pleni sanitatisq̃ sensus fuit. Igitur cũ Arichis dux huius (ut dixi) pater iam maturus annis ad diem ultimũ propinquasset, sciens filiũ suũ Aionem nõ recti esse sensus, Radoaldum & Grimoaldũ iam florẽ iuuentæ habentes quasi proprios filios Langobardis qui aderant cõmendauit, eisq̃ dixit ꝙ melius eos regerent isti, q̃ Aio filius suus possit. Defuncto ergo Arichi qui ducatũ quinquaginta tenuerat annos, Aio eius filius Samnitũ ductor effectus est. Cui Radoaldus & Grimoaldus sicut seniori fratri & domino per omnia paruerũt. Quo iam annũ unũ & menses quinq; Beneuentanũ ducatũ regente, uenientes Sclaui cũ multitudine nauium nõ longe à ciuitate Sipontina castra posuerũt. Qui occultas foueas circa sua castra facientes, cum Aio super eos, absentibus Radoaldo & Grimoaldo, uenisset, eosq̃ debellare uellet, equus eius in unã foueam cecidit, ubi à Sclauis interemptus perijt. Superueniens autẽ Radoaldus cum uno de ijsdem Sclauis propria illorum lingua locutus est. Cumq̃

eos

Arioaldus rex XV

Columbanus

Bobium

Rotharis rex XVI

Arriana hæresis

Episcopi ubique duo

Anastasius

Rotharis edictum

Arichis in Rodoaldũ et Grimoaldum charitas

Arichis moritur

Sclauorum in Italiam irruptio & dolus

eos propter hoc facinus sæuiores ad bellum uidisset, mox super eos irruens, magnaq; eos strage prosternens, & Aionis mortem ultus est, & de illis fini bus eum qui remanserat hostem fugam capere coegit.

De Rotharis gestis, Grimoaldi principatu, sarracenorum iuxta oraculum diui Michaelis aduentu. De Rhodoaldo rege. CAP. XVI



Othatis autẽ rex, Romanorum ciuitates ab Luna urbe Tusciæ uniuersas q̃ in litore maris sitę sunt usq; ad Frãcorũ fines cepit. Opitergiũ quoq; & ciuitates inter Taruisiũ & Forumiulij positas pari modo expugnauit & diruit. Cũ Rauennatibus & Romanis bella gessit, ad fluuiũ Æmyliæ qui Scultena dicitur. In quo bello Romanorum reliquis aperte terga dantibus, octo milia ceciderunt. Eo tempore magnus terræmotus factus est, magnaq; inundatio aquarũ. Postq; fuit clades scabierũ ita ut nullus potuisset mortuũ agnoscere suũ propter nimiũ inflatiõis tumorẽ. Apud Beneuentũ uero mortuo Radoaldo eius germanus Grimoaldus dux effectus est, gubernauitq; ducatũ Samnitum annos XXV. Hic de captiua puella sed tamẽ nobili Romualdũ filiũ & duas filias genuit. Qui dũ esset uir bellicosissimus, & ubiq; insignis, uenıẽtibus eo tempore Saracenis, ut oraculũ sancti archangeli Michaelis, qđ in monte Gargano situ est, deprædarent̃, sup eos cũ exercitu irruens ultima eos cæde prostrauit. At uero Rotharis rex postq; an. XVI. & menses quatuor regnum tenuerat uita decedẽs, Langobardorũ regnũ Rhodoaldo filio suo reliquit. Qui Rotharis cũ iuxta basilicam beati Ioannis Baptistæ fuisset humatus, post aliquantũ tempus quidã cupiditate succẽsus, eius sepulchrũ nocte aperuit, & quicquid in eo ornamẽti corporis eius repperit, abstulit. Cui beatus Ioannes p uisionẽ apparẽs eũ uehementer exterruit, eiq; dixit: Cur ausus es corpus istius hominis cõtingere? Nam licet nõ recte credẽs fuerit, tamẽ mihi se cõmendauit. Quia igit̃ hoc facere præsumpsisti, nunq; in meam basilicam deinceps ingressum habebis. Qđ ita quoq; factũ est. Quotienscunq; eñi uoluisset in beati Ioannis oraculũ ingredi, statim uelut à ualidissimo pugile guttur eius feriret̃, sic subito retrorsũ ruebat impulsu. Veritatẽ in Christo loquor, hoc mihi ipse retulit, qui hoc ipsum suis oculis uidit. Rhodoaldus igit̃ post funus patris Langobardorũ regnũ adeptus, Gundibergã Agilulfi & Theodelindæ filiam sibi in matrimonio sociauit. Hæc Gundiberga regina ad morẽ suæ genitricis sicut illa in Modoecia, sic ipsa in Ticinensi ciuitate basilicã in honorẽ beati Ioannis Baptistæ cõstruxit, quã mire auro, argento, peplisq; decorauit, rebusq; singulis optime ditauit, in qua & eius corpus nũc tumulatũ quiescit. Hæc cũ de crimine adulterij apud maritũ accusata fuisset, seruus eius Carellus nomine, à rege expetiuit ut cũ eo qui reginæ crimẽ ingesserat, pro cõtestatione castitatis dominæ suæ monomachia, id est singulari certamine dimicaret. Qui dum cũ criminatore illo singulare certamẽ inijsset, eũ cuncto populo astante superauit. Regina uero post hoc factũ ad dignitatẽ pristinam redijt.

Rotharis gesta

Radoaldi mors
Grimoaldi principatus
Romualdi ortus
Sarracenorũ aduentus
Rotharis mors
Rhodoaldus rex XVII

De Rhodoaldi cæde. Ariberti in regnum ſublimatione. De imperatorum quorundam ſucceſſione, & de Cæſareæ reginæ Perſarū baptizatione.

CAPVT XVII

Rhodoaldi cædes

Aribertus rex XVIII

RHodoaldus autem dum (ut fertur) uxorem cuiuſdam Langobardi ſtupraſſet, ab eodem interfectus eſt, poſtquam ſeptem dies & quinque regnauerat annos. Huic ſucceſſit in regimine Aribertus filius Gundoaldi, qui fuit germanus Theodelindæ reginæ. Hic condidit apud Ticinum oratorium domini ſaluatoris, quod extra portam occidentalem, quod dicitur Marenca, ſitum eſt, quod etiam ornamentis uarijs decorauit, ſubſtantijsqꝫ ſufficienter ditauit. His diebus defuncto Heraclio Auguſto apud Conſtantinopolim, Heracleon eius filius cum matre, Martina nomine, regni iura ſuſcepit. Rexit itaqꝫ imperium duobus annis. Quo uita decedente ſucceſſit in locū eius Conſtantinus germanus eiuſdem, alter filius Heraclij, imperauitqꝫ mēſibus ſeptem. Hinc etiam Conſtantinus eiuſdem filius ad regni dignitatem aſcendit, tenuitqꝫ ipſum annos uiginti octo.

Conſtantini imperium

Cæſareæ reginæ baptizatio

Circa hæc tempora regina Perſarum Cæſarea nomine cum paucis ſuis fidelibus priuato habitu propter Chriſtianæ fidei amorem Conſtatinopolim uenit, ibiqꝫ ab imperatore honorifice ſuſcepta, poſt aliquot dies ut deſiderabat, baptiſmum conſecuta, & ab Auguſta de fonte ſacro leuata eſt. Quod uir eius Perſarum rex audiens legatos Conſtantinopolim ad imperatorem direxit, quatinus ſibi uxorem ſuam redderet. Qui ad Imperatorem uenientes, uerba regis ſui exponunt, quibus ſuam repetebat uxorem. Imperator uero id audiens remqꝫ omnino ignorans, eis ſic reſpondit. De regina quam quæritis fatemur nos nihil ſcire pręter quàm quod ad nos nuper quædam mulier priuato habitu aduenit. Legati uero dixerunt. Si placet, uelimus eam uidere. Quæ cum iuſſu imperatoris ueniſſet, legati mox ut eam agnouerunt, ad eius ueſtigia prouoluuntur, eiqꝫ uenerabiliter quod eam uir eius requireret annuntiauerunt. Quibus illa reſpondit. Ite renuntiate regi ueſtro nuper marito meo, quod niſi ſicut ego iam in Chriſtum credo, ita & ipſe crediderit, me iam ultra conſortem thori non habebit. Quid multa? Reuerſi legati ad regem uniuerſa quæ uiderant & audierant ipſi nuntiauerunt. Qui nihil moratus cum ſexaginta milibus uirorum Conſtantinopolim pacifice uenit ad imperatorem, à quo gratanter & multum benigne ſuſceptus eſt. Qui cum uniuerſis in Chriſtum dominum credens, pariter cum omnibus ſacri baptiſmatis unda perfuſus ab Auguſto de fonte leuatus eſt, catholica fide confirmatus, multiſqꝫ muneribus ab Auguſto honoratus, accepta ſua coniuge lætus & gaudens ad ſuam patriam repedauit.

Rex Perſarū baptizatur

Circa hæc tempora apud forum Iulij mortuo Graſulfo duce Foroiulienſi, ducatum Ago regendum accepit. Apud Spoletum Theodelapio defuncto, Atto eidem ciuitati ductor efficitur.

De

De Ariberti morte, filiorumq́ eius Partarithi & Gundeberti successione & discordia, deq́ Grimoaldi in eos fraude. CAP. XVIII



Ribertus uero postquã apud Ticinum per annos nouem Langobardos rexerat, regnum duobus filijs suis adhuc adolescentibus Partaritho & Gundeberto regendum reliquit. Et Gundebertus quidem Ticini sedem regni habuit, Partarithus uero in ciuitate Mediolanensi. Inter fratres facientibus malis hominibus, discordiæ & odiorum fomes surrexit, intantum ut alter alterius regnum inuadere conaretur. Qua de causa Gundebertus Garibaldum Taurinatium ducem ad Grimoaldum Beneuentanorum strenuũ ductorem misit, inuitans eum ut quamprimum ueniret & sibi aduersus germanum suum Partarithum auxilium ferret, regisq́ filiam germanam suam se ei daturum coniugem promittens. Sed legatus ipse fraudulenter contra dominum suum agens, Grimoaldum exhortatus est, ut ueniret & Langobardorum regnum quod fratres adolescentes dissipabant ipse arriperet, qui ætate maturus, consilio prouidus, & uiribus fortis existeret. Grimoaldus itaq; id audiẽs mox animum ad regnum Langobardorũ obtinendum erexit. Ordinauitq́ filium suum Grimoaldum Beneuentanorum ducem, & cum electa manu Ticinum proficiscẽs iter arripuit, ac per omnes ciuitates per quas iter habuit sibi amicos & adiutores ad regnum percipiendum asciuit. Trasimundũ uero comitem Capuanũ per Spoletium & Tusciam misit, ut per eas regiones Langobardos suo consortio coaptaret. Qui imperata sibi strenue perficiens, ei cũ multis adiutoribus apud Æmyliam uiam occurrit. Itaq; cum Grimoaldus prope Placentiam cum robustorum uirorum multitudine aduenisset, Garibaldum qui legatus ad eum missus à Gundeberto fuerat, Ticinum pręmisit, ut eidem Gundeberto suum aduentum nuntiaret. Qui ad Gundebertum ueniens, Grimoaldũ citius aduentare dixit. Cumq́ Gundebertus ab eo sciscitaretur, quo in loco eidem Grimoaldo hospitium parare deberet, ipse respondit, dignum esse, ut Grimoaldo qui in eius auxilium ueniret, eiusq́ sororem uxorem accepturus esset, hospitium intra palatium pararet. Quod ita quoq; factum est. Ipse uero Garibaldus totius perfidię seminator Gundeberto persuasit, ut non aliter quàm lorica sub ueste indutus cum Grimoaldo locuturus ueniret, asserens se suspicari quod eũ Grimoaldus occidere uellet. Rursus idẽ fallendi artifex ad Grimoaldũ ueniens dixit, ꝙ nisi fortiter se præpararet, Gũdebertus eũ occideret, cũ ad colloquendũ uenturus loricã sub ueste gestaret. Quid plura? Cũ ad colloquiũ postridie uenissent, & Gũdebertũ post salutationẽ Grimoaldus amplexatus esset, statim sẽsit ꝙ loricam sub ueste gestaret: idq́ ad cædẽ sui factũ causatus, ilico euaginato gladio eũ uita priuauit, regnumq́ eius & omnẽ potentiã inuadens suę adiecit ditioni. Habebat autem Gundebertus iam tunc filium paruulũ nomine Rambertum

Partharithus & Gunbertus reges xix & xx

Dis ordia fratrum.

Garibaldi fraus

Grimoaldi aduentus Ticinum

Grimoaldus rex xxi

Rambertum, qui à Gūdeberti fidelibus sublatus & occulte nutritus est. Nec eum Grimoaldus persequi curauit, quippe qui adhuc infantulus esset. Quibus omnibus auditis Partharitus qui apud Mediolanum regnabat, quanta maxima potuit uelocitate fugam arripuit. atq; ad Auarum seu Hunorū regem Cacanum peruenit: Rhodelindam uxorem & filium paruulum nomine Chunibertum relinquens. quos Grimoaldus Beneuentum in exilium misit. His ita gestis Garibaldus cuius instigatione & conamine ista patrata sunt, & qui non solum hæc egerat, sed & fraudem in legatione sua fecerat, dum munera quæ deferre Beneuentum debuerat, non integra detulerat, talium operum patrator, non diu lætatus est. Erat quidam paruus homuncio ex familia Gūdeberti oriundus, in ciuitate Taurinatium: qui cum Garibaldum ducem ipso sacratissimo paschali die ad oratione in beati Ioannis Basilicam uenturum sciret, super sacrum baptisterij fontem cōscendens læuaq; manu se ad columnellā tugurij continens, quà Garibaldus transiturus erat, euaginatumq; ensem sub amictu tenens, cum Garibaldus propius accessisset amoto amictu, nisu ingenti eiusdē in ceruicē ensem incussit. Super quem qui cum Garibaldo uenerant irruentes multis eum uulneribus occiderunt. Qui licet sic occubuerit, tamē Gūdeberti dn̄i sui iniuriā insigniter ultus est.

Partharithi fuga

PAVLI DIACONI DE GESTIS LANGOBARDORVM LIBER V

Quomodo Grimoaldus confirmatus in regno filiam Ariberti duxerit: Partarithum in Scythia delitescentem ad se retraxerit. CAP. I



ONFIRMATVS dehinc Grimoaldus in regno apud Ticinum non multo post, iamdudum pactam sibi Ariberti regis filiam, cuius germanum Gundebertum extinxerat, duxit uxorem. Beneuentanum uero exercitum cuius auxilio regnum adeptus erat, multis ditatum muneribus remisit ad propria. Aliquot tamē ex eis retinuit secum habitaturos, largissimas eis tribuens possessiones. Qui posteaquam comperit Partharithum profugum Scythiam appetisse, & apud Cacanum morari, eidem Cacano Auarum regi per legatos mandauit, si Partharithum in suo regno detineret, pacem cum Langobardis & secum quam hactenus habuerat deinceps nō habiturum. Quod Auarum rex audiens accito Partharitho dixit, ut in quam partem uellet abiret, ne propter eum Auares cum Langobardis inimicitias contraherent. Partharithus itaq; id intelligens Italiam ad Grimoaldum reuertens repetijt. Audiuerat enim eum esse clementissimum. Cum igitur ad Laudensem ciuitatem uenisset, misit ante se ad Grimoaldum regem Vnulfum sibi fidelissimum qui suum aduentum nunciaret. Vnulfus itaque ad regem

Partharithus se Grimoaldo credit

gem ueniens Partarithum ad eius fidem confugere nunciauit. Quod ille audiens fideliter promisit, ad suam eum fidem uenientem nihil mali passurum. Mox itaq; Partarithus ad Grimoaldum ingressus cum eius se pedibus prouoluere conaretur, rex eum clementer retinuit, atque ad suum osculum erexit. Ad quem Partarithus, seruus tuus suum, inquit: sciens te Christianissimum & maxime pium esse, cum potuissem inter paganos uiuere, fretus tua clementia ad tuos pedes ueni. Cui rex iureiurãdo ut solebat promisit dicens: Per eum qui me nasci fecit, postq; in meam fidem ad me uenisti, nihil in aliquo mali patieris, sed ita te cõstituam ut decenter uiuere possis. Tunc ei in spatio aliquanto à domo hospitium præbens, post tantum laborem habere requiem iussit, præcipiens eidem ex publico uictũ & quæcunque essent necessaria largius ministrari. Partarithus uero cum ad hospitium sibi à rege præparatum uenisset, mox ad eum Ticinensium ciuium turmæ concurrere cœperunt, ut eum & uiderent, & pristina notitia cognitũ salutarent. Verum uide quidnam lingua mala irrumpere potest. Mox nanque uenientes ad regem quidam maligni adulatores, ipsi denuntiãt, quod nisi Partarithum quàm citissime uita priuaret, ipse regnum protinus cum uita amitteret, asseuerantes ob hęc ad eum totam concurrere ciuitatem. His auditis Grimoaldus nimis credulus effectus, & quid promiserat oblitus, in innocentis Partarithi necem statim accenditur: consiliumq; init, qualiter eum quia iam tardior hora erat, perendie uita priuaret. Cui denique ad uesperam diuersos cibos, uina quoq; præcipua, uariaq; potionũ genera transmisit, ut eum inebriare possit, quatinus multa eadem nocte potatione resolutus, uinoq; somnoq; sepultus, ad suam salutem nihil cogitare ualeret. Tũc quidam qui de eius patris famulitio fuerat, cum eidem Partaritho ferculum regium attulisset, quasi eum salutaturus sub mensam caput mittens eidem secrete quod rex eum occidere disponeret, nuntiauit. Partarithus uero statim suo pincernæ præcepit dicens, ut sibi in phiala argentea non aliud quàm aliquantulum aquæ propinaret. Cumq; ij qui diuersi generis potiones ei à rege deferebant, uerbo eum regis rogarent ut totam phialam ebiberet, ille in honore regis se totam ebibere promittens, parum aquę libabat de argenteo calice. Cúmque ministri regis nuntiarent regi, quod ille auidissime biberet, rex lætus respondit: Bibat ebriosus ille: Cras enim uina cum sanguine mixta refundet. Partarithus uero Vnulfo citius ad se ascito de sua morte regis consilium aperit. Qui statim ad domum suam puerum misit, ut sibi lectisternia deferret, lectúmque sibi iuxta Partarithum fieri præcepit. Nec mora, rex Grimoaldus suos satellites misit, qui domum in qua Partarithus quiescebat, ne aliquo modo effugere posset, custodirent. Cúmque cœna finita esset, & egressis omnibus Partarithus suo cum uestiario remansisset, qui utique eidem multum erat fidelis, consilium eidem aperit, & obsecrat eum, ut dum ipse fugeret, ipse se, hoc est

Partarithum

Partharithum quandiu posset in eodem cubiculo quiescere diceret. Cumq́ʒ hoc se facturum spopondisset, Vnulfus pannos lecticarios & culcitram urinamq́ʒ pellem super dorsum ad ceruicẽ Partharithi imposuit, eumq́ʒ de industria quasi rusticanum seruum extra ianuam repellere cœpit, multas ei iniurias & molestias inferens, ita ut impulsus atqʒ ictus sæpius ad terrã corrueret. Cumq́ʒ Vnulfum regis satellites qui ad custodiam positi erant, percontarentur quid hoc esset: Seruus, inquit, iste nequam, lectum mihi in cubiculo ebriosi istius Partharithi strauit, qui in tantum uino plenus est, ut quasi mortuus iaceat. Sed satis est quod eius hucusqʒ amentiam secutus sum, iam deinceps in uita domini regis in domo propria manebo. Hæc illi audientes, & uera credentes læti facti sunt, & eum pariter cũ Partharitho quem putabant seruum, & qui ut opertum ne agnosci posset habebat caput, illis locum dantes abire permiserunt. Illis autem egressis uestiarius ille fidelissimus obserato diligenter ostio remansit intus solus. Vnulfus uero Partharithũ de muro anguli, qui est à parte Ticini fluminis, per funẽ deposuit, eiq́ʒ quos potuit comites dedit. Qui arreptis quos in pascuis inuenerant equis, eadem nocte ad Astensem, ubi eius amici manebant, & qui adhuc Grimoaldo rebelles extabant: deinde Taurinensem urbem ocyssime petentes, ac claustra Italiæ transgressi ad Francorum regionem peruenerũt. Sicq́ʒ deus omnipotens dispositione misericordiæ & innocentem à morte eripuit, & regem ex animo proprio bona facere cupientem ab offensione præseruauit.

Pia techna

Partharithus

Quomodo per uestiarium illusi sint Partharithi obseruatores. CAP. II



T uero Grimoaldus dum Partharithum in hospitio suo quiescere putabat, ab eodem hospitio ad palatium usqʒ acies hominum hinc & inde astare fecit, ut per eorum medium Partharithus deduceretur, quatinus fugere minime posset. Cumq́ʒ à rege missi uenissent qui Partharithũ ad palatium ducerent, & ad ostium loci in quo eum quiescere putabãt, pulsassent, uestiarius ille qui intus erat, rogabat eos dicens. Misericordiam cum eo facite, eumq́ʒ paululum quiescere sinite, quia adhuc de itinere lassus grauissimo somno deprimitur. Quod cũ acquiescentes admisissent, regi renunciauerunt quod Partharithus adhuc graui somno quiesceret. Tunc ille: sic, inquit, hesterna cœna se uino oppleuit, ut uigilare non possit. Ministris tamẽ præcepit ut mox eum excitatum ad palatium deducerent. Qui uenientes ad ianuam cubiculi in quo Partarithum putabant quiescere, cœperunt acrius pulsare. Tunc uestiarius ille rursum rogitare cœpit ut eum adhuc modicũ dormire permitterent. Sed illi irati clamitabant, iam satis superq́ʒ dormiuit ebriosus iste, simulq́ʒ calcibus ostium cubiculi infringunt, ingressiq́ʒ Partarithum in lectulo quærunt. Quo nõ inuento uestiarium interrogant quid de Partaritho factum fuisset. Qui eum aufugisse respondit. Itaqʒ capillis apprehensum furentes, eumq́ʒ uerberantes ad palatium pertrahunt, eumq́ʒ in regis præsentiam perducentes, fugisse

Vestiarij pia ars

Partarithum

Partarithum: eum auté fugæ consciū morteq; dignissimum dicunt. Quem rex dimitti præcepit: eumq; per ordinem qualiter Partarithus effugisset interrogat. Ille itaq; regi uniuersa sicut acta fuerant, retulit. Tunc rex à circunstantibus quæsiuit: Quid illis de homine illo uideretur qui talia perpetrauit? Tunc omnes una uoce responderunt, dignum esse qui multis supplicijs & cruciatibus interiret. At rex: per eū, inquit, qui me nasci uoluit, dignus est homo iste bene habere: qui se pro fide domini sui morti tradere nō recusauit. Eumq; mox inter suos uestiarios esse præcepit, admonēs eū ut eā sibi fidem quam Partaritho seruauerat seruaret, multa se illi commoda largiturum promittēs. Cumq; rex perquireret quid de Vnulfo factū fuisset, remq; omnem intellexisset: mox ad eum misit, sponteq; promisit q nihil pateretur mali, tantū in sua fide ad se ueniret. Vnulfus igitur talem regis promissionem audiens mox ad palatium uenit, atq; ad regis pedes prouolutus interrogabatur ab eo quomodo aut qualiter Partarithus euadere potuisset? At cum ille ei cuncta ex ordine narrasset, rex eius fidem & prudentiam collaudans, omnes eius facultates, & quicquid habere poterat eidem clemēter concessit. Cumq; post aliquantulum temporis rex Vnulfum percontaretur an uellet illis diebus cum Partaritho esse: ille iurādo ait, potius se uelle cum Partaritho mori q̄ usquam alibi in summis delitijs uiuere. Tunc rex etiam uestiarium interrogauit utrum melius ei esset secum in palatio manere, an cum Partaritho in peregrinatione degere? Qui cum ei similia sicut & Vnulfus respondisset: rex eorū uerba benigne suscipiens & utriusq; fidem collaudans, præcepit Vnulfo ut quicquid uellet de domo sua tolleret, pueros scilicet & equos, & diuersam supellectilem, & ad Partarithum illæsus properaret. Pari etiam modo & uestiarium illum absoluit. Qui omnia sua secundū benignitatem regis ad sufficientiam tollentes, cum eiusdē regis adiutorio in Francorum regnum ad dilectum Partarithum profecti sunt.

Vnulfo datur uenia

De Francis in Italia per uinum incautius sumptum ebrijs ad internicionem cæsis. CAPVT III

HAc tempestate Francorū exercitus de prouincia Gallia egressus Italiam intrauit. Cōtra quos Grimoaldus cum Langobardis progressus eos arte decepit: fugere quippe se ab eorum impetu simulans castra sua simul cum tētorijs diuersis referta bonis, præcipueq; uini optimi copia, abductis hominibus omnibus reliquit. Quo dum Francorum acies uenissent, existimātes Grimoaldum cum Langobardis pauore perterritos castra integra reliquisse, mox læti effecti certatim cuncta inuadūt, cœnamq; affluentissimā instruunt. Qui cum diuersis epulis multoq; grauati uino somnoq; quieuissent, Grimoaldus super eos post noctis mediū irruēs, tāta eos cæde prostrauit, ut uix pauci ex eis elapsi patriā ualuerint repetere. Locus aūt ubi hoc gestū est prælium, Francorum riuulus usque hodie appellatur, nec longe distat ab Hastensi ciuitate.

De Constantij imperatoris in Italiam irruptione. CAPVT IIII

Constantij profectio



HIS diebus Constãtius Augustus, qui & Constans est appellatus Italiam à Langobardorum manu eruere cupiens, Constantinopoli egressus, perq; litoralia iter habens Athenas uenit: inde q; mare transgressus se Tarento applicuit. Qui tamen prius solitarium quendam, qui prophetiæ spiritum habere dicebatur, cõsultutus adijt: studiose ab eo diligẽterq; sciscitans, utrum gentem Langobardorum qui in Italia habitant, superare, delere, ac in potestate tenere posit. A quo cum seruus dei spatium unius noctis expetisset, ut pro hoc ipso dominum deũ consuleret, fideliter agebat prompto corde preces ad dominũ fundens, ac dicens: Domine Iesu Christe rex regum & lumen uerum, qui misisti spiritum sanctum in specie ignis in apostolos tuos, trãsmitte spiritum sanctum consolationis tuæ in os meum, ut posim cõsilium rectum dare hominibus

Visio trium sanctorum

istis qui uenerunt in tuo nomine ad me. Eadem hora uisæ sunt ei tres personæ spirituales: quarum una archangeli Michaelis. Secunda Ioannis Baptistæ. Tertia apostoli Petri. Tunc unus ex illis dixit ad solitarium: Dic imperatori Constantio quod ad talẽ rem, quam habet in corde suo dispositam, domini uoluntas adhuc non est. Gens Langobardorum qui in Italia habitant, superari nunc ab aliquo non potest: quia regina quædam quæ ex alia prouincia uenit, basilicam in honore dei & sancti Ioãnis Baptistæ construxit in Langobardorum finibus, & ornauit eam facultatibus honorificis: fe-

Tutela diui Baptistæ

citq; ut famuli & famulæ & reliqua ibidem deo seruientibus subiecta sint: & sacerdotes in ipso oratorio deo fideliter seruiunt: & propter hoc ipse sanctus Ioannes pro Langobardorũ gente continue intercedit. Ipsa uero gens suppliciter ac deuote de suis facultatibus in honorem dei & sancti Ioannis Baptistæ omni anno in die natiuitatis dicti Baptistæ domini munera offert, ad conseruandũ ipsum oratorium. Locus in Modoecia dicitur. Verumtamen tibi dicturi sumus in deo. Veniet tempus & dies, quando ipsum supra memoratum oratoriũ omnes habitatores terræ huius habebunt despectui: & omnes eius facultates inde expellent: & famulos ac famulas qui ibi subacti sunt propter facultates eorum sæpe affligent: & sacerdotes qui nunc ibi deo seruiunt die ac nocte, inquieti erunt nimis, & auferentur quæ eorum sunt. Propter quod ducetur uita eorũ in amaritudine. Quando hæc inchoabũtur & uos cernetis fieri, certe tunc ipsa gens peribit cum omnibus quæ ad illos pertinent: & stabunt in improperium omnibus gentibus quæ in circuitu illorum sunt. Et dixit ad eos solitarius: Obsecro clementiam uestram, si conuersi fuerint ad superiorem promisionem & conuersationem suam, nónne inuenient misericordiam? Responderuntq;: Scis quæ ueritas dixit? Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos. Eadem autem hora à conspectu eius euanuerunt. Facto autem mane, ita eidem Constantio Augusto ut suprascriptum est per ordinẽ omnia diligenter reuelauit. Tunc imperator

perator libenter accepit uerba eius. Quod nos ita factum esse probauimus, qui ante Langobardorum perditionem eandem beati Ioãnis Baptistæ basilicam, quæ utiq; in loco qui Modoecia dicitur, est cõstituta, per uiles personas gubernari conspeximus: ita ut indignis & adulteris non pro uitæ merito, sed præmiorum datione idem uenerabilis locus largiretur. Igitur Constantius, qui, ut diximus, & Cõstans Augustus, cum Tarentum uenisset, regressus inde Beneuentanorũ fines inuasit: & omnes pene Langobardorum ciuitates per quas uenerat, cepit. Luceriam quoq; opulentam ciuitatem & Apuliam expugnatam fortius inuadens diruit & ad solum usq; prostrauit. Acheruntiam sane propter munitissimam loci positionem capere minime potuit. Deinde cum exercitu suo Beneuentũ circũdedit, & eam uehementer oppugnare cœpit. ubi tunc Romualdus Grimoaldi filius adhuc iuuenculus ducatum tenebat. Qui statim ut imperatoris aduẽtum cognouit: nutritium suum nomine Sesualdum ad Grimoaldum patrẽ trans Padum misit, obsecrans ut q̃ ocyssime ueniret, filioq; suo & Beneuentanis quos ipse nutriuerat, potẽter succurreret. Quod Grimoaldus rex audiẽs, statim cũ exercitu laturus filio auxiliũ Beneuentũ pergere cœpit. Quem plures ex Langobardis in itinere relinquentes ad propria remeauerunt, dicentes q̃ expoliasset palatium eum nõ reuersurum petere Beneuentũ. Interim imperatoris exercitus Beneuentũ diuersis machinis uehemẽter oppugnabat, & quanuis Romualdus cum Langobardis suis totũ exercitũ æquo marte inuadere nõ auderet: frequenter tamen cum expeditis iuuenibus hostium castra irrumpens magnas ijsdẽ inferebat undiq; clades. Cumq; Grimoaldus eius pater iam appropinquaret: eũdem nutritium eius de quo præmisimus, ad filiũ præmisit qui ei suũ nuntiaret aduentũ. Qui cum prope Beneuentũ uenisset, à Græcis captus ad imperatorẽ ductus est: quo ab eo unde ueniret exquirẽte ille se à Grimoaldo uenire dixit: eũdemq; regẽ ocyus aduẽtare nũtiauit. Statimq; imperator exterritus consiliũ cum suis inijt, quatinus cum Romualdo pacisceretur ut Neapolim possit reuerti. Acceptaq; obside Romualdi sorore cui nomen Gisa fuit, cum eodẽ pacem fecit. Eius uero nutritiũ Sesualdũ ad muros duci præcepit, mortem ei minatus, si aliquid Romualdo aut ciuibus de Grimoaldi aduentu nuntiaret: sed potius asseueraret eundẽ minime uenire posse. Quod ille se ita facturũ promisit. Sed cum prope muros aduenisset, sic ad eũ locutus est: Constãs esto dñe Romualde & habe fiduciam, noliq; turbari, quia pater tuus cito tibi auxiliũ præbiturus aderit. Nam scias eum ista nocte iuxta sacrũ fluuium cum ualido exercitu manere. Tantũ obsecro ut misericordiã exhibeas uxori meæ & liberis meis: quia gens ista perfida me uiuere nõ sinet. Cumq; hoc dixisset iussu imperatoris caput eius abscissum, atq; per belli machinam quam petrariã uocãt in urbẽ proiectum est. Quod caput Romualdus ad se ferri iussit, idq; lachrymãs osculatus est: dignoq; in loculo tumulari præcepit. Metuẽs igitur imperator subitum Grimoaldi

Beneuentina oppugnatio

Obsidio soluitur

Nutritij fides

moaldi aduentum, dimissa Beneuenti obsidione Neapolim proficiscitur. Cuius tamen exercitum Mitula Capuanus comes iuxta fluenta Caloris amnis, in loco qui usq; hodie pugna dicitur, uehemẽter attriuit.

De imperatoris exercitu cæso à Romualdo: & sæuitiæ in Romam ac Romanos conuersione,& tandem eius nece. CAPVT V



POstquam uero imperator Neapolim peruenit, unus ex eius optimatibus,cui nomen Saburrus erat,ab eo,ut fertur,uiginti militum milia expetijt,seq; cum Grimoaldo pugnaturum,uictoremq; euasurum spopondit. Qui cum accepto exercitu ad locũ cui Formijs est nomen aduenisset, ibiq; castra posuisset: Grimoaldus qui iam Beneuẽtum aduenerat,id audiens contra eum proficisci uoluit. At Romualdus,non est opus,inquit,pater optime te proficisci:sed tñ partem de exercitu nobis tribuere:ego enim deo fauente cũ eo prospere pugnabo: & si uictor extitero maior utiq; gloria nostræ potentiæ ascribetur. Annuẽte itaq; rege cum parte exercitus in Saburrũ egreditur. Qui priusq; prælium cum eo iniret à quatuor partibus tubas insonare præcepit:moxq; super eos audenter irruit. Cumq; utræq; acies forti intentione pugnarent,tunc unus de regis exercitu,nomine Amelongus qui regium contum ferre solitus erat, quendam Græcum eodem conto utrisq; manibus fortiter percutiẽs è sella super quam equitabat, excussit: eumq; in aera supra caput suum leuauit. Quod cernens Græcorum exercitus in fugam cõuertitur,ultimaq; pernicie cæsus,sibi fugiens mortem,Romualdo & Langobardis uictoriam peperit. Itaq; Saburrus qui se imperatori suo uictoriæ trophæum de Langobardis promiserat referre, ad eum cum paucis remeans ignominiam deportauit. Romualdus uero parta de inimicis uictoria,Beneuentũ triumphans reuersus est:patriq; gaudium,& cũctis securitatem sublato hostium timore conuexit. At uero Constantius seu Constans Augustus,cũ nihil se contra Langobardos profecisse conspiceret, omnes sæuitiæ suæ minas in suos,hoc est Romanos,retorsit. Nam egressus Neapoli Romam perrexit. Cui sexto ab urbe miliario Vitalianus papa cum sacerdotibus & Romano populo,occurrit. Sed nihilominus, cum imperator ad beati Petri limina peruenisset,obtulit quidem ibidem palliũ auro textili:sed manens Romæ dies duodecim omnia quæ fuerant antiquitus instituta ex ære in ornamentum urbis abstulit:in tantũ ut etiam basilicam beatæ Mariæ quæ antea Pantheon uocata fuerat (Nam cõditum id fuerat in honore omnium deorum:& iam ibi per concesionem suorum principum oratorium erat omnium martyrum) decooperiret, tegulasq; æreas ex eo simul cum alijs omnibus ornamẽtis Constantinopolim trãsmitteret. Deinde reuersus imperator Neapolim per terram perrexit in ciuitatẽ regiã. Ingressus deinde Siciliã per indictionẽ VII. habitauit Syracusis: & tales afflictiones populo suo,habitatoribus uidelicet & possessoribus, Calabriæ,Siciliæ, Aphricæ atq; Sardiniæ fecit,quales

Amelõgi facinus

Græci uincuntur

Constantij in Ro. sæuitia

Imperatoris rapinæ

antea nunquam auditæ sunt:ita ut etiam uxores à maritis & filij à parentibus separarētur. Sed & alia multa prius inaudita dictarum regionum populi perpesi sunt: ita ut nulli spes uitæ remaneret. Nam & uasa sacrata & similia sanctarum ecclesiarum dei imperiali iussu à Græcorum auaritia sublata sunt. Mansit autē imperator in Sicilia ab indictione VII. usq; ad indictionem XII. Sed tandem tantorum criminum iniquitatumq; pœnas luit, atq; dum se in balneo lauaret, à suis extinctus est.

Constantij cædes

De Mezentij tyranni nece. Sarracenorum in Syracusas irruptione.

CAPVT VI

INterfecto igitur apud Syracusas Constante imperatore, Mezentius in Sicilia regnū arripuit: sed absq; orientalis exercitus uolūtate. Contra quem Italiæ milites, alij per Istriam, alij per partes Campaniæ, alij uero per partes Aphricæ & Sardiniæ Syracusas uenientes, eum uita priuauerūt, multiq; ex iudicibus eius detruncati Constantinopolim aduecti sunt. Cum quibus pariter & falsi imperatoris caput est deportatum. Hæc audiens gens Sarracenorum quæ iam Alexandriam & Ægyptum peruaserat, subito cum multis nauibus uenientes Siciliam inuadunt, Syracusasq; occupant: multamq; populorum stragem faciunt: uix paucis euadētibus, qui per munitissima castra & iuga mōtium effugerant. Auferentes quoq; prædam nimiam, & omne illud quod Constātius Augustus à Roma abstulerat, ornatū in ære & diuersis speciebus, in Alexandriam reuersi sunt. Porro regis filia, quam de Beneuēto obsidem Gisam nomine sublatā ab imperatore diximus, in Siciliam aduecta diem clausit extremum. Hoc tempore tantæ pluuiæ, tantaq; tonitrua fuerunt, quanta antea nullus hominum meminerat: ita ut innumera hominum & pecudum milia fulminibus sint perempta. Eoq; anno legumina quæ propter pluuias colligi nequiuerant, iterum renata, & ad maturitatem usque producta sunt.

Mezentij cædes

Sarraceni Syracusas occuparunt

Legumina renata

De Grimoaldi post Beneuentanæ rei dispositionem Ticinum reuersione. De Lupi Foroiuliani ducis scelere: deq; eius interitu.

CAPVT VII

AT uero Grimoaldus ereptis Beneuētanis & eorum prouincijs à Græcis, ad palatium suum apud Ticinum repedauit: postq; disposuerat de Trasemundo, qui dudum Capuæ comes fuerat: & sibi ad percipiēdum regnum strenuam operam nauauerat. data enim ei in matrimonio filia sua altera Romualdi sorore, eum post Zatonem (de quo superius diximus) apud Spoletum ductorem effecit, sicq; Ticinum reuersus est. Cæterum, ut præmisimus, Grasulfo Foroiuliano duce defuncto, successor ei in ducatu Ago est substitutus: de cuius nomine usq; hodie domus quædam intra Forumiulij constituta domus Agonis appellatur. Quo Agone mortuo Foroiulianorum ductor, Lupus efficitur. Hic

Foroiuliani duces

Lupus in Gradensi insula quæ nó longe ab Aquileia est, cum equestri exercitu per stratam quæ antiquitus per mare facta fuerat, introiuit: & direpta ipsa ciuitate, Aquileiẽsis ecclesiæ thesauros auferẽs, deportauit. Huic Lupo Grimoaldus quando Beneuentum perrexit, palatium suum commẽdauit. Qui dum rege absente multa insolenter apud Ticinum egisset: quippe qui Grimoaldum non reuersurum existimaret, reuertente eo sciens eidẽ ea quæ non recte gesserat displicere, Forumiulij petens, contra eundẽ perfidiæ suæ conscius rebellauit. Tunc Grimoaldus nolẽs ciuile bellum inter Langobardos excitare, Cacano Auarum regi mãdauit, ut Forumiulij contra Lupum ducẽ cũ exercitu ueniret, eumq; bello prosterneret. Quod & factũ est. Nam ueniente Cacano rege cum magno exercitu, in loco qui Flouius dicitur, sicut nobis retulerũt seniores uiri qui in ipso prælio fuere, per tres dies Lupus dux cum Foroiulianis aduersus exercitum Cacani conflixit. Et primo quidem die ualidum Cacani exercitum paucis suorum uulneratis, prostrauit. Secundo uero die iam aliquantis de suis uulneratis & mortuis, pari modo multos ex Auaribus extinxit. Tertio autem die iam pluribus ex suis saucijs multisq; peremptis, nihilominus magnum Cacani exercitum deleuit, prædamq; copiosam arripuit. At uero quarto die Foroiuliani tantam super se multitudinẽ conspexerunt uenientem, ut uix per fugam euadere potuerint. Ibi itaq; Lupo duce perempto, reliqui qui remanserant se per castella communiunt. Auares uero per omnes eorum fines discurrentes cuncta rapinis inuadunt, aut supposito igni, comburunt. Cum autem per aliquot dies hoc facerent, mandatũ est eis à Grimoaldo ut à deuastatione quiescerent. Qui legatos ad Grimoaldum miserunt, dicentes se Forumiulij minime relicturos, ut quod armis proprijs conquisissent.

Lupi insolentiæ — *Rebellio* — *Cacanus in Lupũ excitatur* — *Præliũ quatriduanum* — *Lupi cædes*

De Grimoaldi Stratagemate. CAPVT VIII

TVnc Grimoaldus necessitate compulsus exercitum quem potuit congregare cœpit, quatinus Auares de suis finibus exturbaret. In medio itaq; campo sua castra & Auarũ hostiũ componens, cum exercitus partem exiguam haberet: & Cacanus legatos ad eũ mitteret: eos paucos quos habebat, diuerso habitu, uarijsq; instructos armis, ante oculos legatorum per dies aliquot, quasi nouus quotidie exercitus aduentaret, frequenter transire fecit. Auarũ uero legati dum eundem ipsum exercitum alijs & alijs habitibus armisq; instructum pertransire conspicerent, diuersos esse putantes immensam Langobardorum multitudinem esse crediderunt. Quibus Grimoaldus ita dixit: Cum omni hac quam uidistis multitudine, statim super Cacanum irruam & Auares: nisi de Foroiulianorum finibus uelociter exierint. His uisis & auditis, cum legati Auarum ea regi suo nuntiassent: ipse mox cum omni exercitu suo ad proprium reuersus est regnum.

Stratagema

De Vuarnefriti ad ducatum Foroiuliensem infelici aspiratione, & de Vuectari ducatu ac prælio in Sclauos mirabili. CAPVT IX

DEniq; Lupo hoc modo interempto Vuarnefritus eius filius uoluit in loco patris apud Foruiulij obtinere ducatũ. Sed metuens Grimoaldi regis uires, fugit ad Sclauos in Carnũtum, quod corrupte uocant Carantanũ: qui postea cum Sclauis rediens quasi ducatum eorũ uiribus recepturus apud Neumasum castrũ quod nõ longe à Foroiulij distat, irruentibus super eum Foroiulianis extinctus est. Deinde constitutus est apud Forumiulij dux Vuectarus, qui fuit oriundus de Vincentia ciuitate, uir benignus & populum suauiter regẽs. Hunc cum audisset Sclauorum gens Ticinum profectum esse, congregata ualida multitudine uoluerunt super Forũiulij irruere: & uenientes castrametati sunt in loco qui Broxas dicitur, nõ longe à Foroiulij Secundũ autẽ diuinam dispositionem contigit ut dux Vuectarus superiori uespere à Ticino reuerteretur, nescientibus id Sclauis. Cuius comites dũ ad propria (ut fieri solet) remeassent: ipse hoc nuncio de Sclauis audito cum paucis uiris, hoc est, XXVI. contra eos progressus est. Quem Sclaui cum tam paucis uenire respicientes, irriserunt eum, dicentes patriarcham cum choro clericorum aduentare. Qui cum ad pontem Natisonis fluminis (qui ibidem est ubi Sclaui residebant) appropinquasset: cassidem sibi de capite auferens, faciem suam Sclauis ostendit. Erat autẽ caluo capite. Quem dũ Sclaui agnouissent, mox perturbati Vuectarum adesse clamitant: deoq; eos exterrẽte, plus de fuga quàm de prælio cogitant. Tunc Vuectarus super eos cum paucis quos habebat irruens, tanta eos strage percussit, ut uix pauci qui euaderent, remanerent. Post hunc Vuectarum Landarus apud Forumiulij ducatũ tenuit: quo defuncto, Rodoaldus ei in ducatu successit.

Vuectarus

Victoria XXVI uirorum

Pons Natisonis

Landarus

De Theoderatæ Lupi filiæ matrimonio & liberis: Grimoaldi in desertores ultione: & Foripopilij Opitergijq; euersione. CAPVT X

MOrtuo igitur (ut dixi) Lupo duce, Grimoaldus rex filiam eius nomine Theoderatam, filio suo Romualdo qui Beneuentum regebat, in matrimonium tradidit. Ex qua inde tres filios, Grimoaldum, Gisulfum, & Architum genuit. Rex uero Grimoaldus de omnibus illis qui eum Beneuẽtum proficiscentem deseruerant suas iniurias ultus est. Sed & Forumpopilij Romanorum ciuitatem, cuius ciues eidem aduersa quædam intulerant, quum Beneuentum proficisceretur, legatosq; illius euntes & redeuntes à Beneuento sæpius læserant, hoc modo diruit. Quadragesimæ tempore per Alpes Bardonis Tusciam ingressus nescientibus omnino Romanis, in ipso sacratissimo sabbato paschali, super eandem ciuitatem ea hora qua baptismus fiebat inopinate irruit, tãtamq; occisorum stragẽ fecit, ut etiam diaconos ipsos, qui infantulos baptizabant in ipso sacro fonte perimerent. Sicq; eandem urbem deiecit, ut usq; hodie

Grimoaldus animaduertit in desertores

Foripopilij euersio

paucissimi in ea commaneant habitatores. Erat siquidem Grimoaldo contra Romanos non mediocre odium, eo ꝙ eius quondam germanos Tasonem & Catonē in sua fide decepissent. Quam ob causam Opitergium oppidum in quo ipsi extincti sunt, funditus destruxit, eorumq; qui ibi habuerant fines Foroiulianis, Taruisianis & Cenetensibus diuisit.

Opitergij euersio.

De Alzeconis Bulgarorum ducis in Italiam aduentu. Deq; Constantini filij Constantij principatu. CAPVT XI

Alzeconis Bulgari in Italiam aduentus.

PEr hæc tempora Bulgarorum dux, Alzeco nomine, incertum quam ob causam, à sua gente digressus Italiā pacifice introiens cum omni suo ducatu & exercitu ad Grimoaldum regem aduenit, ei se seruiturū atq; in eius ditione habitaturū promittēs. Quem ille ad Romualdum filiū Beneuentū dirigēs præcepit, ut ei cum suo populo loca habitāda cōcederet. Quos Romualdus gratāter suscipiēs eisdē pretiosa ad inhabitandū loca quæ ad illud usq; tempus deserta fuerant, contribuit: scilicet, Sepiam, Bouianum & Eserniam, & alias cum suis territorijs urbes. Ipsumq; Alzeconē mutato dignitatis nomine, pro duce Gastaldum uocitari præcepit. Qui usque hodie in illis (quæ diximus) locis habitantes quanuis etiā latine loquantur, propriæ tamen linguæ usum minime amiserunt. Porro Constantio Augusto apud Siciliam (uti diximus) interfecto, punitoq; qui ei succedere uoluerat Mezentio tyranno, Romanorū regnum Constantinus Constantij filius regendum suscepit, præfuitq; Romanis annis decem & octo. Huius sane Constantini temporibus, Theodorus archiepiscopus & Adrianus abbas uir utiq; doctissimus à Vitaliano papa missi in Britanniā plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fœcundauerunt. E quibus Theodorus archiepiscopus peccantium iudicia, quot scilicet annos pro uno quoq; peccato quis pœnitere debeat, mirabili & discreta consyderatione descripsit. In secundo post anno, mense Augusto cometes stella crinita apparuit ab orientali plaga, minus fulgentibus radijs: quæ diuersa postmodum diripuit. Nec mora grauis pestilentia ab eadem parte orientali subsecuta Romanum populum deuastauit. His diebus Donus pontifex Romanæ ecclesiæ, locum qui paradisus dicitur ante basilicam beati Petri apostoli, candidis lapidibus marmoreis mirifice strauit.

Gastaldi.

Constātinus imperator.

De Pattarithi in Britanniam fuga. Deq; Grimoaldi morte
CAPVT XII



HAc tempestate Francorū regnum apud Gallias Dagobertus regebat: cum quo Grimoaldus rex pacis firmissimæ fœdus icerat, Cuius Grimoaldi uires Partarithus etiam in Francia constitutus metuens, egressus è Gallia ad Britanniam insulam Saxonumq; regem properare disponit. At uero Grimoaldus cū nono die

post phlebotomiam in suo palatio constitutus accepto arcu columbā deijcere niteretur, eius brachij uena dirupta est. Cui (ut asserūt) medici uenenata medicamina superponētes eum hac luce funditus priuauerūt. Hic edicto Rotharis regis quædam capita legis quæ ei utilia uisa sunt, adiecit. Fuit aūt corpore prævalidus, audacia primus, capite caluo, barba prominenti, non minus consilio quàm uiribus aptus. Sepultum est autem eius corpus in basilica beati Ambrosij confessoris: quam ipse nuper in Ticinensi cōstruxerat urbe. Hic post mortem Ariberti regis expleto iam anno uno & mensibus tribus Langobardorum regnum inuasit: regnauitq; ipse annis nouem, relicto Garibaldo filio, quem ei Ariberti regis filia genuerat, rege adhuc puerili ætate.

Garibaldus rex XXII.

De Partarithi in Italiam reuocatione, CAPVT XIII

IGitur ut dicere cœperamus, Partarithus profectus de Gallia nauim ascendit: ut ad Britanniam insulam ad regnum Saxonum transmearet. Cumq; iam per pelagus aliquantulum nauigasset, uox à litore audita est inquirentis utrum Partarithus in eadem naui consisteret. Cui cum responsum esset q; sic: ille qui clamauerat subiunxit, dicite illi ut reuertatur in patriam suam: quia tertia dies est hodie postquam Grimoaldus ab hac subtractus est luce. Quod audiens Partarithus statim reuersus est: ueniensq; ad litus, inuenire eum qui de Grimoaldi morte nuntiarat non potuit: unde arbitratus est, eum non hominē, sed diuinum fuisse nuntium. Illincq; ad patriam properans, cum ad claustra Italiæ uenisset, iam ibi omnia obsequia palatina, omnemq; regiam dignitatem cum magna Langobardorum multitudine præparatam se reperit expectantem. Itaq; Ticinum ingressus exturbato Grimoald puerulo e' regno ab uniuersis Langobardis mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum sublimatus est. Erat autem uir pius, fide catholicus, iustitiæ tenax, pauperumq; largissimus nutritor. Qui statim Beneuentum misit: & inde Rodelindam coniugem & Chunibertum filium suum reuocauit.

Partarithi reuocatio.

Partarithus rex XXIII.

Qui ut regni iura suscepit, in loco illo qui à parte Ticini fluminis est, quà olim effugerat, monasterium quod nouum appellatur domino & liberatori suo deo, in honorem sanctæ uirginis & martyris Agathæ cōstruxit, in quo multas uirgines aggregauit: rebusq; & diuersis pariter possessionibus eundem locum ditauit. Regina uero uxor eius Rodelinda basilicā sanctæ dei genitricis extra muros eiusdem ciuitatis Ticinensis quæ ad Perticas appellatur opere mirabili condidit: ornamentisq; mirificis decorauit. Ad perticas autem ideo locus ille dicitur: quod ibi olim perticæ, id est, trabes erectæ steterant: quæ ob hanc causam iuxta morem Langobardorum poni solebant, quod illuc uersæ essent ubi illorum dilectus obisset: scilicet ut scire possent in quam partem is qui defunctus fuerat, quiesceret.

De Chuniberti in societatem regni assumptione:& de Alahis Tridentinorum ducis motione & seditione. Partarithi morte & Chuniberti connubijs & amoribus. CAPVT XIIII

Chunibertus rex XXIIII



IGITVR cum Partarithus solus per annos septem regnasset, octauo anno Chuniberthum filium suum consortem in regno asciuit: cum quo pariter annis decē regnauit. Cumq; in magna pace degerent, & ex omni parte per circuitum tranquillitatem haberent: surrexit contra eos filius iniquitatis Alahis nomine: per quem in regno Lāgobardorum perturbata pace, maximæ populorū strages factæ sunt. Is dum dux esset in Tridētina ciuitate, cū comite Baioariorū quem illi Grauionem dicūt, qui Bauzanū & reliqua castella regebat, cōflixit, eumq; mirifice superauit. Qua de causa elatus etiam contra regem suum Partarithum manum leuauit, atque rebellans se intra Tridentinum castrum communiuit. Contra quem rex Partarithus progressus cum eum foris obsideret: inopinate subito ipse Alahis cum suis ciuitatem egressus, regis castra protriuit, regemq; ipsum fugam petere compulit. Qui tamen postmodum faciente Chuniberthо regis filio, qui eum olim iam diligebat, in regis Partarithi gratiam reuersus est. Quem cum ipse rex interficere aliquoties uellet, Chunibertus eius filius hoc fieri semper prohibuit, existimans eum deinceps fidelem fore. Nec destitit patrem onerare precibus donec ei ducatum Brixiæ contribuit: reclamante sæpius patre, quod in suam perniciem id Chunibertus faceret, qui hosti suo ad regnandum & rebellandum uires præberet. Brixiana enim ciuitas semper magnam nobilium Langobardorum multitudinem habuit: quorum auxilio metuebat Partarithus Alahim potentiorem fore. His diebus rex Partarithus in ciuitate Ticinensi portam contiguā palatio quæ Placensis dicitur, opere mirifico construxit. Qui cum decem & octo annos primum solus postea cum filio regnum tenuisset: ab hac luce subtractus est. Corpusq; illius iuxta basilicam domini saluatoris quam Aribertus genitor eius cōstruxerat, sepultum est. Fuit autem statura decens, corpore pleno, mitis per omnia & suauis. At uero Chunibertus rex Hermelindam Saxonum Anglorum genere, duxit uxorem. Quæ cum in balneo Theodotem puellam nobilissimo Romanorum genere ortam, eleganti forma, flauis prolixisq; capillis pene usq; ad pedes decoratam uidisset: eius pulchritudinem uiro suo Chuniberto regi laudauit: qui quanuis ab uxore hoc libenter audire dissimularet, in magnum tamen puellæ exarsit amorem. Nec mora uenatum in syluam, quam urbem appellant, perrexit, secumq; suam cōiugem Hermelindam uenire præcepit. Qui exinde noctu regrediens Ticinum redijt, & ad se Theodoten puellam uenire faciens cum ea concubuit: quam tamen postea in monasterium, quod illius nomine intra Ticinum appellatum est, misit.

Alahis pacē turbat

Parthari thi mors

De Alahi regnum occupante. Deq; Damiani sanctitate.

CAPVT XV



Labis autē iamdudum conceptam iniquitatem parturiēs, annitentibus Aldone & Grausone Brixianis ciuibus, sed & alijs multis ex Lāgobardis oblitus tantorū beneficiorum quæ in eum Chunibertus impenderat, oblitus etiā iurisiurādi quo ei fidelissimus fore iurauerat: cū Chunibertus abesset, regnū etiā & palatiū intra Ticinū positū inuasit. Chunibertus igitur in insulā quæ nō longe à Comacino lacu est confugit, ibiq; se fortiter cōmuniuit. Facta est autē magna tribulatio omnibus qui eum diligebāt, & præcipue sacerdotibus & clericis, quos omnes Alahis exosos habebat. Erat autem eo tempore Ticineñ. ecclesiæ episcopus, uir domini Damianus, sanctitate præcipuus, liberalibus artibus sufficienter instructus. Qui cum Alahim palatium inuasisse conspiceret: ne quid ipse uel ecclesia sua aduersi ab eo pateretur, Thomam diaconum suum, sapientem scilicet & religiosum uirum ad eum misit: per quem eidem Alahi benedictionem sanctæ suæ ecclesiæ transmisit. Nūtiatum est itaq; Alahi Thomam diaconum ante fores palatij stare, benedictionemq; ab episcopo afferre. Tunc Alahis, qui, ut diximus, omnes clericos odio habebat: ita inquit ad suos: Ite dicite illi, si munda femoralia habet, intret: sin autem aliter, foras cōtineat pedes. Thomas uero cum hos sermones audisset, ita respondit: Nuntiate ei quod munda femoralia habeo, quippe quæ hodie lota indutus sum. Cui Alahis iterum mandauit: Ego non loquor de femoralibus, sed de ijs quæ intra femoralia habentur. Ad quod Thomas: Ite, inquit, dicite illi, quod deus solus potest in me eiusmodi causas reprehēsionis inuenire, ille aūt nullatenus potest. Cumq; eundē diaconum Alahis ad se ingredi fecisset, aspere nimis eum obiurgando cum eo locutus est. Tunc omnes clericos & sacerdotes pauor & odium tyranni inuasit, existimantes se eius seueritatem tolerare omnino non posse. Cœperūt tanto amplius Chunibertum desiderare, quanto maiori superbum inuasorem regni execrationi haberent. Sed non multum diu feritas & cruda barbaries ui inuasum regnum obtinuit.

Damianus sanctus

De Chuniberti restitutione in regnum, & Alahis fuga.

CAPVT XVI



Eniq; cum die quadam Alahis pecuniam super mēsam numeraret: unus ei triens de eadem mēsa cecidit. Quem filius Aldonis adhuc puerulus de terra colligens, eidē reddidit. Ad quem Alahis, credēs puerulum nō intelligere, ita locutus est: Multos huiuscemodi genitor tuus habet, quos mihi in proximo si uixero daturus est. Quem puerum cum uesperi domum ad patrē regressus esset, pater percontatus est, an ne aliquid de ipso rex eo die locutus fuisset. Ille autem patri omnia ut facta fuerant nota fecit: ad quæ Aldo uehementer extimuit, fratremq;

tremq́ue suum Grausonem affatus, omnia quæ rex maligne in se locutus fuerat, indicauit. Qui mox cum amicis & ijs quibus cõfidere poterant cõsilium ineunt, qualiter Alahim tyrãnum regno uitaq́ue priuarent, priusquam is sibi aliquam læsionem facere possit. Qui maturius ad palatium profecti, ita ad Alahim dixerunt: Quid dignaris in ciuitate ista segnis residere cum omnis ciuitas & uniuersus populus tibi fidelis existat: & ebriosus ille Chunibertus ita desertus & destitutus sit, ut iam ultra nullas possit habere uires? Egredere & uade in uenationem, exerce te cum iuuenibus tuis. Nos autẽ cum reliquis fidelibus tuis defendemus tibi hanc ciuitatem. Sed & id tibi promittimus, ut in proximo inimici tui Chuniberti caput afferamus. Qui eorũ uerbis fidem habens, ciuitatẽ egressus, in urbem syluam uastissimam profectus est, ibiq́ue se iocis & uenationibus oblectare cœpit. Aldo uero & Grauso euntes ad lacum Comacinum, ingressiq́ue nauim ad Chunibertum profecti sunt. Ad quem uenientes eiusq́ue se pedibus prouoluentes, contra eum nequiter egisse cõfesi sunt, eiq́ue quid Alahis malitiose contra ipsos locutus fuerat, & quale ipsi ad eius perditionem consilium eidem dederant, nuntiarunt. Quid plura? Fleuerunt pariter, & inter se sacramenta dederunt, diem statuentes in qua Chunibertus ueniret: & ipsi ei ciuitatem Ticinensem contraderẽt. Quod & factũ est. Die enim statuta Chunibertus Ticinum adueniens ab eis libentissime susceptus, palatium suum ingressus est. Tunc omnes ciues & præcipue episcopi, sacerdotes & clerici, iuuenes & senes certatim ad eum concurrentes, eumq́ue cum lachrymis amplexantes, deo gratias de eius reuersione inæstimabili gaudio cõclamabant. Quos ille omnes prout potuit osculatus & consolatus est. Nuntius autem subito ad Alahim peruenit Aldonem & Grausonem adimplesse quod promiserant, caput uidelicet Chuniberti attulisse: nec solũ caput, sed & totum corpus: affirmãs eundem in palatio considere. Quod ille audiens animo cõsternatus est, multaq́ue contra Aldonem & Grausonem furibundus & frendens comminatus, exinde egressus per Placentiã ad Istriã redijt, singulasq́ue ciuitates, partim blãditijs partim ui sibi socians, associauit & iunxit. Nam Vicentiam uenienti ciues egressi bellum parauerunt, sed mox uicti eius socij effecti sunt. Inde profectus Taruisium inuasit: pari etiam modo & reliquas ciuitates, ut cõtra Chunibertum exercitum colligeret, utq́ue Foroiuliani in eius auxilium iuxta fidelitatem suam uellent proficisci, ipse Alahis ad pontem Liquentiæ fluminis quod à Foroiulij XLVIII. milibus distat, & est in itinere Ticinum pergentibus, in sylua quæ Capulanus dicitur, latens, cum Foroiulianorum exercitus sparsim egrederetur, omnes eos sicut ueniebant iurare sibi compulit, diligenter cauens ne aliquis ex eis retro reuersus uenientibus hoc alijs indicaret. Sicq́ue omnes à Foroiulij ueniẽtes, eius sunt sacramẽtis astricti. Quid plura? Alahis & tota Istria contra Chunibertũ cum suis ueniẽtes in campo cui Coronatæ nomen est, castra posuere.

Chunibertus Ticinũ recipit

Alahis fuga

Chunibertus prouocat Alahim ad singulare certamen: & Zeno diaconus eius arma indutus, fortiter pugnando oppetijt.

CAPVT XVII



Hunibertus aũt ad Alahim nuntiũ misit, mãdans ei ut secum singulare certamen iniret: nec opus esse utriusq; exercitum fatigare. In quæ uerba Alahis minime consensit. Cui cum unus ex suis genere Tuscus suaderet: uirum fortem bellicosumq; appellans: ut contra Chunibertum audenter exiret: Alahis respondit: Chunibertus quamuis ebriosus & stupidi cordis sit, tamen ualde audax est, & miræ fortitudinis. Nam tempore patris eius, quãdo nos eramus iuuenculi, habebantur in palatio arietes seu berbices miræ magnitudinis: quos ille super dorsum illorum lanam apprehendens, extenso brachio à terra leuabat: quod quidem ego facere non poteram. Quod Tuscus ille audiens, subiunxit: Si tu cum Chuniberto inire singulare certamen non audes: me in tuo adiutorio socium iam amplius non habebis. & hoc dicens proripuit se, & statim ad Chunibertum aufugit, idq; illi nuntiauit. Conuenerunt itaq;, ut diximus, utræq; acies in Campum Coronatæ. Cumq; iam prope esset, ut se coniungere deberent: Zeno diaconus Ticinensis ecclesiæ, qui fuit custos ædis beati Ioannis Baptistæ, quæ intra eandem ciuitatem sita est: quam quondam Gundiberga regina construxerat: cum nimium diligeret regem, & metueret ne rex in bello periret, ait ad regem: Domine rex, omnis uita nostra in tua salute consistit: si tu in bello perieris, omnes nos Alahis tyrannus iste per diuersa supplicia extinguet. Placeat itaq; tibi consilium meum: & da mihi apparatum armorũ tuorũ, ut ego uadam & pugnabo cum isto tyranno. Si ego ibi obiero, recuperabis facile causam tuam: si uero uicero, maior tibi quod seruus tuus uicerit gloria ascribetur. Cumq; rex se id facturum pernegaret: cœperunt pauci qui aderant eius fideles cum lachrymis deposcere, ut ad ea quæ diaconus dixerat, assensum præberet. Victus autẽ tandem (ut erat pij cordis) eorum precibus & lachrymis, loricam suam, galeam atq; ocreas, & cætera arma, diacono præbuit: in suaq; persona eum ad prælium dimisit. Erat enim ipse diaconus eiusdem staturæ & habitus: ita ut cum fuisset de tentorio armatus egressus, ab omnibus Chunibertus esse putaretur. Commissum itaq; est prælium, & totis uiribus decertatum. Cumq; Alahis illuc magis intenderet, ubi regem esse putaret, Chunibertum se inuasisse putans, diaconum interfecit. Cumq; caput eius amputari præcepisset, ut leuato eo in cõtum deo gratias acclamarent, sublata casside clericum se occidisse cognouit. Tuncq; furibundus exclamans: heu me, inquit, nihil egimus: quando ad hoc prælium gessimus, ut clericum occideremus. Tale itaq; nunc facio uotum, ut si deus mihi uictoriã iterum dederit, unum puteum de testiculis impleam clericorum.

Zenonis diaconi facinus

Votũ Alahis

Chunibertus Alahim uincit. CAPVT XVIII




Æterum Chunibertus suos fere uictos ad fugam spectare conspiciens, statim se eis ostēdit: omniumq; corda sublato pauore ad sperandā uictoriā erexit. Instruūtur itaq; iterū acies: & hinc Chunibertus, inde Alahis ad belli certamina præparantur. Cumq; iā propinquæ acies essent, & se utræq; ad pugnādū cōsererēt: Chunibertus ad Alahim iterato in hæc uerba mandauit. Ecce quantus populus ex utraq; parte cōsistit: quid opus est ut tanta multitudo pereat? Cōiungamur ille & ego singulari certamine: ut utri nostrū deus uoluerit uictoriā donare, is oēm hunc populū saluū & incolumē possideat. Cumq; Alahim sui exposcerent ut faceret quod Chunibertus illi mādauerat, ipse respōdit: Hoc facere non possum, quia inter contos suos uexilla ue, sancti archangeli Michaelis, ubi ego illi iuraui, imaginē conspicio. Tunc unus ex illis, inquit: Tu præ pauore cernis quod non est: & tibi iam tardū est ista meditari. Conseruntur itaq; acies perstrepētibus buccinis: & neutra parte cedente facta est maxima populorum strages. Tandem crudelis tyrannus Alahis interijt: & Chunibertus adiuuāte deo uictoriam obtinuit. Exercitus autē Alahis compertа eius morte, fugæ subsidiū arripuit. E quibus quos mucro non perculit, Addua fluuius absorpsit. Caput quoq; Alahis detruncatum, & crura eius succisa sunt: informeq; tantū truncumq; cadauer remansit. In hoc bello Foroiulianorū exercitus minime fuit: quia cū inuitus Alahi iurasset: propterea nec regi Chuniberto, nec Alahi auxiliū tulit: sed cū illi bellū committerent, ipsi ad propria sunt reuersi. Igitur Alahi hoc modo deleto, rex Chunibertus corpus Zenonis diaconi ante fores in basilica beati Ioannis quam ipse rexerat, mirifice sepelire mandauit. Ipse uero regnaturus cum omni exultatione & triumpho uictoriæ, Ticinum reuersus est.

Alahis cæditur

PAVLI DIACONI DE GESTIS LANGOBARDORVM LIBER VI

De Romualdi successu & morte. Deq; eius successoribus Grimoaldo & Gisulfo. De corporis diui Benedicti translatione: deq; Anssridi & Rhodoaldi controuersia de ducatu Foroiulieñ. CAPVT I



VM ista apud Langobardos trans Padum geruntur: Romualdus Beneuentanorum dux congregata exercitus multitudine Tarentum oppugnauit & cepit. Pariq; modo Brundusium & omnem illam regionem latissimam, quæ in circuitu est, suæ ditioni subiugauit. Coniux autem eius Theoderata nomine, eodem tempore extra muros ciuitatis basilicā in honore beati Petri apostoli cōstruxit. Quo in loco multarum ancillarum dei cœnobium constituit. Romualdus quoq; postquam XVI. annos ducatum gesserat, ab hac luce subtractus est. Post quem Grimoaldus eius filius tribus annis Samnitum populū rexit. Cui in

coniugio

coniugio sociata fuit Vinnilinda soror Chuniberti filia Partarithi. Defuncto quoque Grimoaldo Gisulfus eius germanus eorundem ductor effectus est: præfuitque Beneuento annis decem & septem. Huic sociata fuit Vuiniberga: quæ ei Romualdum peperit. Circa hæc tempora cum in Casino monte ubi beatissimi Benedicti sacrum corpus requiescit: iam aliquot annis elapsis uasta solitudo existeret, uenientes de Cenomannorum uel Aurianensium regione Franci, dum apud uenerabile corpus se pernoctare simulassent, eiusdem uenerabilis patris paritérque eius sororis uenerandæ Scholasticæ ossa auferentes in suam patriam asportarunt: ubi singulatim duo monasteria in utriusque honore, hoc est beati Benedicti & sanctæ Scholasticæ cõstructa sunt. Sed certum est nobis, os illud uenerabile & omni nectare suauius, & oculos semper cœlestia contemplari solitos, cætera quoque membra quanuis defluxa remansisse. Solum etenim dominicum corpus singulariter non uidit corruptionem: cæterum omnium sanctorum corpora in æterna postea gloria reparanda corruptioni subiecta sunt: ijs exceptis quæ ob diuina miracula sine labe seruantur. At uero Rhodoaldus quem apud Forumiulij præmisimus ducatum tenuisse: cum ab eadem ciuitate ab esset, Ansfridus de castro Reuma ducatum eius absque regis nutu peruasit. Quo comperto Rhodoaldus in Istriam fugit: ac deinde nauigio per Rauennam Ticinum ad Chunibertum regem peruenit. Ansfridus uero non contentus ducatum Foroiulianensium regere: insuper cõtra Chunibertum rebellans, regnum eius inuadere uoluit: sed comprehensus in Verona, ad regem deductus est: cuius iussu euulsis oculis in exilium trusus est. Foroiulianum autem ducatum posthæc Ado frater Rhodoaldi loci seruationis nomine per annos & menses VII. gubernauit.

Rhodoaldus
Ansfridus

De monothelitarũ hæresi, & peste subsecuta, & de cessatione pestis per honorem diuo Sebastiano impensum. CAPVT II

DVm hæc in Italia gerũtur hęresis apud Cõstantinopolim orta est: eorum qui unam duntaxat in dño nostro Iesu Christo uoluntatem & operationem asseuerabant. Hanc autem hæresim excitauerunt Georgius patriarcha Constãtinopolitanus, Macarius, Pyrrhus, Paulus & Petrus. Quam ob causam Constantinus Augustus centum quinquaginta episcopos congregari fecit. Inter quos fuerunt etiam legati sanctæ Ro. Ecclesiæ, missi ab Agathone papa: Ioannes Diaconus, & Ioannes episcopus Tulensis: qui omnes eandẽ hæresim damnarũt. Ea hora tantæ aranearum telæ in medio populi ceciderunt, ut omnes mirarentur: ac per eas significatum est quod sordes hæreticæ prauitatis depulsæ essent. Et Georgius quidem patriarcha correctus est: cæteri uero in sua dissensione perdurantes, anathematizati, sunt diuina ultione percussi. Eo tempore Damianus Ticinensis ecclesiæ episcopus sub nomine Mansueti Mediolaneñ. archiepiscopi hac de causa utilem rectæque fidei epistolam composuit

Monothelitarum hæresis
Aranearum telæ

posuit: & in præfata synodo nõ mediocre suffragium tulit. Recta autem & uera fides hæc est: ut in domino nostro Iesu Christo sicut duæ sunt naturæ, hoc est dei & hominis: sic etiam duæ credantur esse uoluntates siue operationes. Vis audire de eo quod deitatis est? Ego & pater unũ sumus. Vis audire quod humanitatis? Pater maior me est. Cerne secundũ humanitatem eius in naui dormientem. Cerne eius diuinitatẽ, cum euangelista ait: Tunc surgens imperauit uentis & mari: & facta est tranquillitas magna. Hæc est sexta synodus uniuersalis Constãtinopoli celebrata: & græco sermone conscripta temporibus papæ Agathonis, & sequente ac residente Cõstantino principe intra septa palatij sui. His temporibus per indictionem VIII. Luna eclipsim passa est. Solis quoq; eclipsis eodẽ pene tempore hora diei quasi decima quinto nonas Maij effecta est. Moxq; subsecuta est grauissima pestis tribus mensibus, Iulio, Augusto & Septembri. Tantaq; fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filijs atq; fratres cum sororibus bini per feretra positi apud urbẽ Romã ad sepulcra ducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Ticinum depopulata est: ita ut cunctis ciuibus per iuga montium seu per deserta loca fugientibus, in foro & plateis ciuitatis herbæ & frutices enascerentur. Tuncq; uisibiliter multis apparuit, quod malus & bonus angelus qui uidebatur uenabulum manu ferre, quoties uenabulo illo ostium cuiuscunq; domus percussisset, tot ea de domo, die sequenti homines interirent. Tunc cuidam per reuelationem dictũ est, quod pestis ipsa prius nõ quiesceret, quàm in basilica beati Petri quæ ad uincula dicitur, sancti Sebastiani martyris altarium poneretur. Factumq; est ut delatis ad urbem Romã beati Sebastiani martyris reliquijs, mox ut in iam dicta ecclesia altarium constitutum est, pestis ipsa quieuerit.

Pestis grauiss.

Reuelatio de S. Sebastiano

De consilio Chuniberti regis per dæmonem in musca prodito.

CAPVT III



REx quoq; Chunibertus dum post hæc cum stratore suo quem propria lingua Langobardi Marpahis dicunt, cõsilium iniret in ciuitate Ticinensi, quomodo Aldonem & Grausonem uita priuaret, repente in fenestra iuxta quam consistebant una de auiculis musca consedit. Quam Chunibertus cultello ut extingueretur percutere uolens, eius tantũ pedem abscidit. Cum uero Aldo & Grauso regis consilium nescientes ad palatium uenirent: & basilicæ sancti Romani martyris quæ prope palatium sita est, appropinquassent: repente obuiũ habuerunt quendam claudum altero pede trũcato: qui eis dixit, q eos Chunibertus si ad eum pergerent occisurus esset. Quod audientes illi, magno timore correpti, post altarium eiusdẽ basilicæ confugere. Moxq; Chuniberto regi nuntiatum q Aldo & Grauso in ecclesiam beati Romani martyris confugissent. Tunc Chunibertus stratorẽ suum arguere cœpit q consilium suum prodere ausus fuisset. Cui strator ita respondit. Dñe mi rex tu scis q postq;

Muscæ portentum

istud

istud decreuimus, ego à tuo conspectu non discessi. quomodo igitur id alicui indicare potuerim? Tunc rex ad Aldonem & Grausonem misit, interrogans eos, ad quid in locũ sanctum confugissent? Qui respondentes dixerũt. Quia nuntiatũ est nobis, ꝙ nos dominus rex occidere uellet. Iterato rex ad eos misit, sciscitãs quis fuerit is q eis id annuntiauerit, mandans insup eis ut nisi indicem seu nuntiatorem proderent, eius gratiam inuenire nõ possent. Tunc illi, sicut factũ fuerat, regi mandabant, dicentes se claudum hominem obuium habuisse, qui unũ truncatũ pedem habebat, & crure ligneo pro altero utebat, eumq́ꝫ fuisse interitus sibi parati nuntiũ. Tunc intellexit rex, muscam illam cui pedem truncauerat, malignum spiritũ fuisse, & ipsum secreta consilij sui prodidisse. Qui statim Aldonẽ & Grausonẽ in sua fide ab ecclesia dicta seuocatos suscipiens, eisdem culpam remisit, & deinceps eosdem in loco fideliũ habuit. Eo tempore floruit in arte grammatica Felix patruus Flabiani præceptoris mei, quem intantũ rex dilexit, ut ei baculũ argento auroq́ꝫ decoratũ inter reliqua suæ largitatis munera donaret. Per idẽ quoq́ꝫ tempus Ioannes episcopus Bergomatis ecclesiæ uir miræ sanctitatis extitit. Qui regem Chunibertum in conuiuio dum sermocinarentur seu confabularentur offendit. Cui in hospitium reuertenti rex equum ferocem & indomitum, qui immenso fremitu super se sedentes terræ allidere solebat, præparari fecit. Cui cum dictus episcopus supersedisset, ita mansuetus extitit, ut eũ blando incessu usque in domum propriam deportaret. Quod rex audiens, & episcopum ex eo die, honore debito coluit, & ei ipsum equum quem suæ sessioni, suoq́ꝫ usui destinauerat, largitus est.

De Sarrhacenorum in Aphricam irruptione. de Constantini imperatoris morte, & Iustiniani in imperiũ successione. De synodo Aquileieñ. & altera Cõstatinopoli facta. De Cedoaldi conuersione. CAP. IIII

HAc tempestate noctu sidus uergiliarum cœlo sereno inter domini natiuitatem & Theophaniam apparuit, omnimodo obumbratum, ueluti cũ Luna sub nube est cõstituta. Postea mense Februario in meridie stella ab occasu exijt, quæ cum magno fulgore tandem in partes orientis declinauit. Deinde mense Martio Vesbius eructauit per dies aliquot, & omnia uirẽtia circunquaq́ꝫ præ puluere & cinere illius exterminata sunt. Tunc Sarrhacenorũ gens infidelis & deo inimica, ex Ægypto & Aphrica cũ nimia multitudine pergens obsessam Carthaginem cepit, captamq́ꝫ crudeliter depopulata est, & ad solũ usq́ꝫ prostrauit. Inter hæc Constantinus imperator apud Constantinopolim morit: Et eius filius minor natu Iustinianus Romanorũ regnũ suscepit, cuius ꝑ decem annos gubernacula tenuit. Is Aphricam a Sarrhacenis recepit, & cum eisdem pacem trans maria fecit. Idẽ Sergium pontificẽ, qui errori illius synodi quã Cõstãtinus Cõstantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluit, misso Zacharia protospatario suo iussit Cõstantinopolim deportari. Sed milites Rauennæ uicinatumq́ꝫ partiũ iussa nefanda imperatoris cõtemnen

Sarrhaceni Carthaginem obsident

Constantinus moritur

Iustinianus imperat

tes, eundẽ Zachariã cũ cõtumelijs ab urbe Roma & iniurijs pepulerũt. Cõtra hunc Iustinianũ Leo Augustalẽ dignitatẽ arripiens, eũ regno priuauit, regnumq́ Romanorũ tribus annis regens, Iustinianũ exulẽ in Ponto seruauit. Rursumq́ Tyberius cõtra hunc Leonem insurgens regnũ eius inuasit, eumq́ toto quo ipse regnauit tempore in eadẽ ciuitate in custodia tenuit.

Leo imperiũ occupat

Tyberius Leonẽ pellit

Synodus Constantinopolitana

Hoc tempore synodus Aquilegiæ facta est ob imperitiam fidei, quæ tunc uniuersale cõciliũ suscipere diffidit, donec salutaribus beati Sergij papæ monitis instructa & ipsa huic cũ cæteris Christi ecclesijs annuere cõsensit. Facta est autẽ & synodus Cõstantinopoli temporibus Vigilij papę sub Iustiniano principe, cõtra Theodorũ & cæteros omnes hæreticos, q beatã Mariam solũ hominẽ nõ deũ & hominẽ genuisse affirmabant. In qua synodo catholice cõstitutũ est, ut beata Maria semper uirgo theotocos diceret: quia sicut catholica fides habet, nõ hominẽ solũ sed uere deũ & hominẽ genuit.

Maria Theotocos

Cedoaldus

His diebus Cedoaldus rex Anglorũ Saxonũ, qui multa in patria sua bella gesserat, ad Christum conuersus Romam properauit. Qui cum ad Chunibertum regem uenisset, ab eo mirifice susceptus est. Hic cum Romam peruenisset, à Sergio papa baptizatus, Petrusq́ appellatus, & adhuc in albis cõstitutus, ad regna cœlestia migrauit. Cuius corpus in ecclesia beati Petri apostoli sepultum est, & hoc super se epitaphium descriptum habet.

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna triumpho,
  Exuuias, proceres, mœnia, castra, lares,
Quæq́ patrum uirtus, & quæ congesserat ipse,
  Armipotens Cedoald, liquit amore dei.
Vt Petrum, sedemq́ Petri rex cerneret hospes
  Cuius fonte sacras sumeret albus aquas.
Splendificumq́ iubar radianti carperet haustu·
  E quo uiuificus fulgor ubiq́ fluit.
Perspiciensq́ alacer rediuiuæ præmia uitæ,
  Barbaricam rabiem, nomen & inde suum,
Conuersum conuertit ouans, Petrumq́ uocari
  Sergius antistes iussit & ipse pater.
Vnda renascentum (quæ Christi gratia) purgans
  Protinus albatum uexit in alta poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
  Cuius consilium nullus adire potest.
Sospes enim ueniens supra modum ab urbe Britanna
  Per uarias gentes, per freta perq́ uias,
Vrbem Romuleam uidit, templumq́ uerendum
  Aspexit Petri, mystica dona ferens.
Candidus inter oues Christi sociabilis ibit,
  Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
  Quem regnum Christi promeruisse uides.

De Francorum Maioribus domus deq; Arnulfo episcopo. Et de Chuniberti decessione & Liuthberti filij eius successione. CAP. V

Maiores domus Frācorū

HOc tempore apud Gallias Francorū regibus à solita fortitudine & scientia degenerantibus, ij qui maiores domus regalis esse uidebant, administrare regis potentiā, & quicquid regibus agere mos est cœperunt. Quippe cū cœlitus esset dispositu ad horū progeniē Francorū transferri regnū. Fuitq; eo tempore maior domus in regio palatio Arnulfus, qui postmodū claruit uir deo amabilis & miræ sanctitatis, qui à gloria sæculi Christi se seruitio subdens mirabilis in episcopatu extitit. Idem uero eremiticam uitam eligens, leprosis uniuersa præbens obsequia cōtinentissime uixit. De cuius mirabilibus apud Metensem ecclesiā ubi episcopatū gessit, liber extat, eiusdē miracula & uitæ abstinentiam cōtinens. Sed & ego in libro quē de episcopis eiusdē ciuitatis cōscripsi, flagitante Ageltramo uiro mitissimo, sanctitate præcipuo, præfatæ ecclesiæ archiepiscopo, de hoc sanctissimo uiro Arnulfo quædam miranda scripsi, quæ superfluum duxi modo replicare. Inter hæc Chunibertus cunctis amabilissimus post q; duodecim annos Langobardorū regnū post patrē solus obtinuerat, tandem ab hac luce subtractus est. Hic in campo Coronatæ, ubi bellum contra Alahim gesserat, in honore beati Georgij martyris monasteriū construxit. Fuit autem uir elegans, & omni bonitate cōspicuus, audaxq; bellator. Hic cum multis Langobardorum lachrymis iuxta ædem domini saluatoris, quā quondam auus eius Aribert hus construxerat, sepultus est. Regnumq; Langobardorum Liuthberto adhuc puerili ætate reliquit. Cui tutorem constituit Asprandum uirum sapientem & illustrem.

Chuniberti obitus

Liuthbertus rex XXV

De Ragumberto rege. XXVI. quomodo regnum adeptus sit & mortuus. Deq; Ariberto rege XXVII. & eius gestis, & Liuthberti regis captiuitate, & Asprandi fuga. Rotharithi & Liuthberti cæde. & de Asprandi ad Baioariam fuga. CAP. VI

Ragunbertus rex XXVI

DEhinc elapsis octo mensibus Ragunbertus dux Taurinēsium quē quondā rex Godibertus cū extingueret à Grimoaldo reliquerat paruulū, de quo & supra diximus, cū ualida manu ueniens aduersus Asprandū & Rotharithū Bergomeñ. ducē apud Nouariam cōflixit, eosq; in campo exsuperans regnū Langobardorū inuasit, sed eodē anno mortuus est. Tunc filius Godiberti regis, nomine Aribert hus rex factus, iterum bellū parans pugnauit cū Liuthberto rege apud Ticinum, cumq; Asprando & Totone seu Zotone & Tatzone necnō & Rhotaro ac Pharone. sed omnes post bello exsuperans Liuthbertū infantulū uiuum in bello cōprehendit. Asprandus autē fugiens ad insulā Comacinā, se in ea cōmuniuit. At uero Rotarithus dux Bergomū in ciuitatē suam rediens regnū arripuit. Cōtra quē rex Aribertus una cū exercitu proficiscens, expugnata Laudepompeia, Bergomum obsedit, eamq; arietibus & diuersis

Nouaria

Aribertus rex XXVII

belli machinis sine aliqua difficultate expugnãs mox cepit. Cóprehensúm/ que Rotarithũ & Freodonẽ regẽ, eius caput barbamq́; radens Taurinis in exiliũ retrusit, ubi post aliq̃t dies perẽptus est. Liuthbertũ q̃q; quẽ ceperat, pari modo in balneo uita priuauit. Misit q̃q; rex exercitũ aduersus Aspran/ dum in insulã Comacinã. Ille uero p Coriã Retorũ ciuitatẽ uenit ad Theo debertum Baioariorũ ducem, & fuit cũ eo p annos nouẽ. Exercitus uero A/ riberthi regis insulã in qua Asprandus fuerat inuadens, eius oppidũ diruit.

Liuthberti cædes

De Ariberti Tyranni sæuitia. CAP. VII

Ariberti sæuitia



Ex igitur Aribertus confirmatus in regno Sigiprandũ Aspran di filium oculis priuauit, omnes qui ei consanguinitate coniun/ cti erant diuersis modis afflixit. Minorem quoq; Asprandi fi/ lium nomine Liuthprandũ in custodia tenuit, quẽ quia uilem si bi personam habuit, & adhuc adolescentulum esse conspexit, non solum in corpus eius nõ sæuijt, sed eum etiam ad patrem suum abire permisit. Quod dei omnipotentis nutu factum fuisse, qui eum ad regni gubernacula præpa rabat, dubium nõ est. Igitur Liuthprandus ad patrem suum in Baioariam profectus ei de suo aduentu inæstimabile gaudium fecit. Vxorem uero As/ prandi, Theoderatam nomine, rex Aribertus comprehendi fecit, quę cum se uoluntate fœminea reginam futuram esse iactaret, naso atq; auribus ab/ scissis amisso decore faciei suæ deturpata est. Pari etiam modo & germana Liuthprandi nomine Auruna deformis effecta est.

De Anchise maiore domus in Francia. De Ferdulfi ducatu, qui Scla/ uos in perniciem suorum induxit. CAP. VIII



Oc tempore apud Gallias in Francorũ regno Anchises Arnul/ fi filius, qui de nomine Anchisę quondam Troiani creditur ap/ pellatus, sub nomine maioris domus gerebat principatũ. Mor tuo quoq; apud Forumiulium Aldone, quẽ diximus loci serua/ torem fuisse, Ferdulfus ducatum suscepit, qui de partibus Liguriæ extitit, ob hoc lubricus & elatus. Qui dum uictoriæ de Sclauis laudẽ habere cupiuit, magna sibi & Foroiulianis detrimenta inuexit. Is siquidẽ pręmia quibusdã Sclauis dedit, ut exercitũ Sclauorũ in eandem prouinciam ad suam adhor/ tationem immitterent. Quod ita quoq; effectũ est. Quod causa magnæ in eadẽ Foroiuliana prouincia perditionis fuit. Irruerunt itaq; latrunculi Scla/ uorum super greges & pastores ouiũ quę in eorũ uicinia pascebant, & de il/ lis prędas abegerũt. Subsecutus est eos rector illius prouinciæ quẽ sculdabẽ lingua propria dicunt, uir nobilis, animoq; & uiribus potens, sed tamen la/ trunculos dictos assequi nõ potuit. Cui ex persecutiõe reuertenti cũ dux Fer dulfus obuiam factus esset: Arga, ait ei (sic em̃ nomen habebat) nũ Sclauos frustra secutus es? Qui eosdẽ fugisse respondit. Tunc ei Ferdulfus indignãs ita locutus est. Quando tu aliquid fortiter agere poteris qui ab Arga nomẽ deductũ habes? Cui ille maxima stimulatus ira, ut erat uir acer, ita respon/ dit. Sic

Ferdulfus

Sclauorum irruptio

Arga

dit. Sic uelit deus ut nō antea ego & tu dux Ferdulfe exeámus de hac uita, quàm cognoscant homines uter nostrū sit magis Arga. Hæc cū inter se uulgaria uerba locuti fuissent, contigit post nō multos dies ut exercitus Sclauorum pro quorū aduentu dux Ferdulfus præmia dederat, cū magnis uiribus aduentaret. Qui cum castra in summo montis uertice posuissent, & pene ex omni parte difficile esset ad eos accedere, Ferdulfus dux cum exercitu super ueniens cœpit eundem montē circuire, ut per loca planiora super eos posset irruere. Tunc Arga, de quo præmisimus, Ferdulfo dixit. Memento dux Ferdulfe quod me esse inertem & inutilem dixeris, & uulgari uerbo Arga uocaueris. Nūc autē ira dei ueniat sup illū qui posterior è nobis ad hos Sclauos accesserit. Et hoc dicēs uerso equo per asperitatē montis qua grauis erat ascensus, ad castra Sclauorū cōtendere cœpit. Ferdulfus uero opprobrium ducens si nō & ipse per eadem difficilia loca super Sclauos irrueret, eū per aspera, difficilia, inuiaq; loca secutus est: Quē exercitus eius turpe ducens ducem non sequi, & ipse ascendere cœpit. Videntes itaq; Sclaui hostes per diuersa loca super se uenire, præparauerunt se uiriliter: & magis lapidibus ac securibus quàm armis cōtra eos pugnantes, pene omnes deiectos equis peremerunt. Sicq; uictoriam nō uiribus sed casu causaq; adepti sunt. Ibi omnis nobilitas Foroiulianorū perijt. Ibi Ferdulfus cecidit, ibi & ille qui eum ad iram prouocauerat extinctus est. Totq; ibi uiri fortes per cōtentionis malū & improuidentiam debellati uictiq; sunt, quot potuissent per cōcordiam & salubre consiliū multa milia sternere æmulorum. Ibi tamē unus è Langobardis nomine Munichis, qui pater Petri Foroiuliani & Vrsi Cenetensis ducū extitit, solus fortiter & uiriliter fecit. Is cū de equo deiectus esset, & eū unus ex Sclauis subito inuadens, manus eius fune colligasset, ipse manibus uinctis lanceam ab eiusdē Sclaui dextera extrahēs eundē ea percussit. Et ligatus p aspera loca se deijciens euasit. Hæc ideo uel maxime in hac posuimus historia, neq aliquādo tale eis q hæc audierint, per cōtentionis malū contingat.

Langobardorum strages

Ferdulfi cædes

De Corboli ducatu & Pemonis. Deq; Gisulfi Beneuentani successibus.

CAPVT IX



MOrtuo itaq; Ferdulfo duce hoc modo, in eius locū suffectus est Corbolus, qui pauco tempore ducatū tenens, dum regē offendisset, euulsis oculis dedecorose uixit. Deinceps uero Pemo ducatum promeruit, qui fuit homo ingeniosus & utilis patriæ. Hic patre genitus Billoneñ. qui de Billone nō fuerat, sed propter seditionē quā illic fecerat, Forumiulij ueniens ibi postea pacifice uixit. Hic Pemo habuit coniugem Ratbergam nomine, quæ cum esset facie rusticana sæpe maritum deprecata est, ut se dimissa aliam uxorem duceret, quā tanti ducis coniugem esse deceret. Sed ipse ut erat uir sapiens, plus eius mores, modestiam & ueram pudicitiā quàm corporis pulchritudinē sibi cōplacere dicebat. De hac igitur coniuge tres Pemo filios Rachim, Rathaithū, & Aistulfum uiros strenuos genuit. Quorum grauitas humilitatem matris ad gloriam erexit.

Corbolus dux Belluneñsis

Pemo dux

Rathberga rusticana facie sed moribus cultis

Pemo autem dux congregatos omnium nobilium qui in bello de quo iam diximus ceciderant filios sic cum suis natis pariter nutriuit, ac si & ipsi ab eo geniti fuissent. Hac eadem tempestate Gisulfus Beneuentanorũ dux Orsuram Romanorũ ciuitatem, Hirpinum, atq; Auximũ oppida pari modo cepit. Qui Gisulfus tempore Ioannis papæ cũ omni sua uirtute in Campaniam uenit, incendia & deprædatiões faciens, multosq; captiuorũ cepit, & usq; ad locum qui Horea dicitur castrametatus est, nullusq; ei resistere potuit. Ad hunc pontifex missis sacerdotibus cũ apostolicis donarijs uniuersos captiuos redemit, ipsumq; ducẽ cũ suo exercitu ad propria repedare fecit.

Gisulfi successus

De restitutione alpiũ Cocciarũ ecclesiæ per Aribertũ facta. De ducibus Spoletanis. Deq; Iustiniani imperatoris & Philippici gestis. CAP. X

Patrimonium ecclesiæ restituitur



HOc tempore Aribertus rex Langobardorũ donationẽ patrimonij alpium cocciarũ quę quondam pertinuerãt ad apostolicam sedem, sed à Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit. Et hanc donationẽ aureis exaratam literis Romam misit. His etiam diebus duo reges Saxonum ad pedes apostolorũ uenientes sub uelocitate ut optabant defuncti sunt. Tunc quoq; uenit Benedictus archiepiscopus Mediolaneñ. Romam, & causam egit pro ecclesia Ticinensi, sed uictus est eo q̃ à priscis temporibus Ticinenses episcopi à Romana fuerãt ecclesia consecrati. Fuit autẽ idem uenerabilis archiepiscopus Benedictus uir egregiæ sanctitatis, de quo per uniuersam Italiam bonę opinionis fama flagrauit. Defuncto autẽ Trasimundo duce Spoletanorũ, Faroaldus eius filius in locũ patris est subrogatus, cũ quo Volchila eius frater eundem rexit ducatũ. At uero Iustinianus qui amisso principatu in Ponto exulauerat, auxilio Trebellij Bulgarorũ regis regnũ rursum recipiens, eos qui se expulerant patricios occidit: Leontiũ quoq; & Tiberiũ qui locũ eius usurpauerãt cepit, & in medio circo & omni populo iugulari præcepit. Callinicũ uero patriarcham Constantinopolitanũ erutis oculis Romam misit. Cyrumq; abbatem qui eũ in Ponto exulẽ aluerat, episcopũ loco Callinici constituit. Hic Constantinũ Papam ad se uenire iussum honorifice suscepit. Quẽ prostratus in terra intercedere pro suis peccatis rogans cũcta ecclesię cõdonauit priuilegia. Qui cũ exercitũ in Pontũ mitteret ad cõprehendendũ Philippicũ, qui eũ eò relegauerat, idẽ uenerabilis Papa prohibuit ei ne hoc faceret, sed tamẽ inhibere nõ potuit. Exercitus autẽ qui missus cõtra Philippicũ fuerat ad partẽ Philippici se cõtulit eumq; imperatorẽ fecit. Qui Constantinopolim contra Iustinianũ ueniens cũ eo ab urbe miliario duodecimo pugnauit, uicit, & occidit, regnumq; eius adeptus est. Imperauit autẽ Iustinianus cum filio suo Tyberio in hac secunda uice annos sex, quẽ Leontius in expulsione illius, naribus priuauerat. Qui post iterũ assumpto imperio, q̃ties defluentẽ guttã emanantẽ manu detersit, pene toties aliquẽ ex ijs qui cõtra eũ fuerãt iugulari fecit. Mortuo aũt his diebus Petro patriarcha Aquilegieñ. ecclesię regimẽ eius suscepit Serenus, uir simplex & ad Christi seruitiũ promptus.

Faroaldus
Iustinianus imperator
Leontij et Tyberij cædes

Philippicus fit imperator
Iusti. cædes

De Philippici imperat. gestis reliquis, eiusq; exitu infelici: Deq; Artemij gestis. CAP. XI



AT uero Philippicus qui & Bardanes dictus est, postq; in imperiali dignitate cōfirmatus est, Cyrum quem dixeramus de pontificatu eiectū, ad monasteriū suum gubernandū redire præcepit. Hic Philippicus Cōstantino papæ literas praui dogmatis direxit, quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit. Et huius rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri fieri, quæ gesta & decreta sex sanctarum synodorum uniuersaliū tenerent. Nam huiusmodi picturas quæ habebantur in urbe regia Philippicus iusserat deleri, & sanctorum statuas & imagines ex omnibus templis eradi, iussitq; ut de homusio Romanus clerus Cōstantinopolitanæ ecclesiæ cōsentiret. Quapropter statuīt cū Papa populus Romanus, ne nomē imperatoris hęretici, aut chartas, aut figuram solidi seu numismatis susciperent. Vnde nec effigies eius in ecclesiam introducta est, nec nomen admissarū solennia prolatū. Hunc cum annū unū & menses sex regnū gessisset, Anastasius qui & Arthemius dictus est, cōtra eū insurgēs, regno expulit, oculisq; priuauit, nec tamē occidit. Hic Anastasius literas Constantino Papæ Romā p Scholasticū patriciū & exarchū Italiæ misit, quib. se fautorē Catholicæ fidei & sancti sexti cōcilij prædicatorē esse declarauit.

Philippicus declaratur hæreticus

Arthemius imperat

De Asprandi in Italiam reditu & regno, & Ariberti infelici exitu. De expeditione Arthemij seu Anastasij in Sarracenos, & eius ab imperio expulsione per Theodosiū. De Theodosij gestis, & Pipini strenuitate. CAP. XII



POrrò (ut ad nostros reuertamur) Asprandus cum apud Baioariam iam nouem expletis annis exulasset, promoto tandem Theoberto decimo anno Baioariorū ductor exercitus uenit in Italiam, pugnauitq; cum Ariberto, & facta est ex utraq; parte multa strages populorū: sed quamuis ad extremum nox præliū diremisset, certum tamen Baioarios terga dedisse, & Ariberti exercitū uictorem ad castra remeasse. Sed dum Aribertus in castris suis manere noluisset, & potius Ticinū intrasset, ipse & suis hoc facto desperationē & aduersarijs audaciam prębuit. Qui postq; ingressus est ciuitatē & sensit quantū pro hoc facto suū exercitū offensum haberet, mox arrepto cōsilio in Franciā fugere cōstituit: & quantū sibi utile duxit aurū è palatio sustulit. Qui dum Ticinum flumen grauatus auro tranare uoluisset, ibi corruens, suffocantibus aquis extinctus est. Cuius postridie corpus inuentū & in palatium relatum est, & deinde in Basilicam domini saluatoris quā antiquus Aribertus construxerat perlatū, & ibidem sepultū est. Hic in diebus quibus regnū tenuit noctu palatio egrediens, & huc illuc pergens, quid de se à singulis ciuitatibus diceretur, per semetipsum explorabat, ac diligenter qualem iustitiam singuli iudices populo suo facerent, inuestigabat. Idem aduenientibus ad se exterarum gentium legatis, uilibus coram eis uestibus utpote pelliceis utebatur, & quo minus Italiæ insidiarent, nunq; eis pretiosam cœnam aut sumptuosas cæterarum

Asprandus

rerum delicias ministrabat. Regnauitq; tam cũ patre Godiberto seu Rangiberto quàm solus, ad annos usq; duodecim. Fuitq; uir pius, eleemosynis deditus, ac iusticiæ amator. In cuius tẽporibus terræ ubertas nimia, sed tempora fuere barbarica. Huius germanus Gunbertus nomine, eodẽ tempore in Franciam fugiens ibidẽ usq; ad diem mortis permansit. Eidem fuere filij tres, quorũ qui maximus natu extitit, Raginbertus nomine, nostris diebus Aurelianeñ. ciuitatẽ rexit. Post Ariberti funus Asprandus Langobardorũ regno potitus tres solummodo menses regnauit, uir per omnia egregius & cuius sapientiæ rari æquandi sunt. Cernentes itaq; Langobardi huius interitum, Liuthprandũ eius filiũ in regali constituunt dignitate. quod Asprandus audiens, dum adhuc uiueret, lætatus est. Hoc tempore Anastasius imperator classem in Alexandriam cõtra Sarrhacenos direxit. Cuius exercitus aliud aduersus eum capiens consiliũ, ab itinere medio in Cõstantinopolitanam ciuitatẽ regressus, Theodosium orthodoxũ inquirens, eum imperatorẽ elegit, atq; coactũ in solio imperij confirmauit. Qui Theodosius postmodum Anastasium graui prælio apud Niceam ciuitatem uicit: datoq; sacramento sibi, eum clericũ fieri ac sacerdotem fecit ordinari. Ipse uero ut regnum accepit, mox in regia urbe picturam illam uenerandã in qua sanctæ synodi erant depictæ, & quæ à Philippico fuerat deiecta, pristinũ in locum erexit. His diebus Tyberis fluuius inundauit, ita ut alueum suum egressus multa Romanę ciuitati incommoda faceret, & in uia lata ad unam & semis staturam excresceret, atq; à porta sancti Petri usq; ad pontem Miluiũ aquę descendentes se cõiungerent. Sub ijsdem temporibus multæ Anglorum gẽtes, nobiles uiri & fœminæ, & etiam ignobiles, diuini amoris instinctu de Britannia Romam uenire consuerunt. Apud regnum Francorum tunc temporis Pipinus obtinebat principatum. Fuit autẽ uir miræ audaciæ, qui hostes suos statim aggrediendo conterrebat. Nam in quendam suum aduersarium per Hinum fluuium, qui iuxta Danubiũ fluit, transgressus, cum uno tantum satellite irruit, eumq; in suo cubiculo residentem cum suis trucidauit. Bella quoq; multa cũ Saxonibus & maxime cum Ratpoto Phrisiorum rege fortiter gessit. Hic diuersos filios habuit, sed eorum præcipuus extitit Carolus qui ei in principatu postmodum successit.

Asprandus rex XXVIII

Liuthprandus rex XXIX

Tyberis inundatio

Pipinus

De Rotharis in Liuthprandum insidijs detectis, & eius cæde. de Cumani castri expugnatione. Deq; Leone imperatore. Carolo Pipini filio. Liuthprandi donatione. CAP. XIII



AT uero Liuthprandum regem cum in regno confirmatus esset, Rotharis cõsanguineus eius perimere uoluit. Is em̃ conuiuiũ in domo sua apud Ticinũ præparauit, in qua domo uiros fortissimos q regẽ conuiuantẽ extinguerẽt, armatos abscondit. Quod cum Liuthprando nuntiatum fuisset, eum ad palatium suum uocari præcepit. Quem sicut ei dictum fuerat, lorica sub ueste indutũ, eum manu pertentans

Rotharis Liuthprando insidiatur

tans repperit. Isq; cum se detectum & circumseptũ esse cognouisset, statim retrorsum resiliens spatham euaginauit ut regẽ percuteret: Rex uero è contrario ensem suum uagina exemit. Tunc unus ex regis satellitibus nomine Subo, Rotharem à tergo comprehendens, ab eo in fronte uulneratus est. Super quem Rotharem etiam alij insilientes eum ibidem occiderunt. Quatuor uero eius filij qui nõ aderant, ubi inuenti ibi perempti sunt. Fuit autem rex Liuthprandus uir multæ audaciæ, ita ut cum eum duo armigeri eius occidere cogitarẽt, & hoc ei indicatum fuisset, in profundissimam syluam cum eis solus ingressus, mox euaginatũ gladiũ contra eos tenens eisdẽ q; se occidere cogitauerãt seu proposuerãt, improperauit: q̃d ut tũc facerẽt adhortatus est. Qui statim ad eius pedes deuoluti cuncta quæ machinati cõtra eum fuerant confessi sunt. Et de alijs quoque hoc similiter fecit, sed tamen confessis mox tantam malitiam ignouit. Defuncto autem Gisulfo Beneuentano duce, Samnitum populum Romualdus eius filius regendum suscepit.

Rotharis cædes

Liuthprandi fortitudo

Circa hæc tempora Petronas ciuis Brixianæ urbis diuino amore cõpunctus Romam uenit, hortatuq; Gregorij tunc apostolicæ sedis Papæ, Casinum castrum petijt, atq; ad sanctum Benedicti patris corpus perueniens, ibi cum aliquibus simplicibus uiris iam ante residentibus habitare cœpit. Qui eundem uenerabilem uirum Perronatem sibi patrem statuerunt. Hic post nõ multum temporis, operante diuina misericordia, & suffragantibus beati Benedicti patris meritis, iam euolutis fere centum & decem annis, ex quo locus ille ab habitatione hominum destitutus fuerat, multorum ibi monachorum nobilium & mediocrium ad se concurrentiũ pater effectus, sub sanctæ regulæ iugo & beati Benedicti institutione, reparatis habitaculis uiuere cœpit, atq; hoc sanctum cœnobium in statum qui nunc cernitur, erexit. Huic uenerabili uiro Petronati insequenti tempore sacerdotum præcipuus & deo dilectus pontifex Zacharias plura adiutoria contulit, libros scilicet sanctę scripturæ, & alia quæ ad utilitatem monasterij pertinent, insuper & regulam quam beatus pater Benedictus suis sanctis manibus conscripsit, paterna pietate concessit. Monasterium uero sancti Vincentij martyris, quod iuxta Vulturni fluminis fontem situm est, & etiam nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus, Rhasone, Catone, & Tato, iam tunc ædificatũ erat, sicut uiri eruditissimi Auberti eiusdem monasterij abbatis in uolumine quod de hac re composuit scriptura significat.

Monasterium Vincentij

Superstite sane adhuc beato Gregorio Romanæ ecclesiæ sedis pontifice, Cumanũ castrũ à Langobardis & Beneuentanis peruasum est. Sed à duce Neapolitano noctu superueniente, quidã ex Langobardis capti, quidã perempti sunt. Castrũ quoq; ipsum à Romanis est receptũ. Pro cuius castri redemptione Pontifex lxx. libras auri sicut primũ promiserat, dedit. Inter hęc defuncto imperatore Theodosio, qui unũ dũtaxat annũ imperauerat, eius loco Leo Augustus creatur. Apud Francorũ autẽ gentem Pipino uita erepto, eius filius Carolus de quo p̃misimus, licet p̱ multa bella & certamina,

Cumanum castrum

Leo imperator

de manu Ragimfredi principatũ sustulit. Nam cum in custodia teneretur, diuino nutu ereptus aufugit. Ac primũ contra Ragimfredũ cum paucis bis terq; certamẽ iniȷt, nouissimeq; eum apud Prouinciam magno certamine superauit, qui tandem Francorũ gentem gubernandam suscepit. Eo tempore Liuthprandus rex donationem patrimonij alpium Cottiarum Romanæ ecclesiæ cõfirmauit. Nec multo post Huntrudam filiam Theodeberti Baioariorũ ducis, apud quem exulauerat, in matrimonium duxit: de qua solummodo unam filiam genuit. Post hoc tempus Pharoaldus Spoletanorum ductor classe ciuitatẽ Rauennatiũ inuasit, sed iussu regis Liutprandi Romanis reddidit. Cõtra hunc Pharoaldũ ducem filius eius Trasimundus insurrexit, eumq; clericum faciens locũ eius inuasit. His diebus Theodo Baioariorũ dux, orationis gratia Romã ad beatorũ apostolorũ uestibula uenit. Apud Forumiulij sublato ab humanis patriarcha Sereno Calistus uir egregius qui erat Taruisianæ ecclesiæ archidiaconus annuente Liuthprando principe Aquilegieñ. ecclesiam regendã suscepit. Quo (ut diximus) tempore Pemmo Foroiulianis præerat Langobardis. Is cũ iam nobilium, quos cum suis nutriuerat, filios ad iuuenilem perduxisset ætatem, repente nuntium accepit immensam Sclauorũ multitudinẽ in locũ qui Laurina dicit̃ aduentasse. Qui cũ dictis iuuenibus in eosdẽ tertio irruens magna eos clade prostrauit. Nec aliquis amplius ibi à parte Langobardorum cecidit quàm Siualdus qui erat iam ætate grandæuus. Ipse nanq; in superiori pugna, quæ sub Ferdulfo facta est, duos filios amiserat. Qui cũ semel atq; iterum se de Sclauis ad uoluntatem suam ultus esset, tertia uice prohibente duce & alijs Langobardis nõ potuit inhiberi, sed ita duci respondit. Iam satis meorũ mortẽ uindicaui, & iam si aduenerit mors eam lætus suscipiam. Factumq; est ut ipse solus in ea pugna peremptus sit. Pemmo uero cũ multos inimicorũ prostrauisset, metuens ne aliquem suorũ in bello perderet, cũ ijsdem Sclauis in eodem loco pacis concordiam iniȷt. Atq; ex illo tempore magis ac magis cœperunt Sclaui Foroiulianorum arma formidare.

Donatio patrimonij confirmata

Rauenna capitur

Pemmo Sclauos uincit

De Sarracenorum in Hispaniam & Aquitaniam irruptione, & pugna Francorũ cũ ijsdem. Item de eorundem ad Constantinopolim grassatione & clade. de Rauennate tumultu. Leonis imperatoris impietate. Vrbium à Liuthprando expugnatione. Romualdi Beneuentani gestis. CAP. XIIII

Sarracenorũ irruptio



EOdem tempore gens Sarracenorũ in locum qui Septa dicitur ex Aphrica transfretantes, uniuersam fere Hispaniam inuaserunt. Deinde post decem annos cũ uxoribus & paruulis uenientes Aquitaniam Galliæ prouinciam quasi habitatores perpetui ingressi sunt. Carolus siquidẽ cũ Eudone Aquitaniæ principe tunc discordiam habebat. Qui tamen in unum se coniungentes cõtra eosdem Sarracenos pari consilio dimicarunt. Nam irruentes Franci super eos trecenta septuaginta eorum milia interemerunt. Ex Francorũ uero parte mille quingenti tantũ ibi ciciderunt. Eudo quoq; cum suis super eorum castra irruens

pari

pari modo multos interfecit, omniaq; deuastauit. Hoc etiam tempore eadem Sarracenorum gens cum immenso exercitu ueniens Constantinopolim circundedit, ac per continuũ triennium obsedit, donec ciuibus multa instantia ad deum clamantibus plurimi eorũ fame, strage, bello, pestilentiaq; perirent, ac sic perterriti ab obsidione abscederent. Qui inde egressi Bulgarorum gentem quæ est supra Danubium bello aggrediunt, & ab ea quoq; uicti ad suas naues refugiunt. Qui cum altum peterent irruente subita tempestate plurimi etiam mersi & contriti nauibus perierunt. Constantinopoli uero trecenta milia hominum pestilentia interierunt. Liuthprandus quoq; audiens quod Sarraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa ad quæ ossa sancti Augustini episcopi propter uastationem barbarorum aliâs translata honorifice fuerant & cõdita, fœdarent, misit eò, & dato magno pretio accepit illa, & trastulit in urbem Ticinensem, ibiq; debito tanto patri honore recondidit. Eo tempore idem Liuthprandus rex Rauennam obsedit, classem eius inuasit atq; destruxit. Tunc Paulus patricius Rauennam misit, qui pontificem interimerent. Sed Langobardis pro defensione pontificis repugnantibus Spoletanis in Solariopara & ex alijs partibus Langobardis Tuscis resistentibus, consilium Rauennatium dissipatum est. Hac tempestate Leo imperator apud Cõstantinopolim sanctorũ imagines depositas incendit. Romano quoq; pontifici idem facere si imperialem gratiam habere uellet, mandauit. Sed pontifex id facere contempsit. Omnis quoq; Rauennensis exercitus & Venetiarũ talibus iussis uno animo restitere, & nisi eos pontifex prohibuisset, imperatorem super se cõstituere aggressi fuissent. Rex autẽ Liuthprandus castra Æmiliæ, Fenoriarũ, & Montem bellum, Buxeta, & Persiceta, Bononiam & Pentapolim Auximũq; & pari modo Sutriũ peruasit. Sed post aliquot dies iterum Romanis redditũ est. Per idem tempus Leo imperator ad peiora progressus est, ita ut compelleret omnes Constantinopoli habitantes tam ui quàm blandimentis ut deponerent ubicunque haberent imagines tam saluatoris nostri q; eius sanctæ genitricis & omnium sanctorum, easq; in medio urbis incendio cõcremari fecit. Et quia pleriq; ex populo tale scelus fieri præpediebant, aliquot ex eis capite truncati, alij alia parte corporis mulctati sunt. Cuius errori Germanus patriarcha non consentiens à propria sede depulsus est, & eius loco Anastasius presbyter ordinatus est. At Romualdus Beneuentanorum dux uxorem sortitus est Gumbergam nomine, quæ fuit filia Auronæ Liuthprandi regis sororis, de qua filium genuit, quem nomine patris sui Gisulfum appellauit. Habuit rursum post hanc & alteram coniugem nomine Ragimundam, filiam Gaidoaldi Brixiani ducis. Grauis sane per idem tempus discordia inter Pemmonem ducem & Calistum patriarcham orta est. Causa autem discordiæ fuit: Fidentius episcopus Foroiulieñ. anteriori tempore de uoluntate superiorũ ducum, intra Forijuliani Castri muros habitauit, ibiq; sedem sui episcopatus

Sarraceni Cõstantinopolim obsident

Augustini translatio

Rauennæ obsidio

Leonis imperatoris impietas

Vrbes subactæ

Pemmonis & Calisti discordia

episcopatus statuit. Quo uita decedente, Amator eius loco episcopus ordinatus est. Vsq; ad eundem enim diem superiores patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorũ incursionem habitare minime poterãt, sedem non in Foroiulij sed in Commune habebant. Quod Calisto qui erat nobilitate cõspicuus multũ displicuit, ut in eius diœcesi cum duce & Langobardis episcopus habitaret, & ipse tantum uulgo sociatus uitam duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorem episcopũ egit, eumq; de Foroiulij expulit, atque in illius domo habitationem sibi statuit. Hac de causa Pemmo dux cõtra eundem patriarcham cum multis nobilibus Langobardis consiliũ inijt, apprehensumq; eum ad Castellum Potium quod super mare situm est, duxit, indeq; eum in mare præcipitare uoluit, sed tamen deo prohibente minime fecit. In carcere tamen retentum pane tribulationis sustentauit.

De pœna Pemmonis. Et de bellis à Francis contra Sarracenos gestis. Et Liuthprandi suppetijs quas Francis pararat, & uictorijs in Romanos, & Trasemundi rebellatione. CAP. XV

Pemmo in ordinem redigitur


QVod Liuthprandus rex audiens in magnam exarsit iram, ducatumq; Pemmoni auferens, Rachim eius filium eius loco cõstituit. Tunc Pemmo cum suis disposuit, ut in Sclauorum patriam fugeret. Sed Rachis eius filius à rege supplicando obtinuit patri ueniam, eumq; in regis gratiam reduxit. Igitur Pemmo accepta fiducia quod nihil mali pateretur à rege, cum omnibus Langobardis cum quibus consiliũ habuerat perrexit ad regem. Tunc rex pro tribunali sedens Pemmonem & eius filios duos Rathaithum & Aistulfum Rachi concedẽs eos per suam sedẽ consistere præcepit. Rex uero elata uoce omnes illos qui Pemmoni adhæserant nominatim comprehendere iussit. Tunc Aistulfus dolorem nõ ferens, euaginato pene gladio regem percutere uoluit, nisi eum Rachis frater eius cohibuisset. Hoc modo Langobardis illis captis, Hersemarus qui unus ex eis fuerat, euaginato gladio à multis se insequentibus uiriliter defensans in ædem beati Michaelis cõfugit, ac deinde regis indulgentia solus impunitatem promeruit, cæteris longo tempore in uinculis cruciatis. Rachis itaq; apud Forumiulij dux (ut diximus) effectus, Sclauorũ patriam cum suis ingressus, magnam multitudinem Sclauorũ interficiẽs eorũ omnia deuastauit. Vbi cũ Sclaui super eum subito irruissent, & ipse adhuc lanceam suam ab armigero nõ abstulisset, eum qui primus occurrebat eleuata securi quã manu gestabat percutiẽs extinxit. Circa hæc tempora Carolus Francorũ princeps filiũ suũ ad Liuthprandũ misit, ut eius (iuxta morem) capillũ susciperet. Qui eius cæsariẽ incidens ei pater effectus est, multisq; regijs muneribus donatũ genitori remisit. Per idem tempus Sarracenorum exercitus rursum in Galliam introiens multam deuastationẽ fecit. Cõtra quos Carolus nõ longe à Narbone præliũ cõmittens, eos sicut & prius maxima cæde prostrauit. Iterato Sarraceni Gallorũ fines ingressi, usq; ad

Aistulfi ferocia

Carolus Francorum rex ad Liuthprandũ mittit filium tondendum

Sarracenorũ irruptio noua

Prouinciam


Prouinciã uenerũt,& capta Arelate omnia circunquaq; demoliti sunt. Tũc Carolus legatos cum muneribus ad Liuthprandum regem mittens, ab eo cõtra Sarracenos auxilium poposcit. Qui nihil moratus cum omni Langobardorum exercitu in eius adiutorium properauit. Quo cõperto gens Sarracenorum mox ab illis regionibus aufugit. Liuthprandus uero cum omni suo exercitu ad Italiam rediјt, multaq; idem regnator cõtra Romanos bella gessit, in quibus semper uictor extitit, præter quàm quod in Arimino eo absente, eius exercitus cæsus est. Et alia uice eo apud uicum Pilleum in Pentapoli demorante, magna multitudo eorum qui regi munuscula uel xenia, & singularum ecclesiarum benedictiones deferebant, à Romanis cæsa uel capta est. Rursum cũ Rauennam Hildeprandus regis nepos, & Peredeus Vincentinus dux obtinerẽt, irruentibus subito Veneticis, Hildeprandus ab eis captus est. Peredeus uiriliter pugnans occubuit. Insequenti autẽ tempore Romani elatione solita turgidi, cõgregati uniuersaliter, habẽtesq; pro capite ac ductore Agathonẽ Perusinorũ ducẽ uenerunt ut Bononiã caperẽt, ubi tũc Valcaris, Peredeus, & Rotharis morabant' in castris. Qui super Romanos irruentes multas de eis strages fecerũt, reliquos fugam facere cõpulerunt. His diebus Trasimundus cõtra regem rebellauit. Super quẽ rege cũ exercitu ueniente, ipse Romã fugit, in eiusq; loco Hildericus ordinatus est.

Liuthprãdus Carolo suppetias fert

Eiusdẽ uictoriæ cladesq;

Trasimundus rebellat

De Gisulfi Beneuentani gestis & successu. De Hildeprandi ad regnũ uiuente Liuthprando sublimatione. De Trasimundi actis. CAP. XVI



Mortuo autẽ Romualdo iuniore Beneuentanorum duce, qui uigintisex annos ducatũ tenuerat, Gisulfus eius filius adhuc paruulus remansit. Cõtra quem quidam insurgentes eum moliti sunt extinguere. Sed Beneuẽtanorũ populus qui suis ducibus semper fidelis extitit, eos peremerũt, ducis sui uitam seruantes. Sed cum Gisulfus adhuc propter puerilem ætatem ad tantũ populum regendum idoneus nõ esset, Liuthprandus ex Beneuento tunc ueniens eum abstulit, & apud Beneuentum Gregorium nepotem suum ducem ordinauit. Cui matrimonio uxor sociata Gisemberga nomine fuit. Itaq; rex Liuthprandus rebus Beneuentanis cõpositis ad soliũ suũ remeauit. Gisulfum quoq; nepotẽ suũ paterna pietate erudiens, ei Chunibergã nobili ortam progenie puellã in matrimonio coniunxit. Ipse uero ex eo tempore in languorem decidens, morti appropinquare uisus est. Quẽ Lãgobardi uita excedere existimãtes eius nepotẽ Hildeprandũ extra muros ciuitatis Ticineñ. ad Basilicã sanctę dei genitricis, quę ad perticas dicit', in regẽ sublimauerũt. Cui dũ contũ, sicut moris est, traderẽt, in eius summitatẽ cuculus auis uolitando ueniẽs insedit. Tunc aliquibus prudentibus uisum est p hoc portentũ significari, eius principatum inutilẽ fore. Rex aũt Liuthprandus cũ hoc cognouisset, non æquo animo accepit, tamen de infirmitate sua conualescens, eum regni sui consortem habuit

Gisulfus

Gregorius


Hildeprãdus rex xxx

Cuculi auspicium

Trasimundi facinora

tem habuit. Euolutis deinde aliquot annis Trasimūdus qui Romā fugerat, Spoletum rediens Hildericum extinxit. Rursumq; rebellandi cōtra regem audaciam sumpsit. At uero Gregorius dū apud Beneuentū annos septē ducatū gesserat uita exceptus est. Post cuius obitū Godescalchus dux effectus annis tribus Beneuentanis pfuit. cui cōiugio sociata est puella noīe Anna.

De Liuthprādi in Spoletanos expeditiōe, & Godescalchi interitu. c. XVII



Ex igitur Liuthprandus talia de Spoleto & Beneuēto audiēs, rursum cum exercitu Spoletū petijt. Qui pentapolim ueniens dum à Fano Fortunæ Forum Sempronij peteret, in sylua quę in medio est, Spoletani se cum Romanis sociantes magna incōmoda regis exercitui intulerunt. Qui rex in nouissimo loco Rachim ducē eiusq; fratrē Aistulfum cū Foroiulianis contra hostes cōstituit. Super quos Spoletani cū Romanis irruentes, aliquos ex eis uulnerauerunt. Sed tamen Rachis cū suo germano & aliquibus uiris fortissimis omē illud pondus pugnæ sustinentes, uiriliterq; certantes, multis trucidatis se quoq; inde præter paucos ut dixi sauciatos exemerunt incolumes. Ibi quidam Spoletanorum fortissimus uir Berto nomine, nominatim Rachim appellans armis instructus super eum uenit. Quē Rachis subito percutiens equo deiecit. Cumq; eum eius socij perimere uellent, ipse eum pietate solita fugere permisit. Qui manibus pedibusq; reptans syluā ingressus euasit. Sup Aistulfum uero in quodā ponte duob. uiris fortissimis Spoletanis à tergo uenietibus, ipse unū illorum auersa cuspide feriens de eodē ponte eundē deiecit. Alterū uero subito ad eū cōuersus uita priuauit & fluuio immersit. At uero Liuthprandus Spoletū perueniens Trasemundū ducatu expulit, eumq; clericum fecit. Cuius in loco Asprandum nepotē suū cōstituit. Cum uero Beneuentū properaret, Godescalchus audito eius aduentu nauim cōscendere atq; in Græciam fugere conatus est. Qui postq; uxorē & cunctam suppellectilē suam naui imposuisset, & nouissime ipse ascendere uellet, irruentibus Beneuentanis Gisulfi fidelibus extinctus est. Vxor uero eius cum omnibus quæ habebat Cōstantinopolim perlata est. Tunc rex Liuthprandus Beneuentū perueniens Gisulfum nepotē suū iterum in loco pristino ducē cōstituit, rebusq; ita cōpositis ad suum palatium remeauit. Hic gloriosissimus rex Liuthprandus multas in Christi honorē per singula loca ubi degere solebat, ecclesias construxit. Hic monasteriū sancti Petri quod extra muros Ticineñ. ciuitatis situm est, & Cœlum aureum appellatur, instituit. In summa quoque Bardonis alpe monasterium quod Bercetum dicitur, ædificauit. In Holonna uero nihilominus miro opere in honore Anastasij martyris Christo domicilium statuit, in quo & monasterium fecit. Pari etiam modo per singula loca diuina templa instituit. Intra suum quoq; palatium oratorium domini saluatoris ædificauit. Et quod nulli alij reges habuerant, sacerdotes & clericos instituit, qui ei quotidie diuina officia decantarent.

Aistulfi uirtus

Trasemundus fit clericus

Godescalchi cædes

De

De Baudolini sanctitate, deq; Theolapij consimili gratia. Et de Petri Ticineñ. episcopi sanctitate. Deq; Liuthprandi exitu & præconijs.

CAPVT XVIII



Vius temporibus fuit in loco cui Forum nomẽ est, iuxta Tanarum fluuiũ, uir miræ sanctitatis Baudolinus nomine, qui multis miraculis Christi gratia suffragante refulsit. Quiq; sæpe futura prædixit, & absentia tanquam præsentia nuntiauit. Denique dum rex Liuthprandus in Vrbem syluam uenatum isset, unus ex eius comitibus ceruum sagitta ferire iussus eiusdem regis nepotem, hoc est sororis eius filiũ Aususum nomine, ignorans nolensq; sauciauit. Quod rex cernens, quia ualde puerum amabat, cum lachrymis eius incõmoda lamentari cœpit. Statimq; unum ex equitibus suis misit, qui ad uirum dei Baudolinũ curreret, eumq; rogaret ut pro uita eiusdem pueri Christũ oraret. Qui dum ad seruum dei pergeret, puer defunctus est. Cui Christi famulus ad se uenienti dixit. Scio quam ob causam ueneris, sed illud quod postulare missus es iam fieri non potest, quia puer ille defunctus est. Quod cum eques ille regi ex ordine renuntiasset, rex licet doluerat, quod effectum supplicationis suæ habere nõ potuit, tamen quod uir domini Baudolinus prophetiæ spiritum haberet, aperte cognouit. Huic quoq; non dissimilis ad Veroneñ. ciuitatẽ Theolapius nomine fuit, qui inter miranda quæ patrabat, præsago etiam spiritu multa quæ erant uentura prædixit. Eo quoq; tempore floruit uitalibus actibus Ticinensis episcopus Petrus, qui regis erat consanguineus & ab Ariberto quondam rege apud Spoletum in exiliũ fuerat retrusus. Huic beati Sabini martyris ecclesiam frequentanti, idem uenerabilis martyr prænuntiauit quod episcopus apud Ticinum futurus esset. Quod postquam factum esset Basilicam eidẽ beato martyri Sabino in solo proprio apud eandem ciuitatem construxit. Hic inter reliquas optimæ uitæ quas habuit uirtutes etiam uirginitatis flore decoratus est. Cuius nos aliqua miracula quæ posteriori tempore gesta sunt suo loco in episcoporũ uitis ponemus. At uero Liuthprandus postq; unum & triginta annos, & septem menses obtinuerat regnum, iam ætate maturus, huius uitæ cursum expleuit. Corpusq; eius in Basilica beati Adriani martyris, ubi eius genitor requiescit, sepultum est. Fuit autem uir multæ sapientiæ, consilio sagax, pius admodum, & pacis amator, belli præpotens, delinquentibus clemẽs, castus, pudicus, orator peruigil, eleemosynis largus, literatũ quidẽ gnarus, sed in philosophia sequendus, nutritor gentis, legũ augmentator. Initio regni sui Baioariorũ plurima castra cepit, plus semper orationibus quàm armis fidẽs, maximaq; semper cura Francorum Auarumq; pacem custodiens.

Baudolinus


Theolapius

Petrus Ticinensis

Liuthprandi obitus & præconia

FINIS.

BASILEAE, PER HIERONYMVM FROBEN. ET NICOLAVM EPISCOPIVM, M D XXXII. MEN. AVG.


FRO BEN.

